DOCTORIS ECSTATICI

DIONYSII CARTUSIANI

OPERA OMNIA

IMPRIMATUR

Tornaci, 6ª Junii 1902.

V. Cantineau, Canonicus, Censor librorum.

DOCTORIS ECSTATICI

D. DIONYSII

CARTUSIANI

OPERA OMNIA

IN UNUM CORPUS DIGESTA

AD FIDEM EDITIONUM COLONIENSIUM

CURA ET LABORE

MONACHORUM SACRI ORDINIS CARTUSIENSIS

FAVENTE PONT. MAX. LEONE XIII

IN LIBROS S. DIONYSII AREOPAGITÆ

De Divinis nominibus, De Mystica theologia,
et in Epistolas XI

TORNACI

TYPIS CARTUSIÆ S. M. DE PRATIS

MDCCCCII

COMMENTARIA IN LIBRUM
DE DIVINIS NOMINIBUS

PRÆFATIO

QUIS *ascendit in cœlum atque descendit? Quis colligavit aquas quasi in vestimento? Quis suscitavit omnes terminos terræ? Quod nomen est ejus? et quod nomen filii ejus, si nosti?* Prov. XXX, 4.

Docet nos sacra Scriptura, Dominum Deum nostrum et incomprehensibilem esse, et tamen posse aliquo modo comprehendi : præsertim quum Beati in patria comprehensores vocentur; et sanctus fateatur Apostolus, Sequor autem si quo modo comprehendam in quo et comprehensus sum. Sic et scriptura hæc erudit nos Deum nostrum ineffabilem innominabilemque consistere, et nihilo minus suo modo posse effari et nominari. Quomodo etenim laudabimus eum, et aliis notificabimus majestatem ipsius, nisi eum exprimendo et significando per nomina? Denique, Scimus (ait prædilectus legislatoris nostri discipulus) quoniam Filius Dei venit, et dedit nobis sensum ut cognoscamus Deum verum, et simus in vero Filio ejus. Qui loquens ad Patrem, dixit : Pater, manifestavi nomen tuum hominibus; itemque : Notum feci eis nomen tuum, et notum faciam, ut dilectio tua in eis sit. *Philipp. III, 12.* *I Joann. V, 20.* *Joann. XVII, 6.* *Ibid. 26.*

Possumus ergo Deum verum aliquo modo cognoscere, et proportionaliter nominare, potissime quum in libro Sapientiæ scriptum sit : Vani sunt omnes homines in quibus non subest scientia Dei, et de his quæ videntur bona, non potuerunt intelligere eum qui est ; a magnitudine enim speciei et creaturæ, poterit creator horum cognoscibiliter videri. Annon et gloriosus gentium Doctor hoc ipsum deprompsit? Invisibilia (inquit) Dei a creatura mundi, per ea quæ facta sunt intellecta, conspiciuntur; sempiterna quoque virtus ejus et divinitas. *Sap. XIII, 1, 5.* *Rom. I, 20.*

Verumtamen, non obstantibus his, pandit idem Apostolus incomprehensibilitatem Omnipotentis in se ipso, qui non est minus incomprehensibilis in sua essentia, quam in sapientia et justitia sua. De quo in prima ad Timotheum epistola asserit : Quem nullus hominum vidit, nec videre potest; et alibi : O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei! quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus! De quo et in Job fertur : Nos quippe involvimur tenebris; digne eum invenire non possumus, et enarrari non potest : ideo timebunt eum viri, et non audebunt contemplari omnes qui sibi videntur esse sapientes. — Consonant demum his dicta philosophorum, quum etiam Plato asserat in Timæo : genitorem opificemque universi tam difficile inveniri, quam inventum impossibile digne effari. De quo in Elementatione sua theologica Proclus ait : Ens divinum propter suam supersubstantialem unitatem, *I Tim. VI, 16.* *Rom. XI, 33.* *Job XXXVII, 19, 23, 24.*

indicibile est et incognoscibile omnibus simul secundis, a participantibus autem capabile est et cognoscibile; propter quod solum primum penitus ignotum, tanquam excedens ens. Hoc est quod sexta propositione libri de Causis inducitur: Causa prima est superior omni narratione, et non narratur nisi per causas secundas, quoniam ipsa est super omnem causam.

His et consimilibus difficultatibus plenus est liber iste, Deo præstante jam elucidandus: qualiter videlicet prædicata et nomina ista perfectionalia Deo conveniant, et qualiter ista nunc tacta stent simul et concordentur. Ad quorum qualemcumque declarationem et resolutionem quis poterit esse idoneus, nisi quem talem fecerit Deus? Ejus igitur illustrationem totis imploro præcordiis. Est namque revera altissimum istud negotium, et in horum plena notitia consistit felicitas. Idcirco in horum cognitione clara et sincera, formata et affectiva proficere, est ad beatitudinem veram proficisci ac propinquare: ad quod requiritur habitaculum mundum, mens depurata, cor humile et sincerum, imo omni virtute ornatum.

S. DIONYSII AREOPAGITÆ

MARTYRIS, ATHENARUM EPISCOPI ET GALLIARUM APOSTOLI

DE DIVINIS NOMINIBUS

AD TIMOTHEUM EPHESINÆ CIVITATIS EPISCOPUM

INTERPRETE JOANNE SCOTO

CAPITULUM PRIMUM

QUÆ SIT RATIONIS INTERPRETATIO, ET QUÆ DE DIVINIS NOMINIBUS TRADITIO.

COMPRESBYTERO Timotheo, Dionysius presbyter salutem. — Nunc autem, o beate vir, post theologicos characteres, in divinorum nominum replicationem quantum licet transeamus. Sit autem et nunc nobis Eloquiorum lex prædefinita, veritatem nos invenire eorum quæ de Deo dicta sunt, non in credibilibus humanæ sophiæ verbis, sed in appropriatione*, spiritu movente theologorum virtutis, per quam ineffabilibus et ignotis ineffabiliter et ignote conjungimur, secundum meliorem nostræ rationalis et intellectualis virtutis et operationis unitatem.

1 Cor. II, 4.

* approbatione

Universaliter itaque non audendum dicere neque intelligere quid de superessentiali et occulta Divinitate, præter divinitus nobis ex sacris Eloquiis expressa. Ipsius enim super rationem et intelligentiam et essentiam superessentialis, ipsa superessentiali scientia reponendum : in tantum sursum respicientes, quantum se infert divinorum Eloquiorum radius ad superiores claritates circa divina, temperantia et sanctitate coarctatas. Etenim si quidem* oportet sapientissima et verissima Theologia persuaderi, juxta analogiam uniuscujusque animorum respiciuntur divina et inspiciuntur thearchiæ bonitates in salutari justitia, ab his quæ in mensura sunt, immensurabilitatem divinitus tanquam illocalem distinguentem. Sicut enim incomprehensibilia et incontemplabilia sunt sensibilibus invisibilia ; et his quæ sunt in figmento et similitudine, simpla et non simulata ; et secundum corporum figuras formatis, incorporalium intacta et non figurata informitas : juxta eamdem veritatis rationem, superat essentias superessentialis magnitudo, et animos super animum unitas ; et omnibus virtutibus impossibile est, quod super sensum est arcanum,

* quod

quae causa rationis super rationale bonum ; unitas unifica omnis unitatis, et superessentialis essentia, et intellectus invisibilis, et verbum arcanum ; irrationabilitas, et invisibilitas, et innominabilitas, secundum nullum eorum quae sunt ens ; et causale quidem essendi omnibus, ipsum autem non ens, ut omnis essentiae summitas, et sicut ipsa de se ipsa proprie et scienter manifestat. De hac igitur, ut dictum est, superessentiali et occulta Divinitate, non audendum dicere neque intelligere quid, praeter divinitus nobis ex sacris Eloquiis expressa. — Etenum sic ipsa de semetipsa in Eloquiis optime tradidit. Ejus quidem qualis est scientia et contemplatio, omnibus invia est, quae sunt tanquam ab omnibus superessentialiter separata. Et multos theologorum invenimus non solum ut invisibilem eam et incomprehensibilem laudantes, sed et inscrutabilem simul et investigabilem, tanquam non esse vestigia illo in occultam ejus multitudinem pervenientium.

Non tamen incommunicabile est universaliter bonum ulli eorum quae sunt : sed in se ipso manens, superessentialem collocatum radium, uniuscujusque eorum quae sunt proportionaliter illuminationibus optime supermanifestat ; et ad possibilem sui contemplationem et societatem et similitudinem extendit sacros animos, quantum fas est et ut divinitus desiderantes, et neque ad superius moderate indita divina manifestatione, impossibiliter glorificatos, neque ad inferius ex ea quae in malum ad inclinationem resolutos, sed et bene ponderate et recte ad radium eis supersplendentem valentes, et commensurabili justarum illuminationum amore, cum reverentia sacra, et temperate et sancte revolantes, ipsa sequentes thearchica juga quae etiam totas gubernant supercoelestium essentiarum sanctas dispositiones. Hoc quidem super intellectum et essentiam Thearchiae occultum, inscrutabile est etiam intellectualibus nostris reverentiis.

Haec arcana temperanti silentio honorantes, ad lucentes nobis in sacris Eloquiis splendores intendimus, et ab ipsis in lucem ducamur ad thearchicos hymnos, ab his supermundane illuminati, et ad sacras hymnologias formati ad videndum etiam commensurate nobis per eas donata divina luminaria, et largum principium omnis divinae apparitionis luminis laudandum sicut ipsum de se ipso in sacris Eloquiis tradidit : ut quae omnium est causa, et principium, et essentia, et vita ; et quidem recidentium ab eo, et revocatio et resurrectio ; et vero deiformitatis incorruptibile, perditorum renovatio et reformatio ; juxtaque agitationem immundam mobilium collocatio divina, et stantium munimen ; et ad ipsum reductorum restitutiva manuductio ; et illuminatorum illuminatio ; et perfectorum perfectio principalis, et deificatorum deitas, et simplicium simplicitas, et unitorum unitas ; principii omnis superessentialiter superprincipale principium ; et occulti, secundum quod justum est, optima traditio : et simpliciter dicendum, viventium vita, et eorum quae sunt essentia, omnis vitae et essentiae principium et causa, per suam, ut sint quae sunt, adductam et continentem bonitatem.

Haec autem a divinis Eloquiis didicimus ; et omnem sic dicere sacram theologorum hymnologiam invenies ad beneficas Divinitatis processiones manifestative

et laudative divinas nominationes præparantem. Unde in omni fere theologica actione Thearchiam videmus divinitus laudatam : ut monadem quidem et unum, propter simplicitatem et unitatem supernaturalis impertibilitatis, ex qua ut unitica virtute unimur, et partitis nostris alteritatibus supermundane complicatis, in deiformem monadem congregamur et Deum imitantem unitatem ; ut trinitatem vero, propter subsistentis * ter superessentialis fecunditatis expressionem, ex qua omnis paternitas in cœlo et in terra est et nominatur ; ut autem causam eorum quæ sunt, quoniam omnia ad esse adhibita sunt per ejus substantificam bonitatem ; sapientem vero et bonam, quia exsistentia omnia, quæ propria natura incorruptibilia salva sunt, omni harmonia divina et sacra pulchritudine sunt repleta. Humana autem differenter : quia his quæ secundum nos sunt, ad veritatem universaliter in una sui substantiarum communicavit, et revocatam ad se ipsam restituit humanam novissimam partem, ex qua ineffabiliter simplex Jesus compositus est, et appositionem assumpsit temporalem æternus, et æqualis nobis factus est natura, omnium secundum omnem naturam ordines superessentialiter molitus, cum incommutabili et inconfusa propriorum collocatione. Et quæcumque alia deifica luminaria eloquiis consequenter divinorum nostrorum ducum occulta traditio expresse nobis donavit.

* subsistentem

Ephes. III, 15.

Hæc et nos didicimus, nunc quidem rationabiliter nobis per sacra velamina Eloquiorum et hierarchicarum traditionum humanitatis, sensibilibus quidem invisibilia, et his quæ sunt superessentialia circumvelantis, et formas et similitudines carentibus formis et similitudinibus circumponentis, et supernaturalem et non figuratam simplicitatem, varietate partitorum symbolorum et multiplicantis et præfigurantis. Quum autem incorruptibiles et immortales facti fuerimus, et christiformi et beatissima recipiemur quiete, semper cum Domino (juxta Eloquia) erimus : visibilis quidem ipsius divinæ manifestationis in castissimis contemplationibus repleti, manifestissimis splendoribus nos circumlustrantis, sicut discipulos in illa divinissima transformatione ; invisibilem autem ipsius illuminationem impassibili et immateriali intellectu participantes, et super intellectum unitatem, in superapparentium radiorum ignotis et beatis experimentis, in divinorum imitatione supercœlestium animorum. Sicut angeli enim (ut Eloquiorum veritas ait) erimus, et filii Dei, resurrectionis filii sunt. Nunc autem, ut nobis possibile, necessariis quidem in divina symbolis utimur, et ex ipsis iterum in simplam et unitam invisibilium contemplationum virtutem proportionaliter intendimus ; et post omnem secundum nos deiformium intelligentiam, resecantes * nostras intellectuales operationes, in superessentialem radium, secundum quod justum est, nos immittemus. In quo omnes fines omnium cognitionum superarcane ante substituti sunt ; quem neque intelligere possibile est, neque dicere, neque omnino quoquomodo contemplari, propter quod ab omnibus ipse remotus sit et superincognitus : et omnium quidem essentialium cognitionum et virtutum summitates, simul et omnes superessentialiter in se ipso præambientem ; omnibus vero incomprehensibili virtute et supercœlestibus animis supercollocatum. Si enim scientiæ omnes exsistentium sunt, et in ea quæ

I Thess. IV, 16.

Luc XX, 36.

* requiescentes

unde finem habent; ipsa omnium essentia summa, et ab omni scientia est remota.

Et si melior est omni ratione et omni scientia, et super intellectum universaliter et essentiam collocatur (omnium quidem quum sit acceptiva, et comprehensiva, et praecomprehensiva, omnibus autem per se universaliter incomprehensibilis est); et neque sensus ejus est, neque phantasia, neque opinio, neque nomen, neque verbum, neque tactus, neque scientia: quomodo de divinis nominibus a nobis articulabitur sermo sive vocabulo, et super nominationem superessentiali Deitate exclusa? Sed quod diximus quum theologicos characteres exponeremus, unum incognitum, superessentiale, per se optimum, quod quidem est, trinam unitatem dico, ὁμόθεον et ὁμοάγαθον, neque dicere neque intelligere possibile est. Sed et sanctarum virtutum angelicas unitates, quas sive speculativas sive acceptivas oportet dicere superincognitae et superlucentis bonitatis, et arcanae sunt et incognitae, et solis ipsis subsistunt super scientiam angelicam dignis solis angelis. His deiformes angelica imitatione, quantum licet, sanctarum animi, quoniam secundum omnem intellectualem operationem requiescunt. Talis quum sit deificatorum animorum ad summum lumen unitas, laudant ipsam potissime per omnium quae sunt ablationem, in hoc vere et supernaturaliter illuminati ex beatissima cum ipso unitate: quia omnium quidem est quae sunt, causale; ipsum autem nihil, ut omnibus quae sunt, superessentialiter exaltatum. Igitur superessentialitatem divinam, qualis est superbonitatis supersubsistentia, neque ut verbum, aut virtutem, neque ut animum, aut vitam, aut essentiam, laudare est justum (nulla enim eorum quaecunque sunt, super omnem veritatem veritate dicitur); sed ut omni habitu, motu, vita, phantasia, opinione, nomine, verbo, virtute, intelligentia, essentia, statu, collocatione, unitate, summitate, multitudine, omnibus quaecunque sunt exsistentia, supereminenter remotam. — Quomodo vero ut bonitatis subsistentia, ipsius esse omnium quae sunt est causa optima principalis Divinitatis providentia, ex omnibus causatis laudanda est: quoniam et circa ipsam omnia, et propter ipsam, et ipsa est ante omnia, et omnia in ipsa constituta sunt, et ejus essentia omnium est ad esse deductio et substantia. Et ipsam omnia desiderant: intellectualia quidem et rationabilia, scienter; subjecta vero his, sensibiliter; et alia, secundum vitalem motum, et essentialem et conditionalem necessitudinem.

Haec igitur scientes theologi, et tanquam innominabilem eam laudant, et ex omni nomine. Innominabilem quidem, ut quum aiunt Divinitatem ipsam in una mysticarum symbolicae divinae manifestationis visionum, increpasse dicentem: Quod nomen tui? Et sicut ab omni eum Dei nominativa scientia reducens, dicere: Et ut quid interrogas nomen meum? et hoc est mirabile. Annon hoc vere est mirabile nomen, quod est super omne nomen, quod est innominabile, quod omni superconlocatum nomini nominato sive in hoc saeculo sive in futuro? Multivocam vero: ut quum iterum eam introducunt dicentem, Ego sum via, veritas et vita, lux, Deus; et quum ipsi omnium causalem theosophi multivoce ex omnibus causativis laudant: ut optimum, ut bonum, ut sapientem, ut dilectum, ut Deum deorum, ut Dominum

Judic. XIII, 17. — Gen. XXXII, 29.

Joan. XIV, 6; VIII, 12. — [illegible]

dominorum, ut Sanctum Sanctorum, ut æternum, ut exsistentem, et ut sæculorum causalem; ut vitæ largitorem, ut sapientiam, ut intellectum, ut rationem, ut scientem, ut proferentem omnes thesauros ab omni scientia, ut virtutem, ut potentem, ut Regem regnantium, ut Antiquum dierum, ut non senescentem, ut immutabilem, ut salutem, ut justitiam, ut sanctificationem, ut redemptionem, ut in magnitudine omnia excellentem, ut in aura levi sive tenui. Atque et in animis eum esse aiunt, et in animabus, et in corporibus, et in cœlo, et in terra, et simul in eodem eumdem, immundanum, circa mundum, supermundanum, supercœlestem, superessentialem, solem, stellam, ignem, aquam, spiritum, rorem, nebulam, per se ipsum lapidem, petram; et omnia quæ sunt, et nihil horum quæ sunt.

Sic igitur omnium causæ, et super omnia enti, et innominabile adunabunt, et omnia eorum quæ sunt nomina, ut diligenter sit universorum regnum. Et circa eam sunt omnia, et ab ea ut causa, ut principio, ut fine dependentia, et ipsa, secundum Eloquium, est omnia in omnibus. Et vere laudatur omnium subsistentia *I Cor. xv. 28.* inchoativa et consummativa, et continens, custos, et pascens, et ad se ipsam convertens, et hæc adunans immensurabiliter et excelse. Non enim continentiæ, aut vitæ, aut consummationis causa tantum est, ut a sola hac aut altera providentia supernominabilis bonitas nominaretur; omnia vero simpliciter et indefinite in se ipsa quæ sunt præambiens, perfectissimis unius suæ et causalissimæ providentiæ bonitatibus, et ex omnibus quæ sunt, harmonice laudatur et nominatur.

Et quidem non has solas theologi divinas nominationes honorant quæ sunt ab omnibus aut partitis providentiis, aut provisis: sed et a quibusdam est, quando divinis responsis in sacris templis aut aliis formis magistros aut Prophetas illuminantibus, juxta alias et alias causas et virtutes, nominant super dictionem et super nominationem bonitatem; et formas ei et similitudines humanas, aut igneas, aut electrinas circumponunt; et oculos ejus, et aures, et nexos crines, et facies, et manus, et posteriora, et pennas, et brachia, et dorsa, et pedes laudant; coronasque, et thronos, et calicem, et crateras ejus, et alia quæcumque mystica sunt, ei circumformant. De quibus in Symbolica theologia secundum virtutem diximus. Nunc vero quæcumque præsentis sunt actionis ex Eloquiis congregantes, et sicut quadam regula his quæ dicta sunt utentes, et ad ea respicientes, ad reserationem invisibilium divinorum nominum proveniamus. Et quæ quidem semper per omnem nobis Theologiam hierarchica lex induxit, divina contemplativa virtute theophanias inspiciemus, proprie dicere theorias. Et aures sacras mirabilibus divinorum nominum replicationibus apponamus, sanctis sancta, secundum divinam traditionem, collo- *Matth. vii. 6.* cantes, et indoctis hæc irridentibus et illudentibus auferentes, magis autem ipsos illos, siquidem omnino sunt hujusmodi quidam homines, in hoc divina pugna redimentes. Te quidem hæc custodire oportet, o bone Timothee, juxta sacratissimam inductionem; et neque dicta neque prolata divina, facere in indoctos. Mihi autem det Deus divinitus laudare non vocatæ et non nominatæ Divinitatis beneficas multas nominationes, et ne auferat verbum veritatis ex ore meo.

COMMENTARIA DIONYSII CARTUSIANI

IN LIBRUM

DE DIVINIS NOMINIBUS

ARTICULUS PRIMUS

EXPOSITIO INITII HUJUS CAPITULI : DE OBJECTO SCILICET PRAESENTIS LIBRI, ET QUOD IN HOC OPERE NON SIT INNITENDUM RATIONI, SED REVELATIONI.

TRACTATURUS in volumine isto beatissimus Dionysius de divinis nominibus, hoc est, de his quae Deo proprie et absolute conveniunt, utpote sine respectu saltem reali; primo continuat se ad librum quem immediate ante istum composuit, qui non fuit de hierarchiis, sed de superbeatissima Trinitate. Deinde praemittit documenta quaedam communia, primo faciens mentionem aliquam nominum ad eorum considerationem spectantium in communi. Secundo de talibus agit in speciali, capitulo quarto, ubi declarat qualiter Deus appelletur bonus et bonitas. Nec oportet in his plurimum praevolare et praevenire dicenda, quoniam haec omnia suis locis atque capitulis ordinate patebunt. Nec intendo hic intendere, nec immorari, neque insistere, nisi textus expositioni, non quaestionum ventilationi, quae quasi innumerabiles possent hic introduci; quae super primum Sententiarum sunt expeditae.

Nunc autem, o beate vir, post theologicos characteres, in divinorum nominum explicationem, quantum licet transeamus: hoc est, o felix Timothee coepiscope et confrater in Domino, « transeamus » per mentis considerationem, « quantum licet », A id est, prout nobis possibile est gratia operante, « in replicationem », id est frequentem et iteratam considerationem, sicut id quod replicatur, saepe inspicitur : vel, « in replicationem », revolvendo et repetendo quae Hierotheus scripsit de his, aut alii quidam : « replicationem », inquam, « nominum divinorum », id est nominum nominantium, per respectum ad nomina nominata, utputa ad res significatas; vel, « nominum divinorum », id est rerum divinarum significatarum per B nomina de quibus hic agitur, considerando secundum quas rationes et proprietates earum conveniant eis nomina ista. Nec dubium quin specialiter hic agatur de rebus, sive de re eadem secundum varias rationes et proprietates ipsius, secundum quas potest pluraliter significari, quemadmodum quum ait Apostolus : Invisibilia Dei per ea quae facta sunt intellecta, conspiciuntur. Ubi per invisibilia Dei, non intelliguntur invisibiles creaturae Dei, ut angeli, sicut quum ad Hebraeos dicitur : C Fide intelligimus aptata esse saecula verbo Dei, ut ex invisibilibus (id est post invisibilia) visibilia fierent. Post, inquam, ordine dignitatis, non temporis, quum scriptum sit : Initio tu, Domine, terram fundasti. Vel,

Rom. I, 20.
Hebr. XI, 3.
Ps. CI, 26.

« ex invisibilibus », id est simplicissimis A idealibus rationibus mentis divinæ. Hæc itaque consideremus « post characteres theologicos », id est post considerationes et notificationes proprietatum personalium in divinis, distinctivarum superbeatissimarum Personarum ad intra, ut sunt paternitas, filiatio, processio. De quibus tractavit Theologus libro de Divinis characteribus : quem librum, ut dictum est, non habemus. Dicuntur autem characteres isti theologici, quia de istis tractare ad theologum spectat, et quoniam circa eos B theologia, id est sermo divinus atque de Deo tractans, versatur. Præterea character interdum sumitur in divinis pro persona distincta, ut quum ad Hebræos de unigenito Filio dicitur : Qui quum sit splendor gloriæ et figura substantiæ ejus. (Hebr. i, 3.) In Græco scriptum est : Et character substantiæ ejus. Interdum, pro proprietate distinctiva, ut hic.

Consequenter primum documentum subditur generale.

Sit autem et nunc nobis Eloquiorum C *lex prædefinita, veritatem nos invenire eorum quæ de Deo dicta sunt, non incredibilibus humanæ sophiæ verbis :* id est, sicut in aliis locis ac passibus Scripturarum, ita et hic præfixa et observanda sit nobis « lex Eloquiorum », id est doctrina et jussio sacræ Scripturæ, videlicet, « invenire nos veritatem », id est, ut scientiam nunc dicendorum inveniamus, non quasi a casu aut de novo ex proprio sensu, sicut juxta Philosophum, aliqui bene sunt inventivi, alii bene ju- D dicativi : hinc subditur, « non in credibilibus verbis humanæ sophiæ », id est non ex humanis argumentationibus, prout Corinthiis scribit Apostolus : Prædicatio (I Cor. ii, 4.) mea ad vos, non fuit in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus et virtutibus. Hoc est quod sequitur :

Sed in appropriatione, spiritu movente theologorum, virtutis, id est ex rationibus et considerationibus convenientibus, proportionatis ac propriis, « virtutis », id est divinæ potestatis seu omnipotentiæ Dei, et virtuosorum operum ejus, ut sunt potissime supernaturales effectus ac prophetiæ, miracula, signa, prodigia, quibus fides innititur, veritasque Scripturæ probatur. De quibus legitur ad Hebræos : Quomodo effugiemus, si tantam neglexerimus salutem, quæ in nos confirmata est, contestante Deo signis et portentis et variis virtutibus, et Spiritus Sancti distributionibus? (Hebr. ii, 3, 4.) Unde in Marco recitatur : Illi autem profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante et sermonem confirmante sequentibus signis. (Marc. xvi, 20.) Sic ergo inveniemus veritatem, « movente spiritu theologorum », id est, dirigente nos Spiritu Sancto, quo inspirati, locuti sunt sancti Dei homines. (II Petr. i, 21.) In Evangelio quoque : Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis. (Matth. x, 20.)

Per quam ineffabilibus et ignotis ineffabiliter et ignote conjungimur, secundum meliorem nostræ rationalis et intellectualis virtutis et operationis unitatem. Hoc est : « Per quam » virtutem ac opem Spiritus Sancti « conjungimur » per cognitionem et affectum « ineffabiliter et ignote », id est modo ineffabili et ignoto carnalibus, rudibus, indoctis et perfidis, qui se supra corporalia et naturalia nequeunt elevare, « ineffabilibus et ignotis », id est divinis Personis, et his quæ sola fide ac supernaturaliter cognoscuntur per mysticam contemplationem, per saporem internum, per revelationem et raptum, et per occultissima sentimenta, juxta illud in Canticis, Sub umbra illius quem desiderabam sedi, et fructus ejus dulcis gutturi meo; (Cant. ii, 3.) atque in Psalmo, Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine! (Ps. xxx, 20.) Quæ ineffabilia et ignota censentur, quoniam nunc perfecte et plene agnosci et exprimi nequeunt, quum et intellectus noster ad manifestissima naturæ se habeat sicut noctuæ visus ad lumen solis. « Secundum meliorem unitatem », id est secundum nobiliorem recollectionem et

simplificationem, « virtute », id est potentiæ, « et operationis nostræ rationalis et intellectualis ». Porro ratio et intellectus ac voluntas, sunt una vis animæ, sed differunt actu et ratione. Dicitur etenim ratio, in quantum discurrit; et intellectus, prout simpliciter intuetur veritatem. At vero potentiæ intellectivæ, per unionem et occupationem circa altiora et nobiliora se, meliorantur; per unionem vero et occupationem circa inferiora et viliora, deteriorantur. Ideo subtiliter ait, « secundum meliorem unitatem », etc. Hæc quippe est optima et saluberrima unitas partis nostræ intellectivæ, qua circa summum et increatum objectum recte per sapientiam et fervorem versatur, et in illo colligitur, simplificatur ac stabilitur. Nempe qui adhæret Deo, unus spiritus est cum eo. I Cor. vi, 17.

ARTICULUS II

OSTENDIT AUCTOR SIVE RATIONIBUS SIVE AUCTORITATIBUS, QUOD TANTUM DE DIVINIS ASSERENDUM SIT, QUANTUM NOBIS DIVINA ELOQUIA TRADUNT.

SEQUITUR aliud saluberrimum ac sapientissimum documentum, temeritatis et præsumptionis, curiositatis et singularitatis, hæreticorumque pravitatum et inconsideratorum scrutiniorum repressivum et exclusivum.

Universaliter itaque non audendum dicere neque intelligere quid de superessentiali et occulta Divinitate, præter divinitus nobis ex sacris Eloquiis expressa: hoc est, illud in cunctis est observandum; « non audendum », id est, ut nemo audeat, « dicere » aut « intelligere », id est mente concipere vani assensu, « quid », id est aliquid, « de superessentiali et occulta Divinitate », id est incognita Deitate, quæ est omni secreto secretior, et omni interiore interior; cui loquitur Isaias, Vere tu es Deus absconditus, Deus Israel; (Is. xlv, 15) « præter expressa divinitus nobis ex sacris Eloquiis », id est, præter ea, aut certe contra ea, quæ nobis desuper sunt expressa, revelata seu manifestata ex Scripturis, ita quod in Scripturis contenta sunt explicite, aut saltem implicite, et a Scripturis canonicis nequaquam discordant: quod utique adhuc vigilantius est servandum de supergloriosissima Trinitate, cujus cognitio et articuli fidei ac credenda, multo plus capacitatem nostram transcendunt, quam quæ Divinitatis unitatem concernunt, quum unitas ista quantum ad *quia est*, naturali pateat ratione. His consonat quod primo libro loquitur Damascenus: Non est (dicens) possibile quid præter ea quæ divine a divinis Eloquiis veteris et novi Testamenti enarrata sunt et manifestata, dicere de Deo vel universaliter intelligere.

*Ipsius enim super rationem et intelligentiam et essentiam superessentialis, ipsa superessentiali scientia reponenda** : hoc est, « scientia » seu cognitio « ipsius » Dei « superessentialis », qui est « super » omnem « rationem et intelligentiam et essentiam » creatam, « reponenda » est in « ipsa superessentiali » sua scientia: ita quod ipse solus plene comprehendit se ipsum, et sibi soli adscribenda est plena et comprehensiva sui ipsius cognitio, sic quod tam perfecte cognoscit se, sicut ex sua natura cognoscibilis est. Etenim tantum habet de cognoscibilitate, quantum de entitate, actualitate, formalitate et perfectione. Hinc scriptum est: Nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem quis co- (Matth. xi, 27.)

* reponendam

gnovit nisi Filius. In Job quoque libro : [A] (*Job* XI, 7.) Forsitan vestigia Dei comprehendes, et usque ad perfectum Omnipotentem cognosces ? Ideo non debemus nos irreverenter aut immoderate ingerere ad sciendum profunda et imperscrutabilia sapientiæ suæ, præsertim quum in Proverbiis dicatur (*Prov.* XXV, 27.) : Sicut qui mel comedit multum, non est ei bonum ; sic qui perscrutator est majestatis, opprimetur a gloria. Hinc et nos sobrie procedemus, sicut subjungitur.

In tantum sursum respicientes, id est, [B] divina in tantum contemplantes, et ad eorum intuitum in tantum nos erigentes, *quantum se infert*, id est, quantum nobis se infundit et intus irradiat ac infulget, *divinorum Eloquiorum radius*, id est sapientia Dei æterna, Scripturarum inspiratrix et doctrix, *ad superiores claritates*, id est ad inspiciendum et intelligendum mysteria divinorum et mirabilia legis divinæ, ac ea quæ Deo variis modis conveniunt. Propter quod oravit vir sanctus (*Ps.* CXVIII, 18.) : Revela oculos meos, et considerabo mirabilia de [C] lege tua. Idcirco agendum est istud *certa moderantia divina* (* *circa divina, temperantia*), id est moderamine bene discreto, prout ad Corinthios scribit Apostolus (II *Cor.* X, 13.) : Secundum mensuram qua mensus est Dominus. Qui etiam radius infert se *ad sanctitates* (* *et sanctitate*) *coarctatas* : quia largitur gratiam et virtutes secundum diversos gradus, profectus et mensuras, prout diversimode diversos elegit, qui in numero, pondere et mensura constituit (*Sap.* XI, 21.) universa. De quo legitur in libro Sapientiæ (*Ibid.* VII, 15, 16.) : Deus sapientiæ dux est, et sapien- [D] tium emendator ; in manu enim illius et nos, et sermones nostri, et omnis sapientia.

Etenim si quidem oportet sapientissima et verissima Theologia persuaderi : id est, quia et hoc certe « oportet persuaderi », id est probabiliter edoceri, ex « Theologia », id est Scriptura, quæ est sermo loquens de Deo, « verissima », quia nil falsi ei miscetur ; « et sapientissima », id est summæ sapientiæ contentiva, quæ et mentes facit doctissimas : hoc, inquam, oportet suaderi ex ea, quod *juxta analogiam uniuscujusque animorum respiciuntur divina et inspiciuntur thearchicæ bonitates in salutari justitia*, id est, quod quilibet intellectus fidelis « juxta » suam « analogiam », id est dispositionem et proportionem, contemplatur divina et inspicit thearchicas bonitates, id est principales Dei perfectiones et attributa, per fidem et dona Spiritus Sancti. Quo enim desuper copiosius illustratur, et donis Spiritus Sancti, sapientia, scientia, intellectu, consilio, gratiosius adimpletur, eo limpidius contemplatur divina : et hoc, « in salutari justitia », id est, conferente ad hoc vera et infusa justitia, quæ voluntatem rectificat et animam efficit Deo caram : quoniam justus Dominus et justitias dilexit (*Ps.* X, 8.) ; atque ut asserit Augustinus, mens humana in lumine tam excellenti non figitur, nisi per fidei æquitatem purgetur ; nec aliter potest esse contemplatio vera ac formata cognitio, quum de iniquis dicat ad Titum Apostolus (*Tit.* I, 16.) : Dicunt se nosse Deum, factis autem negant. Hinc Colossensibus scripsit (*Coloss.* I, 9, 10.) : Postulamus ut impleamini agnitione voluntatis Dei in omni sapientia et intellectu spirituali, ut ambuletis digne Deo. Istud docet Theologia, id est Christus in Evangelio (*Matth.* XXV, 15.) : Dedit (inquiens) unicuique secundum propriam virtutem ; atque in Psalmo (*Ps.* LXXX, 11.) : Dilata os tuum, et implebo illud.

« Inspiciuntur », inquam, secundum hanc « analogiam », *ab his quæ in mensura sunt, immensurabilitatem divinitus tanquam illocalem distinguentem*, id est, secundum istam proportionem « distinguentem immensurabilitatem divinitus », id est divinam infinitatem, « ab his quæ sunt in mensura », id est a rebus creatis, quæ finitæ sunt et mensuratæ loco, tempore, intellectu, differentia quoque specifica : idcirco dicitur illocalis, quæ nec infra universi terminos clauditur aut finitur. Porro hæc proportio non facit proprie istam distinctionem nisi ut signum,

nec quidquam creatum: sed Deus majestatis immensæ propria bonitate et actualitate quasi individuatur, et a cunctis distinguitur, per se et in se separate ac invariabiliter ens.

Sicut enim incomprehensibilia et incontemplabilia sunt sensibus * *insensibilia*, id est, quemadmodum res immateriales, separatæ, incorporeæ, videri nequeunt sub propria similitudine a visu corporeo; *et his qui sunt in figmento et similitudine, simplicia et non formabilia*, id est, sicut simplicia et infigurabilia sunt incomprehensibilia « his qui sunt in figmento et similitudine », id est, quæ sunt figurata atque sensibili similitudine qualificata; *et secundum corporum figuras formatis, incorporea intactilis et non figurabilis informitas*, id est sicut « informitas » seu privatio formæ materialis, pura et intangibilis, est incomprehensibilis « formatis secundum corporum figuras », his scilicet quæ ex sua natura habent corporales figuras.

Secundum eamdem veritatis * *rationem, superjacet substantias supersubstantialis immensitudo*, id est, secundum eamdem argumentationem hujus medii fortis, « magnitudo supersubstantialis », id est Deus qui est magnitudo immensa super omne genus ac ordinem rerum, transcendit dignitate et genere omnem creatam ac limitatam essentiam, *et mentes super mentes* * *unitas*, id est simplicissima increataque « unitas » Dei, excedens « super » omnes « animos », id est super universas mentes creatas, excedit « summos » omnes; *et omnibus excogitationibus impossibilis est, quæ* * *super omnia est occultum*, hoc est, « arcanum », id est res illa occulta consilii summi, « quæ est super sensum » totius creaturæ, « est » quid « impossibile » ad comprehendendum « omnibus virtutibus », id est intellectibus universi, quemadmodum in Isaia legitur: Cum quo iniit consilium, et instruxit eum? Et ad Romanos: O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei! quam incomprehensibilia sunt judicia ejus! etc. Apud Jeremiam quoque dicitur: Quis affuit in consilio Domini, et vidit, et audivit sermonem ejus? *Quæ omni est rationi super rationale bonum*, id est, increatum illud « bonum » essentialiter superintelligibile et omni altius ratione, subaudi, est res quæ est quid incomprehensibile omni penitus rationi.

(Is. XL, 14; Rom. XI, 33; Jer. XXIII, 18)

Causa unifica omnis unitatis, id est « unitas » prima et summa, causa exemplaris, effectiva et finalis universæ « unitatis » secundæ. Unum quippe dicitur indivisum a se, et divisum ab aliis, nec superaddit reale aliquid enti. Deus autem excellentiæ infinitate, se ipso maxime ab aliis est divisus. *Et supersubstantialis essentia*, id est essentia incomparabilis, *et intellectus incogitabilis*, id est incomprehensibilis, *et verbum arcanum*, quod proprie convenit Unigenito Patris, juxta illud, In principio erat Verbum. Et Ecclesiasticus ait: Fons sapientiæ verbum Dei in excelsis. *Irrationabilitas, et invisibilitas, et innominabilitas*. Ista dicuntur de Deo per excessum, quia in infinitum altior est omni ratione, cognoscibilitate, et nomine; nec aliquid horum convenit ei prout nos capere possumus, sed eminentius infinite. *Secundum nullum eorum quæ sunt ens*, id est, nec esse nec essentiam habens secundum aliquod genus prædicamentale, quum ipse sit suum actualissimum et irreceptissimum esse, penitus purum et separatum, non contractum ulla differentia, nec limitatum potentia, nec coarctatum materia.

(Joan. I, 1; Eccli. I, 5)

Et causale quidem essendi omnibus, id est, ipsum est universis fontale, « causale » et effectivum principium, sicut respondit Judæis sciscitantibus eum: Tu quis es? Principium, inquit, qui et loquor vobis. *Ipsum autem non ὄν*, id est creatum, *ut omnis essentiæ unitas* * efficienter, non formaliter; omnia item per reductionem in ipsum, unitatem aliquam sortiuntur; *et utcumque ipsa de se ipsa proprie et scienter manifestat*, id est, « ipsa » Deitas « de se ipsa manifestat » quando et ubi et quibus voluerit, non

(Joan. VIII, 25. * substantias)

naturali necessitate, nec symbolice aut metaphorice tantum, sed et « proprie » ac « scienter », puta per nomina intelligibilia et attributa perfectionalia, de quibus hic pertractatur.

Ex his concludit quod supra jam dixit. *De hac ergo*, ut dictum est, superessentiali et occulta Divinitate, non audendum dicere neque intelligere quid, præter divinitus nobis in* sacris Eloquiis expressa*, id est cogitare præter hæc quæ dicta sunt nobis in Scripturis, sicut expositum est. At vero quæ virtualiter et implicite continentur in illis, æquivalenter nobis in illis prolata censentur. Simili modo Moyses in Deuteronomio jussit : Non adjicietis ad verbum quod ego loquor vobis, neque auferetis ex eo. Sic et Joannes in Apocalypsi terribiliter comminatur : Si quis apposuerit ad verba hæc, apponet super illum Deus plagas ; et si quis diminuerit inde, auferet Deus partem ejus de libro vitæ. Hinc subditur :

* igitur

* ex

Deut. IV, 2.

Apoc. XXII, 18, 19.

Etenim sic ipsa de semetipsa in Eloquiis proprie tradidit*, id est, Deitas ita in Scripturis clare et aperte docuit et præcepit. Nempe, si crimen enorme est papales falsare mutareve litteras : quanto magis sacram Scripturam, quæ tota profluxit a Spiritu Sancto, et tanquam epistola quædam est, ab ipso directa Ecclesiæ ? *Ejus quidem qualis est scientia et contemplatio, omnibus invia est*, id est, « qualis » sit « scientia » atque cognitio Dei, nulli creaturæ plene reperibile, cognoscibile aut comprehensibile est, præsertim cognitione a priori, et quantum ad quid : aliquid tamen scimus inde a posteriori, videlicet per ejus effectus, et cognitione *quia*. Scimus enim quod Deus omnipotens est, sciens et sapiens substantialiter et ab æterno, et quod ejus scientia non est causata a rebus, sed potius causa rerum ; quod item ejus scientia est ejus essentia, imo et cognitio, quia in ipso realiter idem sunt, essentia, scientia, notitia, quemadmodum esse, posse, et agere. Verumtamen sicut ejus essentia, quantum ad suam infinitatem, nobis

* optime

A incomprehensibilis est, ita et sapientiæ atque scientiæ ejus interminabilitatem nescimus ; nec tantam ipsius simplicitatem perspicere possumus, quod in eo sunt idem, esse, posse, et agere.

Præterea, circa sapientiam et scientiam Dei, etiam magni philosophi graviter erraverunt : quibusdam dicentibus, quod hæc inferiora generabilia et corruptibilia nec sciret, nec curaret, imo nec provideret, nisi forsan in generali ; aliis, quod inferiora etiam particularia nosceret, non tamen B quantum ad particulares proprietates, conditiones et circumstantias ; aliis, quod ejus scientia et providentia imponeret rebus necessitatem ; aliis, quod divinus intellectus vilesceret, si intelligeret quidpiam extra se. Et nisi in Scripturis Deus nobis veritatem insinuasset de scientia et providentia sua, parum aut nil certum ac consonum inde agnosceremus. Inter prætactos demum Plato multo melius et sanctæ fidei concordantius sensisse ostenditur : qui scientiam ac providentiam Dei C usque ad inferiora (hoc est usque ad homines inclusive) extendi, rationalesque animas post mortem protinus in causam duci, perhibuit, ut manifeste legitur in Phædone. Qui et in secundo Timæi disseruit : Hoc quod deerat mundo, addidit opifex Deus, atque ut mens cujus visus contemplatioque intellectus, etc.

Quæ sunt tanquam ab omnibus superessentialiter separata, id est, « quæ » scientia et contemplatio Dei æterna et increata, « sunt » a cunctis creatis « separata », D distincta, semota, non locali distantia, sed dignitatis excessu interminato, et excellentia penitus infinita : hinc additur, « superessentialiter », id est super omne genus entis, et super omnem ordinem rerum incomparabiliter, ita quod nulla res alia, puta creata, aliam creatam sic aut tantum excedit, sed minus in infinitum.

Et multos theologorum invenies non solum ut invisibilem eum et incomprehensibilem laudantes*, hoc est, invenire poteris in Scripturis multos editores li-

* [illegible]

honorem Scripturæ canunt, aut saltem auditorio, qui superbenedictissimam Deitatem laudant, ut hanc solam ut « sibi propriam non notam » incognitam et incomprehensibilem » ... ut quam fertur in
Joan. I, 18 Joanne, Deum nemo vidit unquam. Et
Joan. VI, 45-46 quanta docuit, Omnis qui audivit a Patre et didicit, venit ad me; confestim adjecit: Non quod Patrem vidit quisquam, nisi
I Tim. I, 17 is qui est a Deo. Apostolus quoque: Regi (inquit) sæculorum immortali, invisibili. Sed et incomprehensibilem atque investigabilem, ita quod per nullum processum subtilem sibi Deo convenientis, laudant eum etiam ut imperscrutabilem et « investigabilem », ita quod non cognoscatur quid sit. Denique profunditas ejus fundum non habet, nec altitudo ipsius unquam finitur, et extra omnem locum verum seu imaginarium, sine terminatione protenditur infinite. Itaque superglorioissimus Deus ante omnia, non solet; post omnia, non posterius; in omnibus, non inclusus; extra omnia, non exclusus; supra omnia, non elatus; infra omnia, non oppressus.
Job XI, 8-9 De quo scriptum est in Job: Excelsior cœlo est, et quid facies? profundior inferno, et unde cognosces? longior terra mensura ejus et latior mari.

Denique, quum scire sit rem per causam cognoscere, illi qui solus æternus est et simplicissimus primus, sciri non valet, nec inde mirari. Nec admiratio de eo cessare potest satiari neque cessare; siquidem admiratio cessat, dum causa ejus agnoscitur atque cujus nescientia admiratio oritur. — Amplius, quædam cognitionem nostram pene effugiunt propter entitatis suæ modicitatem, ut tempus, nunc, punctus, momentum; quædam ob suæ entitatis et actualitatis sublimitatem, ut substantiæ separatæ. Deus ergo superdignissimus, universis et singulis infinite perfectior, actualior, formalior atque splendidior, nonne est infinitum præ omnibus admirabile, imperscrutabilis incomprehensibilisque cunctis? Vere ergo cecinit Propheta Deo:
Psalm. CXXXVIII, 6. Mirabilis facta est scientia tua ex me: confortata est, et non potero ad eam.

*Tempore non existente** *vestigia illa* *Cunct.*
in occultam ejus multitudinem pervenientium, id est, non apparente ullo signo repræsentativo præcessionis eorum qui pervenerunt ad plenam intuitionem et degustationem suæ excellentiæ et opulentiæ in se ipsa. Quasi dicat: Nulli tales fuerunt, quod est signum suæ incomprehensibilitatis. Hinc in Ecclesiastico dicitur:
Eccli. XLIII, 32-35 Glorificantes Dominum quantumcumque potueritis, supervalebit adhuc; benedicentes Dominum, exaltate eum quantum potestis: major est enim omni laude. Exaltantes eum, replemini virtute. Ne laboretis, non enim pervenietis. Quis videbit eum, et enarrabit? et quis magnificabit eum sicut est a principio?

ARTICULUS III

QUOMODO OCCULTÆ DEITATIS COGNITIO NOBIS COMMUNICETUR.

NON tamen incommunicabile est omnino cunctis bonum, sibi nomen quod sunt, id est, primum et universale bonum non est penitus aut omniformiter imparticipabile alicui secundorum; quoniam teste Philosopho, ab hoc ente omnibus derivatum est esse et vivere; atque ut denuo secundo Primæ philosophiæ fatetur, id quod est prime et maxime ens et verum, ceteris omnibus causa est entitatis ac veritatis.

Sed in se ipso manens, superessenti-

alem collocatum radium, uniuscujusque A *eorum quæ sunt, se* * *proportionaliter illuminationibus optime supermanifestat, et ad possibilem sui contemplationem et societatem et similitudinem extendit sacros animos.* [* al. se om.] Hoc est : Bonum summum « supermanifestat se optime », id est, valde convenienter, liberaliter et ordinate desuper se declarat, « illuminationibus », id est per suæ æternæ lucis ac sapientiæ effusionem et infusionem, juxta illud Apostoli : Illuminavit vitam et incorruptionem. [II Tim. I, 10.] Unde orat Psalmographus : Emitte [Ps. XLII, 3.] lucem tuam et veritatem tuam. « Proportionaliter », id est juxta singulorum capacitatem, dignitatem ac merita. Attingit [Sap. VIII, 1.] enim a fine usque ad finem fortiter, et disponit cuncta suaviter, providens congrue universis. « Et extendit animos sacros », id est, mentes sanctas angelicas et humanas erigit et perducit, « ad contemplationem sui possibilem » eis, « et societatem », id est operationis communicantiam et familiarem communionem in actibus divinis, contemplatione, dilectione, et aliorum directione ac illustratione, « et similitudinem », id est ad sui assimilationem per actus excellentiasque virtutum, prout dixit per Moysen : Sancti [Lev. XI, 45.] eritis, quoniam ego sanctus sum ; in Evangelio quoque : Estote perfecti, sicut et [Matth. V, 48.] Pater vester cœlestis perfectus est. Hæc assimilatio potissime erit in patria per gloriæ dona. Quæ similitudo tantæ est excellentiæ, ut ejus comparatione similitudo hæc viæ quasi nulla appareat, quum et universæ justitiæ nostræ in hac vita quasi [Is. LXIV, 6.] pannus menstruatæ dicantur. Ideo scriptum est : Nunc filii Dei sumus, et nondum [I Joann. III, 2.] apparuit quid erimus ; scimus quoniam quum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est. Unde sequi videtur quod modo similes ei non sumus : quod verum est, comparative loquendo.

Quantum fas est et sic divinitus desiderantes, id est, istud faciet Deus « quantum » decet et congruit « et » nos tam sincere ac sapienter « desiderantes ». Per desideria quippe pura, pia et amorosa, præcipue aptamur et dignificamur ad susceptionem divinorum charismatum omnisque perfectionis et gratiæ concupitæ : quoniam desiderium aperit et dilatat mentem optantis, et est veluti quædam hiatio voluntatis. Hinc Danieli revelata sunt multa, quia pro communi Synagogæ salute eminenter fuit sollicitus, fervide orans, fortiterque laborans, jejunando, abstinendo, [Dan. IX, 3 et seq. ; X, 2 et seq.] plorando ac vigilando, ut in libro suo ipse descripsit. Propter quod Gabriel sanctus B dixit ad eum : Vir desideriorum tu es. [Ibid. IX, 23.]

Et neque ad superius moderate indita divina manifestatione, impossibiliter glorificatos : hoc est, sic extendit animos sacros « neque glorificatos », id est, non erigentes nec magnificantes se ipsos, « impossibiliter », id est inordinate et supra virium suarum mensuram et gradum, ad suscipienda divina charismata, « manifestatione », id est revelatione, « divina, indita », id est a Deo concessa et influxa « moderate », id est moderamine sapientiali, C juxta capacitates et congruentias subjectorum et receptaculorum. Nempe ut ait Apostolus, Quæ a Deo sunt, ordinata sunt. [Rom. XIII, 1.] Qui denuo protestatur : Non prius quod [I Cor. XV, 46.] spirituale, sed quod animale. Oportet ergo a fundamento incipere, vitiorum expurgationi et passionum reformationi efficaciter et condigne studere, sicque ad illuminationes adspirare supernas, et ad contemplationes elevari cœlestes.

Neque ad inferius ex ea quæ in malum est minoratione resolutos, id est, animos D sacros non « resolutos », id est non tepidos negligentesve factos, « ad inferius », id est circa carnalia et terrena, « ex minoratione in malum », id est ex prava animi dejectione aut pusillanimitate, quemadmodum Galatis scripsit Apostolus : Sic stulti [Galat. III, 3.] estis, ut quum spiritu cœperitis, nunc carne consummemini ? Itemque : Curre- [Ibid. V, 7.] batis bene, quis vos impedivit veritati non obedire ?

Sed et bene ponderate et recte ad radium eis superlucentem extentos : id est,

excessu sancto « extensi », id est spiritualiter elevati, « bene ponderate », id est mature ac discrete, « et recte », id est humiliter, sine duplicitate intentionis et obliquitate peccati, ut voluntas semper sit recta, ad Deum conversa, non ad se perverse reflexa, « ad radium eis superlucentem », id est ad Unigenitum Dei, qui in Evangelio loquitur : Ego sum lux mundi ; qui sequitur me non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitae. Qui superlucet eis, quoniam ipse est lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum ; qui et stat ad ostium mentis, et pulsat, dicens : Aperi mihi, soror mea, amica mea, columba mea. Attendamus ergo ejus instinctum, ejus doctrinam, et inspiciamus atque sectemur ejus vestigia et exempla, qui admonet : Disclte a me quia mitis sum et humilis corde. — Potest quoque per radium superesplendentem lux gratiae gratum facientis, donum sapientiae salutaris, scintilla synderesis, censura conscientiae, judicium ingeniti intellectus ac lumen rationis intelligi. Unde cantamus : Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine. Nam et ratio deprecatur ad optima, et synderesis semper remurmurat malo culpae, et conscientia obligat etiam erronea, secundum id Glossae : Quidquid fit contra conscientiam, aedificat ad gehennam.

*Et commensurabili amore** illuminationum amore, id est ex affectu ingenti illuminationum Spiritus Sancti, quas infundit justis, quemadmodum super quietum et humilem requiescit : « amore », inquam, « commensurabili », id est proportionato fragilitati humanae, quae excessivi amoris ardorem et aestuantiam desideriorum flammas ferre vix valet absque corporalium virium defectione et corporis debilitatione. Propter quod in Canticis effatur : Fulcite me floribus, quia amore langueo. Etenim radius ille aeternus, Verbum Patris, semper fulgens, est amabilitatis immensae ; nec possumus eum diligere amore suae bonitati ac amabilitati proportionato.

Joan. VIII, 12. — Ibid., I, 9. — Apoc. III, 20; Cant. V, 2. — Matth. XI, 29. — Ps. IV, 7. — * [illegible] — Is. LXVI, 2. — Cant. II, 5.

Nihilo minus etiam debet amor iste aliquo modo esse incommensuratus et improportionatus bono illi altissimo, increato objecto, eo quod plus cunctis et singulis incomparabiliter illud amemus per appretiationem. Sic namque minima caritas amplius diligit Deum, quam maxima cupiditas mundum, seu libido aestuantissima carnem. Sit ergo amor noster ad Deum, quantum possibile est, tanto bono congruens et condignus, infatigabilis, alacer et intensus.

Cum reverentia sacra, id est debita honorificentia majestatis divinae ac sancto zelo divini honoris. Unde Jeremias : Maledictus, ait, qui facit opus Dei fraudulenter, aut negligenter. In Apocalypsi quoque : Quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo. Hinc ad Hebraeos hortatur Apostolus : Serviamus Deo placentes cum metu et reverentia ; etenim Deus noster ignis consumens est. Simus igitur incessabiliter timorati, illud Josue pensantes : Deus sanctus et fortis aemulator est, nec ignoscet sceleribus vestris. *Et temperate et sancte revolantes**, id est, discrete et pure redeuntes ad patriam, et ad bona opera inchoata, ad horulam intermissa, atque confestim pennis contemplationis et orationis volantes ad coelum empyreum, ad intuendum ibidem angelicos ordines decentissime ac gaudiosissime ordinatos ; in quibus omnibus rationabile debet esse desiderium nostrum. Sic quippe ut asserit Isaias : Sancti qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas ut aquilae, volabunt, et non deficient.

Ipsi sequentes thearchica jura, id est leges aeternas, praecepta et jura summi imperatoris, ut ordinate et legitime omnia agant, nec terminos sibi praefixos transgrediantur, *quae etiam totas gubernant supercaelestium essentiarum sanctas dispositiones*, id est universos ordines angelorum, qui Creatori suo supersanctissimo in cunctis promptissime parent, juxta illud in Psalmo : Benedicite Domino, omnes angeli ejus, potentes virtute, facientes verbum illius ad audiendam vocem ser-

Jer. XLVIII, 10. — Apoc. III, 16. — Hebr. XII, 28, 29. — Jos. XXIV, 19. — * considerate — Is. XL, 31. — Ps. CII, 20.

Joel II, 11. monum ejus ; et in Joele : Multa sunt nimis castra Domini, fortia, et facientia verbum ejus.

Hoc quidem super intellectum et essentiam Thearchiæ occultum, inscrutabile est etiam intellectualibus mentis reverentiis, id est, incomprehensibilis ista majestas Deitatis altissimæ principantis, occulta est omni menti creatæ, ita quod sibi soli plenarie nota est. Propter quod, teste A Apostolo, Lucem habitat inaccessibilem ; I Tim. VI, 16. et testante Psalmographo, posuit tenebras latibulum suum : quæ tenebræ non aliud sunt quam infinita et supersplendidissima plenitudo luminis increati, a nulla creatura in sua puritate perfecte visibilis. Hæc, inquam, Divinitas super omnem intellectum essentiamque exsistens, inscrutabilis est et intellectualibus mentibus reverenda. Ps. XVII, 12.

ARTICULUS IV

QUAM COGNITIONEM DE DEO PER DIVINA NOMINA ACCIPIAMUS.

HÆC *arcana*, id est incomprehensibilia Dei secreta, quæ sunt unum in Deo, quamvis pluraliter designentur, videlicet sapientia, omnipotentia, bonitas, veritas, æternitas, dulcedo, justitia, beatitudo, libertas, *temperanti silentio honorantes*, ita ut nec supra vires nostras de eis loquamur, nec infra eas illa laudare ac notificare cessemus, quumque hoc ipsum fecerimus, fateamur humiliter nos nil dignum egisse, imo donum et gratiam fuisse quidquid peregimus ; *ad lucentes nobis in sacris Eloquiis splendores intendamus*, id est, veritates præclaras limpidissimasque doctrinas nobis traditas in Scripturis consideremus : de quibus increata Sapientia ait in libro Proverbiorum, Justi sunt Prov. VIII, 8. omnes sermones mei, et non est in eis pravum quid neque perversum. *Et ab ipsis in lucem ducamus**, id est, ex testimoniis lucidissimis Scripturarum evidenter proferamus aptos sermones ac salubres materias, *ad thearchicos hymnos*, id est ad describendum ex eis laudes divinas, ut sunt quæ in isto libro scribuntur : quæ quantum ad sensum, ex Scripturis sunt sumpta.

Ab his supermundane illuminati, id est ex Scripturis supernaturaliter eruditi, B *et ad sacras hymnologias formati*, id est ad sancta Dei præconia instituti, *ad videndum etiam commensurate nobis per eas*, id est ad intelligendum etiam per Scripturas juxta commensurationem et proportionem nostræ facultatis, *donata divina luminaria*, id est principales nostros doctores : quorum summus est Christus (de quo Joel ait : Exsultate in Domino Joel II, 23. Deo vestro, quia dedit vobis doctorem justitiæ) ; deinde Apostoli et Prophetæ, qui sunt luminaria data Ecclesiæ, quorum ex- C cellentiam, sanctitatem, auctoritatem, sapientiam, vitam, miracula, ex Scripturis cognoscimus, sicque roboramur in fide, ædificamur ad sectandum eorum vestigia, accendimur caritate.

Et largum principium omnis divinæ apparitionis luminis laudandum, id est [formati etiam] ad præconizandum « principium largum apparitionis omnis divinæ », videlicet Deum, qui est liberalissimus fons, dator et effectivum principium totius illuminationis et revelationis divi- D næ ; est quoque principium « luminis » omnis divinæ apparitionis, quoniam ipse est causa luminis prophetalis, lucisque gratiæ et omnis interni fulgoris ; *sicut ipsum de se ipso in sacris Eloquiis tradit**, id

* ducamus. * tradidit.

est, quemadmodum hoc universorum fontale principium de se asserit in Scripturis ; ut est illud, Sanctitate[?] ... habetis, et Deum bonum habetis (videlicet nos), conditi in bonum, ut filii boni sitis.

Et patrem omnium ... : Deus namque est omnium causa effectiva formalis seu exemplaris, et finalis; *et principium*, unde dicitur in Apocalypsi: Ego sum Alpha et Omega, principium et finis, primus et novissimus; *et essentia et vita*, id est causa essentiae ac vitae universorum. *Et praelapsis revocatio ad ipsum** , *et resurrectio*, id est revocator, reducitur et excitat eorum qui peccando ab ipso recedunt, labuntur, deficiunt. Qui ait apud Joannem: Ego sum resurrectio et vita. *Ad novam deformationis incorruptibilem, perditorum renovatio*: id est, causa spiritualis renovationis, seu renovator, « perditorum », id est impiorum, qui peccando perdiderunt, id est, damnatione dignos fecerunt, se ipsos. De quo in Apocalypsi dixit qui sedebat in throno: Ecce nova facio omnia. Unde ad Corinthios dicitur: Licet is qui foris est noster homo corrumpatur, tamen is qui intus est renovatur de die in diem. « Ad incorruptibilem deiformationem », id est, ad hoc quod consequuntur ab ipso esse gratiae in praesenti et esse gloriae in futuro, ac reformationem internam, per quam fiunt deiformes et immortales. *Et reformatio*, id est causa reformationis hujusmodi, juxta illud Apostoli: Reformamini spiritu mentis vestrae.

Justitiaque agitationem commotorum spiritibus collocatio divina, id est collocator et firmator eorum qui cito moventur et corruunt « juxta agitationem immundam », id est secundum impulsum et impetum tentationum carnalium, aliorumque vitiorum ac passionum, quia fundati non sunt in firma sapientia ac stabilitate virtutum: qui circumferuntur omni vento doctrinae, et mutantur ut luna. De quibus ait Psalmista: Non sic impii, non sic, sed tanquam pulvis quem projicit ventus a facie terrae; itemque: Deus meus, pone illos ut totam, et sicut stipulam ante faciem venti. Christus quoque apud Matthaeum: Omnis qui audit verba mea, et non facit ea, similis erit viro stulto, etc. Tales interdum Deus convertit, confortat et stabilit, faciendo in eis cum tentatione proventum, et implens in eis illud Apocalypsis, Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei. *Et stantium mansio*, id est conservator ac protector exsistentium in caritate et gratia, ut impleant quod monet Apostolus: Qui stat, videat ne cadat.

Et ad ipsum reductorum restitutiva manuductio, id est causa restitutivae manuductionis eorum qui post casum reducuntur et convertuntur ad ipsum: qui per propriam culpam facti erant servi diaboli, per poenitentiam vero et gratiam restituti sunt Salvatori, et facti ejus ministri. Ad Ephesios enim dicit Paulus: Qui eratis longe, facti estis prope in sanguine Christi. *Et illuminatorum illuminatio*: quia ab ipso est lux naturae et gratiae ac gloriae. Quod si homo illuminetur ab homine, aut certe ab angelo, totum tamen a Deo est, qui per causas secundarias frequenter purgat, illuminat ac perficit. *Et perfectorum perfectio*, id est perfector, *principalis*: quoniam omne datum optimum et omne donum perfectum, desursum est; *et deificatorum divinitas*, id est causa participatae deificationis eorum; *et simplicium simplicitas*, id est causa simplificationis qua simplificantur in Deo ei totaliter inhaerendo, juxta illud in Psalmo: Mihi adhaerere Deo bonum est; *et unitorum unitas*, id est causa unitionis eorum qui salubriter uniuntur; *principii omnis superessentialiter superprincipale principium*, id est, super omne genus et ordinem rerum fontale causale principium omnis principii intrinseci et extrinseci, et omnis exordii atque originis; *et occulti, secundum quod optimum* est, traditor**, id est dator omnis boni secreti.

Et simpliciter, id est universaliter, *dicendum, viventium vita, et eorum quae sunt essentia, omnis vitae et essentiae prin-*

Apoc. I, 8; XXII, 13. — * et ad ipsum ... — Joan. XI, 25. — Apoc. XXI, 5. — II Cor. IV, 16. — Ephes. IV, 23. — Eccli. XXVII, 12. — Ps. I, 4. — Ps. LXXXII, 14. — Matth. VII, 26. — I Cor. X, 13. — Apoc. III, 12. — I Cor. X, 12. — Ephes. II, 13. — Jacob. I, 17. — Ps. LXXII, 28.

* justum
* optima traditio

cipium et causa. Ista patent ex dictis, quia A prædicatio est causalis. *Per suam, ut sint quæ sunt, activam et continentem bonitatem,* hoc est, Deus per bonitatem suam causalem et efficacem ac omnia conservantem, est causa « ut » omnia illa « sint » ea « quæ sunt ». Bonum quippe est communicativum diffusivumque sui. Ideo bonitas dicitur prima causa, radix, incitamentum et ratio communicationis et productionis.

ARTICULUS V

NOMINA DIVINA AB EMANATIONE DIVINARUM PERFECTIONUM IN CREATURAS DESUMI.

HÆC *autem a divinis Eloquiis,* id est B ex Scripturis, *didicimus; et omnem sic dicere sacram theologorum hymnologiam invenies,* id est, si rite quæsieris, reperies « hymnologiam omnem sacram », id est totam divinam Scripturam Deum laudantem, *ad beneficas Divinitatis processiones manifestative et laudative divinas nominationes præparantem,* id est, exhibentem « nominationes divinas », id est nomina Deo convenientia « manifestative » vel « laudative », id est per modum nudæ appellationis aut laudis, « ad » C insinuandum « processiones Divinitatis beneficas », id est emanationes Dei ad extra, liberales et benefactivas.

Unde in omni fere theologica actione, id est omni pertractatione et mentione Scripturæ, *Thearchiam,* id est principalem Dei bonitatem, seu Deum omnium principem, *videmus divinitus,* id est ex inspiratione divina, *laudatam, ut monadem quidem,* id est ut unitatem, *et unum, propter simplicitatem et unitatem supernaturalis impertibilitatis,* id est suæ su- D persubstantialis indivisibilitatis, qua nec in partes, nec in species, nec in supposita substantialiter diversa dividitur.

Ex qua ut unifica virtute unimur, id est, ex increata Dei unitate factum est quod nos, in quibus est multiplex compositio atque diversitas, in quamdam unitatem redigimur, ita quod in quolibet nostrum est una tantum natura specifica ac una persona, et multi sumus unus grex, una societas, unum mysticum corpus : quod ex divina unitate ac unione et ex ejus causalitate ac ordinatione processit. Quod Proclus Platonicus in Elementatione sua theologica diffuse ac subtilissime probat. In cujus primo theoremate protestatur : Omnis multitudo participat aliqualiter uno. Et probat sic in commentario : Si enim nullatenus participaret uno, neque totum esset unum. Deinde in secundo theoremate loquitur : Omne quod participat uno, et unum est, et non unum. De hoc multa inducit, quæ opportune tangentur. *Et partitis nostris alteritatibus supermundane complicatis, in deiformem monadem congregamur et Deum imitantem unitatem :* id est, partibus nostris a se invicem distinctis, « complicatis », id est in unum convenienter reductis et collectis, vel potius potentiis animarum nostrarum et actibus earumdem circa diversa dispersis ac distractis, in unum ordinate recollectis seu coordinatis, « supermundane », id est supernaturaliter, virtute et gratia Spiritus Sancti, « congregamur in monadem deiformem », id est, ad divinam quamdam simplicitatem et unitatem reducimur, non acquirendo aliam speciem aut naturam, sed dispositionem et ordinationem convenientiorem ac meliorem. Estque unitas ista non simpliciter dicta, sed collectiva et imitativa : quia per eam, unitatem Dei aliqualiter imitamur.

In trinitatem vero, propter manifestationem supersubstantialis fecunditatis eam praedicamus; id est, superbenedictissimus Deus aliquando in Scripturis laudatur ut trinus ac trinitas, ad exprimendum et significandum in eo supermirabilem fecunditatem subsistentiae in uno « deo », id est usque ad trinam personarum exsistentiam; quia in Patre est fecunditas ad productionem Filii ac Spiritus Sancti, in Patre autem et Filio ad productionem Spiritus Sancti. Ex qua fecunditate omnis paternitas in caelo et in terra est et nominatur, id est, fecunditas illa in Deo perfectissime et excellentissime est, et ab ea per quamdam imitationem et participationem derivatur ac invenitur in caelis et terris; non quod unus angelus alium genuit aut produxit, sed quod in caelo aliquando erunt patres qui ante conversabantur in terra. Istud ex verbis Apostoli ad Ephesios sumptum est: Flecto, inquit, genua mea ad Patrem Domini nostri Jesu Christi, ex quo omnis paternitas in caelis et in terra nominatur.

Ephes. III, 14, 15.

Et causam omnium eorum quae sunt, quoniam omnia ad esse adducta sunt per ejus substantificam * *bonitatem*; id est, Scriptura laudat Deum « ut causam » entium, quoniam Deus « per » suam « bonitatem » subsistentem in se, est effectiva causa immediata aut mediata omnium rerum; qui in principio creavit caelum et terram, et cetera tempore suo per se aut per causas secundas. Attamen, ut in exordio libri de Causis habetur, Causa prima in unum effectum plus influit, quam quaecumque causa secunda.

* substantificam bonitatem

Gen. I, 1.

Sapientem vero et bonum, id est, Scriptura laudat Deum ut sapientem et bonum, *quia consistentia omnia, quae propria natura incorruptibilia salva sunt*, id est res creatae, quae corruptioni non subjacent, quia ex sua « natura incorruptibilia », utpote quia materiam privationi annexam non habent, nec ex contrariis mixta sunt, *etiam harmonia divina et sancta pulchritudine sunt repleta*, id est proportione et connaturalitate exsistentium in se, plena absque contrarietate.

Ex hoc sequi videtur, quod creata, ex se seu ex sua natura incorruptibilia recte dicantur: cujus oppositum aliqui imaginantur, eo quod omne creatum ex sua natura in nihil vertibile sit, et si sibi ipsi relinquatur, protinus in nihilum vertitur; et rursus, quoniam omne junctum, dissolubile est in ea ex quibus constat. Unde in secundo Timaei inducit Plato Deum loquentem causis caelestibus: O dii deorum! quorum opifex idem paterque ego. Opera siquidem vos mea, dissolubilia natura; me tamen ita volente, indissolubilia. Omne siquidem junctum, natura dissolubile est. At vero quod bona ratione junctum atque modulatum est, dissolvi velle, Dei non est. Quapropter, quia facti generatique estis, immortales quidem nequaquam consistitis, nec omnino indissolubiles; nec tamen unquam dissolvemini, quia voluntas mea major est nexu vestro. Denique videtur Henrico in Quodlibetis suis, quod Plato multum bene sentit in istis, multoque melius quam Aristoteles. Consonat quoque his, quod Damascenus ait libro secundo: Omne creabile, est vertibile; solum enim quod increabile, est invertibile. Ubi et paulo post de angelo subdit: Immortalis est non natura, sed gratia. — Veruntamen, ni fallor, ista satis faciliter concordantur, praesertim quum omnis creatura tam incessabiliter indigeat Creatoris conservatione, quod si illa ei ad momentum subtraheretur, protinus in nihil relaberetur. Nihilo minus verificatur quod materia privationi annexa, corruptionis est principium. Ideo haec per distinctionem poterunt concordari, ut super Angelicam dictum est hierarchiam.

Humana autem differenter, id est, Deitas speciali ac differenti modo ab aliis appellatur « humana », id est benigna; nam et alia translatio habet, Benigna: *quia his quae secundum nos sunt, ad veritatem universaliter in una sui subsistentiarum* * *communicavit*: id est, quia

* substantiarum

Deitas in una trium personarum suarum communionem nobiscum accepit, nostram assumendo naturam in unitate personæ cum naturalibus proprietatibus et indetrahibilibus suis defectibus. Hoc est quod ait : « His quæ secundum nos sunt », id est nobis quoad corpus et animam, in veritate naturæ « communicavit universaliter », id est in omnibus naturalibus absque peccato. Unde ad Hebræos dicitur : *Hebr.* II, 17. Debuit per omnia fratribus similari, ut misericors fieret ; et rursus ibidem : *Ibid.* 14 Quia pueri communicaverunt carni et sanguini, et ipse similiter participavit eisdem.

Et revocatam ad se ipsam restituit, id est, naturam humanam, seu genus humanum, ad se reductam per Verbi incarnationem et naturam a Verbo assumptam, recuperavit, *humanam novissimam partem*, seu extremitatem, secundum aliam translationem, id est hominem in fine sæculorum, juxta illud Apostoli : I *Cor.* X, 11. Nos sumus in quos fines sæculorum devenerunt. Vel, « novissimam partem », quia in genere ac ordine intellectualium substantiarum extremitas quædam parsque novissima est humana natura. Hinc dicitur ad Hebræos : *Hebr.* II, 16. Nusquam angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit. Ideo apud Lucam effatur : *Luc.* XIX, 10. Venit Filius hominis quærere et salvum facere quod perierat.

Ex qua assumpta humanitate, *ineffabiliter simplex Jesus*, id est Unigenitus Dei « simplex » incomprehensibiliter secundum deitatis suæ naturam, *compositus est* secundum assumptam humanitatem, ex anima rationali et humana carne subsistens, *et appositionem assumpsit temporalem æternus*, id est, Filius Dei secundum generationem a Patre æternus, absque sui mutatione induit formam servi, juxta illud ad Philippenses : *Philipp.* II, 6, 7. Qui quum in forma Dei esset, exinanivit semetipsum, formam servi accipiens. *Et æqualis nobis factus est natura*, id est conformis et similis « nobis » in nostra « natura », *omnium secundum omnem naturam ordines superessentialiter molitus*, id est, creando operatus « ordines omnium », id est universitatem creaturarum, « secundum omnem naturam » tam corporalium quam spiritualium entium. Per quod excluditur hæresis Manichæorum. Hoc est quod ad Colossenses dicitur : *Coloss.* I, 16. In ipso condita sunt universa in cœlis et in terra, visibilia et invisibilia, sive Throni, sive Dominationes, sive Principatus, sive Potestates. *Cum incommutabili et inconfusa propriorum collocatione*, id est cum invariabili et imperturbabili retentione et possessione divinarum suarum proprietatum et attributorum : nam nostra assumpsit, sua non deposuit.

Et quæcumque alia deifica luminaria eloquiis consequenter divinorum nostrorum ducum occulta traditio expresse nobis donavit : hoc est, « quæcumque alia luminaria deifica », id est quoscumque præclaros sanctos doctores aut eorum dogmata vel scripturas, « donavit nobis traditio occulta », id est doctrina supernaturalis, « expresse », id est plano et facili stilo, « ducum nostrorum divinorum », puta Apostolorum et Evangelistarum, « eloquiis », id est in scripturis a se editis, in quibus allegaverunt et nobis commendaverunt ac reliquerunt libros veteris Testamenti. Nam et beatissimus Petrus in sua Canonica : *II Petr.* I, 19. Firmiorem, inquit, habemus propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes tanquam lucernæ lucenti, etc.

ARTICULUS VI

DEUM IN HAC VITA OBSCURE PER SYMBOLA COGNOSCI, IN CŒLIS VERO CLARE IN SE VIDERI, A NULLA AUTEM CREATURA PERFECTE COMPREHENDI

H*ÆC et nos didicimus, nunc quidem convenientibus modo per sacra velamina Eloquiorum et hierarchicarum traditionum humanitatis*, id est, ista quæ nobis catholice scribimus, « nos didicimus convenientibus modis », id est modo nostræ naturæ convenienti et apto, utpote « per sacra velamina Eloquiorum », id est per descriptiones datas in Scripturis sub sensibilibus formis et similitudinibus ; « et humanitatis traditionum hierarchicarum », id est ecclesiasticorum documentorum, mysteriorumque Christi et sacramentorum ipsius : quia ut patuit, impossibile est aliter nobis lucere divinum radium, nisi circumvelatum variis formis sensibilium rerum. Unde subjungitur :

De Cœlest. hierarchia, cap. I, art. [illegible]

Sensibilibus quidem intelligibilia, et his quæ sunt supersubstantialia circumvelantis, et formas et similitudines carentibus formis et similitudinibus circumponentis ; hoc est, « humanitatis » Christi seu benignitatis divinæ circumponentis invisibilibus sensibilia, ut per sensibilia insensibilia et invisibilia designentur et intelligantur, « et circumvelantis supersubstantialia », id est æterna et divina, ut superpræstantissimam Trinitatem, « his quæ sunt », id est per variabilia et creata : sicut quum Pater æternus in Daniele describitur per Antiquum dierum cujus capilli veluti lana munda ; « et » item « circumponentis formas et similitudines » materiales « carentibus », id est his qui carent, talibus « formis » : ut quum angeli describuntur in formis juvenum pennatorum, sicut in Isaia. *Et supernaturalem et non figuratam simplicitatem, varietate partitorum symbolorum et multiplicante et præfigurante* ; hoc est, præfatæ humanitatis « multiplicantis et præfigurantis », id est, multipliciter ac figuraliter significantis, summam Dei « simplicitatem » prorsus infiguratam, utpote non extentam, nec quantam, « varietate symbolorum partitorum », id est per varia symbola et materialia entia, immaterialium designativa : ut quum de supersimplicissimo et incircumscriptibili Deo scriptum est in Job, Excelsior cœlo est, longior terra mensura ejus, et latior mari ; in Isaia quoque, Cœlum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum. Hæc facit humanitas (id est benignitas) Dei, condescendens imbecillitati nostri intellectus non valentis nunc immaterialia, simplicissima, infigurata illa, in sua puritate ac simplicitate concipere. De hoc dictum est copiose super Angelicam hierarchiam.

Dan. VII, 9.

Is. VI, 2.

Job XI, 8, 9.

Is. LXVI, 1.

Quum autem incorruptibiles et immortales facti fuerimus, et christiformi et beatissima recipiemur quiete, semper cum Domino (juxta Eloquium) erimus. Sic enim Apostolus ad Thessalonicenses : Simul, ait, rapiemur in nubibus obviam Christo in aera, et sic semper cum Domino erimus. Quando dicturus est Christus electis : Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi. De hac requie christiformi perpetua dixit ipse discipulis : Vado parare vobis locum, et iterum venio, et assumam vos ad me ipsum ; et, Gaudebit cor vestrum, et gaudium vestrum nemo tollet a vobis. Istud, quantum ad animam, conceditur sanctis mox post peregrinationis hujus curriculum.

I Thess. IV, 16.

Matth. XXV, 34.

Joan. XIV, 2, 3.

Ibid. XVI, 22.

Visibili quidem ipsius divinæ manife-

stationis in castissimis contemplationibus A *repleti*, id est, post vitam hanc impleti seu implendi « contemplationibus castissimis », id est mundissimis, quibus nihil adulterinæ aversionis, reflexionis, distractionis miscetur, « manifestationis ipsius visibilis », quando videlicet post resurrectionem glorificati, videbimus Christum in sua glorificatissima humanitate. Vel, « repleti » divinæ manifestationibus, id est claris adspectibus, « ipsius visibilis », id est Christi in gloriosissima sua humanitate, qua exterior homo miro gaudio reficietur. B *Manifestissimis splendoribus nos circumlustrantis*. Tunc etenim erunt tres radiantissimæ dotes in anima, et quatuor pulcherrimæ dotes in corpore, quibus electi erunt undique perlustrati, circumlustrati et illustrati, juxta illud Isaiæ : Implebit splendoribus animam tuam ; et, Fulgebunt justi sicut sol in regno Patris eorum. *Sicut discipulos in illa divinissima transformatione*, id est, sicut tres Apostolos circumfulsit claritas ingens in Christi transfiguratione. Unde Matthaeus ait : Transfi- C guratus est Jesus ante eos, et resplenduit facies ejus sicut sol.

Is. LVIII, 11.
Matth. XIII, 43.
Ibid. XVII, 2.

Invisibilem autem ipsius illuminationem impassibili et immateriali intellectu participantes, id est, claram, facialem et beatificam visionem et illustrationem a Christo suscipientes, intellectu jam totaliter expurgato, spiritualizato, et deificato : quando nequaquam gravabimur corpore; quando cognoscemus sicut et cogniti sumus, et implebitur illud Apocalypsis : Servi Dei videbunt faciem ejus, et regna- D bunt in sæcula sæculorum. *Et super intellectum unitatem*, id est unionem cum Deo perfectam, inavertibilem, consummatam : quæ tanto major tunc erit, quanto eum ardentius et inæstimabilius et indesinentius diligent : ideo erit unitas « super intellectum », hoc est tam intima, quod id in præsenti nec capere possumus, nec effari, sicut et pax Christi, teste Apostolo, exsuperat omnem sensum.

I Cor. XIII, 12.
Apoc. XXII, 4, 5.
Philipp. IV, 7.

Insuper * *apparentium radiorum ignotis*

* In aliquibus apparentium.

et beatis experimentis, id est, tunc etiam participabimus, affluemus, exsultabimus et afficiemur beatificis ac suavissimis experientiis, gustibus, sentimentis luminum supernorum, nobis modo incognitis et inexpertis, quoniam oculus non vidit, nec auris audivit, nec intellectus nunc capere potest, quæ præparavit Deus diligentibus se. *In divinorum imitatione supercælestium animorum*, id est instar angelorum sanctorum. *Sicut angeli enim (ut Eloquiorum veritas ait) erimus*, id est similes angelis gloriosis, et ad eorum ordines juxta diversitatem meritorum assumpti, *et filii Dei, resurrectionis filii sunt*. Sic enim in Matthaeo legimus : In resurrectione non nubent, neque nubentur, sed sunt sicut angeli Dei.

I Cor. II, 9.
Matth. XXII, 30.

Nunc autem, ut nobis possibile, necessariis quidem in divina symbolis utimur, id est, in statu præsenti, per sensibilia signa atque similia, ad divina et invisibilia proficiscimur. Unde et Christus in Evangelio frequenter per talia nos informat. *Et ex ipsis iterum in simplam et unitam invisibilium contemplationum virtutem proportionaliter intendimus* : id est, quum visibilibus uti cœperimus ad invisibilia cognoscenda, tunc mox ipsa visibilia transcendendo, dimittimus ea, sicque nos ad immaterialia elevando, « intendimus » et transimus « proportionaliter », juxta quod possumus, et prout sensibilia symbola illa aptiora fuerint, ad speculandum in illis et ex illis divina objecta, reducendo nos introrsum ad « virtutem simplam et unitam », id est ad sapientiæ claritatem et caritatis ardorem, atque ad mentis recollectionem et stabilitionem in Deo, distractionibus et imaginationibus vanis, passionumque motibus et cunctis inquietationibus mentis, prorsus abjectis.

Et post omnem secundum nos deiformium intelligentiam, rescecantes nostras intellectuales operationes, id est, post omnem considerationem divinorum nobis possibilem modo humano, « rescecantes », id est, supergredientes ac relinquentes, pro-

prius anima interiorem non ipsas non habendo, sed non apprehendendo nec attendendo, *in supersubstantialem radium, ascendens quod factum est, non transformatur*, id est, acies mentis nostrae caliginosa in lumen increatum, secundum quod decens est, cum reverentia et sobrietate; vel potius, prout gratum aut sursum tracti aut rapti fuerimus, juxta apostolicum illud: Nos autem revelata facie gloriam Domini speculantes, in eamdem imaginem transformamur a claritate in claritatem, tanquam a Domini Spiritu. II Cor. III, 18.

In quo omnes fines omnium cognitionum supersubstantialiter praehabitae sunt, id est, in quo ab aeterno idealiter et eminenter praeexstiterunt consummationes et « fines » omnium « cognitionum », imo et universorum actuum et desideriorum rerum; *quem neque intelligere possibile est, neque dicere* perfecte, pure et plene, sicut in se ipso consistit, *neque omnino quoquomodo contemplari*, id est, non est possibile ipsum in vita hac intueri sincere prout in propria majestate ac gloria residet, *propter quod ab omnibus ipse remotus est*, id est ab omnibus distans in infinitum, non loco, sed supereminentia et excessu perfectionis immensae. Verumtamen Apostolus ait in Actibus: Non longe est ab unoquoque nostrum, in ipso enim vivimus, et movemur et sumus. Ipse quoque per Jeremiam loquitur: Putasne Deus e vicino ego sum, et non Deus de longe? numquid non coelum et terram ego impleo? Verum ista faciliter concordantur, quoniam ipse est in omnibus et ubique per essentiam, praesentiam et potentiam: in omnibus, non inclusus; extra omnia, non exclusus: qui et essentiis rerum illabitur, et infra terminos essentiarum continetur, non finitur. *Et superessentialiter*, cognoscitur quid est: imo sicut notissimum est quia est, sic ignotissimum est quid est.

Act. XVII, 27, 28.

Jer. XXIII, 23, 24.

Et omnium quidem essentialium cognitionum et virtutum summitates, simul et omnes superessentialiter in se ipso praecontinentem, hoc est, cognoscimus « praeambulantem », id est, ab aeterno in se includentem et comprehendentem in se, « summitates », excellentias, perfectiones, « cognitionum essentialium » id est principalium, vel rationum ac definitionum quidditativarum, quae admodum paucae sunt cognitae, quum asserat Damascenus species specialissimas angelorum soli Creatori cognitas esse: sic et omnium virtutes ei sunt notae, virtutumque summitates. *Omnibus vero incomprehensibili virtute simul* * *supercoelestibus animis superelevatam*, id est praeeminentem ac praesidentem: propter quod saepius in Scripturis dicitur superexaltata.

* et

Item, et passim.

Si enim scientiae omnes exsistentium sunt, id est, quum cunctae scientiae circa realia objecta versentur, praesertim reales scientiae: scientiae tamen humanae potius sunt de rebus quoad esse essentiae, quod est esse quidditativum, quam quoad esse exsistentiae, quod est proprie suppositorum, mutationique subjacet; *et in ea quae sunt finem habent*, id est, circa entia atque in entibus terminantur; *ipsa omnium essentia summa*, puta divina essentia, *et ab omni scientia est remota*, id est, « ab omni scientia » creaturae est elongata per excessum et incomprehensibilitatem.

ARTICULUS VII

DE MODO DEUM NOMINANDI DUPLICI, PER ABLATIONEM SCILICET ET POSITIONEM.

ET *si melior est omni ratione et omni scientia,* id est, quia præstantior est infinite « omni ratione » creata, ac « omni scientia » dependente, *et super intellectum universaliter et essentiam collocatur,* id est, omni intellectu atque natura absolute sublimior est.

Omnium quidem quum sit acceptiva, et comprehensiva, id est, universorum cognitionem et perfectionem in se continens et includens, nil prorsus aliunde aut ab extra suscipiens, quum sit actus purus. *Et præapprehensiva,* omnia enim ab æterno prænoscit, juxta id Ecclesiastici : Domino Deo antequam crearentur, omnia sunt cognita ; et in Psalmo : Intellexisti cogitationes meas de longe ; semitam meam et funiculum meum investigasti, et omnes vias meas prævidisti. *Omnibus autem per se universaliter incomprehensibilis est.*

Eccli. XXIII, 29. — Ps. CXXXVIII, 3, 4.

Certe, ut ait Salvator, Ex abundantia cordis os loquitur. Sic et ferventissimus iste Dionysius zelo divini honoris vehementissime succensus, superbenedictissimum Deum toto conatu extollit, et reextollit, ac superextollit, eumdem sensum frequenter resumens, ad inculcandum cordibus nostris incomparabilem, incomprehensibilem et superinfinitam excellentiam Dei, ut nos ad ipsius admirationem, cultum, timorem, contemplationem, fervidum incessabilemque inducat amorem ; ac simul per hoc perniciosum condemnans errorem philosophorum quorumdam, dicentium quod Deus non sit in se ipso simpliciter ac perfectionaliter infinitus, nec universorum fontale ac effectivum principium, sed summa quædam intelligentia et causa rerum conservativa, prout in Quodlibetis suis Henricus recitat satis prolixe, affirmans Aristotelem hoc ipsum sensisse. Verum super Sententias, præsertim super secundum Sententiarum, copiose et evidenter ostendi ex verbis et documentis ipsius Philosophi, summum et ingeniosissimum illum philosophum nequaquam tam ruditer deviasse aut delirasse, potissime quum et commentator ejusdem, qui inter expositores ipsius Græcos et Arabes melius videtur Aristotelem intellexisse, libro de Substantia orbis palam testetur nunquam fuisse intentionem Aristotelis dicere, quod cœlum sit a Deo solum per conservationem, et non etiam per veram emanationem atque realem productionem.

Matth. XII, 34.

Et neque sensus ejus est, neque phantasia, neque opinio, neque nomen, neque verbum, neque tactus, neque scientia. Certum est quod nullum horum competat vel insit purissimo et immaterialissimo Deo, nisi quod scientia suo modo competit ei, quæ est ejus essentia. Nihilo minus constat quod nec sensu nec phantasia possit attingi, quum sensus et phantasia sint vires sensitivæ organicæ, quæ immateriale objectum attingere nequeunt. Variæ tamen opiniones erroneæ fuerunt de Deo ; sed ipse nec opinione valet neque scientia comprehendi. Hinc libri de Causis sexta propositione in commentario habetur : Res non cognoscitur neque narratur nisi ex causa sua. Quum ergo res est causa tantum, non scitur nec narratur, neque consequitur ipsam loquela. Quod est quia narratio non fit nisi per loquelam, et loquela per intelligentiam, et intelligentia per cogitationem, et cogitatio per meditationem, et meditatio per sensum. Causa autem prima est super omnia ista, nec cadit sub aliquo horum. Unde et Proclus in Elemen-

rationes suæ theologicæ. Quemadmodum continens egregius beatus, fatur: Hæc divinitas neque dicibilis est, neque excogitabilis, nec intelligibilis; neque nomen vel ipsius, non sermo, non mens, neque intelligentia.

Quomodo ergo de divinis nominibus a nobis conficietur sermo nunc propositus? quasi dicat: Quomodo compilabo librum de divinis nominibus, quum Deus non habeat nomina neque vocabula? *Et rursus per excellentiam superessentialis Deitatis ostensum*, id est, demonstrato quod superessentialis Deitas sit omni nominatione excellentior. Ad quod consequenter respondet:

[illegible] *Sed posit quasi divinum quem theologicum characterem expressimus, unum incognitum, superessentialem, per se ipsum, quod quidem est, Trinitatis unitatem, et laudare et appellare, neque dicere neque intelligere possibile est*: hoc est, « unum » est ens « incognitum, superessentialem » per se, quod « vere » est: quod divinum », id est de quo tractavimus in libro de Divinis characteribus, « quem exposuimus characterem theologicum », id est, dum declaravimus proprias proprietates relativas per quas distinguuntur divinæ et increatæ Personæ, quæ sola ineffabiles et incomprehensibiles sunt, imo nec ab angelis sanctis comprehendi valent aut exprimi perfecte aut digne, prout in se consistunt; nec nos capere possumus essentias illas angelicas. Hinc subditur:

Sed et sanctarum virtutum angelicæ unitates, quas sive speculationes sive acceptiones oportet dicere supercognitæ et superlucentis bonitatis. Hoc est: « Unitates angelicæ », id est angeli sancti ac simplices, qui ob eorum simplicitatem dicuntur quædam unitates, quia sunt simplices formæ per se subsistentes: unde appellantur substantiæ separatæ. Quæ sunt « virtutum sanctarum », quia magnarum sunt [illegible] potentiarum (juxta illud: Benedicite Dominum omnes angeli ejus, potentes virtute), et virtutibus sanctis infusis plenæ sunt a creationis exordio. Quas mentes angelicas A « oportet » non « dicere » vel contemplativas esse vel acceptivas « bonitatis » divinæ ac summæ, quæ est supercognita, quia hoc illæ mentes, quæ sunt quasi totaliter oculos, nequeunt eam comprehendere plene, imo a perfecta ejus comprehensione deficiunt infinite, quemadmodum in infinitum inferiores sunt intellectivæ virtutis et actualitatis quam Deitas ipsa seu Trinitas adoranda, quæ taliter sibi soli est nota; estque superlucens, et infinita claritate, limpiditate, puritate, suavitate et B amœnitate, in se ipsa superdeliciosissime splendens et fragrans. Hæ, inquam, mentes supernæ *et arcanæ sunt*, id est secretæ, *et incognitæ* nobis, cognitione quæ est à priori, et cognitione distincta ac quidditativa, quia earum proprias et essentiales differentias ignoramus. Ex quibus verbis posset accipi argumentum quod intellectus humanus non valeat intelligere in hac vita substantias separatas. Quod tamen quomodo posset quis solvere, dictum est alibi. *Et solis ipsis subsistunt super* C *scientiam angelicam dignis suis angelis.*

His deiformes angelica imitatione, quantum licet coadunati animi: hoc est, « animi », id est intellectus humani, « coadunati », id est aggregati seu unum effecti, « his » id est cum mentibus perfectis, cœlestibus, contemplativis, « quantum licet », id est, prout possibile est, utputa « imitatione angelica », id est participando et imitando pro posse perfectionem contemplationemque angelorum, « deiformes » sunt, id est Deo conformes ac multum divini per uni- D tivam Dei cognitionem qua soli Deo intenti sunt, elevatione pura supergrediendo cuncta creata, etiam angelos sanctos. Hinc additur: *quoniam secundum omnem intellectualem operationem requiescunt*, id est, ab omni speculatione intellectiva circa creata cessant et repausant, et actione mentali in Creatore quiescunt, obdormiuntque in dilecto.

Talis quum sit deificatorum animorum ad summum lumen unitas, id est, dum mentes deificatæ uniuntur lumini increato

tam abstracte ac pure, ita quod nil creatum advertunt aut apprehendunt, *laudant ipsum potissime per omnium quæ sunt ablationem*, id est per omnium citra ipsum exsistentium abnegationem, imo per remotionem universorum ab ipso, prout ipsi ea capere, apprehendere aut intelligere queunt, eo quod ipse superfelicissimus et superexcellentissimus et incomprehensibilissimus Deus, universa et singula penitus ac omnifarie infinite excedat, nec quidquam cum ipso conveniat specie, genere, aut categoria.

(* In) *Et * hoc vere et supernaturaliter illuminati*, id est, ex hujuscemodi Dei contemplatione sunt præclarissime illustrati, et ad altiorem hujus vitæ contemplationem perducti atque erecti, *ex beatissima cum ipso unione* * (* unitate). Hæc quippe cognitio unitiva, abnegativa, æstuantissima, transformativa, ecstatica, appellatur mystica theologia : de qua libro sequenti pro posse tractabitur. Estque unio ista « beatissima », id est valde beata, quoad statum peregrinationis præsentis. In qua unione quo mens supersanctissimum Deum limpidius contemplatur, eo certius conspicit ipsum prorsus incomprehensibilem esse : idcirco per omnium ablationem ab ipso laudat eumdem. Quo constat quod præsumptuosus et superbus ille hæresiarcha Eunomius, qui dixit se Deum perfecte et plene cognoscere seu comprehendere, ad præfatam hanc Dei cognitionem seu mysticam theologiam nunquam pervenit ; sed potius fidelis et humilis ille David, qui grata
Ps. CXXXVIII, 6. mente confessus est Domino : Mirabilis facta est scientia tua ex me ; confortata est, et non potero ad eam.

Quia omnium quidem est quæ sunt, causale, id est, quoniam Deus « est causale » principium et creator omnipotens universorum « quæ sunt » citra et præter ipsum ; *ipsum autem nihil*, id est, hoc primum principium non est quidquam illorum quæ nos concipere aut exprimere secundum quod sunt, possumus, *ut omnibus quæ sunt, superessentialiter exaltatum*, id est tanquam incomparabiliter eminens universis, quæ omnia ejus comparatione sunt tanquam nihilum et inane, Is. XL, 17.
præsertim quantum ad suum esse et vivere naturale.

Igitur superessentialitatem divinam, qualis est superbonitatis supersubsistentia, neque ut verbum, aut virtutem, neque ut animum, aut vitam, aut essentiam, laudare est justum : id est, nec « justum » nec condecens « est laudare » aut affirmare « superessentialitatem divinam », id est Deum superessentialem, « qualis est superbonitatis supersubsistentia », id est, qualis sit per suam propriam bonitatem vel potius superbonitatem supersubsistentem, id est, in infinitum sublimius atque perfectius subsistentem, aut aptius per se entem, « neque ut verbum, aut virtutem », id est, non sic, ut laudetur aut esse dicatur verbum, aut virtus, aut animus, aut vita, sive essentia.

Et hoc dico, secundum quod nos nomina ista, seu res significatas per ea, capere possumus. Veruntamen ea sumendo secundum quod ex natura sua res ipsa significata se habet et nomina ipsa accipi possunt, sic nomina ista et significata per ea, propriissime itemque verissime Deo conveniunt, imo et ita ei solummodo, quod comparatione ipsius non conveniunt aliis. Sic etenim ipse solus dicitur esse et vivere, et ens ac vita, essentia, intellectus, virtus, potestas ac verbum, loquendo de unigenito Filio, prout infra, potissime super mysticam theologiam, ipso præstante, diffusius exponentur, et supra frequenter est tactum, et super primum Sententiarum est introductum. Hinc supra illud Joannis,
In principio erat Verbum, scripserunt viri Joan. I, 1.
catholici, quod inveniri non potuit convenientius nomen ad designandum Unigenitum Patris, et generationem ejus æternam, intellectualem ac immanentem, quam hæc dictio, Verbum. — Denique, si ista sincere intelligis, grandem et evidentem habes introitum ad intelligendum pro maxima parte ea quæ in libris divini et ma-

qui Dionysii de Deo dicuntur. Resolutio namque illarum in paucis consistit. Istud ergo est ... ac clare intelligendum, memoriterque tenendum.

Nullo enim eorum quæcumque sunt, atque omnium nominibus nominabilis dicitur : hoc est, Deus non dicitur ens aliquod « omnium quæ sunt » per modum nullius comprehensibilem, qui Deus est « super omnem veritatem ».

Sed ne enim habitu, motu, vita, phantasia, opinione, nomine, verbo, scientia, intelligentia, essentia, statu, collocatione, unitate, unitate, multitudine, omnibus quæcumque sunt decantetur, supernaturaliter : id est, Deitatem laudare debemus tanquam universaliter « remotam », superexaltatam, distantem, distinctam ab « omni habitu, motu, vita, phantasia, opinione », et ceteris jam expressis, prout a nobis apprehendi queunt, et creaturis attribuuntur. Porro quædam istorum, videlicet habitus, motus, phantasia, opinio, multitudo, nequaquam conveniunt proprie Deo.

Quoniam vero ut bonitatis existentia, ipsius esse omnium quæ sunt est causa, optimum principium Deitatis providentiæ, ex omnibus causatis laudandum* ; id est, per modum laudis divinæ nunc exprimendum est qualiter « esse ipsius » Dei, « ut existentia bonitatis », id est tanquam existens bonitas summa, « est optima causa omnium quæ sunt », non naturali necessitate, juxta philosophos, sed « providentia » Deitatis superprincipalissimæ ac superliberalissimæ (juxta verbum Psalmistæ : Omnia quæcumque voluit Dominus fecit), « ex » ipsis « causatis », id est, ex rebus creatis sumenda est laudatio seu nominatio atque descriptio ista, quia in hac vita ex suis effectibus Deum cognoscimus, non ex immediata, clara et objectali sui ipsius intuitione.

Quoniam et circa ipsum omnia, id est, cuncta creata sunt circa Creatorem tanquam eorum conservatorem, sine cujus manutenentia nec ad momentum possent subsistere. Ideo naturaliter inclinantur et tendunt in ipsum, et ei suo modo cohærent, quoniam naturaliter appetunt esse et permanere ; unde et contrariis suis ac corruptivis pro posse resistunt. Ideo dicunt Philosophi : A quo processio, ad id conversio. *Et propter ipsum*. Ipsa namque est omnium causa finalis. Propter quod in Proverbiis Salomon dixit : Omnia propter se ipsum operatus est Dominus ; et in Ecclesiaste : Fecit Deus omnia opera sua ut timeatur.

Et ipse est ante omnia causalitate, æternitate, ac dignitate, *et omnia in ipso constituta sunt*, hoc est in voluntate et dispositione ipsius, ut in libro Esther dicitur : Domine Deus, rex omnipotens, in ditione tua cuncta sunt posita. *Et ejus essentia, omnium est ad esse deductio*, id est, divina « essentia est » activa « deductio » universorum, hoc est causa adducens cuncta, « ad esse », quoniam vocat ea quæ non sunt quasi sint, *et substantia*, id est causa substantiæ ac subsistentiæ rerum, juxta illud Sapientiæ : Quomodo autem posset aliquid permanere, nisi tu voluisses ? aut quod a te vocatum non esset, conservaretur ?

Et ipsum omnia desiderant, ut causam conservativam, ac ultimum finem summumque bonum. Siquidem bonum est quod omnia appetunt : hinc bonum et finis coincidunt. Etenim omnium Conditor unicuique rei impressit naturalem inclinationem ad proprium finem, quem appetendo, et in quem tendendo, dicuntur appetere ultimum finem et summum bonum, cujus participatio quædam est, bonum particulare ac proprius finis. Deitatem ergo « desiderant omnia », diversa diversimode, sicut subjungitur : *intellectualia quidem et rationabilia, scienter*, videlicet angeli et homines, qui per vires intellectuales Deum apprehendunt et cupiunt ; *subjecta vero his, sensibiliter*, id est sensitive, videlicet irrationalia : de quibus in Psalmo, Omnia subjecisti sub pedibus ejus ; et in Genesi, Dominamini piscibus maris, et volatilibus cœli, et bestiis terræ. *Et alia, se-*

cundum vitalem motum, id est, quædam A desiderant summum bonum vitaliter, ut vegetativa, *et essentialem et conditionalem necessitudinem*, id est, quædam appetunt summum bonum naturali cupidine, id est ex conditione suæ naturæ, ut inanimata. Hoc est quod theoremate tricesimo nono Proclus testatur : Omne ens substantialiter tantum convertitur, aut vitaliter, aut etiam cognitive. Qui demum fassus est : Bonum est salvativum omnium entium ; propter quod appetibile est omnibus.

ARTICULUS VIII

QUOD THEOLOGI VEL DICANT DEUM ESSE INNOMINABILEM, VEL ATTRIBUANT EI OMNIUM RERUM NOMINA.

* igitur HÆC ergo* scientes theologi, id est auctores Scripturæ, *et tanquam innominabilem eam laudant*, id est, Deitatem laudant tanquam non valentem laudari nomine digno eam significante secundum quod in se est, *et ex omni nomine*, id est, quandoque laudant eam tanquam significabilem et nominabilem per nomina valde multa.

Innominabilem quidem, ut quum aiunt Divinitatem ipsam in una mysticarum symbolicæ divinæ manifestationis visionum, increpasse dicentem : Quod nomen tui? id est, theologi insinuant Deum esse « innominabilem, quum aiunt Divinitatem increpasse dicentem », id est, interrogantem ipsum Deum, « Quod nomen » est tibi? « in una mysticarum visionum », id est mysterialium apparitionum, « manifestationis divinæ symbolicæ », quia in illa Deus se manifestavit symbolice, id est per formam visibilem.

Legitur quippe in Genesi, quod Jacob
Gen. xxxii, 29 angelum interrogavit : Dic mihi, quo appellaris nomine? Insuper in libro Judicum
Judic. xiii, 17. Manue legitur conformiter sciscitatus. Sed in Genesi scribitur angelus respondisse :
Gen. xxxii, 29 Cur quæris nomen meum? Quod, ut hic dicitur, increpatorie dictum est, ad designandum quod Deus sit innominabilis. In Judicum vero libro fertur angelus respon- B disse : Cur quæris nomen meum quod est mirabile? Judic. xiii, 18.
Ad innuendum quod Admirabile, sit unum nominum Dei, juxta quod in Isaia de Unigenito Dei habetur : Vocabi- Is. ix, 6.
tur nomen ejus, Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis. Quæ nomina sunt (secundum Hieronymum) legenda et intelligenda divisim, Hieron. super Isaiam.
ita quod ibi ponuntur sex nomina Dei. Angeli demum hæc responderunt in Dei persona. — Posset tamen responsio illa, Cur quæris nomen meum quod est mira- C bile, accipi quasi ad denotandum quod nomen Dei sit ita sublime, quod homo viator non sit bene capax illius, secundum illud in Psalmo : Domine Dominus noster, quam Ps. viii, 2, 10.
admirabile est nomen tuum in universa terra!

Et sicut ab omni eum Dei nominativa scientia reducens, dicere, id est, quod angelus dixit simpliciter, Cur quæris nomen meum? « dicere » angelum, quasi « reducens », id est abigens seu repellens, ipsum Jacob « ab omni Dei scientia nominativa », D id est ab omni cognitione nominum Dei, quasi innominabilis. *Et ut quidem** * quod
interrogas nomen meum, id est, quia certe quæris nomen meum, dico tibi quod *et hoc est mirabile*, id est incomprehensibile. Quod consequenter probatur.

Annon hoc vere est mirabile nomen,

[illegible] quod est super omne nomen, quia* Deus innominabilis nomine adaequato ; potest quoque totum istud referri ad idem, scilicet ad hoc quod Deus sit innominabilis, quia nomen ejus (non) admirabile est), quia* nomen supercollocatum est nomini nominato, id est, quoniam altius est omni nomine expresso, sive in hoc saeculo sive in futuro? Nam neque in via neque in patria erit unquam quis Deo aequalis : idcirco nec nomen habebit aequale nomini Dei. Non tamen hic loquitur de modo nominis nominante, aut solo vocabulo, sed de illo per respectum ad rem nominatam. At vero verba haec sumpta sunt ex epistola ad Philippenses, ut aliqui dicunt. Verum ibi Philipp. II, 9. dicitur quod Pater dedit Christo nomen quod est super omne nomen, non autem fit mentio ibi de futuro saeculo. Dicendum ergo quod verba haec sumpta sunt ex epistola ad Ephesios, ubi habetur quod Deus Ephes. I, 21. Pater constituit Christum super omnem Virtutem et Potestatem et Dominationem, et super omne nomen quod nominatur non solum in hoc saeculo, sed etiam in futuro.

Deinde ostenditur quod Deitas multis designatur nominibus.

Multinominem vero, id est, theologi asserunt Deitatem esse multarum vocum seu appellationum, *ut quum Deum eam introducunt dicentem : Ego sum via, veri-* Joan. XIV, 6. *tas et vita.* Hoc enim apud Joannem introducitur Christus dixisse apostolo Thomae, Joan. 5. dicenti : Domine, nescimus quo vadis, et quomodo possumus viam scire? *Item, Deum.*

Et ipsum quoque omnium causalem theosophi multinomine ex omnibus causatis laudant : hoc est, « theosophi », id est Deum sapientes et in Scripturis periti, « laudant causalem omnium », id est Deum universorum et causam « multivoce », id est per voces et appellationes multiplices, « ex omnibus causativis », id est ex diversis ejus effectibus et causatis, ut causativum sumatur hic quasi passive, pro causato. Itaque laudant eum *ut optimum, ut bonum, ut sapientem, ut dilectum, ut Deum deorum, ut Dominum dominantium, ut Sanctum Sanctorum, ut aeternum, ut existentem, et ut saeculorum causam*, id est productivam ; *ut vitae largitorem, ut sapientiam, ut intellectum, ut rationem, ut scientem, ut praeferentem omnes thesauros ab omni scientia*, id est, praebentem et conferentem aliis opulentiam cognitionis « ab omni scientia » sua, sicut confert aliis potentiam ab omnipotentia sua. Omnes namque scientiae atque potentiae creatae, sunt rivuli quidam ex fonte scientiae ac potentiae Dei manantes seu derivati. *Ut virtutem, ut potentem, ut Regem regnantium, ut Antiquum dierum, ut non senescentem, ut immutabilem, ut salutem, ut justitiam, ut sanctificationem, ut redemptionem, ut in magnitudine omnia excellentem, ut in aura levi esse dicunt.* Unde dictum est ad Eliam : Non in commotione Dominus ; et post commotionem, sibilus aurae tenuis, ibi Dominus : ad designandum quod in quietis tranquillisque mentibus Dominus commoretur. Unde nunc subditur : III Reg. XIX, 11-12.

Atque et in animis eum esse aiunt, id est, in cordibus devotorum Deum esse testantur, juxta illud Apostoli : Habitare Christum per fidem in cordibus vestris ; Ephes. III, 17. *et in animabus*, juxta illud : Sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea ; *et in* Ps. LXII, 6. *corporibus* dicente Apostolo : Glorificate et portate Deum in corpore vestro ; *et in* I Cor. VI, 20. *caelo, et in terra, et simul in eodem ; eumdem* immundanum, circa mundum, supra mundum**, id est, « eumdem » Deum dicunt esse in mundo, « et circa mundum », juxta illud : Dominus in circuitu populi sui ; *supercaelestem, superessentialem, solem*, ut est illud : Orietur vobis timentibus nomen meum Sol justitiae ; *stellam*, sicut in Apocalypsi : Ego sum stella splendida et matutina ; *ignem*, ut in Deuteronomio : Deus tuus ignis consumens est ; *aquam, spiritum, rorem, nebulam, per se ipsum lapidem, petram.* Haec enim et innumerabilia alia dicuntur de Deo symbolice, metaphorice, seu simili modo, ut

* alias in eodem eumdem. — * supermundanum. — Ps. CXXIV, 2. — Malach. IV, 2. — Apoc. XXII, 16. — Deut. IV, 24.

[illegible]

II Reg. XXII, 2. I Cor. X, 4. quum dicitur secundo libro Regum : Dominus petra mea ; et alibi : Petra erat Christus. *Et omnia quæ sunt, et nihil horum quæ sunt*, id est quædam de omnibus, et proprie nihil istorum, quoniam verius abnegantur de eo.

ARTICULUS IX

AD OPTIMUM REGIMEN UNIVERSI REQUIRI QUOD DEUS ET OMNI NOMINE CAREAT, ET OMNI NOMINE APPELLETUR.

* Sic igitur * enti *Si ergo* omnium causæ, et super omnia exsistenti*, et innominabile adunabunt, et omnia eorum quæ sunt nomina :* id est, « si » (pro quia) theologi « adunabunt », id est, simul attribuent, « causæ omnium et exsistenti super omnia », scilicet Deo omnibus altiori, « nomina » omnium « quæ sunt », id est nomina quorumdam de omnibus, vel nomina omnium secundum aliquem tropum aut modum, « et » etiam « innominabile », id est, eumdem dicunt innominabilem et ineffabilem esse ; *ut diligenter sit universorum regnum*, id est rector et rex cunctorum, seu activa regnatio, juxta illud : Ps. CXLIV, 13. Regnum tuum, regnum omnium sæculorum.

Et circa eum sunt omnia, id est circa Deitatem, cupientia ab ea conservari. Unde et fertur in Psalmo : Ps. VII, 8. Synagoga populorum circumdabit te. *Et ab ea ut causa, ut principio, ut fine dependentia*, id est, a Deitate universa dependent, tanquam a « causa » et creatore, et ut a primo « principio » exemplari, et tanquam a causa finali. Quæ in Apocalypsi contestatur : Apoc. XXII, 13. Ego sum Alpha et Omega, primus et novissimus, principium et finis. Unde et Philosophus duodecimo Metaphysicæ dixit : Ab hoc ente dependent cœlum et terra, et tota natura universi.

I Cor. XV, 28. *Et ipsa, secundum Eloquium, est omnia in omnibus*, secundum Apostolum : non quod ipsa sit omnium esse formale aut causa [formalis] substantiarum rerum, ut fuit quorumdam intolerabilis atque rudissimus error ; sed dicitur omnia in omnibus, per causam et inclusionem omnium perfectionum, et tanquam conservator, dominator possessorque omnium, sine quo omnia nihil essent, et ut omnium finis. De quo in Genesi Abraham loquitur : Levo manum meam ad Dominum Deum possessorem cœli et terræ. Gen. XIV, 22. Denique juxta Apostolum, Deus ipse operatur omnia in omnibus. I Cor. XII, 6. Sic et Apostolus asserit : Omnibus omnia factus sum. Ibid. IX, 22. Quanto magis Deus omnibus omnia factus est, et omnia in omnibus dici potest ? Sic nempe et sanctus dixit Franciscus : Deus meus, omnia mea. Præterea, si homo recte dicitur omnis creatura, quia cum omnibus aliquid habet commune : quanto magis Deus dici omnia in omnibus potest ? Nam et qui in eadem communitate habet multa officia, et per cujus manum ibi transeunt universa, dicitur ibi omnia in omnibus. Sunt quippe diversi tropi locutionum.

Et vere laudatur omnium substantia * *inchoativa*, id est inchoator et primus productor substantiæ omnium, et quasi substantia substantians cuncta, quemadmodum dicitur forma omnia formans, nil prorsus informans, *et consummativa*, id est omnium efficienter perfectiva et completiva, *et circumiens* *, id est, muniens omnia. * substantiva * continens Dominus enim in circuitu populi sui. Ps. CXXIV, 2. Ipse etenim tanquam vere immensus, omnia intra se continet. Unde et murus vocatur in Isaia : Urbs fortitudinis nostræ Is. XXVI, 1.

Sion. Salvator ponitur in eâ moveri et ar... temporale. Custos : juxta illud, Custodiens parvulos Dominus ; et alibi, Custos, quid de nocte? Qui item ait ad Jacob : Ero custos tuus quocumque perrexeris. Et pascens : quo pascit nos cibo multiplici, scilicet sacramentali, materiali, spirituali, [illegible]. Qui et jumentis dat escam ipsorum, et pullis corvorum invocantibus eum. Quis enim præparat corvo escam, quando pulli ejus clamant ad Deum, vagantes eo quod non habeant cibos? Et ad se omnia convertens, id est, omnia ad se reducens et ordinans, tanquam ad summum et ultimum finem.

Et hoc [illegible] et [illegible], id est, cuncta quodammodo unum efficiens per reductionem rerum ad unum caput, rectorem ac principem. Hinc juxta Philosophum duodecimo Metaphysicæ, universitas specierum ac rerum se habet ad Deum sicut exercitus ad principem militiæ, seu ad regem. In exercitu autem est ordinatio duplex : una militum ac pugnatorum inter se ; alia omnium illorum ad regem principemve militiæ. Sic autem Deus diversa creata adunat « immensurabiliter », id est imperscrutabiliter nobis, qui hanc rerum colligantiam, coordinationem, concatenationem, discutere, perscrutari, cognoscere, eloqui non valemus in speciali, quia nec specierum essentiales differentias novimus. Et ut in Ecclesiastico legitur : Pauca vidimus operum ejus, et majora his abscondita nobis sunt. « Et singulariter », id est, etiam egregie et sublimiter fecit hoc. Hinc theoremate vicesimo primo loquitur Proclus : Omnis ordo ab unitate incipiens, procedit in multitudinem unitati coelementalem, et omnis ordinis multitudo ad unam reducitur unitatem : propter quod et una colligatio et unus ordo totus ab unitate in multitudinem habet descensum.

Non enim continentiæ, aut vitæ, aut consummationis causa factum est, ut ab hac aut altera providentia supernominabilis bonitas nominaretur ; id est, increata « bonitas » Dei, « innominabilis » et super omne nomen existens, « non est » solum « causa continentiæ », id est conservationis, « aut vitæ », vel perfectionis hujus aut illius, « ut nominaretur » bonitas aut « providentia » solum ab ista vel illa efficientia sua. *Omnia vero simpliciter et indefinite in se ipsa quæ sunt præambiens, perfectissimis unius suæ et causalissimæ providentiæ bonitatibus, et ex omnibus quæ sunt, harmonice laudatur et nominatur.* Hoc est : Bonitas summa « præambiens », id est præincludens, et habens « in se ipsa simpliciter et indefinite », id est indeterminate, sine exceptione « omnia quæ sunt » : quæ sunt in ea causaliter, idealiter ac viventer, juxta illud, Quod factum est, in ipso vita erat ; « laudatur et nominatur harmonice », id est proportionaliter, consonanter, dulciter ac decenter ex « bonitatibus perfectissimis », id est ex effectibus valde perfectis et optimis, « providentiæ suæ unius et causalissimæ », quæ scilicet providentia in se ipsa est una, simplex, causalissima et æterna, et ex universis suis causatis præclarius consideratur, laudatur ac nominatur, quantum fieri potest : non tamen, sicut ipsa prædignior est, in immensum. Joan. i, 3, 4.

Hinc sicut ex proportione et magistrali tactu chordarum in cithara dulcis resonat symphonia, ita ex omnium operum Dei ordinata ac perita consideratione, consurgit præclara ac suavissima Dei laudatio et attributorum ipsius, quæ simul refulgent in Dei effectibus. Etenim bonitas Dei operata est sapienter ac omnipotenter, sapientia Dei operata est benevole et potenter, potentia quoque Dei operata est sapienter ac benevolenter. Recte ergo dixit Psalmista : Delectasti me, Domine, in factura tua, et in operibus manuum tuarum exsultabo. Et in Ecclesiastico scriptum est : Gloria Dei plenum est opus ejus ; nonne Dominus fecit Sanctos suos enarrare omnia mirabilia sua, quæ confirmavit Dominus omnipotens stabilis in gloria sua? Ps. xci, 5. Eccli. xlii, 16, 17.

ARTICULUS X

DE TERTIO GENERE DEI NOMINATIONUM, SCILICET PER SENSIBILES SIMILITUDINES ; ET QUOMODO DE DIVINIS NOMINIBUS SIT AGENDUM.

ET *quidem non has solas theologi divinas nominationes honorant*, id est, honorabiliter de Creatore pronuntiant, *quæ sunt ab omnibus aut partitis providentiis, aut profusis** : id est, « quæ » nominationes derivatæ ac sumptæ « sunt » vel « a partitis providentiis », id est a rebus creatis pertinentibus ad quasdam providentias Dei particulares quæ particularia quædam respiciunt : quemadmodum communiter in Ecclesia laudatur omnipotens supersapientissimus Deus ex effectibus providentiæ suæ circa populum Israel et patres eorum, deinde circa Sanctos evangelicæ legis ; « aut profusis », id est a providentiis Dei circa generaliora opera atque mysteria ejus, ut sunt quæ concernunt regimen universi, et statum glorificationis ac triumphantis Ecclesiæ. *Sed et a quibusdam est*, id est, a quibusdam quoque aliis divinis effectibus sumitur nominatio et laudatio Dei, *quomodo** *divinis responsis in sacris templis aut aliis formis magistros aut Prophetas illuminantibus, juxta alias et alias causas*, id est, qualiter Deo per sua responsa angelica illuminante doctores et Sanctos ac Prophetas veteris Testamenti, Moysen, Aaron, Josue, Samuel, David, « in templis » seu tabernaculis, aut desertis, pro causis diversis, ut in libris Moysis, Josue, et aliis habetur scripturis : quod et contingit sub variis « formis », frequenter autem apparentibus angelis in forma humana.

* provisis

* quando

*Quæ** *et virtutes nominant super dictionem et super nominationem bonitatem* : id est, « quæ virtutes », seu vigorosi Divinitatis effectus, « nominant », id est, designant et repræsentant, « bonitatem » Dei,

* alias om. Quæ

A quæ est « super dictionem et nominationem », id est dignior atque sublimior omni dictione, expressione et nuncupatione quæ ei a creaturis possunt attribui. *Et formas ei et similitudines humanas, aut igneas, aut electrinas circumponunt*, id est, Deum sub talibus sensibilibus similitudinibus, speciebus seu formis describunt et apparuisse testantur, prout ista et mox sequentia super Angelicam hierarchiam diffusius sunt expressa. Ideirco non immoror hic. De specie autem electri, apud

De Cœlesti hierarchia cap. xv.

B Ezechielem habetur. *Et oculos ejus, et aures, et nexos crines, et facies, et manus, et posteriora, et pennas, et brachia, et dorsa, et pedes laudant*, id est, laudando adscribunt ; *coronasque, et thronos, et calicem, et crateras ejus, et alia quæcumque mystica sunt, ei circumformant*, id est, circumformata affirmant. *De quibus in Symbolica theologia secundum virtutem diximus*, id est, pro posse tractavimus. In quo libro fit mentio de nominibus Dei a rebus corporalibus sumptis, quæ

Ezech. I, 4, 27; VIII, 2.

C metaphorice et improprie ei conveniunt, ut quum dicitur leo, lapis, vitis. Quem librum de Symbolica theologia non habemus.

Nunc vero quæcumque præsentis sunt actionis ex Eloquiis congregantes, id est, nos modo in isto libro colligentes ex Scripturis « quæcumque sunt actionis præsentis », id est hujus negotii, hoc est, ea quæ spectant ad intelligibilia nomina Dei, et quæ proprie competunt ei secundum modum infra tangendum, *et sicut quadam*

D *dam regula his quæ dicta sunt utentes*, id est, ea quæ catholice sunt introducta præsupponentes, et eis « utentes » pro

« regula », *et ad ea respicientes*, id est, illa apparentia intuentes ac considerantes; *ad contemplationem invisibilium*, id est spiritualium, et immaterialium. *Tradiderunt sermonibus parvulisque*.

Et quæ quidem semper per omnem hujus Theologiam hierarchiam hæc tradidit, divinas contemplativæ virtutis theophanias expositiones: hoc est, considerationes « virtutis contemplativæ divinæ », id est sapientiæ salutaris ac sacræ doctrinæ, ea « quæ hujus hierarchiæ », id est juxta ecclesiastica in Scriptura contenta, « tradidit », id est, præbuit atque mandavit « multis per universam Theologiam », id est per totam Scripturam, locis et passibus opportunis, « theophanias », id est revelationes sublimes, *proprie dictas theorias*, id est supernales speculationes.

Et quæcumque nostris auribus divinorum nominum replicationibus apponimus: hoc est, « aures » non solum corporales, sed et potissime interiores, studiosas ac docibiles, applicamus « replicationibus », id est exemplificationibus, « mirabilibus », id est altis, « nominum divinorum »: juxta illud Ecclesiastici (Eccli. vi, 35): Auris bona cum omni concupiscentia audiet sapientiam. *Sancta sanctis, secundum divinam traditionem, ...*, id est sancta documenta condignis virtutes infundentes, juxta Scripturæ doctrinam (Matth. vii, 6): Nolite sanctum dare canibus. *Et indoctis hæc irridentibus et illudentibus suffocantes*, id est, non proponentes, quum et in Proverbiis (Prov. ix, 7) dicatur: Qui erudit derisorem, ipse sibi injuriam facit. *Magis autem ipsos illos, siquidem omnino sunt hujusmodi quidam homines in hac divina pugna redimentes*: id est, nos ipsi potius « redimentes ipsos illos », videlicet hujusmodi derisores, a graviori transgressione ac majori damnatione, « siquidem homines quidam hujusmodi sunt in hac » in Dei impugnatione, id est, Deum impugnant, *ejus eloquia deridendo et impugnando*. De quibus scriptum est in Job (Job xxiv, 13): Ipsi fuerunt rebelles lumini. Ideo in Actibus Gamaliel ait Judæis verba Apostolorum impugnantibus: Discedite ab hominibus istis, ne forte et Deo repugnare inveniamini (Act. v, 38, 39).

Te quidem hæc custodire oportet, o bone Timothee, juxta sacratissimam inductionem: id est, hoc quod dixi, « oportet te » adimplere, « o » sancte « Timothee », secundum « inductionem », id est informationem et persuasionem sanctissimam Christi, qui dixit: Nolite sanctum dare canibus (Matth. vii, 6); *et neque dicta neque prolata dicere, foras in indoctos*, id est nec secreta divina, nec spiritualia aut supernaturalia documenta ingerere obstinatis, quos videris verba salutis despicere.

Mihi autem det Deus divinitus laudare non vocatæ et non nominatæ Divinitatis beneficas multas nominationes: id est, « Deus mihi » præstare dignetur « laudare divinitus », id est secundum beneplacitum Dei, seu divine ac religiose, « nominationes beneficas multas », id est appellationes seu nomina Dei munifica, liberalitatem et beneficentiam Dei circa homines designantia, quæ utique nomina multa sunt; nominationes, inquam, « Divinitatis non vocatæ » nec « nominatæ », id est, quæ nec aliquo nomine condigno vocata est, nec nominata sicut in sua consistit natura, ita quod nomen illud a nominantibus sit taliter intellectum: quod dico, quia sunt aliqua nomina significantia divinam essentiam unde, prout est in se, ut nomen hoc τετραγράμματον, seu, Qui est. *Et ne auferat verbum veritatis ex ore meo*: id est, non permittat auferri, nec ob culpam meam tollat illud a me, ne mentiar aut culpabiliter loquar; nec privet me gratia scribendi et idonee instruendi, juxta illud Ezechielis (Ezech. iii, 26): Linguam tuam adhærere faciam palato tuo, et eris mutus, nec quasi vir objurgans. Sic et Apostolus exoravit (Ephes. vi, 19): Ut detur mihi sermo in apertione oris mei. Sumptum est autem hoc verbum ex psalmo Beati immaculati (Ps. cxviii, 43).

TRANSLATIO MARSILII FICINI[1]

POST Theologicarum figurationum librum, beate vir, nunc jam ad divina nomina pro viribus explicanda me conferam. Esto nunc quoque nobis divinorum Eloquiorum lex illa præscripta, per quam eorum quæ de Deo dicuntur, veritatem asseveremus, non in persuasoriis humanæ sapientiæ rationibus, sed in demonstratione potestatis ejus quam Sanctus Spiritus in theologis suscitavit. Qua quidem ineffabilibus et incognitis ineffabiliter et incognite copulamur per unionem quamdam, potentia et actione nostra, tum rationali, tum etiam intellectuali, præstantiorem. I Cor. II, 4

Nulla igitur ratione audendum est aliquid de occulta Deitate (quæ est superior quam essentia) dicere vel cogitare, præter illa quæ sacra Eloquia divinitus nobis aperuerunt. Ipsi namque quod excelsius est essentia, scientiam quoque essentia superiorem, quæ et ignorantia nominatur, sed ratione et intellectu essentiaque præstantior est, debemus adscribere; eatenusque ad excelsa contendere, quatenus præcipue divinorum verborum radius se ipsum nobis infundit, dum videlicet ad sublimiores splendores temperantia et sanctitate divinorum veneratrici cohibiti sumus. Si qua enim sapientissimæ verissimæque Theologiæ fides habenda est, pro mentis cujusque proportione revelantur spectanturque divina, ubi sane præcipua Dei bonitas, per justitiam omnium servatricem, ab his quæ sub mensuram cadunt, immensitatem ipsam tanquam incomprehensibilem qua Deum decet providentia segregat. Sicut neque sensibilibus intelligibilia comprehendi spectarive possunt; neque fictis figuratisque, simplicia et infigurata; neque per corporum figuras formatis, informitas ipsa incorporeorum, refugiens tactum, figuraque carens: eadem veritatis ratione, ipsa superessentialis infinitas, omnes essentias antecellit; ipsa quoque unitas intellectus superior, omnes supereminet intellectus; ipsum denique unum cogitatione præstantius, nullis cogitationibus potest excogitari; atque bonum excelsius omni verbo, verbis est ineffabile: unitas unitatis omnis unifica, superessentialis essentia, intellectus nequaquam intelligibilis, ineloquibile verbum, verbi et intelligentiæ nominisque vacatio. Hæc sane juxta nullum exsistentium est, causa quidem omnibus ut sint; ipsa vero non est, tanquam omni essentia superior: et tandem quemadmodum ipsa de se proprie sciteque pronuntiaverit. De hac igitur secretissima Deitate, quæ et essentiam antecellit, sicut dictum est, nec loqui nec cogitare quidquam audendum est præter illa quæ sacra Eloquia nobis divine admodum tradiderunt. — Quemadmodum enim Divinitas in sacris Litteris benigne admodum de se ipsa tradidit, ejus (quidquid tandem est) scientia contemplatioque, omnibus quæcumque sunt, est inaccessa: quippe quum ab omnibus superessentiali quadam excellentia sit segregata. Jam vero theologos multos invenias Divinitatem celebravisse non solum tanquam invisibilem incomprehensibilemque, verum etiam inscrutabilem investigabilemque dixisse, quasi nullum exstet vestigium eorum qui ad occultam infinitatem illius accesserint.

Verumtamen summum illud bonum nullibi * alicubi exsistentium sui expers esse patitur; sed quum in se ipso stabiliter superessentialem fixerit radium, benigne tamen

* nullum

[1] Hæc translatio, alia clarior, facta est privatim in de Divinis nominibus et Mystica theologia tantum. (Edit. Colon.)

initiati didicimus, et quæcumque alia deifica lumina sacris Eloquiis hausta, secreta divinorum præceptorum nostrorum traditio explanatione nobis perspicua contulit.

Nunc quidem in his erudimur pro nostri ingenii facultate : cui sane indulgens benignitas sanctarum Litterarum sacerdotaliumque traditionum per sacra velamina, intelligibilia quidem sensibilibus, quæ vero essentiam superant, rebus quæ habent essentiam, obtegit ; formasque et figuras his quæ formam figuramque refugiunt, rite circumdat ; excelsam denique infigurabilemque simplicitatem, signorum dividuorum varietate multiplicat et effingit. At quando incorruptibiles immortalesque facti erimus, sortemque Christo similem beatamque adepti, semper (ut scriptum est) cum Domino I Thess. IV, 16.
erimus : visibili quidem divinoque ipsius spectaculo per castissimam speculationem jam adimpleti, lucidissimis tunc nos circumfulgente luminibus, quemadmodum discipulos suos in divinissima illa transfiguratione sua ; intelligibilis autem illuminationis ejus, intellectu a perturbatione materiaque separato, participes. Unionis vero intellectu superioris, præfulgentium radiorum incognitis beatisque actibus compotes erimus, in diviniori videlicet supercœlestium mentium imitatione. Erimus enim, ut divinorum Luc. XX, 36.
Eloquiorum veritas ait, æquales angelis, filiique Dei, quandoquidem resurrectionis filii futuri simus. Nunc autem pro ingenii viribus, congrue ad divina signis utimur, rursumque ex his ad simplicem unitamque intelligibilium spectaculorum veritatem, modo quodam proportionis, assurgimus : atque post omnem nostram divinorum intelligentiam sistentes, intellectuales actiones nostras ad sublimiorem essentiæ radium (quantum fas est) contendimus. In quo quidem termini omnes omnium cognitionum plus quam ineffabiliter præexsistunt : quem nec intelligere neque eloqui licet, neque quomodocumque aliter speculari, propterea quod est ab omnibus segregatus, et eminenter ignotus. Jam vero essentialium omnium cognitionum atque virium, superessentiali virtute, simul fines omnes anticipavit, atque incomprehensibili potestate supercœlestibus quoque mentibus altior exstat. Si enim cognitiones omnes tum entium sunt, tum etiam in entia desinunt ; qui omni essentia superior est, consequenter est ab omni cognitione semotus.

At vero, si ipsa omnium causa, est omni sermone cognitioneque præstantior, atque intellectu universaliter essentiaque superior (quippe quum amplectatur, complectatur, anticipet omnia, ipsaque a nullis usquam comprehendi possit) ; rursus si neque sensus ipsius est ullus, nec imaginatio, nec opinio, neque nomen, neque sermo, nec tactus, nec scientia : quonam pacto divina nomina pertractabimus ? quippe quum ostenderimus Deitatem excelsiorem essentia, consequenter nec vocabulum nec nomen habere. Ceterum, quemadmodum diximus ubi divinas hypotyposes, id est figurationes vel institutiones, exponebamus, quid sit ipsum unum atque bonum, essentia superius et ignotum, quid, inquam, sit in ipsa unitate trinitas, et in trinitate quilibet æque Deus, æque bonus, nec dici nec intelligi potest. Ipsæ quin etiam sanctarum virtutum convenientes angelis uniones, sive eas jactus dicere oportet sive perceptiones ultra bonitatem plusquam ignotam atque præfulgentem, ineffabiles sunt, soloque incognitæ, solisque angelis illis insunt qui super cognitionem angelicam modum hoc digni habiti sunt. His utique unionibus intellectus quoque conformes Deo, angelos imitantes, quantum fas est uniti, quum per totius intellectualis actionis vacationem, ejusmodi unio mentium Deo raptarum ad ipsum lumen excelsum confecta sit, consequenter lumen ipsum, propria admodum ratione, per ablationem omnium celebrant : ad hoc ipsum vere mirabiliterque illuminati ex beatissima ad ipsum unione, quod videlicet rerum quidem omnium causa est, ipsum vero nihil est ex omnibus, utpote quod ab omnibus entibus sit supra modum essentiæ segregatum. Ipsam igitur Deitatis excelsæ

superessentiale, ipsa scilicet superbonitatis superessentia quidquid denique sit, neque ut rationem, vel potestatem, neque ut intellectum, aut vitam, vel essentiam, laudare fas est nisi ex his qui veritatis omni veritate superioris sunt amatores; sed ut excellentissime segregatam ab omni habitu, vel motu, vita, imaginatione, opinione, nomine, sermone, cogitatione, intelligentia, essentia, statu, firmatione, unione, termino, infinitate, et universaliter ab omnibus quæ in ordine entium collocantur. — Verum quoniam tanquam subsistentia bonitatis, ipso suo esse entium omnium causa est, haud ab re sacræ Deitatis procedentiam bonorum principium ex omnibus inde creatis laudare decet; quandoquidem circa ipsam omnia, atque ejus gratia, ipsaque est ante omnia, et in ipsa cuncta consistunt, atque eo ipso quod est, ipsa universa producta sunt atque subsistunt. Idcirco hanc appetunt omnia: intellectualia quidem rationaliaque scienter; inferiora vero his, sensuali conditione; sequentia rursus, per vitalem motum, aut per aptitudinem quamdam essentialem, et in quodam habitu consistentem.

Hoc igitur intelligentes theologi Divinitatem partim tanquam nomine carentem, partim ex omni nomine celebrant. Et carentem quidem nomine, quando supremam Divinitatem aiunt in una quadam secretarum occultarumque aliquid significantium visionum apparentem, increpasse eum qui interrogaverat: Quod est nomen tuum? Ac veluti eum ab omni divinæ appellationis cognitione deterrentem, dixisse: Quidnam meum nomen interrogas? atqui et hoc est mirabile. At vero nonne est istud revera mirabile nomen, quod est super omne nomen, quod est innominabile, quod quidem omne nomen exsuperat quodcumque nominatur vel in hoc sæculo vel in futuro? Vicissim quoque tanquam plurimis nominibus præditum laudant; ubi Deum rursum dicentem inducunt, Ego sum qui sum, vita, lumen, Deus, veritas; et quando divina sapientia præditi, ipsam omnium causam varia denotatione ex creatis omnibus prædicant: ut bonum, ut pulchrum, ut sapientem, amabilem, Deum deorum, Dominum dominorum, Sanctum Sanctorum, ut æternum, ut exsistentem, ut causam sæculorum; ut auctorem vitæ, sapientiam, intellectum, rationem, cognitionem; ut thesauros totius cognitionis omnes anticipantem, ut potentiam, potentem, Regem regum, Antiquum dierum, insenescibilem, immutabilem, salutem, justitiam, sanctificationem, redemptionem, magnitudine omnia excedentem, in aura tenui. Jam vero et in mentibus esse Deum dicunt, et in animis, et in corporibus, et in cœlo, et in terra; atque simul in eodem eumdem; in mundo, circa mundum, supra mundum, supercœlestem, superessentialem, solem, stellam, ignem, aquam, spiritum roris, nubem, ipsum lapidem atque petram; omnia quæ sunt, nullum eorum quæ sunt.

Judic. XIII, 17. — Gen. 32.

Exod. III, 14; Joann. XIV, 6; Joann. VIII, 12; Gen. 28.

Hac igitur ratione ipsam omnium causam super omnia exsistentem, tum privatio nominum, tum etiam rerum omnium nomina decent, ut universorum exacta ratione sit regina, atque circa ipsam omnia sint, et ex ipsa tanquam causa, tanquam principio, tanquam fine dependeant, ipsaque, ut scriptum est, omnia sit in omnibus. Sic igitur vere laudatur tanquam omnibus subsistentiam exhibens, inchoans, perficiens, continens, custodia omnium atque sedes, et ad se ipsam cuncta convertens; sed agit hæc omnia unite, absolute, eminenter. Jam vero neque complexionis duntaxat, aut vitæ aut perfectionis causa est, ut ab hac sola vel alia providentia, bonitas illa quæ est super omne nomen, proprie nominetur; imo vero simpliciter omnia et incircumscripte in se ipsa complectitur, perfectissimis videlicet ipsius unius omniumque causæ providentiæ beneficiis; quamobrem ex rebus omnibus congrua ratione laudatur atque nominatur.

I Cor. XV, 28.

Neque vero hæc tantum divina nomina theologi celebrant, quæ a providentiis universalibus particularibusve, aut ab his quæ providentia divina reguntur, originem

ducunt; sed etiam a divinis quibusdam interdum visis, quibus præceptores sacrorum vel Prophetæ in sacris ædibus aut alibi illuminati sunt, ex aliis et aliis causis atque viribus nominare solent bonitatem omni nomine omnique luce prorsus excelsiorem. Jam vero formas illi figurasque humanas, vel ignis, vel electri circumponunt; ipsiusque oculos auresque, et crines, facies, manus, scapulas, alas, brachia, humeros, pedes laudant; coronas quin etiam, sedes, pocula, pateras, et alia quædam id genus mystica circa Deum fingunt. De quibus in Significativa theologia pro ingenii facultate dicemus. Nunc autem quæcumque ad præsens opus pertinent ex libris theologicis colligentes, atque his quæ dicta sunt, tanquam regula quadam utentes ad quam aciem dirigamus, ad explicanda intelligibilia Dei nomina jam pergamus. Jam vero, quod nobis in universa Theologia lex sacra sancit, intentissima in Deum mente divinitus effulgentia (ut proprie dixerim) spectacula speculemur. Atqui et aures expiatas sacrorum Dei nominum explanationibus adhibeamus, sancta sanctis ex traditione divina *Matth.* vii, 6. duntaxat insinuantes, eaque a risu illusioneque profanorum interim vindicantes, imo vero illos ipsos, si qui omnino sunt tales, ab hoc errore (qui divinis repugnat) pro viribus liberantes. Te quidem ista conservare oportet, optime Timothee, juxta sacratissimam sanctionem, neque inter profanos eloqui aut efferre divina. Mihi autem præstet Deus rite, ut divina decet, laudare benefica et multiplicia nomina Deitatis appellatione nomineque carentis, nec ori meo verbum auferat veritatis.

PARAPHRASIS ABBATIS VERCELLENSIS

POST librum de Divinis characteribus, in quo tractavi de distinctione divinarum Personarum, transibo ad tractanda divina nomina. Et secundum Apostoli sententiam, affirmo veritatem de Deo dictorum, non in per- *I Cor.* ii, 4. suasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in demonstratione virtutis theologorum quæ a Deo movetur: secundum quam virtutem ipsi theologi qui scripserunt sacras Scripturas, ut Moyses, Job, David, Isaias, et alii ineffabiliter et ignote conjunguntur ineffabilibus et ignotis theoriis, per unitionem quæ efficacior est in divinis, quam nostra virtus vel exercitatio rationalis aut intellectualis.

Non est autem audendum aliquid dicere vel cogitare de supersubstantiali et occulta Divinitate, præter ea quæ nobis per sacras Scripturas de Deo divinitus sunt expressa. Oportet enim Deo attribuere supersubstantialem scientiam quæ est perfecta ignorantia suæ supersubstantialitatis, et superat omnem rationem et intellectum, et ipsam substantiam. Nos autem tantum sursum respiciemus, quantum sapientia quæ radiat in Scripturis se ipsam immittit, et nos manuducit ad splendores di- A vinos. Simus autem et docentes et discentes, constricti intra terminos divinæ veritatis et nostræ possibilitatis, et hoc sancte et temperate, in tractandis divinis. Siquidem teste Scriptura, divina bonitas revelat mysteria sua electis secundum propriam uniuscujusque virtutem, in justitia salutari, quæ distinguit infinitatem et incomprehensibilitatem divinam ab omni finito. Sicut enim intelligibilia sunt incomprehensibilia sensibus corporeis; et compositis et figuratis simplicia et infigurabilia, et intangibilis et infigurabilis privatio formæ, corporaliter figuratis: sic unitas divina quæ B est super omnem mentem et substantiam, superat cognitionem et substantiam, et bonum quod est super deliberationem et omnem mentis tractatum omnibus deliberationibus est intractabile, et idem bonum quod est super omne verbum *, est ineffabile omni verbo; et hæc est unitas causaliter unificans omnem creatam * unitatem, et substantia super omnem substantiam et intellectus non intelligibilis, verbum non dicibile, nisi soli æterno Patri, irrationabilitas et non intelligibilitas et innominabilitas per excessum ratio-

* [illegible]

* creatam

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

A effectualiter disposuit ad earumdem laudum constitutionem, ut per ipsas cognoscamus secundum singularem capacitatem lumina divina nobis data, et sciamus laudare Deum; tanquam principium omnium bonorum nobis veritate apparentium, qui dat bonum, sicut ipse testatur: Pater vester qui in cœlis est dabit spiritum bonum petentibus se; sicut illo qui est omnium causa, et principium et substantia et vita; et reformatio et revocatio decidentium ab ipso, et sancta collocatio eorum qui vacillant modi tentationibus et firmitas stantium; et ascensiva manuductio B ascendentium ad ipsum; et illuminatio eorum qui illuminantur, et principalis perfectio perfectorum, et deificatio deificatorum, simplicitas simplificatorum et unitas unitorum; et superprincipale principium omnis principii; revelatio occulti, secundum quod possibile est et conveniens. Et ut generaliter dicatur, ipse est vita viventium, substantia exsistentium, principium et causa omnis vitæ et substantiæ propter naturalem ipsius bonitatem, quæ omnia exsistentia deducit ad esse et continet. Luc. xi, 13.

Hæc de Scripturis divinis pauca commemoravimus. C Generaliter autem omnia Scripturæ testimonia ad laudes divinas pertinentia, sunt valde describentia* divinas nominationes, sive declarando Dei cognitionem, sive ad cultum ejus exhortando. Pluribus autem modis laudatur Deus in Scripturis: uno modo secundum essentialem unitatem propter essentiæ suæ supernaturalem simplicitatem et impartibilitatem, ex qua tanquam virtute unifica unimur, et variis curis et concupiscentiis nostris supermundane conclusis congregamur ad monadem nos Deo conformantem et unitionem Dei imitativam; alio modo sicut trinitatem, D propter manifestationem supersubstantialis fecunditatis trium Personarum, ex qua omnis paternitas in cœlo et in terra nominatur. Laudat etiam Scriptura Thearchiam sicut causam exsistentium, quoniam omnia deduxit ad esse propter suam bonitatem substantificam; item ut sapientem et pulchram, quia omnia exsistentia propriam naturam incorruptam servantia plena sunt omni divina harmonia et sancta decore; item benignum differenter a modis prædictis, scilicet quia in persona Filii integraliter et vere assumpsit naturam nostram, revocans eam ad se et restituens humanam extremitatem: ex qua Dominus Jesus

* distribuentia

Ephes. iii, 15.

ineffabiliter simplex secundum divinitatem compositus est secundum humanitatem et æternus accepit præsentationem temporalem, et intra naturam nostram factus est qui omnem ordinem secundum omnem naturam supersubstantialiter excedit, intransmutabiliter et inconfuse retinens divina. Benigna etiam dicitur Thearchia propter quælibet alia deifica lumina quæ apostolica doctrina juxta attestationem sacræ Scripturæ nobis manifestavit verbis aut scriptis.

Hæc mysteria docti sumus juxta capacitatem viatorum per sacras Scripturas, in quibus ista velantur, et doctorum sive Apostolorum sive Prophetarum sive aliorum scribentium aut exponentium sacras Scripturas, benignitatem : qui nobis per collationem sensibilium revelant intelligibilia, et per collationem exsistentium, supersubstantialia; et hujusmodi revelationis gratia attribuunt formas et figuras informibus et infiguratis et supernaturali et infigurabili simplicitati multiplicitatem et compositionem per symbola sensibilium varia et dissimilia. Quando autem erimus immortales et incorruptibiles et per veram beatitudinem Christo conformabimur, semper cum Deo erimus, satiati quum apparuerit gloria sua, quando castissimis contemplationibus et manifestissimis splendoribus propriæ suæ speciei irradiaverit nos et circumfulserit : quorum splendorum fulgor designatur in lumine quo perfusi sunt Apostoli in Domini transfiguratione. Et tunc participabimus intelligibili luminis datione ipsius, mente jam impassibili per gloriam, et tam natura quam exercitio, immateriali ; et etiam unitione quæ est super mentem, in ignotis et beatis immissionibus superclarorum sapientiæ radiorum per quam unitionem divinius imitabimur cœlestes angelos : siquidem æquales angelis erimus quando erimus filii Dei et filii resurrectionis. Interim autem utimur sensibilium signis, quantum possibile est, propriis ad investiganda et cognoscenda divina et ex illorum collatione secundum singulorum * capacitatem extendimur ad contemplandam simplicem et unitam veritatem intelligibilium theoriarum quæ cunctis contemplantibus sunt semper admirabiles, et quum tota virtute nos univerimus theoriis tunc resecantes nostras intellectuales operationes immittimus nos, quantum nobis divinitus conceditur, ad supersubstantialem radium : in quo consummationes omnium cognitionum superineffabiliter præexstiterunt ; quem neque cogitare possibile est neque dicere, neque omnino aliquo modo contemplari eo quod sit ab omnibus segregatus et superignotus, et supersubstantialiter in se ipso præacceperit simul terminationes omnium substantialium cognitionum et virtutum et collocatus sit incomprehensibili virtute super omnes mentes cœlestes. Quum enim omnes cognitiones exsistentium sint et omnia exsistentia finem habeant ; ille qui est super omnem substantiam segregatus est ab omni cognitione.

Et qui melior est omni sermone et cognitione, universaliter super mentem et substantiam collocatur. Ipse enim quum sit omnium apprehensivus, et comprehensivus, et præapprehensivus est universaliter incomprehensibilis omnibus ; et de ipso neque est sensus, neque phantasia, neque opinio, neque nomen, neque sermo, neque tactus, neque scientia. Quum ergo adeo sit incomprehensibilis et ignotus, quomodo potero tractare de divinis nominibus ut demonstrem Divinitatem invocabilem et supernominabilem et supersubstantialem ? Sed sicut diximus in libro de Divinis characteribus, unum est quod vere est, quod est ipsum bonum ignotum et supersubstantiale, scilicet trina unitas sive scilicet trium Personarum æternarum una trinitas quarum quælibet verus Deus est quælibet verum et summum bonum ; nec ostendi neque dici potest, neque cogitari secundum quod est. Sed et unitivæ cognitiones cœlestium animorum, quas habent de superignota Dei bonitate per hoc quod divina bonitas se ipsis copiose immittit et ipsi beatas immissiones potenter suscipiunt, sunt nobis ineffabiles et ignotæ. Et tales unitivæ cognitiones, quamvis incomparabiliter angelis inferiores, illis solis divinitus conceduntur qui omnem creaturam, etiam angelicam naturam contemplando excedunt, et imitatione unitionis angelicæ participant. Per tales igitur unitivas cognitiones mentes virorum spiritualium unitæ Deo angelica imitatione secundum singularum possibilitatem docentur laudare Deum maxime per omnium exsistentium ablationem eo quod omnis talis unitio mentium ad lumen supremum, omnem operationem intellectualem interim suspendat. Docentur enim ipsæ mentes ex unitione ad lumen quod ipsum supremum lumen causa est omnium exsistentium et ipsum non

I Thess. IV, 16. — Ps. XVI, 15. — Luc. XX, 36. — * nostram

[illegible]

A nihil : sicut bonum, sicut pulchrum, sicut sapientem, sicut diligibilem, sicut Deum deorum, sicut Dominum dominorum, sicut Sanctum Sanctorum, sicut æternum, sicut existentem, sicut causam sæculorum, sicut vitæ largitorem, sicut sapientiam, sicut intellectum, sicut rationem scilicet disponentem, judicantem, disputantem, sicut præhabentem omnes thesauros sapientiæ quo omnia cognoscuntur, sicut veritatem, sicut potentem, sicut Regem regum, sicut Antiquum dierum, sicut sine senectute, id est defectu, sicut invariabilem, sicut salvationem, sicut justitiam, sicut sanc- B tificationem, sicut liberationem vel redemptionem, sicut in magnitudine omnia excedentem, sicut in aura subtili. Dicunt etiam ipsum esse in mentibus, in animabus, in corporibus, in cœlo, in terra, et simul etiam in eadem natura, mundanum, id est in mundo existentem, circa mundum, supra mundum, supercœlestem, supersubstantialem, super omnia, solem, astrum, ignem, aquam, spiritum, rorem, nubem, lapidem, petram, omnia exsistentia causaliter, nihil exsistentium per substantiæ proprietatem.

Sic igitur Deo, qui est causa omnium et C super omnia, convenit innominabilitas et conveniunt ei omnium omnia nomina causaliter, et ipse generaliter gubernat omnia, et omnibus est interior, et omnibus communicabilis : et tamen omnia sunt segregata ab ipso, in quantum ipse est causa et principium et finis omnium. Et est omnia in omnibus. Et ad laudem ipsius vere dicitur omnium substantia principalis et perfectiva et contentiva et custos, et cibus, et ad se convertens. Et hoc operatur Deus in rebus manens nihilo minus in sua simplicitate, et rerum multitudinem in se uniens, cunctis tamen per excessum incom- D municabilis, et a cunctis separatus : quia non est solum causa continentiæ eorum quæ sunt, aut vitæ eorum quæ vivunt et sentiunt, aut perfectionis rationalium et intellectualium, ita ut bonitas quæ est super omne nomen, nominetur ab aliquibus provisis determinate, et non ab aliis; sed in sua simplicitate præaccepit omnia, et æternaliter præaccepit exsistentia per æternas Verbi præconceptiones, quæ sunt una perfectissima bonitas in rebus varie distributa, cujus participatione omnia bona sunt, et propter quam distributionem convenienter laudatur et nominatur nominibus omnium creaturarum.

Theologi qui scripserunt sacras Scripturas, A non solum Deo attribuunt prædicta nomina imposita a perfectioribus vel imperfectioribus suæ bonitatis participationibus aut participantibus; sed nominant supersplendentem et supernominabilem bonitatem a quibusdam apparitionibus, in templo aut alibi, illuminantibus mysteriorum revelatione doctores populi, ut Josue et alios judices, et Salomonem, et Prophetas, ut Moysen et Isaiam, secundum varias visionum congruentias et inspirationum efficacias. Et circumponunt ipsi formas et figuras humanas, aut igneas, aut electrinas; et laudant oculos ipsius, et aures, et cincinnos, et vultus, et manus, et posteriora, et dorsa, et alas, et brachia, et pedes; et circumponunt ei coronas, et thronos, et calices, et crateres, et quædam alia mystica. De quibus tractabimus in libro de Symbolica theologia. In hoc autem libro tractabimus nomina divina quæ ad præsens pertinent negotium: et respicientes ad ea quæ dicta sunt, tanquam ad quemdam canonem, procedamus in expositione divinorum nominum secundum quod anagogice intelligenda; et inspiciemus spectacula sapientiæ quæ signantur nominibus divinis per quæ invisibilia Dei cognoscuntur a suis contemplatoribus. Et hoc faciemus modesta et discreta investigatione promovente nos ad Dei contemplationem: quod generaliter docet et suadet sacra Scriptura. Et apponemus temperatas intelligentiæ aures reserationibus nominum divinorum collocantes sacram doctrinam in sanctis discipulis (secundum divinam illam traditionem: Nolite sanctum dare canibus), et ipsa sancta subtrahentes irrisionibus indoctorum, et liberantes eosdem ab occasione impugnandi Deum. Tibi autem expedit hoc, ut dictum est, custodire, et non exportare divina ad aures indoctorum. Mihi autem det Deus laudare multas nominationes deificas Divinitatis innominabilis secundum naturam, sicut decet Deum, et non auferat verbum veritatis ab ore meo.

Matth. vii, 6. — B

CAPITULUM II

DE UNITA ET DISCRETA THEOLOGIA, ET QUÆ SIT DIVINA UNITAS ET DISCRETIO.

DIVINAM totam subsistentiam quia est per se ipsam bonitas segregans et exprimens, ab Eloquiis laudatur. Et quid enim aliud discendum est ex sacra Theologia, quum ait Divinitatem ipsam subintroductam dicere: Quid me interrogas de bono? nemo bonus nisi solus Deus? Hoc quidem et in aliis quæsitum, nobis ostendit omnes semper divinas nominationes, non partim, sed in tota et perfectissima et integra et plena Divinitate ab Eloquiis laudari, et omnes eas impartibiliter, absolute, inobservate, universaliter omni universalitati in toto perfectæ et omnis Divinitatis reponi. Etenim sicut in Theologicis characteribus admonuimus, si non de tota Divinitate dixerit qui hoc dixit, blasphemat, et scindere injuste audet superunitam unitatem. Dicendum igitur quomodo in omni Divinitate hoc accipiendum. Etenim ipsum ex bono natum ait Verbum: Ego bonus sum. Et quidam Deo acceptabilium Prophetarum, laudat Spiritum bonum. Et iterum hoc, Ego sum qui sum, si non secundum totam aiunt Divinitatem laudari, juxta unam vero partem hoc describitur; vim faciunt. Quomodo audient hoc, quum dicit, Qui est, et

Matth. xix, 17; Luc. xviii, 19.

Matth. xx, 15; Joan. x, 11.

Psal. cxlii, 10.

Exod. iii, 14.

Apoc. i, 8.

qui erat, et qui venturus est omnipotens? et, Tu vero idem ipse es? et, Spiritus veritatis est qui a Patre procedit? Et si non totam esse aiunt divinam vitam, quomodo verum erit quod dixit divinum Verbum, Sicut Pater suscitat mortuos et vivificat, sic Filius quos vult, vivificat? et, quia Spiritus est vivificans? Quomodo vero et dominationem habeat omnium Divinitas tota, de quidem Deum gignente Deitate, aut genita, nil dicendum est, ut aestimo; quoties in Theologia in Patre et Filio divulgatur Dominus? Sed et Spiritus Dominus est. Et pulchrum autem et sapiens in tota Divinitate laudatur, et lumen, et deificum, et causale. Et omnia quaecumque totius Divinitatis sunt, in omnem reducunt Eloquia divinam hymnodiam: complexam quidem, ut quum dicunt, Omnia ex ipso*; divisam vero, ut quum quidam ait, Omnia per ipsum et in ipso creata sunt, et omnia in ipso constituta sunt; et, Emittes Spiritum tuum, et creabuntur. Et ut breviter dicam, quod ipsum divinum ait Verbum, Ego et Pater unum sumus; et, Omnia quaecumque habet Pater, mea sunt; et, Omnia mea tua sunt, et tua mea sunt. Et iterum, quaecumque sunt Patris et ipsius, Spiritui Sancto communiter et unitim reponunt: divinas operationes, honorem, fontalem, et non deficientem causam, et distributionem optimarum donationum. Et nullum in divinis Eloquiis inconversibilibus notionibus tritorum, aestimo ad hoc contradicere, quia divina omnia toti Divinitati adsunt secundum divinam perfectam rationem. His igitur a nobis breviter quidem in talibus et partim, in aliis vero sufficienter ex Eloquiis et ostensis et definitis, qualemcumque replicare divinam manifestationem universalem conabimur, in tota ipsa Divinitate accipiendam.

Si autem quis dixerit confusionem nos in hoc contra divinam discretionem introducere, talem rationem nos neque ipsum aestimamus suadere sufficientem. Quomodo est verax? siquidem enim est quis omnino Eloquiis subsistens, longe ibi universaliter erit et a nostra philosophia. Et si non ex Eloquiorum sibi divina sapientia curat, quomodo etiam a nobis curabit in theologicam scientiam suae manuductionis? Si autem in Eloquiorum veritatem respicit, hac et nos regula et lumine utentes, ad apologiam, quantum potentes sumus, recte gradiemur, dicentes quomodo Theologia quaedam quidem unitim tradit, quaedam vero discrete: et neque unita separare justum est, neque discreta confundere; sed sequentes eam juxta virtutem, divinos splendores respicientes, et in divinas manifestationes adspicientes, sicut quamdam regulam formosissimam veritatis, ubi posita custodire in semetipsis non multiplicata, et non minorata, et inconversibilia, festinemus, in custodia Eloquiorum custoditi, et ab ipsis in custodientem ea custodiendum potentes. Unita quidem totius Divinitatis sunt, ut in Theologicis characteribus per plura ex Eloquiis ostendimus: superbonum, superdeum, superessentiale, supervivens, supersapiens, et quaecumque superexcellentis sunt ablationis; cum quibus et causalia omnia, optimum, bonum, [illegible], viventium parens, sapiens, et quaecumque ex optimis suis denominationibus* omni bonorum causa denominantur*. Discreta autem sunt, Patris superessentiale nomen et res, et Filii, et Spiritus Sancti, nulla in his reciprocatione aut omnino communitate introducta. Est autem tantum* ab his discretum ipsa

secundum nos Jesu perfectissima et immutabilis subsistentia, et quæcumque secundum nos ipsa sunt humanitatis essentialia mysteria.

Oportet autem, ut arbitror, magis recipientes nos perfectissimum divinæ et unitatis et discretionis exponere modum. Utrumque nobis bene conspiciens omni ingenita est ratio : varium quidem omne et non manifestum relinquens, discreto viro * [bene discrete vero] et manifeste et bene ordinate propria secundum virtutem considerans. Vocant enim, quod quidem et in aliis, dexteram * [dixeram] nostræ theologicæ traditionis sacri doctores imitantes * [unitates] quidem, divinas superarcanæ et superincognitæ unitatis occultas et irremeabiles supercollocationes : discretiones vero optimas Divinitatis, et processiones, et manifestationes, ut * [et] aiunt sacra Eloquia, sectantes, et dictæ unitatis propria; et iterum discretionis esse quasdam speciales et unitates et discretiones, ut * [et] in unitate divina sive superessentialitate. Unum quidem est uni principali Trinitati et coæternæ : superessentialis subsistentia, superdeus et Deitas, superbonus, bonitas omnium, summitas summitatum omnium, totius proprietatis immutabilitas, superprincipalis unitas, ineffabile, multivocum, ignorantia, omne invisibile, omnium pretium, positio omnium, ablatio omnium, super omnem positionem et ablationem; inter se invicem, si sic oportet dicere, principalium substantiarum mansio et collocatio universaliter superunita, et nulla parte confusa.

Sicut luminaria lampadum, ut sensibilibus et propriis utar exemplis, dum sunt in domo una, et tota in se invicem totis sunt, et diligentem a se invicem proprie substantem habent discretionem, et unita discretione, et unitate discreta. Etenim videmus in domo multis unitarum * [unitis] lampadibus, ad unum aliquod lumen unita omnium lumina, et unam claritatem indiscretam relucentem ; et non etiam quis, ut arbitror, poterit alicujus lampadis lumen ab aliis ex omnium lumina continente aere discernere et videre, si non * [sine] altera parte alteram partem, totis in totis inconfuse contemperatis. Sed si etiam unam quis ardentium subduxerit domo, coibit et proprium totum lumen, nullum quiddam aliorum luminum in semetipsa complectens, aut suimet alteris relinquens. Erat enim eorum, quæ quidem dixi, omnium ad omnia perfectissima unitas, incommixta universaliter, et nulla parte confusa : et hoc exsistente in corpore aere, et ex materiali igne pendente lumine. Ubi vero superessentialem unitatem supercollocari dicimus. Non in corporalibus tantum unitatibus, sed ab * [*alias om.* ab] his quæ sunt in animabus ipsis et ipsis intellectibus, quæ habent incommixtam * [incommixtim] et supermundane per tota deiformia et supercœlestia lumina, juxta participationem corrationabilem, participantibus omnibus superremota unitate. — Est autem et discretio in superessentialibus theologiis, non quam dicebam solummodo, quia et hanc unitatem incommixtim collocat et inconfuse unaquæque principalium substantiarum : sed et quia quæ sunt superessentialis theogeniæ, non reciprocantur ad se invicem ; solus autem fons superessentialis deitatis Pater, quum non sit Filius Pater, neque Pater Filius, custodientibus propria laudibus recte unicuique divinarum substantiarum. Hoc quidem secundum ineffabilem unitatem et subsistentiam unitas et discretio.

Sunt autem et divinæ discretiones, optimæ processiones unitatis divinæ superunitæ, semetipsam bonitate et plurificantis et multiplicantis. Unitæ quidem sunt secundum divinam discretionem immensurabiles traditiones, essentialitates vitales, sapientificationes, aliæque dationes omnium causæ bonitatis, juxta quas ex participiis et participantibus laudantur imparticipabiliter participata. Et hoc etiam commune et unitum et unum est toti Deitati, omnem ipsam totam ab unoquoque participantium participari, et a nullo iterum nulla parte : sicut puncta in medio circuli ab omnibus in circulo circumpositis rectis lineis, et sicut signo efformata multa participant principalis exempli signum, et in unoquoque efformatorum toto et eodem existente, et in nullo secundum nullam partem. Superponitur autem his causalissimæ Deitatis imparticipatio, quo nec effectus ejus sit, neque alia quædam ad participata commixta societas. Et quidem dixerit quis : Non est signum in totis efformatis totum, et ipsum ac per hoc non signum unum. Omnem enim se ipsam illa et eamdem et unicuique tradit. Ipsam quoque differentiam participantium dissimilitudo facit decolorata, non et toto et eodem principali exemplo. Et si quidem mollia et formabilia, aut etiam plana et configurata, et neque contra exemplata et dura, neque diffusa et instabilia ; puram habebunt et claram et consequentem formam. Si vero quid dictæ opportunitatis defuerit, hoc causa erit imparticipationis et obscuritatis, et aliorum quæcunque importunitati participationis fiunt.

Discernitur autem bene decora in nos divina operatione, secundum nos ex nobis universaliter et vere substantificari superessentiale Verbum ; et operari et pati quæcunque humanationis ejus, divina actione sunt discreta et summe miranda. His enim Pater et Spiritus Sanctus nihil communicare Verbo : nisi ibi quis dixerit secundum optimam et humanam voluntatem, et secundum omnem supereminentem et arcanam divinam operationem qua operatus est secundum nos factus, incommutabilis Deus et Dei Verbum. Sic et nos divina et intelligere ratione et discernere festinamus quomodo ea divina et uniuntur, et discernuntur.

Sed harum quidem et unitatum et discretionum quascunque in Eloquiis divinas causas invenimus, in Theologicis characteribus, propria de unoquoque percipientes, quantum possibile exposuimus : ea quidem relegentes et vera ratione replicantes, et sacrum et revelatum intellectum in manifesta Eloquiorum spectacula adducentes ; illa vero et mystice et secundum divinam traditionem super intellectualem operationem retrusa. Omnia enim divina et quæcunque nobis manifestantur, solis participiis cognoscuntur. Hæc autem qualia sunt ? Quoniam* secundum proprium principium et fundamentum, super intellectum sunt, et omnem essentiam et scientiam, et superessentiale occultum. Deum, aut vitam, aut essentiam, aut lumen, aut rationem nominare, aut quid alterum. Nihil in his intelligimus quam in nos ex ipso productas virtutes deificas, aut substantificas, aut vitæ genitrices, aut sapientiæ donatrices. Ipsum vero juxta, omnium intellectualium operationum per fructum desideramus, nullam videntes deificationem, aut vitam, aut essentiam, quæ diligenter sit simul* remotæ juxta omnem supereminentiam causæ.

* [illegible]

* [illegible]

Iterum, quia quidem est fontalis deitas Pater, Filius autem et Spiritus, genitricis Dei, si sic oportet dicere, frutices Deo germinati, et veluti flores et superessentialia lumina, ex mirabilibus Eloquiis accepimus. Quomodo autem hæc sunt, neque dicere neque intelligere possibile est; sed usque ad hoc omnis nostræ intellectualis actionis virtus, quia omnis divina paternitas et filiolitas, ex omnium remota paternitate principali et filiolitate principali derivata est et nobis et supercœlestibus virtutibus : ex qua dii, et deorum filii, et deorum patres, deiformes fiunt, et nominantur dii* spiritualiter, scilicet tali paternitate et filiolitate perfecta, hoc est, incorporaliter, immaterialiter, invisibiliter, divino principali Spiritu super omnem intellectum immaterialem et deificationem supercollocato, et Patre et Filio omni paternitate et filiolitate divina supereminenter exaltatis. Neque enim est diligens similitudo causativis et causalibus : sed quidem habent causativa causalium receptas imagines; ea vero causalia causativis removentur et supercollocantur juxta proprii principii rationem. Et ut secundum nos utar exemplis, deliciæ et tristitiæ dicuntur effectivæ delectandi et contristandi, ipsæ vero neque delectantur, neque contristantur; et ignis calidus et urens, non dicitur uri et calefieri. Et vivere si quis dicat per se ipsam vitam, et illuminari per se ipsum lumen, non recte dicit secundum nostram rationem, nisi ubi juxta alterum hoc dicit modum, quia abunde et essentialiter ante insunt hæc causativorum causalibus.

* animi

Sed et hoc totius theologiæ manifestissimum, secundum nos Jesu divina formatio, et arcana est rationi omni, et incognita intellectui omni, et ipsi præstanti honorabilissimorum angelorum. Et quidem viriliter eum substantificatum fuisse, mystice accepimus. Ignoramus vero quomodo ex virginalibus sanguinibus altera ultra naturam lege formatus est; et quomodo siccis pedibus corporalem molem habentibus et materiæ gravitatem, superambulavit humidam et instabilem essentiam; et alia quæcunque supernaturalis sunt Jesu physiologiæ. Hæc autem a nobis in aliis sufficienter dicta sunt, et glorioso duce secundum theologica sua obscura commenta laudantur valde supernaturaliter. Quæ quidem ille sive a sacris theologis accepit, sive ex disciplinata Eloquiorum inventione consideravit ex multa circa hæc et exercitatione et peritia, sive etiam ex quadam eruditus sit diviniori inspiratione : non solum discens, sed et affectus divina, et ex ipsa ad hæc coaffectione, si sic oportet dicere, ad indocibilem eorum et mysticam perfectus unitatem et fidem. Et ut multa et beata spectacula potentis illius intelligentiæ in minimis addamus, hæc de Jesu ait in collectis ab eo theologicis obscuris commentis.

SANCTISSIMI HIEROTHEI EX THEOLOGICIS ELEMENTIS.

« Omnium causa et repletiva Jesu deitas, partes universitati consonas salvans, « et neque pars neque totum est; et totum et pars, et omnem et partem et totum « in semetipsa coambiens et supereminens et excellens. Perfecta quidem est in « imperfectis, ut perfectio principalis; imperfecta vero in perfectis, tanquam su« perperfecta et anteperfecta. Forma formificans in informibus, tanquam forma « principalis; informis in ipsis formis, tanquam superformis essentia omnis es« sentiæ, incontaminatas supergrediens, et superessentialiter omni essentia remota.

« Tota principia et ordines diffiniens ; et omni principio et ordini supercollocata. Et « mensura est eorum quæ sunt, et sæculorum ; et super sæcula, et ante sæcula. « Plena in indigentibus, superplena in multitudinibus. Arcana, ineffabilis ; super « animum, super vitam, super essentiam. Supernaturaliter habet et supernaturale, « superessentialiter superessentiale. Unde quoniam quidem et usque naturam pro « humanitate venit, et vere essentiata est, et vir superdeus creatus est (propitiatio « autem sit a nobis super animum et super rationem laudanda), etsi his habentur « supernaturale et superessentiale, non solum ipsa immutabiliter nobis et inconfuse « communicavit, nihil perpessa, usque plenitudinem * suam ab ineffabili novitate. « Sed quia et hoc omnium novorum maximum novum, in naturalibus nostris su- « pernaturalis erat, in quibus juxta essentiam superessentialis, omnia nostra ex « nobis propter nos superans. »

* ex super-plenitudine.

Hæc quidem sufficienter. In rationis autem speculationem proveniamus, communicationis et unitæ discretionis divinæ nomina, secundum quod nobis possibile, replicantes. Et ut aperte de omnibus deinceps prædefiniamus, discretionem divinam dicimus, ut dictum est, pulchras Deitatis processiones. Donans enim omnibus quæ sunt et superinfundens omnium bonorum participationes, unite quidem discernitur, plurificatur vero singulariter, et multiplicatur ex uno irremeabiliter. Ut quoniam ὢν est Deus superessentialiter, donat autem esse his quæ sunt, et adducit totas essentias ; multiplicari dicitur unum illud ex se, adductione multorum existentium quidem ab eo nihil minus illo et uno, multiplicato et adunato juxta processionem, et pleno in discretione, omnibus essendo quæ sunt, superessentialiter remotum, et potenti totorum processione, et non minorata fusione in diminutorum * sui traditione. Sed et unum ὢν, et omni parti et toti, et uni et multitudini, ab uno tradens ; unum est eodem modo superessentialiter, neque pars ὢν multitudinis, neque ex partibus totum. Et sic neque unum est, neque unum habet ; longe autem his inest super unum, ab his quæ sunt unum, et multitudo impartibilis, sine plenitudine superplenitudo, omne unum et multitudinem adducens et perficiens et constituens. Iterum et ex deificatione secundum virtutem uniuscujusque deiformi deorum multorum factorum, videtur quidem esse et dicitur unius Dei discretio et multiplicatio. Est vero nihil minus principalis Deus, et superdeus superessentialiter unus, Deus impartibilis in partibilibus, unitus sibimetipsi et multis incommixtus et non multiplicatus. Et hoc supernaturaliter intelligens communis noster et magister et in * divinam illuminationem manuductor, multus in divinis, lumen mundi, hæc ait divinitus in sacris suis litteris : Nam etsi sunt qui dicantur dii, sive in cœlo sive in terra (siquidem sunt dii multi et domini multi) : sed nobis unus Deus Pater, ex quo omnia, et nos in ipsum ; et unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia, et nos per ipsum. Etenim in divinis unitates discretionum potentantur et anteprincipantur, et nihilo minus sunt unitiva etiam post unius irremeabilem et singularem discretionem. Has nos socias et unitas totius Deitatis discretiones, sive decoras processiones, ex manifestantibus eas in Eloquiis divinis nominibus laudare, secun-

* [illegible]

* et in super-
ædita.

I Cor. VIII, 5.

dum quod possibile est tentabimus, hoc (ut dictum est) præcognito, omnem beneficam Dei nominationem, in quacumque ponitur divinarum personarum, in tota eam recipere divina universitate inobservate.

ARTICULUS XI

ELUCIDATIO INITII HUJUS SECUNDI CAPITULI : QUOD NOMINA DIVINA DE QUIBUS IN HOC LIBRO AGENDUM EST, DE TOTA TRINITATE ÆQUALITER PRÆDICENTUR.

PRÆCEDENTI capitulo tractatum est de diversis ac variis Dei nominibus in communi et in generali : qualiter Deus queat a viatoribus cognosci et nominari, et qualiter non ; et quomodo diversa diversimode de ipso dicantur. Hic docetur quid de Deo enuntietur per hujusmodi nomina, vel quid commune tribus personis, vel quid distinctum seu proprium. Sicque capitulum istud intitulatur : *De unita et discreta Theologia, et quæ sit divina unitas et discretio*, hoc est, de his quæ dicuntur de Deo in quibus tres supergloriosissimæ personæ unum sunt et aliquid indistinctum, et item de his in quibus distincte. Et primo loquitur de nomine quod est, bonus, seu bonitas, de quo infra quarto capitulo diffusius ac specialius tractat.

Itaque ait jam : *Divinam totam substantiam** *quia est per se ipsam bonitas segregans et exprimens, ab Eloquiis laudatur* : id est, « bonitas laudatur ab Eloquiis », id est in Scripturis, « quia per se ipsam est segregans », id est distinguens, « et exprimens », id est significans, « substantiam divinam totam », id est divinam essentiam, et quamlibet increatam, æternam, divinam personam : ita quod bonus et bonitas convenit Deo absolute, et in divinis significare potest tam substantiam seu essentiam, quam personam, imo unamquamque personam, quemadmodum nomen hoc, Deus.

*substantiam

Et quid enim aliud discendum est (id A est, nihil huic veritati contrarium potest addisci) *ex sacra Theologia*, id est ex sancta Scriptura, *quum ait Divinitatem ipsam subintroductam dicere*, id est, dum Scriptura recitat « Divinitatem », id est Christum verum Deum, « subintroductam dicere » id est interrogatam respondere : *Quid me interrogas de bono ?* id est, cur interrogando me, vocas me bonum ? Sic etenim apud Lucam scriptum est : Interrogavit Jesum quidam princeps : Magister bone, quid faciendo vitam æternam pos- B sidebo ? Dixit autem ei Jesus : Quid me dicis bonum ? nemo bonus nisi solus Deus. Porro in Matthæo ita legitur : Quid me interrogas de bono ? Unus est bonus, Deus. Hic autem in textu habetur, *Nemo bonus nisi solus Deus*.

Luc. XVIII, 18, 19.

Matth. XIX, 17.

Hoc quidem et in aliis quæsitum, id est istud alibi quoque interrogatum seu discussum, vel in consimilibus sciscitatum, *nobis ostendit omnes semper divinas nominationes, non partim, sed in tota et perfectissima et integra et plena* C *Divinitate ab Eloquiis laudari*, id est, quod omnia nomina divina absoluta et essentialia, in Scripturis laudantur, et attribuuntur « non partim », id est non solum uni personæ in divinis, « sed in Divinitate tota et perfectissima et integra et plena », id est in Deo absolute accepto laudari et affirmari, ita quod sigillatim etiam cuilibet divinæ personæ conveniunt, et in ea ac de ea laudantur et affirmantur; *et omnes eas impartibiliter*,

absolute, incontracte, universaliter universaliter in tota perfecta et omnis Divinitate eloquia; hoc est, « omnes » nominationes has Dei « eloquia », id est laudari et confiteri, « impartibiliter », id est indivisibiliter, et « absolute, et incontracte », id est indistincte, ac « universaliter », id est communiter quoad singulas divinae naturae personas, « omni universalitati », id est toti communitati divinorum et increatorum suppositorum, « in toto », id est in tota Trinitate, « perfecta et omnia », id est totius, « Divinitate » ; quae Deitas est perfecta et tota et una ac indivisa in summa Trinitate, et in qualibet ejus persona. At vero theologi modo accuratius magisque proprie in divinis utuntur his terminis, partim, universalitas, universaliter, integre, etc., quam auctor hoc loco.

Etenim sicut in Theologicis characteribus, id est in libro de Divinis characteribus, *admonuimus*, id est hoc hortati sumus atque probavimus, *si non de tota Deitate dixerit qui hoc dicit*, id est, « si » « Christus » qui dixit », Nemo bonus nisi Deus, « non dixerit » hoc « de tota Divinitate » et de Deo incontracte et absolute accepto, ita ut de unaquaque etiam persona accipi possit, *blasphemat*, id est Scripturae contradicit et hæresim sapit, *et scindere injuste audet*, id est præsumptuose et infideliter « scindere », id est separare ac dividere, *superunitam unitatem*, id est simplicissimam Deitatem, quæ in tribus superreverendissimis personis est superunita, imo et unum et unitas : tamen et superunita, quoniam personæ uniuntur, communicant et identificantur, seu potius æternaliter unum sunt, et nunc cognoscuntur unum esse in ea ; quia ut ait Boetius, essentia in divinis conservat unitatem, relatio multiplicat personas. Talem igitur unitatem hujusmodi vult scindere, non quod ipse scindere queat, sed quoniam stolide dicit id ex quo illius scissio sequeretur ; ideo quantum in se est, scindit illam.

*Dicendum ergo** *quomodo in omni Divinitate hoc accipiendum*, id est, quomodo auctoritas illa verificetur de unaquaque divina persona, et item de Deo essentialiter dicto.

Etenim quum ex bono natum ait Verbum, hoc est, « Verbum ipsum natum ex bono », id est ex Deo Patre, « ait » apud Joannem : *Ego bonus sum*, id est, « ego sum » pastor « bonus ». *Et quidam Deo acceptabilium Prophetarum*, videlicet David, qui fuit acceptus Deo itemque hominibus, *laudat Spiritum bonum*, id est, Spiritum Sanctum nominat bonum, dicens ad Patrem in Psalmo : Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam.

Et iterum hoc, Ego sum qui sum, id est responsum illud divinum dictum Moysi in Exodo, « Ego sum qui sum », *si non secundum totam aiunt Divinitatem laudari*, id est, si non fatentur hoc dictum per modum laudis de qualibet æterna hypostasi, *juxta unam vero partem hoc describitur*, id est scriptum hoc esse de una dumtaxat persona ; *vim faciunt*, id est, violentiam inferunt Scripturæ eam extorte interpretando. *Quomodo audient hoc, quum dicit* in Apocalypsi ipse Joannes : *Qui est, et qui erat, et qui venturus est omnipotens ? et, Tu vero idem ipse es ?* quod habetur in psalmo centesimo primo, nec exponitur præcise de una persona, scilicet Patre ; *et, Spiritus veritatis est qui a Patre procedit ?* quod apud Joannem dicitur de Spiritu Sancto, cui ibidem adscribitur.

Et si non totam esse aiunt divinam vitam, id est, si isti erronei non concedunt totam Trinitatem esse vitam, sed vitam dici solum de una persona, *quomodo verum erit quod dixit divinum Verbum*, id est, qualiter est « Verbum verum » Domini, ex Patre æternaliter natum, ille qui dixit, *Sicut Pater suscitat mortuos et vivificat, sic et Filius quos vult, vivificat ? Et, quia Spiritus est vivificans ? Quomodo vero et dominationem habeat omnium Divinitas tota*, id est, qualiter unicuique

Joann. x, 11.
Ps. cxlii, 10.
Exod. iii, 14.
Apoc. i, 8.
Ps. ci, 28.
Joann. xv, 26.
Ibid. v, 21.
Ibid. vi, 64.

* quo

personæ conveniat omnium Dominum esse, *de quidem Deum gignente Divinitate**, *aut genita, nil dicendum est, ut æstimo*, id est, non oportet hoc loco probare quod Patri et Filio conveniat omnibus dominari, quum hoc in Scripturis sæpissime affirmetur. Hinc subditur : *quoties in Theologia in Patre et Filio divulgatur Dominus?* id est, « quoties » (utputa valde sæpe) « Dominus divulgatur », id est, palam insinuatur et prædicatur, « in Theologia », id est in Scriptura divina, « in Patre et Filio », id est de Patre æterno et Unigenito ejus? ut in Psalmo : Dixit Dominus Domino meo. *Sed et Spiritus Dominus est*, quum dicat Apostolus : Ubi Spiritus Domini, ibi libertas.

* Deitate — Ps. cix, 1. — II Cor. III, 17.

Et pulchrum autem et sapiens in tota Divinitate laudatur : id est, de qualibet divina persona enuntiatur pulchritudo et sapientia, seu « pulchrum et sapiens », quamvis Filio magis approprietur, quia secundum Hilarium, species est in imagine, id est pulchritudo in Filio : qui teste Apostolo, est virtus et sapientia Dei Patris. *Et lumen, et deificum, et causale* conveniunt Deo hoc modo. *Et omnia quæcumque totius Divinitatis sunt*, id est, quæ Deo absolute conveniunt, *in omnem reducunt Eloquia divinam hymnodiam*, id est, Scripturæ convertunt in communem divinarum personarum laudem et attributionem : *complexam quidem*, id est conjunctam, *ut quum dicunt, Omnia ex ipso* : quod verum est de Deo essentialiter sumpto, et de unaquaque persona divina ; *divisam vero, ut quum quidam ait*, scilicet Apostolus, *Omnia per ipsum et in ipso creata sunt, et omnia in ipso constituta sunt*. Alia littera habet : Ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt. Et hoc planius est, atque ad Romanos scriptum est. Porro quod hic dicitur, in epistolis pluribus Pauli inducitur, puta ad Ephesios, ad Colossenses, etc. Sunt autem omnia ex Deo, sicut ex causa efficiente, et per ipsum, sicut per causam exemplarem, et in ipso, tanquam in causa finali : quorum primum

I Cor. I, 24. — Ibid. XI, 12. — Rom. XI, 36. — Ephes. I, 23 ; IV, 6. — Coloss. I, 16, 17.

appropriatur Patri, secundum Filio, tertium Spiritui Sancto ; nihilo minus de qualibet persona possunt hæc tria exponi. *Et, Emitte Spiritum tuum, et creabuntur*. In quo psalmi versiculo notatur distinctio personarum.

Ps. CIII, 30.

Et ut breviter dicam, quod ipsum divinum ait Verbum, id est, quod Unigenitus ait in Evangelio secundum Joannem : *Ego et Pater unum sumus ; et, Omnia quæcumque Pater habet, mea sunt ; et, Omnia mea tua sunt, et tua mea sunt*. In quibus omnibus designatur distinctio personarum, et nihilo minus earumdem indivisio, unitas et identitas in absolutis et essentialibus, præsertim quantum ad Patrem et Filium. Idem vero de Spiritu Sancto subjungitur et probatur.

Joan. x, 30. — Ibid. xvi, 15. — Ibid. xvii.

Et iterum, quæcumque sunt Patris et ipsius, videlicet Filii, *Spiritui Sancto communiter et unitim reponunt* : id est, universa quæ Patri et Filio absolute conveniunt, et effectus eorum ad extra, Scripturæ « reponunt » ac tribuunt « Spiritui Sancto communiter », id est sicut Patri ac Filio, « et unitim », id est indivisim, quoniam superbenedictæ Trinitatis opera ad extra sunt indivisa, quum in tribus superfelicissimis personis sit una numero essentia et potestas. Propter quod Filius ait ad Patrem : Omnia mea tua sunt, et tua mea sunt. Quod et quælibet divina persona dicere potest ad alias ambas, quia in qualibet earum est una numero plenitudo Divinitatis, quæ omnem imperfectionem excludit : ideo omnia attributa divina sunt eadem numero in superdignissimis tribus personis. Quæ autem relative ibi dicuntur ad extra, etiam eadem sunt, quum non sit relatio illa realis in Deo. Hinc sequitur : *divinas operationes, honorem, fontem, et non deficientem causam, et distributionem optimarum donationum*, id est, omnes istos divinos effectus et relationes ad extra docet Scriptura esse communes tribus personis superaltissimis : idcirco sunt unus fons, unus creator, una indeficiens omnium causa, omniumque « opti-

naturæ donationum « naturæ et gratiæ ac gloriæ distribuitur; ideoque horum superius (videlicet laicos) cultus ipsis debetur.

Et nullum in divinis Eloquiis incommensurabilibus sermonibus contrarium, recurro ad hoc contradicens; id est, neminem in Scriptura peritum putamus contradicturum his verbis, quæ sunt manifeste consona Scripturis canonicis, ita quod hoc contradicere esset hæreticum. Propter quod omnimode, id est omnino ista, sunt incommutabilia, id est incommutabiles, quia invariabilem continent veritatem, sicut ait Salvator : Cœlum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt. *Quod dicimus omnia toti Divinitati adesse secundum dicendam perfectam rationem.* Matth. xxiv, 35.

His ergo a nobis breviter quidem in totalibus et partim; in aliis vero sufficienter ex Eloquiis et ostensis et definitis*, hoc est, prætactis jam « ostensis » et determinatis « breviter in talibus », id est in his qualibuscumque sermonibus, « et partim », id est pro parte, non totaliter, « in aliis » autem libris « sufficienter » et diffusius, *quodcumque replicare divinam nominationem universalem conabimur*, id est, quasi ab exordio quodam tentabimus hic tractare de divinis nominibus intelligibilibus omnibus, seu amplius consuetis, seu universaliter, *in tota ipsa Deitate accipiendam*, id est de nominibus absolute acceptis, quæ toti supersanctissimæ Trinitati et unicuique superbenedictæ personæ conveniunt. * quæ

ARTICULUS XII

QUOD SACRA SCRIPTURA QUÆDAM TRADAT COMMUNITER DE TRIBUS PERSONIS, QUÆDAM DISTINCTIM.

S*i autem quis dixerit confusionem nos in hac contra divinam discretionem introducere*, quia ex tali convenientia personarum in absolutis, posset videri quod non essent suppositaliter ab invicem distinctæ : quod esset inducere confusionem personarum contrariam divinæ discretioni, id est distinctioni personali in divinis; *talem rationem neque ipsi eam existimamus* esse sufficientem*, id est, non putamus talem objectionem sufficientem ad probandum propositum. * neque ipsos esse existimamus

Quomodo est verus? id est, qualiter vere fidelis est qui tam imperite contra ea quæ fidei sunt, objicit? *Siquidem enim est quis omnino Eloquiis resistens*, id est, Scripturis inniteus, et ex illis stans ac pendens, *longe iste universaliter erit et a nostra philosophia*, id est, multum dissonabit a vera intelligentia Scripturarum, prout nos accipimus et intelligimus eas. *Et si non ex Eloquiorum sibi divina sapientia curat*, id est, si non est sollicitus suæ salutis, ac veritatem addiscere « ex sapientia divina Eloquiorum », id est ex supernaturali doctrina Scripturarum, *quomodo etiam a nobis curabit in theologicam scientiam suæ manuductionis?* id est, qualiter curam habebit « suæ manuductionis » seu introductionis in verum intellectum theologicæ sapientiæ per nos?

Si autem in Eloquiorum veritatem respicit, id est, Scripturam veram recte considerat, *hac et nos regula et lumine utentes*, id est, hujusmodi considerationi nos etiam innitentes, ipsamque Scripturam pro « regula » nos dirigente ac luce docente habentes, *ad apologiam, quantum potentes sumus, recte gradiemur*, id est, ad disputationem hujus materiæ pro viribus

procedemus, *dicentes quomodo Theologia* A *quædam quidem unitim tradit*, id est, qualiter Scriptura docet aliqua de Deo « unitim », id est indistincte, *quædam vero discrete*, id est differenter : ita quod quædam spectant ad essentiæ unitatem, quædam ad personarum distinctionem, originem, emanationem, relationem ad intra.

Et neque unita separare, id est absoluta et communia seu indistincta, ab invicem dividere, attribuendo ea uni personæ, non alteri, *justum est*. Imo prorsus injustum hoc esset : justitia quippe unicuique tri- B buit quod debetur aut convenit ei. *Neque discreta confundere*, id est propria uni non attribuere alteri : quod esset « confundere », id est unum in alterum fundere, et distincta inordinate miscere, atque distinctionem ac ordinem violare. *Sed sequentes eam juxta virtutem*, id est, Scripturam toto posse « sequentes », *divinos splendores respicientes, et in divinas manifestationes adspicientes, sicut quamdam regulam formosissimam veritatis*, id est, splendidissima dogmata Scriptura- C rum diligentissime intuentes, et salubres earum declarationes pensantes ac imitantes tanquam « regulam » et mensuram « veritatis » pulcherrimam, cui nil erroris aut falsitatis admixtum est, quemadmodum dictis philosophorum et poetarum : frequenter enim unus passus Scripturæ declaratur per alium ; et verba veteris Testamenti, per evangelicæ legis Scripturam elucidantur. *Ubi posita custodire in semetipsis non multiplicata, et non minorata, et inconversibilia, festinemus* : hoc D est, ea quæ « posita » sunt in Scripturis, « festinemus » in se ipsis « custodire » et conservare « non multiplicata », id est sine additione, nil apponendo aut inferendo ad textum, « et non minorata », nil subtrahendo, « et inconversibilia », nihil mutando aut transponendo, prout de isto superius dictum est. Et Moyses in Deuteronomio jussit : Non addetis ad verbum quod loquor vobis, nec subtrahetis, etc. (Deut. IV, 2.)

In custodia Eloquiorum custoditi, id est cauti et circumspecti in conservatione Scripturæ ne corrumpatur. Quod utique sancti patres et veri Christiani ab exordio diligentissime impleverunt. Ideirco Saraceni et Teucri * stolidissime nobis imponunt quod textum Evangelii, addendo multa, corrupimus. *Et ab ipsis in custodientem ea custodiendum potentes*, id est, ex eloquiis Scripturarum validi ac « potentes in custodiendum custodientem ea », id est ad custodiendum, commendandum et justificandum illum qui ita fideliter custodit Scripturas et implet eas, juxta quod ait Salvator : Beati qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud. (Luc. XI, 28.)

(* Turcæ)

Consequenter Theologus tangit aliqua absoluta et communia seu essentialia in divinis.

Unita quidem totius Divinitatis sunt, id est communia cunctis divinis personis, *ut in Theologicis characteribus*, id est in libro de Divinis characteribus, *per plura ex Eloquiis ostendimus*, id est, per diversa testimonia Scripturarum probavimus. Quæ divina nomina sunt : *superbonum, superdeum, superessentiale, supervivens, supersapiens, et quæcumque supereminentis sunt ablationis*, id est, quæ Deo attribuuntur per omnium ablationem seu abnegationem ab eo, et tamen supereminentiam in Deo designant, ut ineffabilis, incomprehensibilis, incircumscriptibilis, et consimilia multa.

Cum quibus et causalia omnia, optimum, bonum, ὄν, viventium parens, sapiens, id est, cum illis nominibus supereminentis ablationis, computantur et ista « causalia », id est, quæ Deo per causam seu ratione causalitatis et productionis ad extra attribuuntur, ut « bonum », et « optimum », et principium causale « viventium », et quod sit omnium « parens » et pater per creationem. Veruntamen quomodo Deo conveniant ista per causam, et an solum per causam, infra tractabitur. *Et quæcumque ex optimis suis denominationibus omni bonorum causa denominantur*, id est, universa quæ nomina sortiuntur « ex

denominationibus sicut optimis », id est A a præstantioribus proprietatibus, a quibus Deo solent denominationes et nomina ipsa imponi ; et hoc, id est « omni causa bonorum », quæ proprie dicuntur causam habere : mala namque potius habent causam defectivam quam effectivam, ut infra quarto patebit capitulo. Hoc est, quod quæcumque dicunt perfectionem simpliciter, hoc est absolute, seu quod absolute simpliciterque loquendo, melius est ea nosse et habere quam carere, et quæ nec materiam nec imperfectionem includunt ; hæc con- B veniunt Deo simpliciter, cuilibetque personæ divinæ, quod et Anselmus testatur.

Deinde ponuntur quædam nomina respectiva et propria in divinis.

Discreta autem sunt, Patris supersubstantiale nomen et res, et Filii, et Spiritus Sancti, id est, « nomen Patris supersubstantiale » et ipsa paternitas, nomina quoque personalia « Filii » ac « Spiritus Sancti » et relationes eorum, « sunt discreta », id est propria certis personis, *nulla in his permutatione aut omnino communitate* C *introducta*, hoc est, secundum quod nomina ista in divinis sumuntur proprie, relative, sine determinatione seu adjectione per quas fiant communia : ut quum dicitur, Pater noster qui es in cœlis, potest hoc nomen, Pater, pro tota suscipi Trinitate, quæ est unus creator, et ratione creationis ac aliis causis unus omnium

[illegible] pater, juxta illud Isaiæ : Tu, Domine, pater noster, redemptor noster a sæculo nomen

[illegible] tuum. In Job quoque dicitur : Pater mi, ne desinas ab homine iniquitates qui addit D super peccata sua blasphemiam.

Est autem tantum ab his discretum quod secundum nos Jesu perfectissima et immutabilis subsistentia, et quæcumque secundum nos ipsi sunt humanitatis essentialia mysteria ; id est, a prædictis excipitur quod de persona Unigeniti Dei creditur, quoniam ratione incarnationis quædam dicuntur de Filio tantum. Itaque ait : « Est autem tantum ab his discretum », id est, a prædictis solum excipitur, et quod discretum est, id est distinctum, « ipsa subsistentia », id est persona, « Jesu secundum nos », id est secundum assumptam nostram naturam, ratione cujus aliqua sibi sunt propria, quod non fuit ab æterno : quæ subsistentia Jesu secundum propriam suam naturam « perfectissima et immutabilis » consistit ; « et quæcumque mysteria humanitatis essentialia », id est naturam utramque concernentia, quæ in Christo immediate conjuncta est in unitate personæ, et non mediate, secundum accidentalia, scilicet quoad inhabitationem per gratiam, ut dixerunt quidam hæretici. Vel ideo dicit « mysteria essentialia », quia in essentialibus humanitatis facta est incarnatio illa et unio humanitatis cum Verbo, quod simul in instanti assumpsit animam et carnem counitas : non quod conjunctio animæ Christi et corporis sui ad invicem, præcesserit tempore assumptionem utriusque a Verbo æterno ; imo eodem instanti creata est anima Christi, ejusque caro formata et organizata, et ambæ simul immediate conjunctæ sunt ad constitutionem veræ humanitatis, atque humanitas illa a Verbo assumpta.

ARTICULUS XIII

DE DIVERSIS MODIS SECUNDUM QUOS UNITIO ET DISTINCTIO POSSUNT ACCIPI IN DIVINIS.

OPORTET autem, ut arbitror, magis recipientes nos perfectissimum divinæ et unitatis et discretionis exponere modum : id est, necesse est « nos recipientes » fidem hanc summæ Trinitatis incarnationisque Verbi, « magis » et diffusius ac pro posse clarius « exponere modum perfectissimum unitatis divinæ », quantum ad absoluta et essentialia, secundum quæ tres personæ sunt unum et unus Deus, imo et Deitas una, et ipsa summe simplex una divina essentia, prout primo libro affirmat et probat Magister Sententiarum ; « et discretionis ». (I Sent. dist. 9. § Nunc ad)

Utrumque nobis bene conspiciens omni ingenita est ratio : hoc est, « ratio », id est intellectus, « bene conspiciens nobis », id est, ad nostram salutem recte considerans, « utrumque », videlicet et unitatem in essentia et distinctionem in personis esse in divinis, « ingenita est », id est innata, « omni » homini. Verumtamen ratio naturalis istud non conspicit lumine naturali dumtaxat, sed adjuta lumine fidei et informatione Scripturæ. *Varium quidem omne et non manifestum relinquens,* id est, ratio « relinquens omne » istud « varium », id est variis modis intelligibile, « et non manifestum » cognitione evidentiæ, quamvis certum sit certitudine adhærentiæ ; *discreto viro* et manifeste et bene ordinate propria secundum virtutem considerans,* id est, ratio in « viro » fideli « considerans manifeste et bene ordinate secundum virtutem », id est pro posse, « propria » personarum, quamvis ea comprehendere nequeat. Alia autem quandoque intelligi possunt tam de Deo absolute accepto, quam de eo personaliter sumpto, ut quum dicitur : Deus Pater universa creavit.

(* bene discrete vero)

A *Vocant enim, quod quidem et in aliis, dexteram nostræ theologicæ traditionis sacri doctores imitantes quidem, divinas superarcanæ et superincognitæ unitatis occultas et irremeabiles supercollocationes.* Id est : « Doctores sacri vocant » unitates « divinas », id est uniones personarum et convenientias earum in essentialibus et absolutis, « supercollocationes occultas et irremeabiles », id est excellentias ipsarum altissimas, secretas et incomprehensibiles, atque incommutabiles et inconfusibiles : quæ excellentiæ sunt communes B tribus superadorandis et supervivis personis, quæ per excellentias illas incomparabiles et immensas, superlocantur in infinitum omnibus rebus dignitate magis quam loco. Quæ unitates divinæ sunt « superarcanæ et superincognitæ », id est omnino ac infinite incomprehensibiles. Istud quoque et similia his faciunt sancti doctores « in aliis » passibus atque materiis, in quibus excellentiam Dei in variis attributis et perfectionibus ejus commendant, C « imitantes quidem », id est certe, « dexteram », id est directionem et ostensionem ac virtutem, « traditionis nostræ theologicæ », id est informationis sacræ Scripturæ.

Discretiones vero optimas Divinitatis, et processiones, et manifestationes, ut aiunt sacra Eloquia, sectantes, id est, theologi « sectantes discretiones optimas Divinitatis », id est divinarum personarum distinctiones, prout docent Scripturæ, et processus earum ad intra vel ad extra, « et manifestationes », id est apparitio- D nes, ostensiones ac operationes per quas manifestata est mentibus creatis personarum distinctio, *et dictæ unitatis propria,* id est, sectantes etiam « propria » Deitatis, quæ sunt indivisibilitas, immultipli-

nobilitas, et consummatio ejus; et iterum discretionem, non quamdam quantum ad unitatem et inconfusionem, et in veritate dicitur ejus supersubstantialitati: id est, sciendum quoque et considerandum quod in divinis sunt quædam « unitiva » seu convenientiæ in ipsa discretione seu distinctione supersubstantialium personarum: quia in una Deitate, cuncta absoluta conveniunt; atque « in » ipsa essentiali « unitate » et convenientia sunt quædam « discretiones », id est personales distinctiones; sic quod una sicut aliud, nec unum impediat aliud. Propter quod fertur in Symbolo: Per omnia et unitas in trinitate, et trinitas in unitate veneranda sit. Tribus ergo superincomparabilibus personis convenit una deitas et supersubstantialitas una.

Unum quidem est unius principalis Trinitatis et convenire supersubstantialis substantiæ, id est, in summa Trinitate « est » aliquid vere « unum » et convenit ei una « substantia supersubstantialis », id est unum esse et unum subsistere, quamvis sint tres subsistentes personæ; quia sicut in una essentia, ita in uno actuali esse consistunt. Suntque unus *superdeus et Deitas*, id est infinite eminentius Deus quam creatura capere possit. Simili modo sequentia competunt superbeatissimæ Trinitati, nec multiplicantur in ea: *superbonum, bonitas similiter*, per causam et excellentiam; *summitas summitatum omnium*, id est supremus vertex cunctorum; *totius proprietatis communicabilitas*, id est causa effectiva et conservativa inamissibilium proprietatum rerum, *superprincipalis* * *sanctus, ineffabile, multivocum*, id est ens inenarrabile, nihilo minus habens nomina multa, sicut expositum est, *ignorantia*, id est ens prorsus ignotum quantum ad quid est, *omne invisibile*, id est, omnis invisibilitatis rationem maxime in se comprehendens, *omnium pretium*, pro quo cetera universa sunt dimittenda, et cunctorum valorem in se continens per infinitum superexcessum; *positio omnium*, id est causa positionis et affirmationis omnium, *ablatio omnium*, id est causa omnis negationis et ablationis, quia unicuique præfixit et dedit quod convenit illi, *super omnem positionem et ablationem existens*: de quo nec affirmari quid potest neque negari, nisi altiori modo quam capere valeamus. * superprincipalis

Inter se invicem, si sic oportet dicere, principalium substantiarum mansio et collocatio, id est, omnia intra se claudens, continens et conservans, suosque muniens. Unde orat vir sanctus: Esto mihi in Deum protectorem et in locum munitum; item: Esto nobis, Domine, turris fortitudinis. Unicuique quoque creaturæ locum proprium deputavit. Etenim dans formam, dat consequentia formam, id est operationem, motum et locum. *Universaliter superunita*, imo una et simplex, non distincta nec diversificata secundum varietatem locatorum commorantiumque in ea, *et nulla parte confusum* *, utpote ens prorsus immobile, inviolabile, totius ordinationis ac ordinis causa.

Ps. LXX, 3.
Ps. LX, 4.
* confusa

ARTICULUS XIV

DE SUBTILI LUMINUM ALIQUOT UNO IN LOCO LUCENTIUM EXEMPLO, ET DE ALIA DISCRETIONE IN DIVINIS PERSONIS.

DENIQUE horum ponitur bene subtile exemplum, de cujus veritate posset inquisitio fieri, ut tangetur.

Sicut luminaria lampadum, ut sensibilibus et propriis utar exemplis, dum sunt in domo una, et tota in se invicem totis

sunt, et diligentem a se invicem proprie substantem habent discretionem, et unita discretione, et unitate discreta : hoc est, dum in eadem domo aut camera ponuntur luminaria plura accensa, unumquodque illorum diffundit lumen suum in medium, sic quod plura lumina couniuntur ibidem in aere, « et sunt tota in totis », et nihilo minus manent « discreta » et distincta ab invicem. Quod probatur : quia si unum luminarium efferatur, retrahit lumen suum dumtaxat.

Etenim videmus in domo multis unitarum lampadibus, ad unum aliquod lumen unita omnium lumina, hoc est, cernimus quod « in domo » plena « multis lampadibus unitarum », id est exsistentibus de numero lampadum unitarum, quod « ad lumen » lampadis ibidem primo lucentis, aggregantur « lumina » lampadum quæ ibi consequenter accenduntur, *et unam claritatem indiscretam relucentem* in medio, ex omnibus illis luminibus resultantem. *Et non etiam quis, ut arbitror, poterit alicujus lampadis lumen ab aliis ex omnium lumina continente aere discernere et videre* : id est, « ut arbitror », non erit possibile nec continget, quod « quis » possit « discernere et » distinctim « videre lumen alicujus lampadis ab aliis » luminibus lampadum reliquarum « ex aere continente lumina omnium » lampadum illarum : *si non altera parte alteram partem, totis in totis inconfuse contemperatis*, id est, « si » (pro quia) ex qualibet « parte » alia apparebunt lumina illa tam inconfusa et apte contemperata, et proportionate commixta seu counita, quod discerni ab invicem non valebunt.

Sed si etiam unam quis ardentium subduxerit domo, hoc est, « si quis » abstulerit ex « domo » illa « unam ardentium » lampadarum, *coibit et totum proprium lumen*, id est, « totum lumen » quod lampas illa ibi diffuderat, simul exibit cum illa, et ipsam sequetur, *nullum quiddam aliorum luminum in semetipsa complectens, aut suimet alteris relinquens*, id A est, lampas illa quæ tollitur et asportatur, nil de aliorum luminum claritate retrahet, includet, secumve auferet, nec aliquid luminis sui ibi relinquet. *Erat enim eorum, quæ quidem dixi, omnium ad omnia perfectissima unitas, incommixta universaliter, et nulla parte confusa* : id est, luminum horum in medio fuit « perfectissima unitas ad omnia » illuminanda, quantum ad hoc quod ab invicem discerni nequibant, et unam claritatem efficere atque eamdem illuminationem videbantur B causare in aere ; fuitque claritas illa undique contemperata et inconfusa. *Et hoc exsistente in corpore aere*, id est, hac re ita se habente « in aere » corporali, *et ex materiali igne pendente lumine*, id est in « lumine » isto sensibili quod « ex igne materiali » diffunditur.

Ubi vero superessentialem unitatem supercollocari dicimus : id est, multo amplius erit sic suo modo, et quantum ad propositum pertinet, in divinis et increatis supergloriosissimisque personis, in qui- C bus est unitas superessentialis, id est una numero essentia ac individua unio, quod scilicet ibi simul stant increatæ lucis unitas in essentia, distinctio quoque personalis habentium lucem illam in se plene omnino et imparticipate. *Non in corporalibus tantum unitatibus, sed ab his quæ sunt in animabus ipsis et ipsis intellectibus, quæ habent incommixtam et supermundane per tota deiformia et supercælestia lumina, juxta participationem corrationabilem, participantibus omnibus* D *superremota unitate*. Id est : Horum similitudinem adhuc clarius possumus considerare et assignare « ab his » et in his « quæ sunt in animabus » rationalibus et intellectualibus substantiis, scilicet angelis sanctis, « quæ habent » unitatem et unionem « incommixtam », id est immaterialem, puram et simplicem, « et supermundane », id est intellectualiter, supernaturaliter ac divine, « juxta participationem corrationabilem », id est secundum naturam participationis eis proportionatæ, quia al-

tioni, ampliori potiorique gradu, modo ad ordinem participant ea quæ Dei sunt, quam inferiora, « per lumina sua deiformia et superexcellentia », id est in omnibus donis gratiæ et gloriæ. Imo et in naturalibus atque gratuitis, quæ habent sine admixtione materiæ, per participationem et influxum a Deo : hinc subditur, « participantibus omnibus » his superioribus creaturis « unitate superexcelsa », id est summa et increata unitate, universis et singulis in infinitum sublimiori et eminentiori : cujus perfectionem in aliquo imitantur. Unde et omne creatum, est aliquo modo unum, sicut et ens, ac verum, et bonum : quia hæc convertibilia, transcendentia, et communissima sunt.

Est autem et discretio in superessentialibus theologiis, non quam dicebam solummodo, id est, præter præhabita « est discretio », id est personalis distinctio, « in superessentialibus theologiis », id est in supersubstantialibus divinis personis, de quibus tractat theologia, et « non solummodo » est ibi discretio « quam dicebam », *quia et harum unitatem* personarum, videlicet in essentialibus, ibi *incommixtim collocat et inconfusam*, id est, inviolabiliter ponit et inconfusibiliter tenet, *unamquamque principalium substantiarum*, id est qualibet divinarum personarum. Græci quippe concedunt in divinis esse tres substantias, sumendo substantiam pro persona.

Sed et quia quæ sunt superessentialis theogoniæ, id est divinæ et æternæ generationis et emanationis ad intra : quæ emanatio omnem creatam transcendit essentiam et emanationem ; *non reciprocantur ad se invicem*, id est, non convertuntur mutuo ita ut nomen et proprietas unius personæ conveniat alteri, quia distinctio per relationes originis ad intra, non admittit reciprocationem talem, imo potius est constitutiva personæ, et distinctiva ejus a qualibet alia. *Solus autem fons superessentialis deitatis Pater, quum non sit Filius Pater, neque Pater Filius*, id est, « solus Pater », Pater est, prout Pater in divinis relative et personaliter sumitur, ita quod ipse Pater non est Filius, nec econtra. Porro Pater in divinis dicitur « fons superessentialis deitatis » ac totius divinitatis, non quod deitas sit a Patre producta, profluens aut emanans, sed quoniam a nullo eam accepit, et insuper Filio atque Spiritui Sancto eam plene et æternaliter communicat, uni per naturalem generationem, alteri per æternam spirationem activam. Ideo ait quod « Pater quum non sit Filius », Pater est, « neque Filius Pater » est. *Custodientibus propria laudibus recte unicuique divinarum substantiarum* : id est, laudabilibus testimoniis Scripturarum « custodientibus », id est, docentibus et defendentibus, « recte », id est vere ac juste, « unicuique divinarum substantiarum », id est cuilibet trium superdignissimarum personarum, « propria », id est proprietates suas distinctivas et personalem distinctionem ab aliis.

Hoc quidem secundum ineffabilem unitatem et subsistentiam unitas et discretio, id est, unitas in natura et distinctio in persona agit hoc quod unicuique personæ propria reservantur, ut distinguantur ab invicem, et absoluta communia sint, ut substantialiter sint unum.

Præterea advertendum circa exemplum hic introductum de lumine, quod de lumine fuerunt diversæ opiniones, duæ autem principales. Una, quod sit substantia et corpus subtile : quod et Augustinus super Genesim et auctor hoc loco sensisse videntur, scriptura quoque Geneseos, dicente Deo, Fiat lux : ubi per lucem intelligitur lucida quædam substantia. Alia, quod sit accidens et qualitas quædam : quæ est opinio Aristotelis et suorum. De his quoniam dictum est plenius super Genesim ac secundo Sententiarum, pertranseo.

Gen. I, 3.

ARTICULUS XV

DE DISCRETIONE ET UNIONE DIVINA IN CREATURARUM PROCESSIONE BENEFICA.

S*I autem et divina discretio est*, id est, quum vere in divinis sit « discretio » seu distinctio personarum, *optima processio unitatis divinæ superunitæ*, id est, convenientissima est emanatio « unitatis », id est Dei unius supersimplicissimi in essentia et unitissimi in personis, quæ sic ab invicem distinguuntur, quod substantialiter unum sunt, nec una persona ab aliis separari potest duratione, operatione ad extra, aut subsistentia absoluta : unitatis, inquam, divinæ *semetipsam bonitatem et plurificantis et multiplicantis*, id est, ad sui imitationem et participationem plura creantis et producentis, sicque « semet bonitatem », id est se ipsam quæ est bonitas, plurificat : non quod plures fiant aut sint bonitates aut unitates divinæ et increatæ; sed quod una sit per essentiam, plures per participationem.

Unitæ quidem sunt secundum divinam discretionem immensurabiles traditiones, id est, distributiones donorum Dei nobis « immensurabiles », id est imperscrutabiles et indefinibiles, quarum nec multitudinem et magnitudinem earum plene comprehendere possumus, « sunt unitæ », id est ad unitatem quamdam ordinemque redactæ, et simplificatæ per reductionem earum ad unum : et hoc, « secundum divinam discretionem », id est distinctionem personarum. Nam quædam distributiones et operationes appropriantur Patri, quædam Filio, quædam Spiritui Sancto, quemadmodum asserit Leo Papa : Ut denotaretur distinctio in personis, divisit sibi opus nostræ reparationis misericordia Trinitatis, ut Pater propitiaretur, Filius propitiaret, Spiritus Sanctus igniret. Sic itaque, quamvis opera supersapientissimæ Trini- A tatis ad extra sint indivisa, attamen per quamdam appropriationem quædam quibusdam specialiter deputantur, et ita per ea perpenditur etiam quædam distinctio in personis. Sed quantum ad realitatem potentiæ producentis et ipsorum effectuum, reducuntur ad unum principium, et uniuntur ac unificantur in illo.

Sic demum unitæ sunt : *essentialitates vitales*, id est viventes essentiæ, quarum ordo et gradus est multiplex, tam quoad vitam naturæ, quam quoad vitam gratiæ B et gloriæ, *sapientificationes*, id est illuminationes, facientes eos qui se recipiunt, sapientes, *aliæque donationes omnium causæ bonitatis*, id est cetera dona et beneficia naturalia atque gratuita Dei, qui est causa « bonitatis omnium » : etenim nihil est naturaliter aut totaliter malum. *Juxta quas ex participiis et participantibus laudantur imparticipate participata* : id est, perfectiones Dei increatæ et imparticipatæ, id est aliunde nihil sortitæ, participatæ tamen a creaturis, quæ ab illis bonitatem C sortitæ sunt, hæ ergo perfectiones Dei et attributa divinæ naturæ, « laudantur ex participiis », id est particularibus suis effectibus et participationibus, « et » ex suppositis ac subjectis « participantibus » dona Dei, præsertim quum causa laudatur ex suis effectibus, quanto magis causa illa prima, fontalis, exemplaris, universalis et superexcellens, ex fonte propriæ sapientiæ ac infinitate propriæ omnipotentiæ universa producens? De quo loquitur Isaias : Cum quo iniit consilium, et instruxit eum? Is. xl, 14 D Unde et Proclus disseruit : Omnes participatæ essentiæ ad imparticipatas eriguntur et reducuntur.

Et hoc etiam commune et unitum et

unitas est toti Deitati, id est, perfectæ A et summæ Deitati et unicuique divinæ personæ « est » unitas « communis » et vere attributum « et unum » inter cetera quæ ei conveniunt. *nonnisi quoque totam ab unoquoque participantium participari*, id est, ejus bonitatem et esse ac conservationem et procedentiam aliquo modo sortiri et suscipi ab omni ente creato. Deitas quippe in se una ac simplicissima est, et dona ejus ad extra sunt indivisa : ideo qui eam participat, participat eam totam ; et qui unam participat personam, participat B quamlibet juxta hunc modum. *Et a nullo, iterum, nulla parte*, id est, Deitas nequaquam participat quidquam ab aliquo, quum sit in se ipsa perfectissima, im-

Ps. xv, 2. mutabilis, infinite ditissima, nullusque egens.

Sicut enim in medio circuli. Hic declarat per similia quædam ea quæ dixit. « Sicut enim in medio circuli », id est quemadmodum centrum seu punctus in medio circularis figuræ, *ab omnibus in circulo circumpositis rectis lineis*, supple, C participatur, a « lineis » universis quæ ex centro protrahuntur ad circumferentiam circuli recte ductæ. Quæ productio seu causatio est imaginaria : nam et indivisibile non movetur, et lineæ illæ sunt invicem circumpositæ infra concavum circuli.

Sequitur aliud simile. *Et sicut signo efformata multa participant principalis exempli signo*, id est, « multa » formata ex « signo », id est impressione sigilli, vel ad similitudinem alterius exemplaris, D « participant signo exempli principalis », id est, in ipso communicant exemplari juxta quod fiunt, formantur aut figurantur, *et in unoquoque efformatorum toto et eodem existente*, id est, exemplari illo uno « et eodem existente » in quolibet « efformatorum », id est eorum quæ ex ipso formata sunt, in quibus omnibus et singulis est non essentialiter, sed participative et per suum effectum, sicut forma sigilli est in sigillatis, *et in nullo secundum nullam partem*, id est, exemplar illud non est in aliquo formatorum ex ipso secundum aliquam partem suæ formæ dumtaxat, sed tota sua forma impressa est unicuique efformatorum illorum, ut patet de forma sigilli ad sigillata.

Superponitur autem his consalisaque Deitatis imparticipatio, id est, incommunicatio essentialis respectu creaturarum, quibus Deitas nequaquam essentialiter communicabilis aut participabilis est, sed exemplariter, « superponitur », id est, altior est « his » exemplis, nec per ista potest plenarie, imo nec proprie, designari, *quo non attactus ejus sit*, id est, quia nec aliquid eam veraciter tangit, quamvis ipsa sua incircumscriptibili simplicitate omnia penetret. Neque enim indivisibile proprie tangit aut tangitur, secundum probationes Philosophi. Punctus tamen imaginarie tangit et tangitur. *Neque alia quædam ad participata commixta societas*, id est, Deitas causalissima et maxime causativa, nullam habet societatem commixtionalem cum rebus creatis et participatis, quibus nullatenus commiscetur. Habet tamen cum intellectualibus creaturis, amantibus et colentibus eam, societatem et communionem spiritualem et amicitialem, ut sæpius patuit. Per quæ verba fidelissimus Theologus aufert hæreticis occasionem erroris, ne impie mentiantur dicendo quod Deitas sit omnium esse formale, aut anima mundi, seu omne quod est.

Et quidem dixerit quis, id est, si certe quis instet contra prædicta, dicens : *Non est signum in totis efformatis totum*, id est, forma seu exemplar « non est totum in » his quæ ex ipso formata sunt, *et ipsum non est illa*, *ac per hoc non signum causa*, id est, ex « hoc » sequitur quod « signum non » est « causa » rei formatæ ex eo. *Omnem enim se ipsam illa et eamdem et unicuique indit*, id est, causa hujusmodi exemplaris « indit », ingerit, imprimit « se ipsam omnem », id est totam, « et eamdem, et unicuique » suorum effectuum, quantum est ex parte ipsius,

ita quod differentia receptionis, est ex diversa dispositione recipientium. Unde subjungitur : *Ipsam quoque differentiam participantium dissimilitudo facit decolorata*, hoc est, « dissimilitudo », id est diversa dispositio, « participantium decolorata », id est inepta et distorta ad formam exemplaris suscipiendam, « facit differentiam ipsam » in formis impressis, *uno et toto et eodem principali exemplo*, id est, exemplari imprimente formam suam exsistente et manente eodem. Quod consequenter declarat.

Et si quidem mollia et formabilia, aut etiam plana et configurata, et neque contra exemplata et dura, neque diffusa et instabilia : id est, « si » subjecta recipientium formam singuli aut alterius exemplaris fuerint « mollia » mediocriter, ut cera aliqualiter calefacta, non sicut aqua, « et formabilia », id est bene receptiva formæ imprimendæ, « aut plana, neque contra exemplata », id est non habentia in se formam contrariam formæ imprimendæ, « et dura », duritia impediente formæ impressionem, « neque diffusa », id est nimis extensa, « et instabilia », id est non mansiva in eadem dispositione ; *puram habebunt et claram et consequentem formam*, id est, similitudo exemplaris quæ eis imprimetur, erit apta et lucida. *Si vero quid dictæ opportunitatis defecerit*, id est, si aliquid prætactæ aptitudinis ad formam suscipiendam desit subjectis, *hoc causa erit imparticipationis et obscuritatis*, id est, illa ineptitudo subjecti erit causa quod subjectum formam non participabit, vel non tam clare, *et aliorum quæcumque importunitati participationis fiunt*, id est « aliorum » impedimentorum sive defectuum quæ « fiunt » aut sunt adminiculantia vel cooperativa « importunitati », id est ineptitudini et defectuositati, « participationis ».

A Verum his objici potest, quod causa diversitatis et ordinis rerum, non est ex parte creaturarum, sed Dei, qui in sapientia sua instituit ordinem rerum, estque causa non solum formæ, sed et subjecti atque materiæ, et omnium quæ positive in creaturis consistunt. Et respondendum, quod duplex est operatio seu influentia Dei in creaturis : una primordialis et prima, qua res ipsas instituit et produxit ac condidit, sicque verum est quod tangit objectio ; alia, qua operatur in rebus jam
B conditis, ipsas regendo, administrando, conservando, perficiendo : sicque verum est quod habetur in textu, quoniam influit rebus juxta capacitates et dispositiones earum, rationalibus quoque creaturis secundum præparationem earum, quamvis interdum ex libertate omnipotentiæ suæ agat in eis contra præparationem et intentionem ac conatum ipsarum. Nunquam tamen aptantibus se et quod in ipsis est facientibus denegat gratiam suam. Ex quibus innotescit quomodo verum sit quod
C in libro de Causis fertur : Causa prima exsistit in rebus omnibus secundum unam dispositionem, sed res omnes non exsistunt in causa prima secundum unam dispositionem. Quod ibi consequenter in commentario subtiliter declaratur. Atque in idem redit quod in Elementatione theologica Proclus juxta suum loquendi modum disseruit : Omnibus dii adsunt eodem modo, sed non omnia adsunt diis modo eodem. Porro secundum aliam considerationem posset dici modo exposito, videlicet
D quod omnia sunt in Deo eodem modo, utputa potentialiter, et exemplariter seu idealiter tantum ; sed Deus non est eodem modo in rebus, quoniam in diversis diversa producit ac diversimode operatur : quod nihilo minus ex sua sapientia ac providentia primæve fontaliterque procedit.

ARTICULUS XVI

QUALIS SIT PERSONARUM DIVINARUM RATIONE INCARNATIONIS DOMINICÆ DISCRETIO SEU DISTINCTIO.

DEINDE tangitur alia discretio seu distinctio inter personas, ratione mysterii Incarnationis, quæ et jam ante inducta est.

Discernitur autem bene decora in nos divina operatione, secundum nos ex nobis universaliter et vere substantificari supersubstantiale Verbum. Id est : « Verbum supersubstantiale substantificari » id est incarnari et hominem fieri, sicque in substantia seu natura creata subsistere, « universaliter », id est totaliter quantum ad corpus et animam, « vere », non phantastice; « secundum nos », id est in statu passibili ac mortali, et juxta modum conversationis humanæ (secundum id Baruch : Post hæc in *terris* visus est, et cum hominibus conversatus est), et « ex nobis », id est ex gloriosissima Virgine immediate, et ex sanctis patribus mediate ; « discernitur bene », id est, vere cognoscitur soli Dei Filio convenire, « operatione divina decora », id est per supernaturalia opera ejus, et per ea quæ in Evangelio recitantur ac alibi scripta sunt. Baruch. III, 38.

Et operari Verbum, id est ipsum Verbum incarnatum exercere humana, *et pati quæcumque humanationis ejus*, id est, ea quæ in assumpta humanitate legitur passum, et quæ humanæ naturæ indetrahibiliter competunt. Quum enim per Incarnationis mysterium Deus factus sit homo in unitate personæ, est in Christo communicatio idiomatum, ita quod ea quæ Dei sunt, conveniunt homini illi, et quæ hominis sunt, Deo. In quibus semper pensandum quid propter quid dicatur. *Divinæ actiones sunt discretæ*, id est, ista sunt Filio propria, et distincta ab aliis « actione divina », id est operatione Verbi

A æterni in natura assumpta et per eam, *et summe miranda*, id est valde supernaturali, quod scilicet Deus in carne sic operari dignatus est, et quod eadem operatio vere attribuitur Deo et homini.

His enim Pater et Spiritus Sanctus nihil communicare Verbo, id est, in « his Pater et Spiritus Sanctus » non communicaverunt « Verbo » incarnato, nec ipsis ista conveniunt. Verumtamen ea quæ Verbum incarnatum egit omnino super naturam ac potestate divina, egit et Pater et B Spiritus Sanctus : quia in illis opera superaltissimæ Trinitatis sunt indivisa. Propter quod apud Joannem disseruit Filius : Sicut Pater suscitat mortuos et vivificat, sic et Filius quos vult vivificat. Joann. v, 21 Non utique alios et alios, sed eosdem Pater et Filius ; haud dubium quin et Spiritus Sanctus. Hinc rursus ibidem fatetur : Quæcumque fecerit Pater, hæc et Filius similiter facit. Ibid. 19 *Nisi ibi quis dixerit secundum optimam et humanam voluntatem, et secundum omnem supereminentem et* C *arcanam divinam operationem qua operatus est secundum nos factus, incommutabilis Deus et Dei Verbum :* hoc est, nisi aliquis dicat quod ea quæ « operatus est » Filius Dei exsistens « incommutabilis Deus, factus secundum nos », id est nostra natura indutus et homo vere factus, egit « secundum voluntatem humanam et optimam, et » item « secundum operationem divinam » secretam, « supereminentem » : ita, in quantum fecit ea tam sancte et optime, complacuit Patri et Spiritui Sancto D omne quod fecit Verbum incarnatum ; et denuo, in quantum operatio illa fuit tam eminens et supernaturalis, adscribitur Pa-

tri et Spiritui Sancto, præsertim ipsa activa incarnatio, quæ quamvis in solo Filio sit terminata, ita quod ei dumtaxat unita est hypostatice natura humana, tamen active fuit a tota superomnipotenti Trinitate, cujus operatio ad extra est indivisa et cuilibet personæ communis.

Sic et nos divina et intelligere ratione et discernere festinamus, id est, studemus ac properamus ita catholice « intelligere » sacram Scripturam et ea quæ fidei sunt,

A sapienter, videlicet « ratione » quod suum est faciente, una cum directione fidei ac informatione Scripturæ, « et discernere », id est discrete accipere ea, *quomodo ea divina et uniuntur, et discernuntur*, id est, qualiter tres supersublimes personæ « uniuntur », id est, unum sunt in absolutis et essentialibus, « et discernuntur », id est, distinctæ sunt in relativis et proprietatibus suis constitutivis, ac secum ferentibus sua supposita.

ARTICULUS XVII

QUOD DISCRETIONES DIVINÆ ET UNITIONES NON POSSINT SUFFICIENTER NOBIS MANIFESTARI PER PROCESSIONES CREATURARUM.

SED harum quidem et unitatum et discretionum quascumque in Eloquiis * divinas *divinis* * *causas invenimus, in Theologicis characteribus, propria de unoquoque percipientes, quantum possibile exposuimus*: id est, in libro de Divinis characteribus declaravimus « quantum » nobis « possibile » fuit, « causas », id est rationes, « unitatum », id est convenientiarum et communionum, ac etiam « discretionum », id est distinctionum harum in personis æternalibus ac divinis, « quascumque » unitates (seu potius uniones) et distinctiones « invenimus in divinis Eloquiis », id est in Scripturis, « percipientes propria de unoquoque », id est, considerantes de qualibet superelegantissima et supervenerandissima persona illa quæ ei sunt propria.

Ea quidem relegentes, id est, omnia illa iterum iterumque legentes, *et vera ratione replicantes*, id est, recta consideratione revolventes, *et sacrum et revelatum intellectum*, id est fidelem et inspiratam seu claram verborum illorum intelligentiam, *in manifesta Eloquiorum spectacula adducentes*, id est, in evidentem Scriptura-

B rum doctrinam contemplationemque fidei resolventes; *his vero et mysticis et secundum divinam traditionem super intellectualem operationem retrusi*, id est, nos repulsi a profundiori consideratione istorum, id est a « mysticis » et abditis fidei mysteriis exsistentibus « super operationem intellectualem », id est, excedentibus nostri intellectus capacitatem et cognitionem, « secundum traditionem divinam », id est juxta Scripturæ eruditionem.

Omnia enim divina et quæcumque no-
C *bis manifestantur*, id est supernaturalia documenta ac fidei testimonia, quæ nobis describuntur in pagina sacra, vel illuminatione interna reserantur, *solis participiis cognoscuntur*, id est imperfecte tantum ac partim, seu participationibus modicis. *Hæc autem qualia sunt? Quoniam secundum proprium principium et fundamentum, super intellectum sunt, et omnem essentiam et scientiam, ut superessentiale occultum, Deum, aut vitam, aut essentiam, aut lumen, aut rationem nominare,*
D *aut quid alterum*. Id est: « Qualia sunt » ista? quasi dicat, Incomprehensibilia nobis: « quoniam secundum proprium prin-

copiam et fundamentum », id est quia secundum fontalem et divinam originem qua una persona fluit ab alia, et prout relativa illa ac personalia fundamentum habent ac soliditatem æternam in divina essentia, transcendunt omnem mentem creatam, « et omnem cognitionem et scientiam » creaturæ, tanquam unum « occultum
Psalm. xvii superessentiale », quod posuit tenebras (id est suam ipsius incomprehensibilitatem et infinitam ac supersplendidissimam et inaccessibilem lucem) latibulum suum ; ita ut dicat « nominare Deum, aut vitam, aut essentiam, aut lumen, aut rationem, aut alterum quid ».

Nihil in his intelligimus quam in nos ex ipso productas virtutes deificas, etc., id est, ex illis consimilibusque nominibus non intelligimus Deum secundum quod in se ipso subsistit et est, nec divina prout in ipso Deo sunt, sed secundum processus et efficientias eorum in nobis, videlicet prout ex effectibus istis valemus superexcellentissimum et superincomparabilissimum Deum auctorem superinfinitumque fontem utcumque concipere, utpote prout superinfinita excellentia suæ essentiæ, potentiæ, suæ operationis, suæ fecunditatis, suæ emanationis et productionis ad intra, relucet in istis effectibus suis, in quibus relucet infinite minus gloriose ac splendide, quam in ipso auctore æterno, aut fonte immenso, in quo nihil univoce est cum creaturis.

Verum verba hæc textus et sequentia verba, non sunt sic intelligenda quasi per talia nomina intelligamus creatas essentias, et non potius ipsummet Creatorem modo prætacto : imo de nulla pura creatura aut creata essentia posset hæc littera seu divina Scriptura verificari, ut intelligentibus constat, quamvis verba Theologi tam hic quam alibi sæpius sonent ac si per nomina ista non Deus significaretur aut intelligeretur, sed effectus ipsius. Quod juxta nunc tacta intelligendum est ita, quod non ipse Deus secundum quod in se ipso est, sed prout in suis effectibus repræsentatur, refulget ac conspici potest, per nomina ista significatur, intelligitur atque exprimitur. — Et si objiciatur quod nomen Dei tetragrammaton designet divinam essentiam pure et nude, prout in se ipsa est ac subsistit : dicendum quod ex creaturis cognoscimus quod Deus in se pure et nude subsistit, infinite purius et absolutius ac eminentius quam capere valeamus, et hoc insinuamus per nomen hoc tetragrammaton ; non tamen in vita hac valemus eum ita in se ipso cognoscere. Et scimus quia sic est, non autem quid et quomodo ita sit. Denique de hoc confido diffusius loqui et scribere, in quantum datum fuerit, super librum de Mystica theologia, ubi materia hæc amplius locum habet : quæ tamen difficilis est ad resolvendum, præsertim propter auctoritates quæ prima facie videntur contrariæ.

Itaque ait : *Nihil in his intelligimus quam in nos ex ipso productas virtutes deificas*, id est nisi ipsum secundum quod in virtutibus istis productis, deificis et divinis, repræsentatur, relucet atque cognosci potest. Juxta quem sensum subjungitur : *aut substantificas*, id est formas seu vires sive essentias quibus formaliter subsistimus, sumus, firmamur, stabilimur ac agimus, *aut vitæ genitrices*, id est, quæ virtutes gignunt in nobis vitam naturæ aut gratiæ, secundum quod anima dicitur principium formale intrinsecum esse ac vitæ, *aut sapientiæ donatrices*, id est habitus sapientiales, ex quibus formaliter fluunt ac producuntur actus sapientiæ, contemplatio, formata notitia, sapor veritatis, ordinatio et tranquillitas mentis. Quæ enim desursum est sapientia, primum Jacob. III, 17.
quidem pudica est, quoniam erubescit se coram Deo indigne habere ; deinde pacifica, modesta, suasibilis, bonis consentiens, plena misericordia et fructibus bonis.

Ipsum vero juxta, omnium intellectualium operationum per fructum desideramus : id est, Deum summe ac finaliter quærimus, intendimus et optamus, « per

fructum », gustum, profectum omnium actionum nostrarum interiorum : « ipsum », inquam, qui « juxta » est, quia non longe est ab unoquoque nostrum, secundum Apostolum. De quo loquitur Isaias : Invocate eum dum prope est. *Nullam videntes deificationem, aut vitam, aut essentiam, quæ diligenter sit simul remotæ juxta omnem supereminentiam causæ :* id est, « nullam videntes deificationem », id est assimilationem cum Deo, seu imitationem divinæ perfectionis, « aut vitam, aut essentiam » creatam, « quæ diligenter » considerata « simul sit », id est propinqua per conformationem (unde alia translatio habet, Similis sit ; aliaque, Comparabilis sit), « causæ » primæ ab omnibus « remotæ », id est superexaltatæ ac transcendenti, « juxta omnem supereminentiam », id est per omnifariam ac infinitam excellentiam et supereminentiam qua eminet universis.

Act. XVII, 27. — Is. LV, 6.

ARTICULUS XVIII

SCIRE NON POSSUMUS QUID SIT PATERNITAS ET FILIATIO IN PROCESSIONIBUS DIVINARUM PERSONARUM.

ITERUM, *quia quidem est fontalis deitas Pater,* id est, quod « deitas fontalis est Pater », hoc est, quod Deus, qui deitatem a nullo accepit, est Pater in divinis ; *Filius autem et Spiritus,* id est « Filius et Spiritus » Sanctus, *genitricis Dei, si sic oportet dicere,* id est, si decet et oportet sic loqui, quia locutio ista metaphorica est atque impropria, sunt *frutices a Deo germinati,* id est germina quædam orta ex Patre, non tamen eodem modo productionis, *et veluti flores et superessentialia lumina,* sumendo hæc nomina personaliter, prout etiam in Symbolo legitur, Lumen de lumine. Alioqui tota superinclytissima Trinitas est unum lumen a nullo productum, sicut et una essentia. *Ex mirabilibus Eloquiis,* utputa ex incomprehensibilibus Scripturis, *accepimus.* — Præterea, ut primo Sententiarum probat Magister, deitati ac divinæ essentiæ in abstracto significatis non conveniunt actus hi personales, generare, spirare, imo nec generari, neque spirari. Idcirco propositiones istæ, Deitas gignens, Deitas genita, sunt exponendæ, restringendæ et resolvendæ, non extendendæ : exponendæ (inquam) sunt per concreta, dicendo, Deitas gignens, id est, Pater seu Deus gignens.

Quomodo autem hæc sunt, id est modus emanationis illius ad intra, *neque dicere neque intelligere possibile est.* Non quod impossibile sit verba designantia hæc proferre : imo dicimus quod sit emanatio intellectualis, immutabilis, æternalis, ad intra. Sed nec « dicere » nec capere possumus quid sit illa, nec qualis in rei natura, quum productum substantialiter idem sit producenti.

Sed usque ad hoc omnis nostræ intellectualis actionis virtus, id est, vis nostræ intellectivæ considerationis « usque ad hoc » intelligendum extendit se, *quia omnis divina paternitas et filiolitas,* id est quod omnis paternitas spiritualis et intellectualis, et omnis filiatio talis, *ex omnium remota paternitate principali et filiolitate principali derivata est,* id est, a prima et increata illa paternitate et filiatione æterna tanquam ex causa exemplari fontalique effluxit. Imo secundum Apostolum, a Patre Domini nostri Jesu Christi omnis paternitas, non solum di-

Ephes. III, 14, 15.

vina paternitas, sed absolute omnis paternitas, derivatur et nominatur. Donata est, dico, et nobis, hoc est quod sunt aliqui patres spirituales, divinā et virtute prælati, devotione ac Dei virtute, *et supermundialibus* *virtutibus*, id est angelis sanctis : non quod unus angelus produxerit et creaverit alium, sicut Avicenna et Algazel et auctor libri de Causis de intelligentiis confinxerunt ; sed prout subjungitur.

Ex quo fit, ut divini filii, et divini patres deiformes fiant, id est, « ex qua » paternitate etiam angeli gloriosi « dii » efficiuntur, et angeli superiores illuminantes, regentes et perficientes inferiores, fiunt « deiformes », id est Deo sublimiter similes, inferioribus præsidendo, influendo ac providendo, et dona divina eis desuper collata munificenter subjectis communicando. Hujusmodi namque causalitas, providentia, gubernatio sunt proprietates divinæ. *Et nominantur dii spiritualiter*, id est propter spirituales assimilationes cum Deo, *scilicet tali paternitate et filiatione perfecta*, id est paternitate et filiatione immateriali, pura et sancta : de qua Dominus dixit ad sanctum Job, Ubi eras quum me laudarent astra matutina, et jubilarent omnes filii Dei ? Juxta quem modum etiam in Timæo loquitur Plato : Intelligentes possessores patris filii.

Hoc est, incorporaliter, immaterialiter, intelligibiliter, participantes hi angeli sancti paternitatem et filiationem has immateriales divinas a supermundissimo Creatore, *divino principali Spiritu super omnem intelligibilem immaterialem*, tam angelicum quam humanum, *et deificationem*, id est participatam divinæ perfectionis imitationem, *supercollocato*. At vero, ut tertio de Anima comprobatur, intellectus est immaterialis, immixtus, inorganica vis, ac immortalis potentia, quum sit conversiva et reditiva super se ipsum, ut Proclus certissime probat. *Et Patre et Filio supra paternitate et filiatione divinis*, id est spirituali creata, *supereminenter excellentia*.

Neque vero est diligens similitudo causatis et causalibus, id est, inter causas et causata non est similitudo perfecta admodum et exacta, præter causas et effectus essentialiter subordinatos æquivocos¹. *Sed quidem habent causativa causalium receptas imagines*, id est, causæ præhabent in se exemplariter et potestative formas et perfectiones quas causata a causis suis recipiunt ; *ea vero causalia causativis eximuntur*, id est, causata a perfectione causarum excluduntur, *et supercollocantur causæ causatis, juxta proprii principii rationem*, id est tanto plus quanto eminentiori genere causæ est causa, hoc est juxta naturam et rationem suæ causalitatis, quia de causa materiali non oportet istud in omnibus verificari. Hinc communiter dicitur, quod causa est perfectior suo effectu, et quod effectus est quædam participata suæ causæ similitudo, quod item agens est honorabilius passo. Proclus quoque : Omne (inquit) causatum manet in sua causa, et procedit ab ea, et convertitur ad ipsam tanquam indigens ea.

Et ut secundum nos utar exemplis, id est, ut ista declarem per exempla nobis consueta et nota, *deliciæ et tristitiæ dicuntur effectivæ delectandi et contristandi*, id est, causativæ sunt quod dicimur delectari et contristari ; suntque causativæ delectationis et contristationis in genere causæ formalis informantis, non proprie in genere causæ efficientis ; alioqui idem esset effectiva causa sui ipsius. *Ipsæ vero deliciæ et tristitiæ neque delectantur, neque contristantur. Et ignis calidus et urens, non dicitur uri et calefieri.*

Et vivere si quis dicat per se ipsam vitam, et illuminari per se ipsum lumen, non recte dicit, secundum nostram rationem : hoc est, « si quis dicat ipsam » actualem « vitam » seu actionem vitalem « vivere, non » vere hoc « dicit » secundum nostram considerationem, proprie scilicet loquendo. Vivit quippe res vivens, cui inest vita ; vita autem non inest vitæ, de eadem vita præcise loquendo. Si autem

vita dicatur anima seu forma vitalis, dici poterit vivere. Similiter lumen proprie non illuminatur, quamvis dicatur incendi. *Nisi ubi juxta alterum hoc dicit modum*, id est, nisi quis dicat hoc secundum alium modum loquendi, ipsaque nomina aliter capiendo, quia interdum sumitur lux seu lumen pro lucis subjecto, dicente Apostolo : Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. Unde fertur quod causis et causatis non semper eadem competunt, nec perfecte semper assimilantur. *Quia abunde et essentialiter ante insunt hæc causativorum causalibus*. Hoc alia translatio aptius exprimit, habens sic : Affluenter et substantive quæ causalium sunt, causis præindita sunt, id est, ea quæ sunt causatorum, insunt plenius ac stabilius causis. Nil etenim potest alteri dare sive influere quod non habet.

ARTICULUS XIX

DE INCOMPREHENSIBILI ET SUPERADMIRABILI INCARNATIONE CHRISTI.

SED *et hoc totius theologiæ manifestissimum*, id est, hoc quod inter theologica dicta in Scripturis contenta valde est manifestum, scilicet *secundum nos Jesu divina formatio*, id est supernaturalis formatio corporis Christi, seu divina incarnatio ejus, *et arcana est rationi omni*, id est omni rationi naturali abscondita, ita quod non comprehenditur plene, *et incognita intellectui omni*, id est non plenarie nota nec comprehensa, *et ipsi præstanti honorabilissimorum angelorum*, id est supremo spirituum supernorum : qualiter scilicet Verbum æternum invariabile et immensum, et natura creata imbecillis corporea, in unam personam convenerint ; et natura humana suppositata sit in esse increato hypostatico, et tamen habuerit propriæ speciei actiones et passiones. Multa demum incomprehensibilia includuntur in incarnatione Verbi æterni.

Et quidem viriliter eum substantificatum fuisse, mystice accepimus, id est, divina et apostolica prædicatione didicimus Verbum æternum fuisse et esse humanatum in virili sexu. *Ignoramus vero*, id est, perfecte non scimus nec capimus, *quomodo ex virginalibus sanguinibus*, id est ex purissimis sanguinibus electissimæ et incomparabilis Virginis, *altera ultra naturam lege formatus est*, id est, lege supernaturali et singularissimo modo factus sit homo, non secundum cursum ordinemque naturæ, non concurrente commixtione virili ; *et quomodo siccis pedibus corporalem molem habentibus et materiæ gravitatem, superambulavit humidam et instabilem essentiam*, utputa fluidam aquam. Verumtamen constat eum hoc fecisse virtute divina, et secundum quosdam assumpsit pro tunc dotem agilitatis, aut quid simile illi. Corpus quoque Christi fuit perfecte voluntati atque imperio animæ suæ subjectum, potuitque actum gravitatis a naturali gravitate corporis sui suspendere pro tunc, et item humorem aquæ ab humectatione pedum Christi retrahere, quemadmodum quosdam servavit illæsos in igne. Et quid tam mirandum de Christo, quum et felicissimam Mariam Ægyptiacam, S. Maurum, multosque alios Sanctos legamus super aquas transisse ? Denique isto multa mirabiliora fecit Christus in Cœna et passione. Verumtamen in Evangelio non habetur expresse, quod Jesus ambulavit super aquas siccis pedibus, sed quod ambulavit super mare. Attamen quia Theologus hic dicit hoc, creden-

Matth. xiv, 25. Marc. vi, 48. Joann. vi, 19.

dum est. Estque hoc etiam speciale miraculum.

Et alia quæcumque supernaturalia sunt Jesu physiologiæ, id est, cetera opera Christi miraculosa et supernaturalia ejus mysteria naturamque rerum nequimus intelligere plene aut enarrare. Denique Jesus secundum quod Deus, est penitus supernaturalis, tanquam institutor et auctor naturæ. Sed secundum assumptam naturam, ut Verbo unitam, est etiam supernaturalis : quia multa in ipso super naturam fuerunt, nam corporis sui instantanea formatio ex sanguinibus virginalibus, quam et unio suæ humanitatis cum Verbo.

Hæc autem a nobis in aliis sufficienter dicta sunt, id est in aliis libris, *et a glorioso duce secundum theologica sua elementa commendata*, id est a B. Hierotheo magistro et duce meo, in theologicis suis libris difficilibus et profundis, *laudantur valde supernaturaliter*, id est, per modum laudis divinæ exprimuntur mirabiliter valde.

Quæ quidem ille sive a sacris theologis accepit, id est, aut B. Hierotheus hæc didicit a sanctis Apostolis seu apostolicis viris; *sive ex disciplinata Eloquiorum investigatione consideravit*, id est propria inquisitione et ex consideratione ex Scripturis limata, circumspecta et sobria, ita quod non præsumpsit Scripturas proprio sensu discutere, sed fundatus in fide, cum invocatione Spiritus Sancti perstuduit, a fundamento ac regulis fidei nequaquam recedens, *ex multa circa hæc exercitatione et peritia*, id est ex assidua occupatione circa intelligentiam Scripturarum « et peritia circa » easdem, quia studendo profecit in eis quotidie; *sive etiam ex quadam eruditus est diviniore inspiratione*, id est ex supernaturali illuminatione Spiritus Sancti, juxta illud ad Timotheum : Dabit tibi Dominus in omnibus intellectum. In libro Job quoque dicitur : Spiritus est in homine, et inspiratio Omnipotentis dat intelligentiam. Hoc in prima sua Canonica sanctus testatur Joannes : Unctio ejus docet vos de omnibus. Et Jacobus ait : Si quis vestrum indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter, postulet autem in fide nihil hæsitans.

II Tim. II, 7. — Job XXXII, 8. — I Joan. II, 27. — Jacob. I, 5.

Non solum discens, id est, non solum informationem nudam et informem accipiens, *sed et affectus divina*, id est circa divina serenatus, et eadem dulciter gustans, et ita in hac inspiratione et informatione magis se habens passive quam active. Unde alia habet translatio : Patiendo divina assecutus est. *Et ex ipsa ad hæc compassione*, id est ex superioris affectivæ inflammatione ac alteratione salubri circa divina, *si sic oportet dicere*, id est, quia expedit ita loqui ad ædificationem legentium et audientium ista, *ad indocibilem eorum et mysticam perfectus unitatem et fidem* : id est, ipse illuminatissimus Hierotheus ex hujuscemodi affectione et felici alteratione circa divina, « perfectus », id est consummatus effectus, « ad unitatem », id est unionem amorosam flammigeram, « et fidem », id est credulitatem plenissimam, quæ est cum rationibus credendorum et sapientiali intelligentia mentis purificatæ, « eorum », id est divinorum, « indocibilem », quoniam per humanam instructionem nequit perfecte addisci, et quia de incomprehensibilibus veritatibus tractat, « et mysticam », id est valde secretam, ita quod fidei huic conjungitur contemplatio mystica, quæ est secretissima mentis cum Deo locutio, ac serenissima quædam inspectio incomprehensibilis Deitatis et eorum quæ fidei sunt, atque connexionis et consonantiæ ac rationabilitatis eorum : quæ clare apparet, dum universa quæ fidei sunt et cunctæ rationes credendi comportantur et attenduntur. Denique ex hac contemplatione mens pura ac fervida pertingit ad raptum, et absorbetur in Deum, et in divitias ejus demergitur; sicque in lucis abyssum introtracta, ineffabiliter Creatori conjungitur, ac ea quæ fidei sunt, lucidissime ac supercertissime contemplatur, et vere, sicut hic tangit Theologus, docetur et discit di-

vina « ex coaffectione » et suavissima passione ad ea, beneque judicat de Deo et divinis, non tantum recto dictamine rationis et intelligentia limpida veritatis, sed item per conformitatem et connaturalitatem affectus ad ea : quod est actus doni sapientiæ, etiam secundum gradum ejus perfectum in via.

Et ut multa et beata spectacula potentis illius intelligentiæ in minimis addamus : hoc est, « ut » verbi gratia « addamus » jam præhabitis « in minimis », id est paucissimis verbis, « spectacula », id est contemplabilia objecta, divina ac splendidissima verba, « intelligentiæ illius potentis », id est magnifici ingenii Hierothei, quæ ipse contemplatus est et descripsit ; *hæc* quæ sequuntur *de Jesu ait in collectis ab eo,* id est a se, *theologicis obscuris commentis,* id est in theologicalibus libris quos compilavit, qui ob suam difficultatem obscuri sunt. — Insuper circa jam tacta videtur quod Hierotheus habuit scientiam divinorum omnibus modis prætactis, vel quædam uno modo, alia alio, seu aliqua potius uno modo quam alio.

ARTICULUS XX

SANCTISSIMI HIEROTHEI VERBORUM DE LAUDE JESU CHRISTI EX THEOLOGICIS EJUS COMMENTARIIS, ELUCIDATIO.

Nonnulli hic incho-ant caput tertium.

PONUNTUR hic verba B. Hierothei. Intitulatur autem capitulum istud : Sanctissimi Hierothei ex theologicis commentariis *.

* commentis

Omnium causa et repletiva Jesu deitas, id est, « causa » universorum, « et » (pro id est) « deitas Jesu », cui cum Patre et Spiritu Sancto est una deitas. Specialiter autem exprimit Jesum, ut in primitiva Ecclesia nomen Jesu in ampliori haberetur honore. Propter quod etiam Apostoli ad tempus baptizabant in nomine Christi. Cujus deitas est « omnium repletiva », utputa infinita et rerum essentiis illabens, infra terminos dimensionum, imo et infra terminos essentiarum consistens, atque proximior rebus quam ipsæmet sibi, aut substantiales partes earum. Idcirco per

Jer. xxiii, 24

Jeremiam disseruit : Nonne cœlum et terram ego impleo ? Ad quod insinuandum, per

Is. xl, 12.

Isaiam dicitur : Quis mensus est pugillo aquas, et cœlos palmo ponderavit ? etc.

Partes universitati consonas salvans, id est, totum mundum ex partibus et speciebus comproportionatis et mutuo sibi convenientibus atque coordinatis, constituens et conservans, ita quod ordo est intimus rebus, et coordinatio entium quasi harmonia quædam censetur. Unde ad Hebræos scriptum est : Verbo Dei credimus aptata esse sæcula, ut ex invisibilibus visibilia fierent.

Hebr. xi, 3.

Et in libro Sapientiæ dicitur Deo : Omnia in mensura et numero et pondere disposuisti.

Sap. xi, 21.

Et neque pars neque totum est. Certum quod Deitas non sit pars universi, sed cunctis excellentior infinite, nullo genere rerum, nullo ordine entium comprehensiva, sed separatissimum, supersimplicissimum et incircumscriptibile esse. Pars quoque habet rationem imperfecti ; Deus vero est ens absolute perfectum. Nihilo minus per similitudinem quamdam pars appellatur, in quantum est bonum illud supremum quod et ex omnibus et præ omnibus eligunt sibi electi, et quod illis deputavit se ipsum, sicut per Moysen ait de Levitis frequenter : Ego hereditas et pars eorum ; et Psalmista : Dominus pars

Num. xviii, 20; [illegible] Ps. xv, 5.

bonitatis meæ et calicis mei. Unde in Threnis perhibetur: Pars mea Dominus, dixit anima mea; propterea exspectabo eum. Hoc non ipse est totum: quia totum dependet ex partibus et indiget illis; porro Deus seu Deitas ex nullo dependet, nulloque indiget. Insuper ipse est prima et simplicissima unitas. Hinc in Elementatione theologica loquitur Proclus: Omne totum, alterum est a per se et uno. Et auctor libri de Causis: Causa prima est super omne nomen quod nominatur: quoniam non pertinet ei diminutio, nec complementum tantum: quoniam ipsa est super omne complementum.

Thren. III, 24.

Et totum et pars, id est secundum aliam considerationem Deitas dicitur « totum et pars »: totum, quoniam omnia continet, et quia perfecta. Totum namque et perfectum uno modo coincidunt. Pars vero vocatur modo præfato, et quia inchoat et substantiat eam. Sed modus loquendi insolitus videtur. *Et totum et partem et totum in seipsa continens et supereminens et præhabens.* Omnia quippe includit in se, et causaliter omnia est: essentialiter vero nihil est rerum, imo sine comparatione supereminet universis.

Perfecta quidem est in imperfectis, perfecte et sufficienter, quantum in ipsa est, providens ac influens illis, *ut perfectio principalis*, id est tamquam prima et summa perfectio a nullo participata, in qua realiter idem sunt perfectum et perfectio, quum sit ens substantialiter omniformiterque perfectum. *Imperfecta vero in perfectis, tamquam superperfecta et anteperfecta*, id est infinite perfectior etiam ab æterno, quam concipi queat aut exprimi.

Forma formificans, id est, forma non informans, sed omnia formans, exemplariter causans, sapientissime agens. Idcirco nuncupatur « forma formificans », id est formas efficiens, quemadmodum ait Plato: Operi formam dat opifex suus; atque Boetius:

Boetius de Cons. III, metr. 9.

— Tu cuncta superno
Ducis ab exemplo.

In informibus, quæ nondum ad formam completam redacta sunt; *tanquam forma principalis*, illa ad formam eis debitam deducendo per se aut per causas secundas.

Informis in ipsis formis. Quum enim sit in se ipsa omnino perfecta et simplex, nullo modo competit ei in se ipsa formari, perfici aut decorari ab aliquo; ideo dici potest forma « informis », id est non formata: non tamen quasi ab ullo formabilis. *Tanquam superformis essentia omnis essentiæ*, id est velut « essentia » super omnem formam speciemque decora, et causa « omnis essentiæ » citra se, *incontaminatas supergrediens*, id est, mentes puras et sanctas in immensum transcendens in omni puritate et sanctitate, *et superessentialiter omni essentia remota*, ac super omne genus et ordinem illimitate ab « omni » creata « essentia » separatus*, et per excessum perfectionis incomparabiliter distans.

* separata

Tota principia et ordines destinans, id est, in præordinatione sapientiæ suæ universa rerum « principia » causalia, substantialia, integralia, intrinseca, instituens, determinans et præfigens, quando et quibus et qualiter et ubi sint tribuenda; *et omni principio et ordini supercollocata*, id est omnibus illis sublimior interminate. *Et mensura est eorum quæ sunt*, id est metrum et regula universorum sequentium, quomodo in omni genere primum dicitur mensura secundorum, quoniam per accessum et recessum ad ipsum et ab ipso, attenditur et cognoscitur ipsorum perfectio et imperfectio. Sic *et mensura sæculorum; et super sæcula, et ante sæcula*: nam ejus æternitas causat, determinat, finit, certificat sæcula cuncta.

Plena in indigentibus: quia ex indigentia, paupertate, angustia, coarctatione creaturarum, ejus plenitudo, opulentia, immensitas et libertas nullum penitus sustinet detrimentum; *superplena in multitudinibus*, quæ ejus plenitudinem exhaurire nullatenus queunt: imo quo plura sunt, eo plenitudinem opulentiæ suæ in ipsis evidentius manifestat, gloriosiusque

declarat quum vult; comparatione quoque A illorum clarius emicat, et evidentius innotescit. *Arcana, ineffabilis; super animum, super vitam, super essentiam.* Ista jam sæpe exposita sunt, et prolixitas est vitanda, fastidiumque ex nimia eorum reiteratione, quamvis hi sancti et fervidissimi patres Hierotheus ac Dionysius, ex superabundanti affectu et admiratione sint taliter locuti.

Supernaturaliter habet et supernaturale. Quid hoc mirum, quod universitatis creator et omnium institutor naturarum, B supernaturaliter habet supernaturale? Etenim quidquid in se est et habet, est quid increatum et infinitum, incomparabiliter majus ac dignius omni ente creato. Et hoc « habet supernaturaliter », id est super omnem modum ordinemque naturæ creatæ, quia independenter, æternaliter, infinite, simplicissime, sic quod in ipso penitus idem sunt : habens, et id quod habet, ac ipsa habitio; agens, vis agendi, et actio : quod in nulla ita est creatura. Sic quoque intelligendum quod sequitur : C *superessentialiter superessentiale.* Deitas quippe et omne attributum ipsius, est quid « superessentiale », et omne hoc « superessentialiter » est in Deo, et superessentialiter habetur et possidetur ab eo, estque ipsemet illa possessio. Juxta quem modum, teste Boetio, æternitas est interminabilis vitæ tota simul perfecta possessio.

Unde quoniam quidem et usque naturam pro humanitate venit, id est, pro salvatione generis humani descendit per incarnationis mysterium usque ad naturæ D humanæ assumptionem, *et vere essentiata est*, id est humanitati unita, *et vir superdeus creatus est*, id est, verus Deus, qui est « superdeus », id est incomprehensibiliter excellentius Deus quam intelligere possumus, « creatus est vir », id est, naturam humanam assumpsit in sexu virili. Iste modus loquendi, modo resolutus est ad terminos aptiores. Porro Sancti intenti excellentiæ rei, magis adspexerunt ad rem, quam ad proprietatem sermonis : quod posteriores theologi propter importunitates instantiarum hæreticarum vitarunt. Itaque quod hic dicitur Deitas descendisse, et « essentiata » seu incarnata, exponendum est per concreta, ut sit sensus quod Deus seu Unigenitus Dei, venit et incarnatus est. Nec proprie dicitur quod Deus creatus sit homo aut vir, nec concedendum simpliciter quod Christus sit creatura, ne videamur Arianis favere. Sed in his consimilibusque sermonibus addenda est determinatio aliqua, dicendo quod Christus secundum quod homo, est creatus seu creatura, et sic Deus creatus est vir.

Propitiatio autem sit a nobis super animum et super rationem laudanda : id est, ipsa Dei infinita benignitas et tanta miseratio ejus super nos, ita « a nobis laudanda » est, quod ipsa excedit omnem « animum », id est mentem, « et rationem » : tum quoniam in se est immensa et incomprehensibilis; tum quia in suo effectu omnem capacitatem nostræ considerationis excedit.

Etsi his habentur supernaturale et superessentiale, id est, quamvis ex his pateat, quantum ad quia est, quod Deus sit supernaturalis et superessentialis, *non solum ipsa immutabiliter nobis et inconfuse communicavit* : id est, Deus naturam assumendo nostram et inter homines conversando, « communicavit nobis » sine suæ deitatis mutatione et confusione, *nihil perpessa*, quia deitas semper impassibilis mansit; *insuper plenitudinem suam ab ineffabili novitate*, id est, immensitatem perfectionis ac opulentiæ suæ « ab ineffabili novitate », id est ab exordio incarnationis suæ, supple, communicavit nobis ad cognoscendum per mysteria Verbi et per beneficia gratiæ præ solito copiosa.

Sed quia et hoc omnium novorum maximum novum, in naturalibus nostris supernaturalis erat : hoc est, istud fuit inter omnia nova et ante invisa nec prius peracta « maximum », excellentissimum et incomprehensibilissimum « novum »,

quod infinite Deus existens « in nostris naturalibus », id est corpore humano, mortali, passibili, et anima rationali, naturalibus passionibus seu potius propassionibus qualificata ac subdita, et ceteris indetrahibilibus defectibus, « erat supernaturalis », id est, in se ipso manens in proprietatibus et attributis divinis immutatus, et supernaturalia multa per Christi humanitatem exercens, quæ ad Verbum æternum se habuit tanquam instrumentum animatum conjunctum ac proprium, quemadmodum corpus nostrum comparatur ad propriam animam. De quo maxime mirè Jeremias prædixit : Novum faciet Dominus super terram, mulier circumdabit virum. Jer. XXXI, 22.

In quibus juxta essentiam supersubstantialis, id est, « in quibus » naturalibus nostris Filius Dei secundum « essentiam » suæ deitatis « supersubstantialis » consistens, omnia nostra ex nobis propter nos superavit ; id est, cunctas adversitates, tentationes, afflictiones, quæ nobis juste contingunt, et quæ « ex nobis », id est ex hominibus, Christo illatæ sunt (juxta

A illud Isaiæ : Nos reputavimus eum quasi leprosum et percussum a Deo), « superans », id est, per patientiam vincens (secundum illud Jeremiæ : Ego quasi agnus mansuetus qui portatur ad victimam ; et Isaias : Quasi ovis, inquit, ad occisionem ductus est, et quasi agnus coram tondente se obmutuit), « propter nos », id est ob nostram salutem, sicut in Evangelio dixit : Animam meam pono pro ovibus meis ; itemque : Venit hominis Filius quærere et salvum facere quod perierat. Is. LIII, 4. Jer. XI, 19. Is. LIII, 7. Joan. X, 15. Luc. XIX, 10.

B Sensum hujus difficilis intricatique loci alia translatio recentior et clarior, imo et aliarum frequenter quasi expositoria, evidentius sic expressit : In his quoque illius excellens et supersubstantiale eminet, non modo qua parte immutabiliter nobis atque inconfuse communicavit, nihil in exuberanti sua plenitudine ex ineffabili exinanitione perpessus ; verum, quod est novitatum omnium supereminens novitas, in naturalibus nostris super naturam erat, in his quæ sunt nostræ substantiæ, super-C substantialis, nostra omnia ex nobis et supra nos excellenter habens. Ambrosius Camaldul.

ARTICULUS XXI

QUATENUS DEUS MULTA CREANDO MULTIPLICARI DICATUR.

HOC *quidem sufficienter. In rationis autem speculationem præveniamus*, id est, redeamus nunc « in speculationem » ac considerationem « rationis » inceptam. Unde alia habet translatio : Jam unde cœpit, recurrat oratio, id est, sermo. *Communia et unita discretionis divinæ sermonis, secundum quod nobis possibile, replicantes* : id est, revolventes et denuo perpendentes quantum « nobis » est « possibile, nomina communia », id est absoluta, cunctis personis ac Deitati indifferenter convenientia, nomina quoque « uni-

D ta », id est personis competentia quoad ea in quibus uniuntur et unum sunt.

Et ut aperte de omnibus deinceps prædeponamus, id est, ut consequenter de singulis his determinemus, *discretionem divinam dicimus, ut dictum est, pulchras Deitatis processiones*, hoc est principia emanationum Dei ad extra, secundum quas dicitur Deus quodammodo multiplicari, et a rebus discretus, id est distinctus, decernitur. Illa quoque principia quamvis realiter idem sint, ratione tamen distincta censentur. De distinctione autem per-

sonarum penes emanationes ad intra et A
relativas proprietates, dictum est paulo ante. At vero processiones Dei ad extra intelligi possunt vel ipsæ bonitates creatæ, seu dona et beneficia a Deo procedentia, quæ non sunt idem in re cum discretione quæ est in Deo ; vel ipsæ collationes seu distributiones activæ et effluxivæ donorum illorum, quæ emanationes penes terminos suos atque effectus secundum rationem tantum possunt distingui. Et juxta hæc intelligenda sunt, quæ hic et alibi scripta sunt aliqualiter B
intricate.

Donans enim omnibus quæ sunt et supereminens omnium bonorum participationes, id est, Deus tribuens universis « quæ sunt participationes bonorum omnium, et supereminens » omnibus illis, *unite quidem discernitur*, id est, cognoscitur esse unus et indivisus in se, *plurificatur vero singulariter*, id est, sic in suis plurificatur effectibus, quod tamen in se vere et essentialiter permanet unus et indivisus, et de se et ex se maxime C
hic, hoc est individuus et singularis, secundum quosdam : imo secundum Henricum, Deus in se est singularitas quædam. Aliis tamen apparet, etiam Magistro primo libro, quod singulare non competit proprie in divinis, quum deitas seu divina essentia communicabilis sit, imo æternaliter communicatur Patri, Filio et Spiritui Sancto, et toti superviventissimæ Trinitati communis. *Et multiplicatur ex uno irremeabiliter*, id est, ex sua propria unitate ac unica potestate procedit in mul- D
tos effectus irrecessibiliter, ita quod a se et a sua unitate nusquam et nunquam recedit nec deficit. Hinc alia littera continet, Nusquam discedendo ; alia, Irregressibiliter * ; alia, Inegressive.

* inegressibiliter

Ut quoniam ὢν est Deus superessentialiter, hoc est, utputa quia sibi competit « superessentialiter », superexcellentissime, et prorsus incommiscibiliter et multipliciter esse, *donat autem esse his quæ sunt, et adducit totis essentias*, vel, ut alii habent, « totas essentias », quia in creatione nihil supponitur, idcirco non formæ tantum, sed et materiæ causa est. *Multiplicari dicitur unum ὢν illud ex se*, id est propria causalitate et fœcunditate in suis effectibus : ideo additur, *adductione multorum exsistentium quidem ab ente nihil minus illo et uno*, id est, ab ipso Deo nihilo minus exsistente et remanente in se « uno », sicque uno *multiplicato et adunato*, id est in suis causatis plurificato « et adunato », quia in omnibus unum est, et ad unum per rationem reducitur, *juxta processionem*, id est, secundum quod influendo in plura procedit, *et plenum in discretione*, id est, perfectum in rerum distinctione, et plenum in quolibet ente, *omnibus essendo quæ sunt*, id est, exsistendo in se, ex infinita exuberantia sui est ceteris omnibus causa ratioque essendi : et ita est non solum sibi ipsi et ad beatitudinem suam, sed aliis quoque, sicut in Proverbiis scriptum est : Fili, si sapiens fueris tibi, et proximis sapiens eris. *Superessentialiter remotum*, id est ab omnibus separatum, *et potenti totorum processione*, id est in vigorosa emanatione entium totalium seu integrorum ab ipso, *et non minorata fusione*, id est non minus conferente quam competit rebus pro tunc, *in diminutorum sui traditione*, id est in communicatione donorum suorum minori. Namque quamvis sint in uno majora, in alio minora, in unoquoque tamen largitur largiflue secundum gradum naturæ illius. Vel, « indiminutorum », una est dictio : ut sit sensus, « fusione non minorata traditione indiminutorum sui », id est donorum suorum, in quibus tribuit interdum se ipsum non diminutum, qui dat omnibus affluenter.

Cf. in Prov. IX, 12.

Jac. I, 5.

Sed et unum ὢν, et omni parti et toti, uni et multitudini, ab uno tradens : id est, Deus « tradens », id est, dona impendens, « ab uno », id est a se ipso, seu propria pietate et amore, tam totis quam partibus, « et uni », quod est principium multitudinis, omni « multitudini » ipsi,

quum sit ipse sit « unum », unum est eodem modo superessentialiter, id est, invariabiliter habens se, *neque pars ex multitudine, neque ex partibus totum.*

Et sic neque unum est, neque unum habet, id est, non « est unum » contentum in aliquo genere, neque per modum comprehensibilem unius, nec « habet unum » tanquam partem sui. *Longe autem his (?) est super unum*, id est, in rebus creatis valde dissimiliter est primum esse, quod non solum est unum, sed etiam « super unum », id est incomprehensibiliter et superexcellenter unum, (sicut non solum est ens, sed item super ens) *ab his quæ sunt unum*, id est, a rebus creatis « quæ sunt unum » contentum in ordine universi vel per se vel reductive in genere ; *et multitudo impartibilis, sive plenitudine superplenitudo*, id est, « multitudo impartibilis », quæ non potest dividi in partes quantitativas aut integrales, nec constitutivas aut essentiales, et « superplenitudo », id est incomparabiliter et superessentialiter plenitudo, « sine plenitudine » limitata [vel] mensurata, *omne unum et multitudinem est adducens*, id est causans, *et perficiens et constituens.*

Iterum vero in deificatione secundum virtutem uniuscujusque deiformium deorum multorum factorum, videtur quidem esse et dicitur Dei unius discretio et multiplicatio ; id est, « discretio unius Dei », scilicet distinctio Dei, qui in se ipso est unus et simplex, « et multiplicatio » ejus in suis effectibus, « videtur » facta seu accepta proportionabiliter deificationi « deiformi deorum multorum, secundum virtutem uniuscujusque » illorum ex Deo : quia secundum hoc dicuntur multi dii, secundum quod assimilationem veri Dei participant. Hinc alia translatio habet sic : Rursus, quum ex ipsius deificentia, dum secundi imaginem Dei in se nituntur exprimere, multi fiunt dii.

Est vero nihil minus principalis Deus, et superdeus superessentialiter unus, id est, nihilo minus « est » verus, « unus », A « summus » et principalis Deus », qui dicitur « superdeus », ut modo expositum est. *Deus impartibilis*, id est indivisibilis, *impartibilibus unitus*, id est indivisibilibus ac simplicibus, ut angelis, conjunctus gratiose et gloriose ; *inconfusus et multis immixtus*. Quum enim in sua natura sit supersimplicissimus, et omnino immaterialis invariabilisque essentia, et purus ac separatissimus actus, nulli est commiscibilis neque permixtus. Idcirco in libro de Causis dicitur ac probatur :
B Causa prima regit res omnes præterquam quod commisceatur eis. *Et non multiplicatus* per plurificationem suæ veræ ac propriæ deitatis.

Et hoc supernaturaliter intelligens, videlicet Paulus supernaturaliter a Deo illuminatus, *communis noster et magister et in divinam illuminationem manuductor*, id est, conversor noster ad fidem, et deinde nos instruens, disponens et manuducens ad « illuminationem » præclaram et contemplationem sublimem, *multus in*
C *divinis*, id est copiosus in Scripturis, et ad contemplandum ac penetrandum divina præcipuus, *lumen mundi, hæc ait divinitus in sacris suis litteris*, id est in una epistolarum suarum, ad Corinthios scilicet.

Nam etsi sunt qui dicantur dii, sive in cœlo sive in terra, id est, quamvis sint quidam « qui dii » vocantur, tam « in cœlo » quam « in terra », hoc est a cœlestibus civibus ac terrenis. Aliqui quoque habitantes in cœlo, dii appellantur, et quidam in terra degentes. Nempe de ho- I Cor. VIII, 5, 6.
D minibus præsidentibus atque judicibus in Exodo legitur : Diis non detrahes ; et rursus : Dominus applicabitur ad deos. De hominibus autem divinis, in Psalmo : Ego dixi, Dii estis ; et : Deus stetit in synagoga deorum. *Siquidem sunt dii multi et domini multi*, per participationem et auctoritatem commissam ac coarctatam. Gentiles quoque colunt plures deos. *Sed nobis unus Deus Pater, ex quo omnia, et nos in ipsum*, id est, nos Christiani et veri Deicolæ, habemus et colimus unum verum

Exod. XXII, 28. Ibid. 8. Ps. LXXXI, 6. Ibid. 1.

Matth. vi, 9. Deum Patrem, cui quotidie dicimus : Pater noster qui es in cœlis. Quod etiam de persona Patris specialiter accipi potest : « ex quo » tanquam ex causa efficienti, sunt cuncta creata, « et nos in ipsum » ordinamur ac tendimus reductique sumus. *Et unus Dominus Jesus Christus*, qui etiam est Deus ; nec tamen Pater et Christus sunt duo Dii duove Domini, quum in utroque sit deitas una ac indivisa potestas ; *per quem omnia, et nos per ipsum*, quasi per causam formalem, formantem, Joann. i, 3. exemplarem. Omnia enim per ipsum facta B sunt.

Etenim in divinis unitates discretionum potentantur, id est, « unitates » seu uniones « in divinis » sunt potentiores discretionibus. Græci quippe genitivo pro ablativo frequenter utuntur. Unitates autem dicuntur hic perfectiones et bonitates, seu attributa divinæ naturæ, præsertim quæ per apparitionem vocantur principia emanationum ad extra : ut bonitas, sapientia, potentia : quæ omnia in Deo sunt unum, et in ipso uniri dicuntur, scilicet C quod ex diversis creatis cognoscuntur esse unitim in Deo. Hæ unitates potentiores sunt discretionibus, id est participationibus et distinctis earum effectibus, per quos et ex quorum consideratione illæ unitates distingui dicuntur secundum rationem. Unde per discretiones, quidam intelligunt ipsas distinctiones : quibus unitates sunt potiores, quia secundum rem, unum, distinctio vero solum est secundum rationem. *Et anteprincipantur* : quia priores atque ex parte rei ; discretiones au- D tem, ex parte rationis. Hinc alia translatio planius habet : In divinis, conjunctiones discretionibus excellunt, etc.

Et nihilo minus sunt unitiva, id est, non obstante hujusmodi distinctione, manet in Deo ipsa unitio, et attributa quæ A identificantur in re, *etiam post unius irremeabilem et singularem discretionem*, id est « post discretionem » et multiplicationem increati « unius » in suis effectibus « irremeabilem et singularem », id est incgressibilem ac simplicissimam, quoniam unum illud primum altissimum sic in effectibus suis multiplicatur, quod tamen in se ipso et in sua essentia purissime et inviolabiliter manet irrecessibile a se ipso ac propria unitate.

Has nos socias et unitas totius Divinitatis * *discretiones, sive decoras processiones*, id est appellationes Dei per earum respectum et comparationem ad emanationes ad extra, *ex manifestantibus eas in Eloquiis divinis nominibus laudare, secundum quod nobis possibile est tentabimus* : id est, conabimur « laudare », id est per modum laudis describere, istas Dei nominationes et processus ad extra, imo Deum sub eis, prout poterimus, « ex nominibus divinis manifestantibus eas » nobis in Scripturis. Quæ processiones ex parte causæ ac fontis sunt sociæ et unitæ, quia ex uno principio fluunt, suntque communes toti Divinitati, utputa tribus personis superdignissimis. *Hoc (ut dictum est) præcognito, omnem beneficam Dei nominationem*, id est omne nomen Dei absolutum, impositum ab emanatione Dei ad extra, pia et benefactiva, seu illam designans, *in quacumque ponitur divinarum personarum*, id est, cuicumque divinæ increatæ personæ adscribatur, *in tota eam recipere divina universitate*, id est ipsum convenire tam Deo essentialiter sumpto, quam et cuilibet adorandæ personæ. Quod etiam verum est de nominibus significantibus relationes ad extra, quæ non sunt reales, sed tantum rationis in Deo, ut Dominus, Rex, Creator, etc. *Inobservate*, id est communiter seu indistincte.

* Deitatis

TRANSLATIO MARSILII FICINI

Ipsa quæ ab homine a sacris celebratur tanquam definiens atque exprimens totam Deitatis supremæ substantiam, quidquid tandem exsistit. Quid enim aliud ex sacra Theologia discere licet, quando supernum ipsum Deum ait exponendo dixisse : Quid me interrogas de bono? nullus bonus nisi solus Deus. Hoc igitur et alibi a nobis discussum est atque demonstratum, omnes semper denominationes Deo dignas, non divisas per partes, sed tota, perfecta, integra, plena Deitate, a sanctis Eloquiis celebrari, ipsasque omnes indivise et absolute, præter omnem discriminis observantiam, integra videlicet ratione, universæ integritati perfectæ totiusque Deitatis attribui. Jam vero, quemadmodum in Theologicis institutionibus admonuimus, nisi quis hoc de tota Deitate dictum confiteatur, scindere audet temeritate nefanda unitatem ipsam supereminentem. Dicendum igitur de tota Deitate hoc accipi oportere. Nempe Verbum quoque ipsum natura bonum, Ego, inquit, bonus sum. Atque alius ex Prophetis divinitus correptus, canit Spiritum bonum. Huc tendit et illud : Ego sum qui sum. Nisi de tota dictum Deitate consentiant, sed per unam duntaxat partem circumscribere annitantur, quonam modo illud accipient, Hæc ait qui est, qui erat, qui venturus est, qui est omnipotens? item illud, Tu autem idem ipse es? necnon et illud, Spiritus veritatis, qui est, qui a Patre procedit? Atqui nisi totam Deitatem esse vitam dicant et vivificam, quonam modo verum est Verbum sacrum quod ait, Quemadmodum Pater suscitat mortuos et vivificat, sic et Filius quos vult, vivificat? et illud, Spiritus est qui vivificat? Jam vero, quod tota Deitas habeat omnium dominatum, perspicue patet. Nempe de fœcunda Patris deitate, vel deitate Filii, non facile narratu est, ut arbitror, quam multis Theologiæ locis prædicetur Dominus, de Filio pariter atque Patre. Spiritus quoque etiam Dominus est. Ipsum quoque pulchrum atque sapiens, in tota Deitate laudatur ; lumen præterea, potestasque deifica similiter atque causa. Cuncta summatim quæ totius Deitatis supremæ sunt, sacræ Litteræ in universam Deitatem referunt celebrandam. Quæ personis divinis communia sunt, Litteræ sacræ aliquando summatim comprehendunt, velut quando dicuntur, Omnia sunt ex Deo ; aliquando discursione et quasi distinctione quadam, ut quando dixerit quispiam, Omnia per ipsum atque in ipso creata sunt, et in eo cuncta consistunt ; rursus illud, Emittes Spiritum tuum, et creabuntur. Atque ut summatim dicatur, Verbum ipsum supreme divinum inquit, Ego et Pater unum sumus ; et Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt ; et quando ad Patrem alloquitur : Mea omnia tua sunt, atque tua sunt et mea. Præterea, quæcumque Patris sunt atque Filii, Spiritui quoque supreme divino communicabiliter unitque attribuuntur : deificas operationes, venerationem, fontanam indeficientemque causam, optimorum munerum distributionem. Jam vero neminem arbitror ex his qui in divinis Eloquiis recta immutabilique intelligentia sunt educati, huic sententiæ contradicturum, quod videlicet quæcumque Deo digna censentur, toti Divinitati insunt ratione divinitatis absolutissima. Quum igitur hæc in præsentia quidem breviter atque ex parte, alibi vero sufficienter, sacrorum Eloquiorum testimonio ostenderimus atque distinxerimus, deinceps quamcumque divinam denominationem integram explicare tentemus, hæc ad totam Divinitatem pertinere putandum.

Si quis autem objecerit confusionem nos hac ratione contra distinctionem Divinitati

convenientem introducere, nos hunc arbitramur se vera dicere nunquam persuasurum. Si enim is est qui omnino sacris Litteris resistat, a philosophia quoque nostra procul admodum aberit. Atqui nisi curæ illi sit divina sanctorum Eloquiorum sapientia, quonam pacto nobis curæ erit ad theologicam scientiam hunc adducere? Sin autem sacrorum Eloquiorum veritatem quasi signum spectat, hac et nos regula luceque freti, ad rationem nostram pro viribus contra objecta reddendam, indeclinabili sententia jam pergemus, principio dicentes, Theologiam alia quidem unite, alia vero discrete nobis tradere : quare neque unita dividere fas est, neque discreta confundere ; sed ipsam sequendo, quantum vires suppetunt, ad divinos splendores nos conferre expedit. Jam vero nos illinc divinas explicationes suscipientes tanquam regulam quamdam veritatis pulcherrimam, quæ ibi posita sunt, [in] nobis ipsis conservare studemus, nec addentes quidquam, nec minuentes, nec etiam permutantes, in servandis divinis Eloquiis nos interim conservati, atque ab ipsis ad conservandos eorum observatores corroborati. Communia quidem toti Divinitati sunt, quemadmodum in Theologicis institutionibus latius ex sacris Litteris demonstravimus : ipsum quod dicitur superbonum, super deitatem, super essentiam, super vitam, super sapientiam, et quæcumque in excellenti quadam negatione consistunt ; quorum in ordine sunt etiam quæ ad expressionem causæ pertinent, scilicet bonum, pulchrum, ens, vivificum, sapiens, et quæcumque nomina ex beneficis ipsius donis, bonorum omnium causæ tribuuntur. Discreta vero in Divinitate sunt, superessentiale Patris nomen, resque ipsa propria * Patri, itemque Filii, Spiritusque Sancti : quippe quum nulla in his conversio aut omnino communitas inducatur. Discreta præterea est perfecta immutabilisque Jesu substantia cum nostra natura communicans, et quæcumque substantialia mysteria sunt ad ipsam Jesu substantiam humanitatemque benignissimam pertinentia.

* ipsæ propriæ

Operæ pretium vero est, ut arbitror, ut planius resumentes, perfectum divinæ unionis distinctionisque modum exponamus, quo sermo nobis omnis sit conspicuus, veritatem quidem omnem obscuritatemque devitans, distincte vero et manifeste et ordinate pro viribus propria digerens. Theologicæ traditionis nostræ præceptores appellant, ut alibi dixi, unitates quidem divinas, excellentes quasdam ipsius plusquam ineffabilis et supra modum incognitæ singularitatis stabilitatisve firmitates, secretas penitus nusquamve prodeuntes ; discretiones autem vocant beneficas supremæ Divinitatis progressiones atque expressiones. Jam vero Eloquiorum sacrorum observatores tradunt unionis modo dictæ propria quædam, rursumque discretionis proprias quasdam uniones atque discretiones. Velut in unione divina, sive natura illa essentiam superante, commune quidem est unicæ principalique Trinitati : exsistentia essentiam superans, Deitas divinitate superior, bonitas bonitate præstantior ; item identitas ipsa totius proprietatis omnia superantis, omnia superans ; unitas quoque principio eminentior ; præterea ineffabile, vicissimque multis vocibus prædicabile ; ignoratio quin etiam, ac vicissim per omnia intelligibile ; omnium positio, omniumve negatio ; excellentia quoque omnem positionem ablationemque excedens ; personarum præterea ratione principii dominantium, si dicere ita licet, mansio in se invicem atque sedes integre supra modum unita, nullaque ex parte confusa.

Quemadmodum lumina lampadum, ut sensibilibus propriisque utamur exemplis, in domo una quum sint, et tota in totis mutuo sunt, et sincera interim exactaque a se invicem discretione propria secernuntur, discretione quidem conjuncta, et vicissim unione inter se discreta. Quando in aula eadem lampades accensæ sunt plures, videmus omnium lumina ad unum aliquod conjuncta lumen, unumque splendorem individuum præferentia ; neque posset (ut arbitror) aliquis lampadis hujus lumen ab aliis ex aere

cuncta lumina conjunctim occurrere, et alterum absque altero cernere, quippe quum tota in totis sine mixtione sint inserta. Jam vero si quis lampadem unam e medio tollat, lumen quoque proprium ejus totum, abeuntem lampadem comitabitur, neque quidquam alterum luminum secum trahens, neque ex suo ceteris aliquid linquens. Erat enim (ut diximus) illic totorum ad tota exacta quidem unio, nec ullo modo commixta, nec ulla ex parte confusa. Id quidem ita se habet, quamvis lumen sit in corpore aut aere, atque ex igne materiali dependeat. Unionem igitur illam essentia superiorem transcendere dicimus, non uniones tantum quae fiunt in corpore, sed eas etiam quae in animis ipsis conficiuntur, imo et illas quae efficiuntur in mentibus : quas quidem tota illa divina et supercoelestia lumina per tota ratione plusquam mundana, sincere absolutam possident participatione quadam unitatis illius omnibus eminentis, et unicuique pro cujusque modo se ipsam impertientis. — Est autem discretio apud supremam theologiam, non solum quam modo dicebam, quia videlicet juxta ipsam unitatem divina qualibet subsistentia puram et impermixtam suam sibi servat proprietatem, sed etiam quoniam divina illic generatio invicem non connectitur. Nempe supersubstantialis deitatis fons solus est Pater, neque Pater est Filius, neque Filius est Pater. Sacri igitur hymni sua unicuique divinarum personarum pie planeque conservant. Hae quidem per ineffabilem unitatem atque exsistentiam uniones et discretiones exstant.

Si autem divina quoque discretio est beneficus unitatis divinae progressus se ipsam plusquam unice bonitate sua propagantis atque multiplicantis ; unitae quidem sunt in discretione divina traditiones ipsae donorum a rebus penitus absolutae, sive essentia, sive vita, seu sapientia inde procedat, ceteraque causae omnium bonitatis munera, juxta quae ex participationibus atque participantibus celebrantur quae participantur, interim nequaquam participata. Jam sane commune unitumque est et unum toti penitus Deitati, ipsam videlicet omnem totamque ab unoquoque participante sumi, atque a nullo interim ulla ex parte percipi ; quemadmodum circuli centrum ab omnibus circumfusis rectis in circulo lineis ; atque veluti sigilli figuramenta plurima, principalis figurae participia sunt, ubi et in singulis figurationibus idem totumque sigillum est, et in nullo ex parte rursus exstitit ulla. Supereminet autem haec incommunicabile illud Deitatis omnium auctoris, propterea quod neque tactus illius est ullus, nec alia quaevis ad participantia permixta communio. Objiciet forte quispiam, sigillum nec idem nec totum in totis formationibus esse. Sed sigillum non est in causa : illud namque se totum idemque imprimit unicuique. Differentia vero participantium dissimiles unius totiusque et ejusdem exemplaris primi reddit effigies. Si enim subjecta sint mollia formatuque facilia, et laevia figurisque vacua, neque resistentia duraque, neque fluxa rursus et inconstantia, figuram certe puram et expressam permansuramque reportabunt. Si quid vero ex his quae diximus praeparamentis defuerit, defectus ejusmodi erit in causa ut et figura minime congruat exemplari, et obscura contingat, atque ut cetera quoque accidant quotcumque participationis ineptitudine fiunt.

In ipsa quidem operatione divina erga nos benefica, munus hoc discretum est, quod videlicet supersubstantiale Dei Verbum secundum nos et ex nobis integram atque veram assumpsit naturam ; item quod gessit et pertulit quotcumque divinitatis ipsius factae jam humanae propria sunt atque praecipua. In his enim Pater et Spiritus nullam habuere communionem : nisi forte quis dixerit in benefica clementique voluntate circa assumptionem ejusmodi consensisse, rursumque convenisse simul in omni operatione divina ineffabili penitus et excelsa, humanam naturam exsuperante, quam gessit Dei Verbum secundum quidem nos factum homo, sed divinitate penitus immu-

tabile. Hac igitur et nos ratione unire et discernere divina disserendo studemus, quemadmodum ipsa divina conjuncta sunt atque discreta.

Sed harum unionum atque discretionum rationes Deo dignas quascumque in divinis Eloquiis invenimus, in Theologicis institutionibus propria seorsim de singulis distinguentes, pro viribus exposuimus : alia quidem vera ratione evolventes et explicantes, atque ita sacrum tranquillumque intellectum ad perspicua sacrorum Eloquiorum spectacula perducentes ; aliis autem tanquam mysticis, ex traditione divina super intellectualem actionem intendentes. Divina enim omnia, etiam quæ nobis patuerunt, solis participationibus cognoscuntur. Hoc ipsum vero, qualia in se ipsis exsistant secundum proprium principium atque sedem, super intelligentiam exstat, omnemque essentiam et notitiam supereminet. Veluti si superessentiale illud atque secretum, appellamus Deum, aut vitam, aut essentiam, vel lumen, vel rationem atque Verbum, nihil intelligimus aliud quam aliquas in nos ex eo profluentes participationes atque virtutes, quæ videlicet divini nos aliquid faciant, vel essentiam, aut vitam, aut sapientiam largiantur ; ipsi vero secretæ naturæ, per quamdam omnium intellectualium actionum vacationem penitus absolutam appropinquamus, nullam jam adspicientes deificentiam, aut vitam, aut essentiam, quæ omnino similis sit ipsi omnium causæ cuncta prorsus per omnem excellentiam superanti.

Accepimus insuper a sanctis Eloquiis, Patrem quidem esse fontanam (ut ita dixerim) deitatem ; Filium vero Spiritumque, fecundæ deitatis, si modo ita liceat loqui, germina divinitus pullulantia, et quasi flores et supersubstantialia lumina. Sed qua ratione hæc sint, nec loqui nec intelligere possumus. Hactenus vero nostra omnis intellectualis actio se extendit, ut videlicet excogitet omnem Patris ipsius ac Filii rationem, ab ipsa ratione patris filiique prima omnibus eminente, et nobis et virtutibus supercœlestibus esse tributam : ex qua quidem intellectus divinam imaginem præferentes, et dii et deorum filii et deorum patres fiunt atque nominantur, dum videlicet id Patris Filiique munus spiritualiter ubique peragitur, id est incorporea, immateriali, intelligibili ratione ; ipso interim divino Spiritu quidquid intelligibile, immateriale, divinum fingitur, excellentissime superante ; similiterque Patre atque Filio ab omni divino patris filiique officio eminenter exceptis. Neque enim est effectibus ad causas similitudo perfecta : sed habent quidem effectus quas præferre possunt imagines causarum ; ipsæ vero causæ segregatæ ab effectibus in se superius exstant, ipsa videlicet sua ratione principii. Atque ut exemplis nostris utamur, voluptates et dolores efficere quidem dicuntur ut oblectemur atque doleamus, ipsa vero neque lætantur neque mærent ; atque et ignis quum calefaciat uritque, neque uri tamen neque calefieri dici solet. Tum vero si quis dixerit ipsam vitam vivere, vel lumen ipsum illuminari, meo quidem judicio non recte loquetur, nisi forte alia quadam conditione hæc acceperit, quoniam videlicet quæ pertinent ad effectus, ratione quadam essentiali atque exuberante in causis præexsistunt.

Præterea, quod inter omnia theologiæ mysteria apparet evidentissimum, quod videlicet Jesus formatus est in natura nostra divinitus, ineffabile prorsus est omni sermoni, omnique ignotum intelligentiæ, ipsi quoque antiquissimorum angelorum primo. Jam vero quod essentiam virilem assumpserit, accepimus in mysteriis. Ignoramus autem quo pacto ex virgineis sanguinibus lege quadam non naturali formatus fuerit ; et quomodo siccis pedibus corporale pondus materiæque gravitatem habentibus, liquidam instabilemque substantiam perambulaverit ; aliaque perfecerit quotcumque supernaturalem Jesu naturam rationemque declarant. Hæc autem et nos alibi satis tractavimus, et inclytus præceptor noster in Theologicis elementis supra naturæ modum mirabiliter

celebravit. Quæ ipse vel a theologis sanctis accepit, vel artificiosa Litterarum sacrarum indagatione perspexit, frequenti circa illas exercitatione studioque diuturno, aut etiam diviniori quadam inspiratione percepit: non solum discens divina, sed patiens, atque ex quadam ad illa compassione, si modo ita loqui licet, ad indocibilem secretamque eorum unionem ac fidem denique consummatus. Sed ut plurimas beatasque contemplationes excellentis ejus intelligentiæ paucissimis afferamus, hæc de Jesu in Theologicis elementis summatim collectis inquit:

[illegible]

« Jesu divinitas, quæ omnium causa est, et implet omnia, ac partes consonas universali connectit, neque pars neque totum est; rursusque et pars est et totum, utpote quæ partem omnem et omne totum in se ipsa comprehenderit, et eminenter habeat atque præhabeat. Perfecta quidem est in rebus imperfectis, utpote perfectionis princeps, in rebus vero perfectis imperfecta, quippe quum perfectionem excellentia origineque præcedat. Præterea in rebus carentibus specie, species est specifica, tanquam principium speciei; in speciebus autem specie carens, ut speciem superans. Essentia quin etiam totis procul a contagione essentiis insidens; atque super essentiam exstans, ab omni essentia penitus absoluta. Universa principia ordinesque determinans; et super omne principium ordinemque locata. Mensura entium est, et ævum, atque super ævum, et ante ævum. Plena quidem in rebus egenis, in plenis autem exuberans. Ineffabilis, non pronuntiabilis; super intellectum etiam, super vitam, super essentiam. Supernaturale munus supernaturaliter habet; superessentiale, superessentiali etiam ratione. Quamobrem quando usque ad naturam ob summam benignitatem venit, vereque substantiam nostræ carnis accepit, summusque ille Deus vir est appellatus (propitia vero sint quæ in præsentia intellectum sermonemque superantia laudantur a nobis), tunc quoque in his supernaturale et superessentiale munus eminent: non solum quia immutabiliter et inconfuse nobis communicavit, nihil in exuberanti sua plenitudine ab ineffabili exinanitione perpessus; sed etiam quia (quod novitatum omnium est maxime novum) in naturalibus nostris supernaturalis erat, in his quæ nostræ sunt essentiæ, super essentiam, omnia nostra ex nobis et super nos possidens excellenter. »

Sed de his satis. Ad quem sermonis nostri signum jam pergamus, communia conjunctaque divinæ discretionis nomina pro viribus tractaturi. Ut autem perspicue de omnibus quæ sequuntur, ante definiamus, discretionem divinam (ut dictum est) appellamus beneficas Deitatis processiones. Quum enim omnibus quæ sunt dum eminet, bonorum cunctorum consortia largiatur, unite quidem discernitur, amplificatur autem unice, ac dum multiplicatur non discedit ab uno. Puta, quoniam Deus est ens (ut ita dixerim) superenter, largitur autem esse his quæ sunt omnibus, et omnes producit essentias: unum illud ens multiplicari dicitur, dum entia ex se multa producit; manet ille nihilo minus in multiplicatione unus, et in processione unitus, et in descriptione * plenus, propterea quod ab omnibus entibus superenter sit absolutus, et unico actu producat omnia, atque imminuta profusione indeficientia ipsius munera largiatur. Atqui quum sit unum, omnique parti et toti, uni et multitudini, participationem unius impertiat, unum permanet eodem pacto, superessentiali videlicet ratione, nec pars est multitudinis alicujus, nec aliquod ex partibus totum. Sicque nec unum est, nec unius particeps, neque habet unum; longeque ab his exsistit super unum illud quod entibus inest, multitudo quin etiam impartibilis, inexplebilis, superplena, omne unum multitudinemque producens et perficiens atque continens. Præterea ex deifico Dei munere quo unusquisque pro facultate sua deiformis evadit, dii plures efficiuntur: qua quidem in re videtur et dicitur Deus ipse unus discerni quodammodo atque multipli-

* [illegible]

cari. Est autem nihilo minus Deus ipse divinitatis princeps, et divinitate qualibet essentiaque sublimior, Deus unus, in distributis inde diis non distributus, sed unitus ipse sibi, nec permixtus multis, nec in multiplicatis multiplicatus. Id sane mirabiliter contemplatus communis ille noster præceptorisque nostri dux, qui ad divinam illuminationem nos provexit, divinis abundans, et mundi lumen, hæc in sanctis litteris suis divinitus afflatus ait : Siquidem sunt qui dicuntur dii, vel in cœlo vel in terra I Cor. VIII, 5, 6.
(quemadmodum profecto sunt dii multi et domini multi) : unus tamen nobis est Deus Pater, ex quo omnia, et nos ad ipsum; et unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia; et nos per ipsum. In rebus nempe divinis uniones excedunt discretiones atque ducunt, nihiloque minus divina secum sunt unita post discretionem participem unitatis, et ab ipso uno minime discedentem. Has itaque nos communes unitasque totius Deitatis distinctiones, sive beneficas ex Deo processiones, ex divinis cognomentis declarantibus eas in sanctis Litteris, pro viribus celebrare conabimur, quando videlicet hoc, ut alibi dictum est, prius definierimus, omnem beneficam appellationem Dei, de quacumque divinarum personarum dicatur, absque ulla distinctionis observatione, in tota simul accipi Deitate.

PARAPHRASIS ABBATIS VERCELLENSIS

PER se bonitas laudatur a sacra Scriptura ut conveniens cuilibet divinarum personarum, et eas ab omni exsistente distinguens. Hoc autem ostenditur in Luca, ubi ipse Dominus ait cuidam : Quid me interrogas de bono? nemo bonus nisi solus Deus. Alibi autem ostendimus omnia nomina divina essentialia indifferenter attribui a Scripturis omnibus personis divinis. Et sicut commemoravimus in libro de Divinis characteribus, si quis vellet dicere quod hoc non sit dictum de tota Trinitate, sed particulariter de aliqua vel aliquibus personis : respondemus ei, quod ipse Filius naturaliter bonus dicitur, ut ibi : Ego sum pastor bonus; et in Psalmo : Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam. Similiter si quis dixerit quod in Exodo de una sola persona dictum sit, Ego sum qui sum; revincetur ex hoc quod dicitur in Apocalypsi, Qui est, et qui erat, et qui venturus est omnipotens; et in Psalmo, Tu autem idem ipse es; et in Joanne, Spiritus veritatis qui a Patre procedit. Item si dicatur quod non quælibet persona divina est vita, quomodo verum erit quod dicitur, Sicut Pater suscitat mortuos et vivificat, sic etiam Filius quos vult, vivificat? Dominatio autem multis in locis Scripturæ attribuitur Patri et Filio : sed et Spiritus Sanctus Dominus dicitur. Attribuitur etiam toti Trinitati pulchritudo, et sapientia, et lumen, et deificatio, et causalitas rerum. Et generaliter omnia vocabula pure essentialia, Deo convenientia secundum divinam naturam, attribuuntur omnibus personis, quandoque conjunctim, quandoque divisim : conjunctim, ut quum dicuntur omnia ex Deo esse; divisim, ut quum dicitur, Ex ipso et per ipsum et in ipso sunt omnia; et, Emittes Spiritum tuum, et creabuntur. Et ut breviter dicam, divinum ait Verbum, Ego et Pater unum sumus; et, Mea omnia tua sunt, et tua mea sunt. Quæcumque opera sunt Patris et Filii, etiam Spiritui Sancto communicabiliter uniteque attribuuntur. Itaque deificas operationes, venerationemque, fontanam indeficientemque causam, nullus in Scripturis exercitatus negabit esse Trinitati toti communia, nisi habeat perversam intentionem. Quum ergo ista hic quidem breviter, alias sufficienter tractaverimus, quæcumque nomina divina essentialia inferius tractaturi sumus, toti Trinitati ipsa attribuenda decrevimus.

Si autem aliquis nos putet per hoc inducere confusionem in distinctione personali, respondemus quod non poterit hoc ostendere veraciter. Si autem sacram Scripturam non recipit, valde contrarius est nostræ intentioni. Et si sapientiam divinam non curat discere ex Scri-

Luc. XVIII, 19; Matth. XIX, 17. — Joann. X, 11. — Ps. CXLII, 10. — Exod. III, 14. — Apoc. I, 8. — Ps. CI, 28. — Joann. XV, 26. — Ibid. V, 21. — I Cor. XI, 12. — Rom. XI, 36. — Ps. CIII, 30. — Joann. X, 30. — Ibid. XVII, 10.

[illegible]

[illegible]

[illegible]

A inde patet, quod si aliquod lumen illorum de domo auferatur, tantum lumen suum secum abducit proprium, nihil convellens de lumine aliorum luminarium. Quod ergo in aere corporali et igne corporeo apparet secundum creationis corporeæ possibilitatem, multo fortius sciendum est de supersubstantiali Deitate quæ non solum corporeas sed et mentales unitiones incomparabiliter excedit. — Non solum autem dicta discretio inconfusa est in personis divinis in unitione essentiali; sed et personarum nulla est alia, neque Pater Filius, neque Filius Pater, neque Pater aut Filius est B Spiritus Sanctus, aut converso, et singulæ personæ habent propria distinctiva quæ possumus breviter colligere. Proprium est Patri, propria auctoritate æternaliter esse, et Patrem esse et Filium æternaliter generare, et Spiritum Sanctum cum Filio æternaliter spirare, et a nullo esse aut aliquid accipere. Proprium est Filio, a solo Patre esse et habere quidquid est vel habet, et cum Patre Spiritum Sanctum spirare. Proprium est Spiritui Sancto, a Patre simul et a Filio esse et habere quidquid est vel habet, et nullum de se exsistentem æternaliter habere : et hæc omnia, non ex munere C gratiæ, sed ex proprietate divinæ naturæ.

Item, secundum quod dictum est supra, quod processiones Thearchiæ sive discretiones quibus divina bonitas summe simplex in se ipsa quasi se ipsam multiplicat varie et multipliciter se communicando creaturis, sive per essentiam, sive per vitam, sive per sapientiam aut justitiam, aut alia sua munera : hæc tamen omnia in Deitate unita, uniformiter et communiter uniuntur in qualibet divinarum personarum, et sunt omnes singularum personarum participationes retentæ a singulis, et nullam retinentes, neque singulis sin- D gulæ, sed singulis omnes attributæ : sicut punctum quod est centrum circuli, ab omnibus lineis circumferentiæ integre et uniformiter participatur ; et multæ sigilli impressiones uniformiter participant exemplari una forma ipsius sigilli, et non una impressio una parte et alia altera. Sed hæc et hujusmodi exempla incomparabiliter excedit divinæ simplicitatis impartibilitas, cui nec per contactum nec alio modo intelligibili conjunguntur participantia. Quod si quis contra exemplum de sigillo positum objiciat, quod sigillum quamvis unum et idem, facit tamen sæpe et inæquales et in aliquo dissimiles impressiones : respondeo,

quod illa dissimilitudo non provenit ex sigillo, quod unum et idem et uniformiter, quantum in se est, omnibus impressis se ingerit, sed ex aptitudine vel ineptitudine recipientium impressiones.

Item ad discretionem divinorum pertinent mysteria Verbi incarnati, per quæ omnia Verbum incarnatum a Patre et Spiritu Sancto discretum est, excepto quod tota Trinitas incarnationem Verbi operata est, et ipse Jesus homo, secundum quod Deus est. Secundum vero modos prædictos studemus mentaliter divina et unire et discernere.

Harum autem et unitionum et discretionum causas Deo convenientes quascumque in sacris Scripturis invenimus, in libro de Divinis characteribus exposuimus, tractando de qualibet persona æterna proprie sibi convenientia, vel de qualibet dictarum vel unitionum vel discretionum proprie ei competentia. Et hoc fecimus, intelligibilia quidem intelligibiliter declarando, superintellectualibus vero nos (ut possibile est) uniendo superintellectualiter. Divina enim omnia per ipsorum solas participationes a nobis perceptas cognoscimus. Ipsa autem Dei invisibilia secundum quod in se sunt, in naturæ suæ proprietate et plenitudine super mentem sunt, et super omnem substantiam et cognitionem, sicut supersubstantiale occultum. Et quum dicimus Deum esse aut vitam, aut substantiam, aut lumen, aut rationem, nihil aliud his nominibus intelligimus nisi processus Dei in nos et participationes suæ plenitudinis quibus nos aut justificat, aut substantificat, aut vivificat, aut sapientificat. Nos autem participationibus subvecti, divinæ plenitudini nos ignote et superintellectualiter immittimus, ab omnibus intellectualibus absoluti, nullam videntes deificationem, aut vitam, aut substantiam, quæ aliqua proportione sit comparabilis causæ omnium, ab omnibus per excessum segregatæ.

Rursus ex Scripturis colligimus quod Pater est Deus supersubstantialiter præbens Filio originem per generationem, Spiritui Sancto per spirationem; et Filius et Spiritus Sanctus sunt quasi quædam pullulationes a Patre naturaliter originem habentes, et quasi quidam flores et lumina supersubstantialia ab ipso Patre luminum exsistentia. Quomodo autem hæc sunt, neque dicere neque cogitare possibile est; sed omnis virtus nostræ intellectualis operationis ad hoc tantum provenit, quod

A omnis spiritualis paternitas vel filiatio quæ est in angelis vel in hominibus, nobis et ipsis est a divina paternitate ab omnibus segregata, et a divina filiatione, ex qua dii et deorum filii et patres fiunt * et nominantur deiformes mentes. Et hujusmodi paternitas et filiatio non carnaliter, sed spiritualiter fieri intelligantur, et incorporaliter et immaterialiter et intelligibiliter : ita tamen quod Spiritus divinus hoc efficiens, intelligatur super omnem intelligibilem immaterialitatem et deificationem collocari, et Pater æternus et ejus Filius æternus ab omni paternitate spirituali

* sunt

B per excessum segregari. Non diligens autem proportionalis est comparatio causæ propriæ ad causata : sed causata, sunt qualescumque ipsius imagines contingentes; ipsæ autem causæ a causatis segregantur et supercollocantur per naturam suæ causalitatis. Verbi gratia : delectationes et tristitiæ faciunt delectari et tristari, ipsæ tamen non delectantur neque tristantur; et ignis calefaciens et urens, non dicitur calefieri nec uri. Ita et si quis dicat per se vitam vivere, per se lumen illuminari, videtur non recte et proprie dicere, nisi forte intendat dicere quod vita et lumen causato-

C rum abundanter et supersubstantialiter præinsunt per se vitæ et per se lumini.

Sed compositio Jesu secundum humanitatem, quam compositionem in eo operata est Deitas, ineffabilis est omni verbo, et ignota omni menti, etiam summo Seraphim. Siquidem quod Verbum Dei verus homo substantialiter factum sit, in mysterio docti sumus : sed ignoramus quomodo præter naturam, alia ignota lege compositum sit ex seminibus Virginis ; et quomodo pedibus siccis et naturaliter ponderosis, ambulavit super aquam humidam et fluidam ; et alia quæ supernaturaliter

D fecisse legitur. De his autem alibi diligenter tractavimus. Sed et Hierotheus in theologicis obscuris commentis de eis supernaturaliter tractavit : quæ ipse didicit sive per aliorum doctrinam, sive per studium Scripturarum, sive per divinam inspirationem et divinorum experientiam, ad indocibilem et mysticam ipsorum unitionem et fidem [perfectus]. Ex quibus ista commemoro.

« Deitas Jesu est causa omnium ut sint, et « adimpletiva per collocatas species singula- « rium rerum : quæ salvat partes universitatis « harmoniace ordinatas, et ipsa deitas neque « est pars universitatis neque totum per es-

« sentiam, et est utrumque per causam, ipsa « in se præaccipiendo superhabendo et præ- « habendo. Perfecta in imperfectis, ut perfe- « ctio principalis. Imperfecta in perfectis non « per defectum perfectionis, ut sint creaturæ « imperfectæ, sed per excessum præperfecta. « Dans formam formaliter, quia formam facit in « his quæ carent forma, sicut principalis crea- « trix et dator formæ, informis super omnem « formam. Item substantia omnibus substan- « tiis causaliter, et ab omnibus substantiis « supersubstantialiter segregata. Terminus di- « versorum cunctis rerum principiis et ordina- « tionibus, et extenditur super omnes principa- « tus et ordines. Et cunctis mensuris cuncta « terminat et temporibus, et super ævum, « et ante ævum. In omnibus est minus ha- « bentibus ipsa plena, et in plenis plena et « superans omnem plenitudinem. Indicibilis, « ineffabilis, super mentem, vitam, substan- « tiam. Supernaturaliter habet supernatura- « litatem, supersubstantialiter supersubstan- « tialitatem. Unde quia Dominus Jesus de « supernaturalitate venit usque ad naturam « humanam benigne, ideo et vere homo est, et « vere Deus super omnia excedens, et hanc « suam propitiationem super omnem lauda- « mus. In nostra autem natura constituitur « supernaturaliter et supersubstantialiter; non « solum in eo quod nostræ unitioni divina « humanitas tenuit nullam divinæ plenitudinis « passus diminutionem per assumptæ huma- « nitatis naturam, sed et in eo quod simul « erat naturalis et naturalia agens, et super- « naturalis et supernaturalia agens et super- « substantialis et supersubstantialia agens om- « nia nostra super nos habens. »

Deinde prosequamur capituli intentionem, explanantes divina nomina quæ communiter tribus personis conveniunt, et varias processiones et distributiones supersimplicis Deitatis. Quam discretionem quamdam faciendo de multiplicibus ipsius simplicitatis participationibus, unitive eam discernunt et multiplicant et discrete uniunt, unitate divina in multiplici sui participatione manente ingressibili. Et Deus dicitur præsubstantialiter existens, et dat esse omnibus existentibus, multiplicari dicitur summe unum existens, quia ex ipso omnia existentia in esse deducuntur; ille tamen manet et unus in multiplicatione et in processione, et plenus in particulari distributione, eo quod sit ab omnibus supersubstantialiter segregatus, et ab ipso unitive omnia in esse deducuntur, et distributiones suæ ejus plenitudinem minuunt, neque invicem commiscentur. Tradens se unum totum omni parti, unum toti, unum uni, unum multitudini, unum indivisibiliter et substantialiter est, neque pars aliquis est multitudinis, neque totum aliquibus partibus, neque unum est neque habet unum: quia nihil intellectuale est vel in se habet, sed incomparabiliter est super unum quod est in existentibus. Et ipse causaliter est multitudo, sed impartibilis, secundum essentiæ suæ summam simplicitatem, et ipse est superplenitudo suæ repletione, omne unum et omnem multitudinem ad esse adducens et perficiens, et in esse continens. Item ex his quæ fiunt multis existentium, scilicet angelis et hominibus, deificatione gratiæ vel gloriæ qua Deo conformantur secundum variam singulorum virtutem, videtur et dicitur fieri discretio et multiplicatio simplicis Deitatis. Veruntamen quælibet et quantaslibet distributiones generativæ gratiæ vel gloriæ Deus creaturis impertiatur, ipse nihilo minus semper manet uniformiter in plenitudine suæ principalis et omnia superantis divinitatis supersubstantialis, et summe unus indivisibilis in divisibilibus sibi ipsi unitus, et multis communicatur non multiplicatus. Hinc est quod B. Paulus, qui est lumen mundi, a Deo motus dicit: Etsi sunt qui dicantur dii multi et domini multi, nobis tamen unus Deus Pater, ex quo omnia, et nos in illo, et unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia et nos per ipsum. (1 Cor. VIII, 5, 6.) In divinis siquidem uniones naturaliter præveniunt discretiones, et in nullo dissolvuntur per eas. Et nos tentabimus, secundum facultatem nostram juxta testimonia sacræ Scripturæ laudare declarando istas discretiones (scilicet processus in creaturas) quæ communes sunt omnibus æternis personis et in singulis uniuntur, postquam tetigi de personali discretione divinæ unitatis, quæ vere est etiam vita ingressibilis et natura et causalitate præcedens discretionem processuum in creaturas: unde etiam prius de illa tractavi in libro de Divinis characteribus, post in libro isto, de ista. Hoc autem repeto, quod nomina Dei essentialia, de quacumque dicantur persona divina, singulis indifferenter conveniunt, juxta quod supra determinatum est.

CAPITULUM III

QUÆ ORATIONIS VIRTUS, ET DE B. HIEROTHEO, ET DE REVERENTI ET CONSCRIPTA THEOLOGIA.

ET primam, si videtur, perfectissimam et omnium Dei processionum manifestatoriam, optimam nominationem pronuntiemus, optimarum principalem et superoptimam invocantes Trinitatem, declarativam omnium sui optimarum providentiarum. Oportet enim nos orationibus primum in eam ut bonorum principium reduci, et magis ei approximantes, in hoc doceri optima dona circa eam collocata. Etenim ipsa quidem omnibus adest; non omnia vero ei adsunt. Tunc autem quum eam invocamus castissimis quidem orationibus, revoluto quoque animo, et ad divinam unitatem opportunitate, tunc et nos ei adsumus. Ipsa enim neque in loco est, ut et a quodam aut ex aliis in alia transeat; sed et in omnibus exsistentibus eam esse, dicere relinquitur, super omnia, et omnium comprehensiva multitudinis. Nos igitur ipsos orationibus extendamus in divinorum et optimorum radiorum excelsiorem respectum, veluti multi luminis splendorem ex cœlesti summitate suspensum, in ea quæ hic sunt pervenientem : et semper in ejus conspectum manibus attributis agentes, trahere quidem eam putamus; veritate autem non deducimus illam et sursum et deorsum præsentem, sed nos ipsi reducimur ad excelsiores lucidissimorum radiorum claritates. Aut velut in navim ascendentes, et recipientes ex quadam petra extentos funes et velut nobis in receptionem datos, non ad nos petram, sed nosmetipsos in veritate et navim ad petram adducimus. Sicut et hoc in contrarium : si quis juxta validam petram stans in navi repellatur, aget quidem nihil in stantem et immutabilem petram, se vero ipsum ab illa segregabit, et quanto magis eam repulerit, tanto magis ab ea revertetur. Proinde et ante omne, et magis ex theologia, oratione inchoari oportet : non ut trahentes ubique præsentem et nusquam virtutem, sed ut divinis memoriis et invocationibus nosmetipsos immittentes ei et adunantes.

Et hoc autem æqua defensione dignum, quia glorioso duce nostro Hierotheo theologica diligentissime elementa excellentissime congregante, nos tanquam non sufficientibus illis, aliasque et præsentem theologiam conscripsimus. Etenim si quidem ille deinceps actitare omnes theologicas actiones dignum duxisset, et partitis ambitibus pertransisset totius Theologiæ capitulum, non fortassis nos in tantum aut insania aut stultitia veniremus, tanquam perspicacius illo et divinius arbitrando theologiis addere delectabiliora : hæc superfluo dicentes, ac si parvi pendendo ad hæc*, et injuriam faciendo et in magistrum et amicum exsistentem, et nos post

* adhuc

Pontificalia divinæ in illius eloquiis formati, gloriosissimam ejus et contemplationem et explanationem unicuique subsequentes. Sed quoniam veritate quæ divina sunt positiva introductionis ille, compendiosas valde definitiones exposuit, et in uno multa ambiens, prout possibile nobis et his quicunque sunt secundum nos, magister* super perfectarum animarum jubens aperire et discernere nobis commensurabili sermone compendiosas et potentes intellectualissimi viri illius virtutis ambitus; et sæpe nos et tu ipse in hoc hortatus es, et librum ipsum ut superexaltatum remisisti : propterea et nos eum quidem, et perfectorum et honorabilium sensuum magistrum, his qui super multos sunt segregamus, veluti quædam secunda Eloquia, et Deo unctis consequentia; his autem qui secundum nos sunt, proportionaliter nos nobis divina tradimus. Si enim perfectorum est solida esca, tali esu alios reficere quantæ fuerit perfectionis? Recte igitur a nobis et convenientissime hoc dictum est : per se ipsam quidem contemplativam invisibilium Eloquiorum visionem et conspectivam eorum doctrinam, honorabilis indigere virtutis; in hoc autem ferentium verborum scientiam et disciplinam, minoribus devotis et sacratis convenire. Atqui et hoc nobis observatum est valde modulose. Itaque ipso divino duce juxta expressionem lucidam bene discretis, nihil injungendum omnino unquam ad tautologiam in propositi ab eo eloquii explanationem.

Quoniam et cum ipsis Deo acceptabilibus nostris summis sacerdotibus, (quando et nos, ut æstimatur, et tu, et multi sanctorum nostrorum fratrum, in visionem vitam inchoantis et Deum recipientis corporis convenimus; aderat autem et Dei frater Jacobus, et Petrus vertex et honorabilissima theologorum summitas; deinde placuit post visionem laudare summos sacerdotes simul omnes, quomodo unusquisque erat idoneus, multum potentem bonitatem divinæ infirmitatis), omnium dominabatur post theologos, ut cognoscis, aliorum sanctorum doctorum, totus ex populis, totus existens semetipso, et ad laudata societatem patiens; et ab omnibus quibus auditus est et visus est, et cognitus est et non cognitus est, Deo acceptabilis esse et divinus laudator judicatus. Et quid tibi de his quæ ibi theologice posita sunt, dicam? Etenim, si non a me ipso eloquerer, sæpe scio a te et partes quasdam divinarum illarum hymnodiarum audiens. Sic tibi festino et parato divina persequi. Et ut ibi mystica, et ut multis ineffabilia et ut incognita, tibi relinquamus, ipse multis quos erat communicare, et quantos poterat in eam quæ secundum nos est sacram scientiam adducere. Quomodo supereminebat multos sanctorum magistrorum et temporis mora, et mentis puritate, et ostensionum diligentia, et ceteris sacris orationibus. Itaque nequaquam aliquando ad sic magnum solem contradicere conati sumus.

Sic enim nosmetipsos constituimus et cognovimus, ut neque sufficienter intelligere invisibilia divina capiamus, neque ut ineffabilia divinæ cognitionis liceat dicere et exponere. Longe autem existentes, deserimur divinorum virorum in theologicam veritatem scientia; quia omnino etiam in hoc per abundantem timorem venimus, neque omnino audire aut dicere quid de divina philosophia, si non secundum

intellectum percepimus. Sic non oportet susceptionem divinarum cognitionum negligere. Et hoc nos docuerunt, non solum juxta naturam appetitus animorum amabiliter semper dulces, adjuncta supernaturalium contemplatione ; sed et ipsa divinarum legum egregia dispositio, ea quidem quæ super nos, depellens multum actitare, et ut super dignitatem et ut impossibilia, omnia autem quæcumque a nobis appetuntur et donantur, discere attente imperans et divinitus aliis tradere. His igitur et nos suasi, et ad possibilem divinorum inventionem laborantes, aut formidantes, sed et non valentes in nostrum meliora adspicere, inadjutos relinquere non sustinentes, in conscribendum nosmetipsos perduximus : novum quidem nihil introducere audentes, subtilioribus autem et secundum partes singulas interrogationibus, quæ præclare dicta sunt vere ab Hierotheo discernentes et exprimentes.

ARTICULUS XXII

ELUCIDATIO PRIMÆ PARTIS CAPITULI HUJUS TERTII : QUÆ SIT ORATIONIS VIRTUS SIVE EFFICACIA.

ET *primam, si videtur, perfectissimam et omnium Dei processionum manifestatoriam, optimam nominationem pronuntiemus :* hoc est, « pronuntiemus », id est, proferamus et describamus, « si videtur », id est, quia merito ita videri et rationabile apparere debet bene consideranti, « nominationem Dei optimam, primam, perfectissimam », id est nomen Dei primum ac convenientissimum, « et manifestatoriam », id est declarativum, « processionum Dei omnium », id est universarum divinarum emanationum : videlicet hoc nomen, Bonum, cujus proprietas est esse diffusivum et communicativum sui ipsius : sicque in sua ratione includit id quod est radix ac ratio diffundendi et communicandi se aliis, ac per hoc est manifestativum omnium divinarum emanationum, quia designat et exprimit id quod est fontalis, radicalis et prima ratio derivandi se ceteris. Propterea dixit Psal-
Ps. cxviii, 68. mista : Bonus es tu, et in bonitate tua doce me justificationes tuas. Atque ut refert S. Hieronymus, beatus abbas Mutius dixit discipulo : Dabit tibi Dominus gratiam, bonus est enim. Imo bonitas Dei est ratio, causa atque principium omnium donorum ac beneficiorum suorum.

Optimarum principalem et superoptimam invocantes Trinitatem : id est, exorantes Deum gloriosum, trinum ac simplicem, « optimarum principalem et superoptimam », id est incomparabiliter eminentem cunctis bonitatibus secundorum ; *declarativam omnium sui optimarum providentiarum,* id est, ostendentem nobis per illuminationem internam et per Scripturas aliorumve informationem, cuncta optima dona sua, naturalia atque gratuita, quæ providentialiter nobis largitur, et ex sua provisione æterna hominibus impertitur. Sic quippe scriptum est : Omne datum Jac. i, 17.
optimum et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum. Paulus quoque : Spiritum, inquit, non I Cor. ii, 12.
hujus mundi accepimus, sed qui ex Deo est, ut sciamus quæ a Deo donata sunt nobis. Quæ omnia nobis manifestat in communi aut speciali, et certitudinaliter aut

probabiliter, imo certissime scimus omne bonum esse ab ipso, et quidquid boni in nobis est, ab ipso fluxisse primordialiter, non naturali necessitate, sed providissima atque liberrima voluntate, cujus providentia conditi sumus et gubernamur.

Oportet autem nos orationibus primum in eam ut bonorum principium tendere : id est, recte dixi invocandam esse superbeatissimam Trinitatem, quia « oportet » necessitate conditionali, sicut oportet fidem et caritatem habere si debeamus salvari, « nos tendere primum », id est primo ac principaliter reverti et converti, in altissimam Trinitatem « ut » in « principium bonorum », id est tanquam in primum et exemplare totius boni causati principium, cujus auxilio indesinenter egemus. Propter quod ipsum jugiter invocare debemus, prout deprompsit Salvator : Luc. xviii, 1. Oportet semper orare, et non deficere.

Et magis ei appropinquantes, id est, per mentis conversionem et fervoris ac devotionis affectum omniumque virtutum profectum, Deo propinquius nos jungentes : cui non loco, sed puritate et assimilatione imitativa approximamus, juxta illud Jacobi : Jacob. iv, 8. Appropinquate Deo, et appropinquabit vobis. *In hac doceri*, id est in hac approximatione illuminari ac instrui, secundum illud Psalmi : Psal. xxxiii, 6. Accedite ad eum, et illuminamini. In Deuteronomio quoque dicitur : Deut. xxxiii, 3. Qui appropinquant pedibus ejus, accipient de doctrina illius. *Optima dona circa eam collocata*, id est præstantissima munera gratiæ ac gloriæ, in manu et potestate summæ Trinitatis consistere, ad infundendum et communicandum, ad conservandum ac perficiendum ea, quibus et quando et quantum et quomodocumque ei placuerit, juxta illud Job : Job xxxvi, 32, 33. In manibus abscondit lucem, et præcipit ei ut rursus adveniat ; annuntiat de ea amico suo quod possessio ejus sit, et ad eam possit ascendere. « Optima » quoque « dona collocata » sunt « circa » Deum, id est in his qui Creatori suo virtutibus sunt uniti, et quasi in ejus vestibulo positi, prout de summa hierarchia primo libro est introductum. Art. iv. Dicitur itaque aliquid esse apud et circa seu juxta Deum, non quod sit extra eum, quum et de Unigenito scriptum sit, Hoc Joann. i, 2. erat in principio apud Deum ; sed quia non distans nec longe ab eo, aut alio modo jam tacto.

Verum his objici potest quoniam teste Apostolo, Accedentem ad Deum oportet Hebr. xi, 6. credere quia est. Nec sine fide potest quis Deo placere, nec sine caritate potest homo meritorie Deo uniri. Ergo per fidem et caritatem primum in Deum reducimur, non per orationem. Et respondendum, quod in eodem actu meritorio plures concurrunt virtutes secundum modum diversum. Oratio autem est præcipuum reductivum in Deum, tanquam vehiculum impetrativum ac reportativum ab ipso gratiæ concupitæ.

Etenim ipsa quidem omnibus adest. Deus quippe est ubique et semper, atque in omnibus est per essentiam, præsentiam et potentiam, sine cujus conservatione nil creatum potest ad momentum subsistere. Unde in Actibus asserit Paulus : Non longe Act. xvii, 27, 28. est ab unoquoque nostrum, in ipso enim vivimus et movemur et sumus. Qui dixit per Jeremiam : Cœlum et terram ego im- Jer. xxiii, 24. pleo. *Non omnia vero ei adsunt* : quia ut in libro Proverbiorum scriptum est, Longe Prov. xv, 29. est Dominus ab impiis. Qui per Prophetas frequenter conqueritur de iniquis, Aver- Is. i, 4 ; Jer. viii, 5 ; Ezech. xxiii, 35 ; Soph. i, 6 ; Zach. vii, 11 ; si sunt ; et, Recesserunt a me. Verumtamen in ejus scientia omnia continentur, et in ipsius immensitatem universa conclusa sunt, cui soli boni adsunt per Ezech. ii, 3 ; xiv, 5 ; xliv, 10 ; Osee vii, 13, 14. caritatem et gratiam, ac noti sunt per approbationem. Hinc peccatoribus loquitur Isaias : Iniquitates vestræ diviserunt Is. lix, 2. inter vos et Deum vestrum.

Tunc autem quum eam invocamus castissimis quidem orationibus, id est precibus puris, devotis ac fervidis, in quibus nil quæritur nisi honor et gloria Domini animarumque salus, et si quæ alia postulantur, referuntur ad illa, *revoluto quoque animo*, id est mente simplificata ac re-

collecta in Deo, absque involutione vanorum phantasmatum ac vilium distractionum imaginumve turpium, *et ad divinam unitatem opportunitate,* id est cum convenienti coaptatione ad gratiosam, virtuosam ac fixam unitionem cum Deo. Qui enim adhæret Deo, unus spiritus fit cum eo. *Tunc et nos ei adsumus,* id est, in tali conversione ad Creatorem exhibemus nos meritorie ac laudabiliter ei præsentes, ac vinculo dilectionis ei adstringimur. Propter quod ait per Zachariam : Convertimini ad me, et convertar ad vos. Ideo fertur in Psalmo : Prope est Dominus omnibus invocantibus eum. Et in Deuteronomio loquitur Moyses filiis Israel : Patribus tuis conglutinatus est Dominus. Qui item per Jeremiam fatetur : Sicut adhæret lumbare ad lumbos viri, ita agglutinavi mihi omnem domum Israel.

I Cor. VI, 17. — Zach. I, 3. — Ps. CXLIV, 18. — Deut. X, 15. — Jer. XIII, 11.

Sic etiam in meditationibus bonis et contemplationibus splendidis, psalmodiis et laudibus Dei, omnique actu devoto, adsumus Deo. Ad quod assidue enitamur. Et ut nostræ orationes castissimæ sint, satagamus ab omni carnali affectu irrefrenatisque motibus passionum, et omni torpore, tepore, negligentia et incustodia cordis esse immunes.

Ipsa enim neque in loco est, id est, superessentialis Trinitas non « est in loco » circumscriptive, nec definitive, sed potius per transcendentiam quamdam, et quoniam [Deus] nullibi deest ac omnia penetrat et includit, in omnibus, non inclusus, extra omnia, non exclusus, sicut et de hoc dictum est sæpe. Trinitas igitur superexaltata, non est in loco, *ut et a quodam aut ex aliis in alia transeat,* id est, ita ut moveatur ex uno loco in alium, aut ex aliquibus in alia, seu ex termino a quo, ad terminum ad quem, quia non est in loco terminative, commensurative, aut variabiliter, quamvis multoties in Scripturis dicatur descendisse, ascendisse, advenisse, abisse, et in medio ambulasse : quæ, sicut et consimilia, affirmantur de supersimplicissimo, incircumscriptibili et immateria-

A lissimo Deo, metaphorice et per effectum ac more humano, vel per creaturam subjectam, sicut fertur in Genesi : Ascendit Deus ad Abraham ; et in libro Job : Si venerit ad me, non videbo eum, et si recesserit a me, non intelligam ; in Deuteronomio quoque : Dominus Deus tuus ambulat in medio castrorum.

Gen. XVII, 22. — Job IX, 11. — Deut. XXIII, 14.

Sed et in omnibus exsistentibus eam esse, dicere relinquitur, id est, concluditur et superest, ac ex Scripturis convincitur, imo et ex naturali ratione, incomparabi-
B lem Trinitatem seu interminabilem Deum, « esse in omnibus » rebus, non localiter nec tangibiliter, sed causaliter, conservative, non inclusive, sed transcendenter. Ideo subditur : *super omnia.* Nempe essentiis nobilioribus congruit excellentior modus essendi in : quumque superdignissimus Deus sit excellentiæ penitus infinitæ, convenit sibi soli modus esse in rebus singularis ac eminentissimus ; atque in illis dicitur specialiter esse, ubi eminentius aut gratiosius operatur, et ubi clarius
C se ostendit. *Et omnium comprehensiva multitudinis,* id est, supersanctissima Trinitas multitudinem universorum in se comprehendit, includit, cognoscit, et quasi præsentialiter intuetur.

Nos igitur ipsos orationibus extendamus, id est, mentes nostras elevemus per fervidas preces, *in divinorum et optimorum radiorum excelsiorem respectum,* id est ad considerationem ac intuitum valde præclarum cœlestium et intellectualium luminum, seu supernaturalium donorum
D gratiæ ac gloriæ illuminationumque supernarum, seu nominum divinorum, de quibus jam infra tractabimus.

Veluti multi luminis splendorem ex cælesti summitate suspensum, id est tanquam in candorem luminosum plurima ex se lumina scintillantem ac diffundentem, a summa altitudine prodeuntem, et quasi objectum et oblatum nobis ad intuendum, ut extendamur in ipsum. Quemadmodum enim imaginamur gratiam gratum facientem spiritualiter ac suo modo causaliter

ratificari in habitus virtutum ac donorum; Ita concipiamus lucem quamdam creatam a Deo profluere, quæ quamvis in sua entitate sit quid particulare, tamen abstracte considerata, plurium luminum est contentiva, et non tantum causativa, secundum quod genus causa est speciei, et species individuorum. *In nos quæ hic sunt pervenientem*, id est, usque in corda hominum descendentem, juxta illud Jacobi :
Jacob. i, 17. Omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum.

Et nosmet in ejus conspectum manibus A *attollentes agentes*; hoc est, « agentes », id est, conantes et satagentes, « in conspectum ejus », id est ad ejus intuitum claritatem pertingere et oculos in ipsam defigere, « manibus attollentes », id est viribus ad hoc applicatis aut etiam corporalibus manibus præ desiderio elevatis, juxta illud ad Timotheum : Volo viros orare in
I Tim. ii, 8. omni loco, levantes puras manus; in Threnis quoque : Levemus corda nostra cum
Thren. iii, 41. manibus ad Dominum in cœlos. Hæc enim corporalis elevatio oculorum et manuum in cœlum disponit et confert ad perfectionem elevationem mentis in Deum summum. Propter quod dicitur per Isaiam : Levate in excelsum oculos vestros,
Is. xl, 26. et videte quis creavit hæc. *Trahere quidem nos putamus*, id est, prima facie et ante acutam considerationem, æstimamus nos ipsam lucem trahere atque deducere ad nos.

Veritate autem non deducimus illam, id est, revera non trahimus lucem illam ad nos, *et sursum et deorsum præsentem*, id est, coexsistentem cunctis qui quærunt et cupiunt ipsam, ubicumque consistant, juxta quod de luce sapientiæ scriptum
Sap. vi, 14. est : Præoccupat qui se concupiscunt, ut se prior illis ostendat. Amplius potest istud exponi de globo, catena seu columna lucis sensibilis quæ circumferentialiter se diffundit per omnem differentiam loci, emanans ex sphæra et corpore solis, ad cujus luminis ortum gaudemus. Unde et
Job xxxvii, 3. in libro Job inducitur : Super omnes cœlos ipse considerat, et lumen ipsius super terminos terræ. *Sed nos ipsi reducimur*, id est, ipsimet erigimur ac reddimus, *ad sublimiores lucidissimorum radiorum claritates*, id est ad speculationem limpidiorem luminum cœlestium ac supernorum seu divinorum charismatum et intellectualium naturarum.

Consequenter ponitur ad hoc ostendendum, aliud ac secundum exemplum. *Aut velut in navim ascendentes, et recipientes ex quadam petra extentos funes et velut nobis in receptionem datos* : id est, istud quod dixi ita se habet, ac si nos ingrederemur navigium, et caperemus in manibus nostris chordas fixas in magno saxo et ex illo protentas usque ad nos, ad quarum chordarum apprehensionem exhiberemus nos paratos; *non ad nos petram, sed nosmetipsos in veritate et navim ad petram adducimus*, id est, in tali casu non trahimus saxum illud ad nos, imo nos ipsos ac navim movemus ad petram. Similiter ad immobilem Deum nos ipsos re- C ducimus orando et contemplando ac ipsum colendo, juxta illud in Threnis : Converte Thren. v, 21 nos, Domine, ad te, et convertemur.

Sicut et hoc in contrarium, id est, quemadmodum etiam hoc accidit econverso : *si quis juxta validam petram stans in navi repellatur*, id est, veluti si aliquis stet in navi posita apud duram ac fortem petram, « repellatur » et elongetur a petra trudendo seu impingendo cum remo ad illam, *aget quidem nihil in stantem et immutabilem petram*, id est, non movebit D illam de loco suo, quæ immobiliter fixa est : juxta illud ad beatum Job, Numquid Job xviii, 4. propter te derelinquetur terra, et transferentur rupes de loco suo? Porro petra talis fertur immobilis, quia difficulter est mobilis; et immutabilis quantum ad locum, quamvis absolute loquendo, corruptibilis sit atque mutabilis, tanquam quid mixtum. Simili modo dum peccando Deum offendimus, ipse nequaquam movetur, nec offensus mutatur, nec recedit localiter. Ad quod insinuandum, apud Jeremiam pro-

Jer. XII 19. testatur : Numquid me ad iracundiam provocant ? nonne semetipsos in confusionem vultus sui ? *Se vero ipsum ab illa segregabit, et quanto magis eam repulerit, tanto magis ab ea revertetur.*

Proinde et ante omne, et magis ex theologia, oratione inchoari oportet, id est, in hac materia potissime ab invocatione divini auxilii incipere ante cetera oportet. Et hoc ex Scriptura constat (ex qua etiam forma orationis accipitur), quum dicat Salvator : Sine me nihil potestis facere. In Ecclesiastico quoque docetur : Non impediaris semper orare. Hinc et Plato in primo Timæi deprompsit : Deliba cœptum, ut mos est, vocata in auxilium Deitate ; et post pauca : Sit, inquit, meis precibus comprehensum maxime quidem, ut ea dicantur quæ placeant Deo.

Joann. XV, 5. Eccli. XVIII, 22.

Non ut trahentes ubique præsentem et A *nusquam virtutem* : id est, non sic oremus ut insipienter putemus nos posse omnipotentem et incircumscriptibilem Deum, « ubique præsentem » et nullibi localiter exsistentem, trahere ad nos per localem accessum et appropinquationem. Hoc est quod ait, « non ut trahentes virtutem », id est omnipotentiam Dei, qui est sua virtus, « præsentem ubique et nusquam », sicut expositum est. *Sed ut divinis memoriis et invocationibus nosmetipsos immittentes ei*, id est, quatenus per assiduas commemo- B rationes Dei beneficiorumque ejus et per preces indesinentes, uniamus nos intime illi. Unde oratio dicitur esse ascensus mentis in Deum ; et qui Deum exorat, divinæ misericordiæ ac propriæ miseriæ recordatur. *Et adunantes*, id est, unum nos cum Deo facientes, secundum illud : Qui adhæret Deo, unus spiritus est cum eo. I Cor. VI, 17.

ARTICULUS XXIII

CUR POST B. HIEROTHEUM S. DIONYSIUS HOSCE LIBROS THEOLOGICOS CONSCRIPSERIT.

E*T hoc autem æqua defensione dignum*, id est, hoc ipsum quod ista tractare et scribere audemus, dignum est expurgatione qua nos ipsos purgamus a nota præsumptionis et superfluitatis, quæ nobis posset imponi eo quod de hac materia edimus librum hunc postquam B. Hierotheus de ea conscripsit. Hinc alia translatio habet : Et hoc excusatione dignum. *Quia glorioso duce nostro Hierotheo theologica diligentissime elementa excellentissime congregante*, id est, quia ductor et doctor noster Hierotheus, famosus et ex- D cellens, collegit valde docte et diligenter « elementa theologica », id est fundamenta atque exordia, ex Scripturis, quibus liber iste innititur, roboratur ac comprobatur, *nos tanquam non sufficientibus illis, aliasque et præsentem theologiam conscri-* C *psimus*, id est, quod illis non obstantibus, compilavimus « theologiam præsentem », id est istum theologicum librum de Divinis nominibus, « aliasque », id est alias theologicales editiones quamplures, quasi libri Hierothei non sufficiant.

Etenim si quidem ille deinceps actitare omnes theologicas actiones dignum duxisset : id est, certe si Hierotheus dignatus fuisset « actitare », id est pertractare ac frequenter exponere, « actiones omnes theologicas », id est universas operationes Dei quæ in Scripturis tanguntur, aut ex illis eliciuntur ; *et partitis ambitibus*, id est particularibus circuitionibus, declarationibus et allegationibus, *pertransisset totius Theologiæ capitulum*, id est, elucidando tractasset et percurrisset distinctiones et seriem universæ Scripturæ ad suum

propositum pertinentia, ne fortassis non in furorem aut insaniam aut stultitiam veniremus; id est, nos non extendissemus nostram locutionem in tam magnum et longum sermonem et tractatum circa divina, ex cordis amentia aut insipientia : ex quarum altera istud videretur aut videtur procedere, si Hierotheus de his plane ac diffuse determinasset; *tanquam perspicacius illo et divinius arbitrando theologica addere delectabiliora* : hoc est, quasi « arbitrando », id est putando seu judicando, nos « addere theologica », id est theologicis scriptis Hierothei, « delectabiliora », id est pulchriora suavioraque documenta, « tanquam » tractaturi de his « perspicacius », id est clarius ac divinius, « illo », utpote Hierotheo : quod præsumptuosum apparet, quum non sit discipulus super magistrum.

Matth. x, 24.

Hæc superflue dicentes, id est, immoderate et infructuose scribentes, quum ab illo satis essent determinata. Unde alia littera continet : Hæc eadem dicentes. Nam sicut in Job scriptum est : Semel loquitur Deus, et secundo id ipsum non repetit.

Job xxxiii, 14.

Ac si parvi pendendo ad hæc, id est, ita nos habendo ac si comparatione horum quæ ipsi nos scribimus, vilipenderemus scripta Hierothei, tanquam melius illo scripturi, *et injuriam faciendo et in magistrum et amicum consistentem*, id est inferendo injuriam Hierotheo, qui est magister atque amicus noster, *et nos post Paulum divinum in illius eloquiis formati, gloriosissimam ejus et contemplationem et explanationem nobismetipsis subripientes* : id est, « nos formati », id est informati et instructi, « post Paulum divinum », id est post informationem quam a Paulo apostolo suscepimus quando ab ipso conversi sumus, « in eloquiis illius », id est in verbis ac scriptis Hierothei, « subripientes », id est, furtive et vane nobis ipsis attribuentes, « gloriosissimam contemplationem », id est celeberrimas ac sapientissimas considerationes ipsius, « et explanationem », id est expositiones præ-

A claras quibus exposuit secreta ac difficilia Scripturarum.

Sed quoniam veritate quæ divina sunt pretiose introducens ille, id est, « quoniam » Hierotheus « introducens », id est, tractans, allegans et exponens, « pretiose », id est subtiliter et profunde ac sententiose, « veritate », id est revera, ea « quæ divina sunt », id est ad superbeatissimæ Trinitatis mysterium ac simplicissimam deitatem incarnationemque Christi pertinentia ac consimilia, *conspicuas nobis definitiones exposuit*, id est, claras

B determinationes nobis exhibuit ac donavit quæ ex sua natura claræ et lucidæ sunt, quamvis minus peritis sint prorsus obscuræ, quemadmodum secundo Primæ philosophiæ, substantiæ separatæ dicuntur manifestissima naturæ, *et in uno multa ambiens*, id est, modico sermone plura complectens et comprehendens; *prout possibile nobis et his quicumque sunt secundum nos, magister nuper perfectarum animarum jubens aperire et discernere*

C *nobis commensurabili sermone* : id est ipse Hierotheus exsistens « magister animarum » fidelium « perfectarum nuper » ex illuminatione divina et sublimi doctrina sanctorum doctorum, « jubens aperire », id est aliis palam tradere, « et discernere », id est discrete exponere, « nobis commensurabili sermone », id est verbis proportionatis et aptioribus intellectui nostro pro simpliciorum informatione : « jubens », inquam, hoc « nobis et his quicumque sunt secundum nos », id est nobis doctio-

D ribus et consimilibus nobis, quantum « nobis possibile » est. « Aperire » dico, *conspicuos et potentes intellectualissimæ viri illius virtutis ambitus* : hoc est, « ambitus », id est conclusiones, sententias et continentias seu tenores, « conspicuos et potentes », id est in se claros et fortes, « viri illius », utpote Hierothei, « virtutis intellectualissimæ », id est potentiæ ingeniosissimæ mentis. *Et sæpe nos et tu ipse in hoc hortatus es*, id est, etiam tu, Timothee, frequenter exhortatus es nos hoc

facere, utpute difficillima scripta Hierothei clarius tibi exponere, *et librum ipsum ut superexaltatum remisisti*, id est, volumen de Divinis nominibus a Beato editum Hierotheo, quod misi tibi ad perlegendum, mihi « remisisti » tanquam « superexaltatum », id est nimis difficili stilo ac sensu, et excedens tuum ingenium.

Propterea et nos eum quidem, ut perfectorum et honorabilium sensuum magistrum, his qui super multos sunt segregamus : id est, Hierotheum « segregamus », hoc est, a communi hominum grege dividimus, adjungendo eum « his qui sunt super multos », id est eminentioribus viris qui commune genus hominum transcendunt : perfectio namque quo major, eo paucioribus inest hominibus; « ut magistrum sensuum perfectorum et honorabilium », id est tanquam doctorem et conscriptorem sententiarum speculativarum altissimarum, quæ sunt de numero bonorum honorabilium, hoc est per se et propter se desiderabilium, ut in exordio libri de Anima tangitur; *veluti quædam secunda Eloquia,* id est, tanquam dicta angelica, desuper inspirata verba et scripta Hierothei extollimus et superlocamus, ita quod verba angelorum sanctorum dicantur prima, quorum comparatione ista dicantur « secunda » ; vel, Secunda, quasi post verba beatissimorum Apostolorum ac Scripturæ canonicæ merito ordinanda præ excellentia sua ; *et Deo unctos consequentem,* id est, Hierotheum reponimus mox sequentem sanctos Apostolos Spiritu Sancto præ aliis plenius « unctos », juxta il-
Rom. viii, 23. lud Pauli : Nos ipsi primitias Spiritus habentes.

His autem qui secundum nos sunt, id est, qui non sunt in tam præeminenti perfectione et gradu constituti, *proportionaliter nos nobis divina trademus,* id est, docebimus divina et catholica documenta juxta mensuram et proportionem seu facultatem scientiæ nobis concessæ, et secundum capacitatem ipsarum. Informatio quippe coaptanda est capacitati audien-

A tium, dicente Apostolo : Sapientiam loquimur inter perfectos ; itemque : Non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi parvulis in Christo lac dedi. I Cor. ii, 6. Ibid. iii, 1, 2.

Si enim perfectorum est solida esca, id est, ex quo perfectis, spiritualibus et contemplativis competit spiritualis refectio, sapientialis doctrina, et informatio valde interna de grandi perfectione. Hoc sumptum est ex eo quod ad Hebræos ait Apostolus : Perfectorum autem est solidus cibus, eorum qui pro consuetudine exer- Hebr. v, 14.
B citatos habent sensus ad discretionem boni et mali. *Tali esu alios reficere quantæ fuerit perfectionis ?* id est, utique magnæ perfectionis est alios talia idonee edocere, præsertim quum nemo queat alios efficaciter vitam internam ac viam perfectionis exercitiaque virtutum instruere, qui talia in se ipso per exercitationes et gustum mentalem expertus non est. Propter quod Isaias inquirit : Quem docebit Dominus Is. xxviii, 9. scientiam ? et quem intelligere faciet auditum ? Ablactatos a lacte, avulsos ab ube-
C ribus. In libro Job item inducitur : Sapientia ubi invenitur ? et quis est locus Job xxviii, 12, 13, 18. intelligentiæ ? Nescit homo pretium ejus, nec invenitur in terra suaviter viventium : trahitur autem sapientia de occultis. Unde et Timotheo scripsit Apostolus : Hæc II Tim. ii, 2. commenda fidelibus hominibus qui idonei erunt et alios docere.

Hinc subditur : *Recte ergo* * *a nobis et convenientissime hoc dictum est : per se ipsam quidem contemplativam invisibilium Eloquiorum visionem et conspecti-*
D *vam eorum doctrinam, honorabilis indigere virtutis :* id est, « recte » omnino et valde congrue diximus quod visio, id est clara intuitio seu formata et affectiva intelligentia, spiritualium Scripturarum per se contemplativa, id est, limpide cernens divina, et doctrina talium conspectiva sine involutione phantasmatum atque inquietatione passionum ac vitiorum, indigeat et requirat venerabilem firmitatem, virtuositatem seu senectutem, vel diuturnam exercitationem. Unde translatio alia habet,

* igitur

Provecta indiget ætate; alia vero, Senilis esse virtutis. Quod et de corporali ætate potest verificari, juxta illud in Job: In antiquis est sapientia, et in multo tempore prudentia. (Job XII, 12.) Aptius tamen de spirituali canitie: quæ teste Ambrosio, in B. Agnete, terminabatur, quæ ætatis anno fuit tredecima. De qua fertur in libro Sapientiæ: Senectus venerabilis est, non diuturna, (Sap. IV, 8.) neque annorum numero computata; cani autem sunt sensus hominis, et ætas senectutis vita immaculata. Namque gratia Spiritus Sancti naturæ limitibus non arctatur. Hanc perfectionem prædictam quibusdam electissimis in tenera adolescentia seu juventute constat esse collatam.

Hanc autem formativam verborum scientiam et disciplinam, minoribus divinis ac sacratis convenire, id est, notitiam et directionem sermonum introducentium ad tantam perfectionem, diximus pertinere ad eos qui minus devoti sunt et applicati ad meliora, ut sunt incipientes et proficientes, ad quos spectat addiscere moralia et devotionalia documenta, modum et formam proficiendi in schola virtutum tradentia, ut sciat unusquisque quæ suam vocationem, statum et gradum concernunt.

Hinc talibus scripsit Apostolus: Quasi parvulis in Christo lac dedi vobis, non escam. (I Cor. III, 1, 2.) Sacratissimus quoque princeps Apostolorum: Quasi (inquit) modo geniti infantes, rationabiles sine dolo, lac concupiscite, ut in eo crescatis in salutem. (I Petr. II, 2.) *Atqui*, id est certe, *et hoc nobis observatum est valde modulose*, id est, nos sæpe observavimus istud multum convenienter ac consonanter, videlicet contemplativam visionem senioribus convenire ac reservari.

Itaque ipso divino duce juxta expressionem lucidam bene discretis, nihil injungendum nostrum unquam: id est, nunquam innectendum, interponendum aut adjiciendum est aliquid a me, « discretis bene », id est distincte et ordinate prolatis ac scriptis ab Hierotheo ductore nostro, « juxta expressionem lucidam », id est quantum ad ea quæ ipse plane expressit; *ad tautologiam*, id est quasi ad complendum tractatum theologicum compilatum ab illo, *in propositi ab eo eloquii explanationem*, id est ad exponendum ac declarandum verba ab Hierotheo proposita et inducta: qui tantus fuit, quod et gloriosissimi Apostoli sapientiam illi collatam admirabantur, quemadmodum subditur.

ARTICULUS XXIV

S. HIEROTHEI LAUS PRÆCLARA.

QUONIAM *et cum ipsis Deo acceptabilibus nostris sanctis sacerdotibus, quando et nos, ut æstimatur, et tu, et multi sanctorum nostrorum fratrum, in visionem vitam inchoantis et Deum recipientis corporis convenimus*: id est, « quando et nos » Dionysius Areopagita, « ut æstimatur », id est, a fidelibus pie creditur qui tibi noti erant (alia littera habet, Ut nosti), « et tu », Timothee, « et multi sanctorum nostrorum fratrum », inter quos fuit et Hierotheus, « convenimus » corporaliter et unanimi intentione « in visionem », id est ad conspectum et considerationem, « corporis inchoantis vitam et recipientis Deum »: de quorum expositione verborum paulo post plenius tangam.

Aderat autem et Dei frater Jacobus, utputa Jacobus Minor, « frater » Christi, quia ex duabus sororibus nati fuerunt. Christo quoque simillimus erat in vultus effigie, morum quoque maturitate. Quem primo

nominat Dionysius, quia tunc Jerosolymorum fuit præsul. *Et Petrus vertex*, id est summus seu summitas Apostolorum, *et honorabilissima theologorum summitas*, id est præstantissimus apex, princeps ac præsidens primorum et supremorum illorum Christi discipulorum de Deo loquentium. Ex quibus verbis ostenditur beatissimi Petri superioritas, principatus ac dignitas super Apostolos ceteros. Nam et alia habet translatio : Petrus verticalis et senioralis theologorum summitas ; alia vero : Et Petrus supremum decus et antiquissimum Apostolorum culmen : rursusque alia : Petrus summa et provectissima theologorum summitas. Quia videlicet post Christum fuit supremus, generalis ac plenus pastor ac præsul Ecclesiæ, et plenus Christi vicarius.

DE CELEBRI APOSTOLORUM ALIORUMQUE SANCTORUM VIRORUM APUD S. MARIAM DEI GENITRICEM CONVENTIONE.

Circa hæc scribit Albertus : Apostoli et multi ex discipulis, quorum congregationi interfuerunt Dionysius et Hierotheus, convenerunt in mortem beatæ Virginis. Alii quoque dicunt, quod quando Apostoli aliique discipuli debebant dispergi ad prædicandum Evangelium Christi, apparuit eis Christus pro confortatione eorum : propter quod convenerunt. De qua apparitione intelligunt quod ad Corinthios scripsit
I Cor. xv, 6. Apostolus : Post hæc apparuit plus quam quingentis fratribus simul. Sed hoc non videtur, quoniam illa apparitio subito facta est ; nec propter eam oportuit discipulos corporaliter in Jerusalem convenire, quum et Petro apparuit Romæ, quum dixit : Vado Romam iterum crucifigi. Præterea non dixisset, Visionem corporis Christi, sed, Christi visionem. Ipse enim non est corpus suum. Melius ergo est dicere, quod convenerunt in morte beatæ Virginis, de qua corpus Christi acceptum est, et quæ Deum Dei Filium suscepit in utero. Hæc Albertus. — Cujus opinioni concordat quod in Aurea fertur legenda, in historia de Assumptione beatissimæ et incomparabilis Virginis, quod non solum Apostoli, sed Dionysius quoque, Timotheus, Hierotheus, ac alii plures discipuli, convenerunt et interfuerunt dormitioni præstantissimæ Virginis : quæ Christum (qui est via, veritas et vita) concipiendo Joan. xiv, 6.
et pariendo, recte asseritur vitam inchoasse, et princeps vitæ vocatur.

Huic expositioni videtur obsistere, quod dormitioni Dominæ gloriosissimæ omnes Apostoli adfuisse narrantur ; hic autem fit mentio de solo Petro et Jacobo, et infra de tertio, scilicet Paulo.

Alii exponunt de conventione præfatorum Apostolorum atque discipulorum ad disputandum et conferendum de mysterio incarnationis Filii Dei, quemadmodum S. Paulus ad Galatas recitat : Post annos Galat. ii, 1, 2.
(inquiens) quatuordecim ascendi Jerosolymam cum Barnaba, assumpto et Tito ; et contuli cum illis evangelium quod prædico in gentibus. Sicque accipit Vercellensis.

Porro nonnulli melius considerantes, affirmant quod quidam sublimes viri ad fidem conversi et profundo fulgentes ingenio, audientes adhuc in Judæa esse ac agere in humanis admirandissimam et unicam illam puellam quæ salvo virginali signaculo concepit et peperit Unigenitum Dei salvatorem ac judicem mundi, admirati sunt vehementer dignitatem et excellentiam ejus. Hinc desiderio videndi eam accensi, condixerunt inter se simul venire ad eam.

Huic narrationi affert et confert credulitatem, quod B. Dionysius, vir profundissimi ac ferventissimi cordis, legitur a Græcia pervenisse in Judæam, et accessisse ac exorasse Joannem apostolum, ut ei dignaretur præstantissimam illam ostendere creaturam ex qua universorum principium nasci et prodire dignatum erat. Quumque Domina ipsa se præsentasset, Dionysius in tanta claritate, luce et gloria ipsam intuebatur, quod præ admiratione deficiens viribus, corruit mox in terram. At tandem reversus ad se, dixit : Nisi ex ratione naturali ac fide novissem esse aliam Deitatem, non putassem præter hanc

esse aliam Deitatem. Hoc idem recitat Ubertinus libro de Vita Salvatoris, addens quod Dionysius circa præclarissimam Virginem velut innumerabilem exercitum angelorum. — Præterea S. Ignatius in una epistolarum suarum ad sacratissimam Virginem, fervide rogat eamdem ut pro consolatione et confortatione sui et plurium neophytorum, dignaretur venire ad se. Porro in alia epistola protestatur se intente optare illam videre, et ad eam velle ascendere : Quem, inquiens, non delectet illam videre quæ concepit et peperit Deum, si tamen noster religionis amicus sit! Rursus in alia epistola rogavit præceptorem suum Joannem apostolum licentiam adeundi Jerusalem, ut Jacobum Christi fratrem conspiceret. Multo plus credendum magnum illum Ignatium ad sanctissimæ Virginis exarsisse conspectum.

De hoc in libro de Laudibus beatissimæ Virginis plenius scripsi. Ubi et fassus sum, probabile esse Paulum apostolum secum assumpsisse quosdam præclaros suos discipulos jam prælatos, dum prædicto quartodecimo anno ascendit Jerusalem et gesta tunc esse quæ de visione summæ Virginis a Dionysio jam narravi. Gal. II, 1.

Deinde placuit post visionem laudare summos sacerdotes simul omnes, quomodo unusquisque erat idoneus, id est, post præhabitam bonam visionem de præsentibus, quod summi sacerdotes, puta Apostoli, qui omnes erant episcopi, ac alii quidam majores discipuli, « quomodo unusquisque erat idoneus », id est unusquisque illorum secundum facultatem et gratiam sibi concessam, laudarent, *multum potentem bonitatem divinæ infirmitatis*, id est omnipotentem « bonitatem » atque immensam virtutem, utpote deitatem, « divinæ infirmitatis », id est Verbi incarnati, qui carnem assumpsit passibilem. De quo scriptum est per Isaiam : Dominus voluit eum conterere in infirmitate. Is. LIII, 10.

Omnibus dominabatur post theologos, ut nosti, aliorum sanctorum doctorum : id est, Hierotheus ceteros, demptis summis Apostolis, excessit et vicit sapientia et sermone, affectu et devotione, quantum ab hominibus conjici potuit, ut tu ipse nosti qui aderas ; *totus ex populo*, id est ex gentilibus natus, et ex gentilitate ad Christum conversus, *totus exiens* semetipso*, id est, se ipsum supergrediens per excellentiam divinorum charismatum et contemplationem æternorum, secundum illud Apostoli : Mente excedimus Deo. Et in Threnis dicitur : Levabit se super se. *Et ad laudata societatem patiens*, id est per mentis fervorem et eminentem divinorum participationem quasi transformatus in Deum, cujus caritatem, pietatem et liberalitatem ferventissime collaudavit, juxta illud ad Corinthios : Nos omnes revelata facie gloriam Domini speculantes, in eamdem imaginem transformamur a claritate in claritatem, tanquam a Domini spiritu. Unde alia habet translatio : Ille totus excedens, totus se deserens, et eorum quæ laudabat, consortium patiens. Alius vero transtulit : Totus ecstasim patiens.

* excedens

II Cor. V, 13.

Thren. III, 28.

II Cor. III, 18.

Hinc constat quod mysticæ theologiæ particeps fuit exuberanter, et totus caritatis ardore ignitus, assidue alteratus, inflammatus, liquefactus, æstuansque in Deum, atque in regionem luminis infiniti extentus, et sursum actus ac profundatus, et ubertim raptus in Deum, potens dicere illud Jeremiæ : Factus est sermo Domini in corde meo quasi ignis exæstuans claususque in ossibus meis ; et defeci, ferre non sustinens. Hoc est in homine hominem exuere. Jer. XX, 9.

Et ab omnibus quibus auditus est et visus est, et cognitus est et non cognitus est, Deo acceptabilis esse et divinus laudator judicatus : id est, Hierotheus iste tunc reputatus est vir Deo acceptus, idoneusque « laudator » Altissimi, prout in hoc statu et fragili carne potest viator esse dignus ac divinus Dei laudator, quamvis per comparationem ad infinitam excellentiam Dei nemo sit talis, quum et maximus

Marc. I, 7. ille vatum cecinerit : Non sum dignus A corrigiam calceamentorum ejus solvere. Talis, inquam, reputatus est ab omnibus ibi præsentibus, a quibus audiebatur, videbatur ac noscebatur, imo et ab aliis qui ante non noverant eum, sicut Galat. I, 22. ad Galatas scripsit Apostolus : Eram facie ignotus Ecclesiis Judææ quæ erant in Christo.

Et quid tibi de his quæ ibi theologice posita sunt, dicam ? quasi dicat : Tam profunda, divina, supernaturalia, incomprehensibilia, in illa Sanctorum congrega- B tione prolata sunt a gloriosis Apostolis et apostolicis viris theologicaliter ac saporose, tam ardenter ac dulciter, ut plene describere nequeam. *Etenim, si non a me ipso eloquerer,* id est, si loquendo non sum mei ipsius oblitus. Unde aliæ translationes habent : Si non me ipsum oblitus sum. *Sæpe scio a te,* id est, frequenter audivi et scivi a te, *et partes quasdam divinarum illarum hymnodiarum audiens,* id est audiendo verba tua quibus pro posse et parte repetisti prolata ab aliis C sanctissimis viris, utputa præconia Dei. *Sic tibi festino et parato divina persequi,* id est, dico et fateor « tibi », Timothee, qui festinus, fervens et paratus eras « persequi », id est perfecte sequi et pro posse apprehendere, « divina » quæ dicebantur ab illis.

Et ut ibi mystica, et ut multis ineffabilia et ut incognita, tibi relinquamus : id est, ut jam prætermittamus et omittamus referre ac scribere multa secreta ac « mystica » quæ dicebantur ibidem, quæ D « et multis ineffabilia » sunt « et incognita », quæ tamen « tibi » tanquam sapienti et capaci relinquimus meditanda ; vel, quæ « tibi » quoque « incognita » sunt, id est non plenarie nota ; *ipse multis usus erat communicare,* id est, Hierotheus conatus est ac studuit pluribus talia reserare et manifestare tempore opportuno, juxta illud Archiapostoli : Unusquisque sicut acceptit gratiam, in alterutrum illam administrantes. (I Petr. IV, 10.) Nam et Salomon : Deriventur, (Prov. V, 16) inquit, fontes tui foras, et in plateis aquas tuas divide. Nempe ut in Ecclesiastico fertur, Sapientia abscondita et thesaurus invisus, quæ utilitas in utrisque? (Eccli. XX, 32 ; XLI, 17.) *Et quantos poterat in eam quæ secundum nos est sacram doctrinam* adducere :* id est, studuit « adducere » ad intellectum sacræ Scripturæ « quæ est secundum nos », id est, nostræ capacitati et communitati proportionata est, « quantos poterat », id est, quoscumque valebat, loquendo eis tam plane ut potuit, ut decet pium ac discretum magistrum, qui non quærit se ostentare, sed discipulos informare.

* scientia n

Quomodo supereminebat multos sanctorum magistrorum, id est, quantum et qualiter splenduit præ multis sanctis doctoribus ac prælatis, *et temporis mora,* id est venerabili senectute, seu diuturnitate docendi, *et mentis puritate, et ostensionum diligentia,* id est demonstrationum ac declarationum evidentia et cautela, *et ceteris sacris orationibus,* id est aliis sanctis locutionibus seu exhortationibus ac precibus : [supple,] hoc tu nosti. *Itaque nequaquam aliquando ad sic magnum solem contradicere conati essemus,* id est, « nequaquam » unquam præsumpsimus « contradicere » (aut contraspicere) tanto viro, qui ob tantam suæ sapientiæ claritatem fulgentissimasque doctrinas, ac fervida hortamenta et verba flammigera, recte per metaphoram, sol, imo et in suo ordine sol magnus, vocatur. Unde dicit Ecclesiasticus : Quasi sol refulgens, sic ille (Eccli. L, 7.) effulsit in templo Dei.

ARTICULUS XXV

QUAM HUMILITER S. DIONYSIUS DE SE IPSO ET DE SUO OPERE SENTIAT

SIC vero, nosmetipsos constituentes et experientes, id est, ita de nobis sentientes, id tales nos inter homines exhibentes ac reducentes, ut neque sufficienter intelligere sensibilia dicta possimus, id est, quod capere non valemus « divina » immaterialia, ad intelligendum ac penetrandum ea limpide et acute. Propter quod dictum est primo libro : Impossibile est nobis splendere divinum radium, nisi circumvelatum varietate sensibilium formarum. Neque ut ineffabilia divinae cognitionis liceat dicere et exponere, id est, nec ut quod « liceat » aut possibile nobis sit perfecte exprimere aut elucidare « ineffabilia » illa divina, praesertim quae directe cadunt sub fide ; quae tamen a doctoribus aliqualiter exprimuntur, persuadentur ac probabiliter fulciuntur, atque per donum intellectus conspiciuntur, juxta illud Leonis Papae in homilia : Non ambigimus ita vobis radium resplenduisse divinum, ut quod vobis fide est insitum, id sit etiam intelligentia comprehensum.

II Cor. v, 6. *Longe autem existentes*, id est, per fidem peregrinantes a Domino, et a cognitione Beatorum vehementer distantes, *deserimur divinorum virorum in theologicam veritatem scientia*, id est, etiam privamur « scientia virorum divinorum », id est perfectorum, praecipue illuminatorum, ut fuit Hierotheus, introducente « in theologicam veritatem », id est claram notitiam ac luculentam intelligentiam Scripturarum. *Quia omnino etiam in hoc per abundantiam timoris venimus*, id est, ex ingenti reverentiali timore pervenimus usque in hunc tractatum hujus theologicae veritatis, ex causis praetactis non audentes penitus subdicere, *neque omnino audire* A *aut dicere quid de divina philosophia*, id est de ipsa desuper revelata theologia, *si non secundum intellectum percepimus*, id est, nisi id quod fideliter et intellectualiter novimus aut debemus, incerta, ambigua ac ficta vitantes.

Sic non oportet susceptionem divinarum cognitionum negligere, id est, non expedit omnino « negligere », postponere seu non curare adeptionem scientiae salutaris nobis proportionatae sive possibilis, quum et Apostolus dicat : Semper crescentes in scientia Dei. Coloss. i, 10. B

Et hoc nos docuerunt, non solum juxta naturam appetitus animorum amabiliter semper dulces : id est, istud perpendimus non solum ex naturalibus desideriis animarum (quoniam omnes homines naturaliter scire desiderant, secundum Philosophum, quia scientia est perfectio creaturae rationalis), « amabiliter semper dulces », id est, desideria ista sunt vere suavia, quoniam excitant ad considerationes scientiales ac delectabiles. Hinc secundum Philosophum, delectationi quae est in C considerando, non est tristitia contraria. Philosophia quoque, secundum eumdem, admirabiles delectationes habet admixtas, potissime dum theologicae veritatis speculatione perfunditur atque perficitur. Unde subjungitur : *adjuncta supernaturalium contemplatione*, id est clara speculatione eorum quae per fidem apprehendimus, et consequi ac possidere in aeternum confidimus, juxta illud Apostoli : Spe gaudentes ; itemque : Oculus non vidit, nec auris Rom. xii, 12. I Cor. ii, 9. D audivit, nec in cor hominis ascenderunt quae praeparavit Deus diligentibus se.

Sed et ipsa divinarum legum egregia dispositio, id est praeclara ordinatio prae-

ceptorum Dei in Scripturis; *ea quidem quæ super nos* sunt, *depellens multum actitare,* id est, prohibens nos immoderate et assidue exercere, scrutari et attendere quæ vires et capacitatem nostram excedunt, sicut Ecclesiasticus ait: Altiora te ne quæsieris, et fortiora te ne scrutatus fueris; sed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita semper. In Proverbiis quoque dicitur: Sicut qui mel comedit multum, non est ei bonum; sic qui perscrutator est majestatis, opprimetur a gloria. Sic et Apostolus: Noli (ait) altum sapere, sed time. Unde et in Jeremia habetur: Quia plus fecit quam potuit, idcirco periit. Hæc ergo prohibuit, *et ut super dignitatem et ut impossibilia,* id est tanquam excedentia nostram mensuram et conditionem, et tanquam ea quæ plene capere non valemus. *Omnia autem quæcumque a nobis appetuntur et donantur, discere attente imperans et divinitus aliis tradere,* id est, dispositio Dei præcipiens ut illa diligenter discamus et aliis deiformiter communicemus, quæ naturaliter scire optamus, aut ex fide, gratia et Scripturis revelata seu concessa sunt nobis. Unde in libro Proverbiorum dicitur: Audi, fili mi, disciplinam patris tui. Hinc ad Colossenses dixit Apostolus: Postulamus ut impleamini agnitione voluntatis Dei in omni sapientia et intellectu spirituali.

Eccli. III, 22. — Prov. XXV, 27. — Rom. XI, 20. — Jer. XLVIII, 36. — Prov. I, 8. — Coloss. I, 9.

His igitur et nos suasi, id est ex his rationibus moti, *et ad possibilem divinorum inventionem laborantes,* id est, conantes acquirere notitiam divinorum, quam sive ex naturalibus nostris, sive ex dono gratiæ Dei, sive ex aliorum informatione invenire aut acquirere possumus, *aut formidantes,* id est, offensam Dei ac pœnam incurrere metuentes, si non conamur pertingere ad talem Dei cognitionem, qui loquitur per Osee: Quia tu scientiam repulisti, repellam et ego te, ne sacerdotio fungaris mihi; itemque: Scientiam Dei volui plus quam holocaustum. In Proverbiis quoque scriptum est: Dic sapientiæ, Soror mea es; et prudentiam voca amicam tuam. *Sed et non valentes in nostrum meliora adspicere, inadjutos relinquere non sustinentes:* id est, non tolerantes nec æquanimiter patientes eos « relinquere inadjutos », id est non instructos, et quantum nobis possibile est, non refocillatos nec suffragatos per nostram doctrinam, « non valentes », id est, eos qui non valent, « adspicere », id est intelligere, « in meliora nostrum », id est libros et documenta Hierothei et aliorum qui profundiores sunt nobis in scribendo, et meliora scripserunt quam nos.

Osee IV, 6. — Ibid. VI, 6. — Prov. VII, 4.

In conscribendum nosmetipsos perduximus, id est, nos ipsos excitavimus atque extendimus ad compilandum hæc scripta et libros; *novum quidem nihil introducere audentes,* id est, pro certo non præsumentes neque volentes docere aut inter alios seminare aliquid novi, quod scilicet dissonet a patrum et seniorum doctrinis, vel nequaquam aut virtualiter non contineatur in illis. Alioqui teste Boetio, miserrimi ingenii est, semper uti inventis, et nunquam inveniendis. *Subtilioribus autem et secundum partes singulas interrogationibus, quæ præclare dicta sunt vere ab Hierotheo discernentes et exprimentes:* hoc est, distinguentes, discutientes ac prosequentes « subtilioribus interrogationibus », id est quæstionibus multum subtilibus, « et secundum partes singulas », id est particularibus secundum exigentiam et tenorem partium singularum, ea quæ Hierotheus compendiose expressit quasi in generali, non ita ad particularia descendendo. Nec vult Dionysius dicere quod ipse movebit quæstiones subtiliores quam Hierotheus, sed quod secundum altitudinem materiæ movebit acutas et proportionatas dubitationes, quemadmodum sanctus humilisque Gregorius ait in homilia de angelis: Quid prodest nobis angelorum choros exprimere, si non studeamus eorum officia subtiliter explicare?

Ex introductis elicitur magna bonitas, gratitudo, humilitas Dionysii, qui magistrum suum Hierotheum in tantum extol-

id, et propria scripta comparatione sui A ptorum illius tam vehementer humiliat, ceu et illi magis quam sibi ipsi adscribit: qui insuper sapientiam et scientiam sibi collatas tam caritative et exuberanter communicavit suprafatis fidelibus non tabens sibi concessa abscondit, sed fructuosissime usus est ipsis. Quo constat quam vehementer fuit accensus zelo divini honoris, dilectionisque fraternae salutis.

Postremo claret ex dictis quam magnum, decorum meritoriumque consistat proximos salubriter informare: si tamen B hoc fiat sicut oportet, videlicet ordinate, caritative, sincere, ita quod homo docens et praedicans in primis doceat se et praedicet semetipsum. Caritas quippe incipit a se, id est a proprio suo subjecto. Alioqui verbis docere et praedicare, ac impie conversari, est prorsus damnabile scandalisativumque maxime, ac propriis factis monstrare non esse sicut docetur, quum majus sit aliquid opere edocere quam verbis, ut asserit Leo Papa in sermone de S. Laurentio: Majus est, inquiens, exemplo docere quam verbo. Quod totum constat ex verbis Apostoli, affirmantis: Castigo corpus meum et in servitutem I Cor. 9, 27. redigo, ne aliis praedicans, ipse reprobus efficiar; et rursus: Si quae destruxi, Galat. 2, 18. haec iterum aedifico, praevaricatorem me constituo; et ad Romanos: Qui alium Rom. 2, 21, 23. doces, te ipsum non doces? qui gloriaris in lege, per praevaricationem legis Deum inhonoras? qui doces non furandum, furaris?

TRANSLATIO MARSILII FICINI

PRINCIPIO si placet, perfectissimam omnesque divinas processiones exprimentem, appellationem boni consideremus, invocantes videlicet Trinitatem, bonorum principium atque superbonam, optimas quasque suas providentias explicantem. Oportet enim nos votis in primis ad ipsam tanquam bonorum originem provehi, atque ita ad illam propius accedentes, in hoc ipso gradu optima quaeque dona penes ipsam sita perdiscere. Illa enim omnibus adest; non tamen omnia illi adsunt. Quando vero illam castissimis precibus et intellectu tranquillo affectuque ad divinam unionem apto precamur, tunc nos etiam illi adsumus. Jam vero illa nec est in loco, ut propterea absit ab ullo, aut ab aliis se ad alia transferat: immo etiam dicere hanc in rebus omnibus esse, longe deficit ab ipsa infinitate, quae et excedit et complectitur omnia. Quamobrem nos ipsos ad divinorum salutariumque radiorum sublimiorem intuitum orationibus elevamus. Veluti si catena quaedam multis contexta luminibus a summo caelo suspensa usque ad infima protendatur, nosque hanc manibus semper alternis in anteriora porrectis apprehendamus, trahere quidem ipsam ad nos videbimur; re autem vera non deducimus eam ad nos, supra videlicet infraque praesentem, sed ipsi potius ad excelsiores radiorum varie lucentium splendores feliciter provehimur. Aut forte quemadmodum si ingressi navem, funes ex petra quadam usque ad nos extentos teneamus, quippe quorum nitamur auxilio, non petram quidem ad nos, sed nos potius navimque revera promovemus ad petram; quemadmodum vicissim si quis stans in navi maritimum percutiat saxum, in illud tanquam immobile permanens nihil efficiet, sed se ipsum potius arcebit a saxo, et quanto vehementius contendet impellere, tanto illinc longius repelletur. Quamobrem ante omnem actum, praecipue theologicum, ab

oratione nobis exordiendum : non quidem ut potestatem illam ubique præsentem et nusquam addictam, ad nos quandoque trahamus; verum ut divinis commemorationibus invocationibusque nos ipsos illi dedamus et unione jungamus.

Purgatione forsan nobis opus est. Quum enim inclytus præceptor noster Hierotheus theologica elementa mirabiliter profecto collegerit, mirabitur forte aliquis cur nos, quasi minus illa sufficiant, et alibi et hic theologica conscripserimus. Jam vero si ille omnia theologica ordine deinceps disposito digerere voluisset, particularibusque explicationibus unumquodque totius theologiæ caput disposuisset, nunquam nos in tantum furoris vel ruditatis incidissemus, ut perspicacius vel divinius quam ille theologica penetrare posse mysteria confideremus, aut eadem bis dicendo, superflua frustra tractare vellemus, atque ita præceptorem amicumque nostrum injuria auderemus afficere, et præclarissimam intelligentiam expositionemque illius a quo post divum Paulum instituti sumus, nobis usurpare non dubitaremus. Ceterum ille divina venerabiliter exponens, summas profecto quasdam perspicacia compendiosa refertas nobis exposuit, in uno videlicet plurima complectentes : præcipiens videlicet nobis ceterisque rudium animorum magistris, explicare pro viribus atque distinguere nobis sermone congruo lucentia intus compendiosaque mysteria a virtute illius apprime intellectuali manantia. Præterea et ipse ad idem sæpe nos exhortatus es, librumque ipsum, ut supra modum excellens quiddam, remisisti. Quamobrem nos quoque ipsum velut perfectorum seniliumque animorum magistrum, his duntaxat assignamus qui intelligentia ceteros antecellunt, tanquam secunda quædam Eloquia sacra apostolicam auctoritatem proxime consequentia. Nos autem his qui nobis propinquiores sunt, pro ingenii nostri proportione divina trademus. Si enim cibus solidus perfectorum est, hoc certe et alios pascere, quantæ perfectionis æstimandum esse censemus? Recte igitur id quoque nobis est dictum : contemplationem quidem intelligibilia Eloquia prorsus inspicientem compendiosamque eorum doctrinam, consummatæ virtutis exsistere : scientiam vero sermonum ad id conducentium atque ejusmodi disciplinam, inferioris meriti præceptoribus discipulisque congruere. Enimvero diligentissime id observavimus, ut quæ divinus ille præceptor plane nobis expressit, nunquam attingeremus, ne forte repeteremus eadem ad id exponendum quod in verborum divinorum explanatione fuisset ab eo propositum.

Convenimus quandoque apud pontifices nostros Deo plenos, ut nosti, nos simul et ipse multique sancti fratres nostri, visuri corpus illud quod vitæ principem Deumque suscepit : ubi aderant et Jacobus frater Domini, et Petrus excelsum et amplissimum theologorum culmen. Illic ergo post contuitum placuit ut pontifices omnes, pro viribus quisque suis, infinitæ potentiæ debilitatis divinam bonitatem laudarent. Hierotheus autem alios omnes ibi doctores sacros, ut nosti, post ipsos theologos superavit, totus excedens, totus extra se positus, et eorum quæ laudabat, communionem patiens. Quamobrem ab omnibus qui audiebant eum atque videbant, sive cognoscerent ipsum seu non cognoscerent, occupatus Deo divinusque laudator est judicatus. Sed quidnam illa tibi referam quæ illic sunt theologica ratione tractata? Jam vero, nisi mei oblitus sum, memini me partes quasdam divinarum illarum laudationum abs te sæpius accepisse : adeo studuisti divina diligentissime prosequi. Verum quæ illic mystice tractata sunt, missa in præsentia faciamus, quippe quum nec multis exprimi possint, et tibi nota sint. Quoties autem oporteret nostra multis communia facere, et quam multos possemus in sanctam disciplinam nostram introducere, erat profecto mirandum quam longe Hierotheus sanctorum doctorum plurimos antecelleret et diuturna docendi sedulitate, et puritate mentis, et exacta diligentia demonstrandi, ac ceteris omnibus

quæcumque ad sacra eloquia pertinent. Itaque nos nunquam adversus solem tam ingenium figere auderemus obtutus.

Nec enim nobis conscii sumus, nec ignoramus nos ne intelligibilia quidem ipsa documenta satis intelligere posse, vel ineffabilia divinæ cognitionis mysteria verbis exprimere. Et profecto longe divinorum virorum scientia veritatem theologicam spectante, inferiores sumus. Hæc profecto reverentia commotus nos adduxit, ut nec audire nec loqui de divina philosophia quidquam auderemus, nisi id prorsus incidisset animo, non oportere divinarum rerum cognitionem, quatenus assequi licet, nos negligere. Id autem nobis persuaserunt non solum naturalia mentium desideria, amatorio quodam affectu contemplationem rerum sublimium, quantam capere possunt, desiderantia; sed ipsa quoque optima legum institutio divinarum, quæ supra nos sunt inquirere vetans (quippe quæ et nostra merita superent, et comprehendi non possint), quæ vero præter id quod naturaliter appetuntur, nobilitate quoque nostræ concessa sunt, studiose perdiscere ceterisque benigne tradere admonens. His igitur et nos persuasi, nec labore nec ignavia perterremur quominus divina pro facultate nobis concessa quæramus. Imo vero eos etiam qui humano ingenio superiora contemplari non possunt, absque auxilio deserendos minime judicantes, descendimus ad scribendum: novi quidem nihil audentes inferre, sed minutioribus quibusdam et per singula dispositis inquisitionibus discernentes et explicantes ea quæ ab illo vere Hierotheo, id est sacro quodam deo, perspicaciter compendiose sunt tradita.

PARAPHRASIS ABBATIS VERCELLENSIS

CUM in quarto capitulo sit aggressurus principalem materiam hujus libri, in hoc tertio capitulo orat et orare hortatur pro tantorum mysteriorum revelatione, ostendens quibus modis nos contemplativi Deo appropinquant et adhæreant, quum Deus a nullo localiter distet, sed in omnibus sit, et infinitate sua cuncta impleat et excedat. Deinde ad orationem contemplativam invitat sub exemplo catenæ multi luminis de cœlo dependentis, et funium a littore ad nos in navi constitutos protensorum, aut occurrere petram immobilem de navi impellentium. Unde ante omnia vel orandum, non ut Deum trahamus ad nos, sed ut nos ad Deum trahamur et uniamur.

Postea excusat se de eo, quod ista tractat, quum S. Hierotheus (ipse major et magister ejus, Dionysii) supernaturaliter tractaverit in elementariis compendiis theologiæ, qui et totam theologiam seriatim tractare dignatus fuisset. Dionysius nihil ab eo diligenter tractatum iterum tractare præsumeret. Sed quæ A ipse Hierotheus eum conspicacius docuit multa breviter comprehendens, hæc Dionysius et condiscipuli ejus, magistri præcepto, minus capacibus specialiter reserant secundum audientium capacitatem. Unde Timotheus, cui hunc librum scripsit Dionysius, dictum librum Hierothei tanquam excedentem intellectum suum, Dionysio remisit: quo libro cibantur etiam perfecti, quorum solidus est cibus. Perfectissimus ergo congruit profundior Scripturarum intelligentia conspicax et pura, inferioribus autem doctoribus scientia Scripturarum ad perfectiorem profunditatem dirigentium.

B Hierothei autem perfectionem insinuat ex excellente et extatica laudatione divinæ bonitatis humanam infirmitatem assumentis, in civitate Jerusalem penes sepulcrum Domini, in præsentia sanctorum apostolorum Petri, Jacobi, Joannis, Dionysii, Timothei, et aliorum spiritualium virorum convenientium ad tractandum de mysterio incarnationis dominicæ. Cui etiam disputationi B. Paulus inter-

fuisse ostenditur ex sequentibus suppresso A nomine ejus. Prosequitur etiam ulterius commendans dictam laudationem Hierothei.

Unde se asserit contra solem magnum nunquam inspicere, subjungens se non sufficientem esse ad intelligendum divina intelligibilia nec ad eloquendum de Deo dicibilia, neque docturum de Deo nisi quæ a Deo secundum veritatem acceperat, sed neque neglecturum quæ de Deo noverit. Dei autem cognitionem contingentem non negligere, non solum suadent mentium desideria naturaliter sapientiam cupientia, sed sacra Scriptura scrutari Deum supra vires nostras et immoderate nos prohibens in his quæ nobis cœlitus de Deo cognoscere datum est monet diligenter exerceri, et aliis benigne tradere. His ergo persuasus Dionysius, postpositis pigritia et pusillanimitate, subvenire cupiens eis qui profundiora ipso non capiunt, tractatum Divinorum nominum assumit, non de eis nova docturus, sed quæ Hierotheus breviter et profunde tractaverat singulatim et specialibus tractatibus manifestaturus.

CAPITULUM IV

DE OPTIMO, LUMINE, BONO, AMORE, ECSTASI, ZELO; ET QUIA MALUM NEQUE ὌΝ, NEQUE EX EO QUOD EST, NEQUE IN EXSISTENTIBUS.

SI commodum ergo, in eam jam sermone divinam nominationem redeamus quam remote theologi superdivinæ Deitati ab omnibus segregant, ipsam (ut arbitror) divinam subsistentiam, bonitatem dicentes, et quia exsistendo optimum, ut essentiale optimum in omnia quæ sunt extendit bonitatem. Etenim, sicut quidem qui secundum nos est sol, non cogitans aut præeligens, sed eo esse, illuminat omnia quæ participare lumen ejus secundum propriam potentia sunt rationem; sic et optimum, super solem ut super obscuram imaginem, excellenter principale exemplum, ipsa subsistentia omnibus exsistentibus proportionaliter supermittit totius bonitatis radios.

Per quos substitere invisibiles et intellectuales omnes et essentiæ et virtutes et operationes. Per eos sunt, et vitam habent non deficientem, et non minoratam omni corruptione et morte, et materia et generatione purgatæ, et ab inconstantia et fluxu et aliud aliter ferente mutabilitate sursum positæ. Et incorporales et immateriales intelliguntur, et ut intellectus supermundane intelligunt, et exsistentium proprie illuminantur rationes, et iterum in cognata, quæ propria sunt, deferunt. Et habitationem ex bonitate habent, et fundamentum eis inde est, et continentia, et custodia, et refectio bonorum. Et ejus appetentes, et esse et bene esse habent, et ad eam (ut possibile) reformatæ et bene specificatæ sunt, et his quæ post se sunt, communicant, ut divina lex suggerit, in eas ex bono prodeuntibus donis. Inde eis superornati ordines, ad se invicem unitates, inter se invicem locationes, inconfusæ discretiones; ad meliores reductivæ minorum virtutes, circa secunda providentiæ

majorem, propriorum uniuscujusque virtutum custodiae, et circa eas non labentes ambitus, circa appetitum optimi immutabilitates et subtilitates, et quaecumque alia dicta sunt a nobis in eo de Angelicis proprietatibus et ordinationibus. Sed quaecumque ipsius coelestis hierarchiae sunt angelicae mundationes et supermundanae lucidu-ctus et consummationes totius angelicae perfectionis, ex causalissima et fontali sunt bonitate; ex qua et deiforme eis donatum est, et elucere in eis occultam bonitatem, et esse angelos, tanquam enuntiatores divini silentii, et ut luminaria clara in adytis existentis interpretativa, praemissos. — Sed et post illos sacros et sanctos intellectus, animae et quaecumque sunt animarum bona, per summe optimam sunt bonitatem: intellectuales eas esse habendi essentialem vitam, insolubile ipsum esse, et posse ad angelicas intentas vitas, per eas ut optimas ductrices, in omnium optimorum bonitatem principalem reduci, et inde emanantium illuminationum

[illegible] in participatione fieri secundum suam* analogiam, et deiformitatis donationem ut virtus participare, et quaecumque alia a nobis in his quae sunt de anima, enumerata sunt.

Sed et de ipsis, si oportet dicere, irrationabilibus animabus aut animalibus, quaecumque aerem secant, et quaecumque in terra gradiuntur, et quaecumque in terram extenduntur, et in aquis vitam aut in mari et in terra sortientia, et quaecumque sub terra cooperta vivunt et obruta, et simpliciter quaecumque sensibilem habent animam aut vitam, et haec omnia per optimum animantur et vivificantur. Et germina omnia nutritivam et motivam habent vitam ex optimo. Et quaecumque sit inanimalis et non vitalis essentia, per optimum est, et per ipsum essentialem habitum sortita. Si autem et super omnia exsistentia est, quomodo igitur est optimum, et informe formificat? Et in se solo et non essentiale, essentiae excellentia est; et non vivens, superans vita; et non intelligens, superans sapientia; et quaecumque in optimo informium sunt supereminentissimae specificationis. Et si justum dicere, optimum quod est super omnia exsistentia, et id quod non ὄν, appetit, et contendit

[illegible] quodammodo in optimo esse*, et hoc esse ente superessentiali juxta omnium ablationem. — Sed (quod quidem nos in medio praetermissum effugit) et coelestium

[illegible] principiorum et sublimitatum causa optimum non aucta et nominativa*, et omnino immutabili eadem latitudine, et consonantium, si sic oportet dicere, maxima coelesti via motuum; et sideralium ordinum et decorositatum et luminum et collocationum, et singularum stellarum permeabilis multimodae motionis; et ejus quae

Gen. I, 16. est duorum luminarium quae Eloquia vocant magna, ab eisdem in eadem circumnuabilis revolubilitatis, secundum quae apud nos dies et noctes terminatae, et menses et anni mensurati; temporis et eorum quae in tempore sunt, circulares motus segregant, et numerant, et ordinant, et continent.

Quae et quis dixerit de ipso per se solari radio? Ex optimo enim lumen, et imago bonitatis. Deinde et lucis voce laudatur optimum, velut in imagine principalis forma manifestata. Sic enim omnium summitas divina bonitas a sublimissimis et maximis essentiis usque ad novissima pervenit, et adhuc super omnes est,

neque his quæ sursum sunt anticipantibus ejus excellentiam, neque his quæ deorsum sunt ambitum transgredientibus; sed et illuminat potentia omnia, et quæ non sunt facit, et vivificat, et continet, et perficit; et mensura est exsistentium, et æternitas, et numerus, et ordo, et ambitus, et causa, et finis. Sic et divinæ bonitatis significativa imago, magnus hic et plenus luce et semper lumine sol, secundum multam consonantiam boni, et omnia quæcunque participare eum possunt, illuminat, et superextentum habet lumen in omnia, expandens in visibilem mundum sursumque et deorsum propriorum radiorum claritates. Et si quid eas non participat, hoc non infirmitatis aut brevitatis est illuminativæ ejus distributionis, sed per assumptionis luminis importunitatem non repansorum in luminis participationem. Itaque multa sic se habentium radius transiens, quæ post illa illuminat, et nihil est visibilium quo non recipiatur secundum propriæ claritatis superexcellentem magnitudinem. Sed et ad generationem sensibilium corporum committitur, et ad vitam ea movet, et nutrit, et auget, et perficit, et purgat, et renovat. Et mensura est et numerus horarum, dierum, et totius secundum nos temporis, lux. Illa enim est lux, etsi tunc imperfecta erat, quam quidem divinus dixit Moyses et ipsam illam *Gen. i, 3-13.* terminasse primam secundum nos dierum trinitatem.

Et sic quidem omnia ad semetipsam bonitas convertit, et principaliter congregatrix est dispersorum ut principalis et unifica Deitas; et omnia ipsam ut principium, ut continentiam, ut finem appetunt. Et optimum est, ut Eloquia aiunt, ex *Rom. xi, 36* quo omnia subsistunt et sunt, tanquam ex causa perfectissima adducta; et in quo omnia constituta sunt, tanquam in omnipotenti consulto custodita et comprehensa; et in quod omnia convertuntur, sicut in propriam singula summitatem. Et illud concupiscunt omnia: intellectualia quidem et rationalia, scienter; sensualia vero, sensibiliter; sensus autem expertia, tantum insito motu vitalis appetitus; inanimalia autem et tantummodo exsistentia, ad solam essentialem participationem opportunitate. Secundum hanc significatoriæ imaginis rationem, et lux congregat et convertit ad se ipsam omnia visibilia, mota, illuminata, calefacta, omnino ab ipsius splendoribus comprehensa; ac per hoc et sol, quia omnia soluta facit, et congregat dispersa. Et omnia eum sensibilia desiderant, aut ut videndi, aut ut movendi, et illuminandi, et calefaciendi, et omnino comprehendendi a lumine appetentia. Et neque ibi dico juxta antiquitatis verbum, quia deus est sol, solusque creator hujuscemodi universitatis, proprie procurat manifestum mundum; sed quia invisibilia Dei a *Ibid. i, 20.* creatura mundi facturis intellecta conspiciuntur, et æterna ejus virtus divinitatis.

Sed hæc quidem in Symbolica theologia. Nunc autem intelligibile optimi lucivocum nobis laudandum et dicendum, quia lux invisibilis optimus dicitur: omnem quidem supercœlestem intellectum implendo invisibili lumine; omnem vero ignorantiam et errorem abigendo ex omnibus quibuscumque inest animabus, et omnibus ipse sacro lumine tradendo et intellectuales earum oculos repurgando circumposita eis ex ignorantia caligine, et removendo et replicando multa gravitate tenebras condensas; et tradendo primo quidem claritate moderata, deinde illis tanquam degu-

stantibus summum et magis desiderantibus, magis semetipsum intus dando et copiose illucendo, quia dilexerunt multum, et semper extendendo eas in ea quæ ante sunt, juxta suam inspectionis analogiam. Lux igitur invisibilis dicitur super omnem lucem optimum, ut radius fontalis et supermanans luminis effusio, omnem supermundanum et circummundanum et intramundanum intellectum ex plenitudine sua illuminans, et intellectuales eorum totas renovans* virtutes; et omnes continens superextendendo, et omnia superans superincumbendo; et simpliciter omnem illuminatricis virtutis dominationem, tanquam principalis lucis et plus quam lucis in semetipsa comprehendens et superans et intendens, et intellectualia et rationalia omnia congregans, et perfecta faciens: etenim, sicut ignorantia separatrix errantium est, ita invisibilis luminis præsentia congregatrix et unitrix illuminatorum est et perfectiva, et adhuc conversiva ad vere ὄν, ex multorum opinione vanorum convertens, varios vultus, aut potius dicendum phantasias, in unam veram et puram et uniformem congregans scientiam, et una et unitrice luce implicans.

Hoc optimum laudatur a sanctis theologis et ut bonum et ut pulchrum, et ut dilectio et ut dilectissimum, et quæcunque aliæ dicendæ* sunt formificæ et gratiosæ specialitatis divinæ nominationes. Bonum autem et pulchrum non separandum in ipsa in una omnia comprehendente causa. Hæc enim in exsistentibus omnibus in participationes et participantia dividentes, pulchrum quidem esse dicimus pulchri particeps; pulchritudinem vero, participationem pulchrificæ omnium bonorum causæ. Superessentiale autem bonum, pulchrum quidem dicitur, propter ab eo omnibus exsistentibus traditam proprie unicuique pulchritudinem, et velut omnium bonæ compactionis et claritatis causale, instar luminis fulminans simul omnibus pulchrificas fontalis radii sui traditiones, et velut omnia ad se ipsum vocans (inde et pulchrum dicitur), et velut tota in totis in se congregans; et bonum vero, sicut omne bonum simul, et plus quam bonum, et semper ὄν, secundum eadem et similiter bonum; neque factum, neque solutum; neque auctum, neque tabidum; neque hic quidem bonum, hic vero malum; neque tum quidem, tum vero non; neque ad hoc quidem bonum, ad hoc autem malum; neque ibi quidem, ibi autem non; tanquam quibusdam quidem totum* bonum, quibusdam vero non bonum: sed ut ipsum per ipsum, cum ipso, uniforme semper ὄν bonum, et ut omnis boni fontem et pulchritudinem supereminenter in semetipso præferens. Simpla enim et superexistenti omnium bonorum natura, omnis pulchritudo et omne bonum uniformiter secundum causam ante subsistit.

Ex bono ipso omnibus exsistentibus esse secundum propriam rationem singula quæque bona; et per bonum omnium copulationes et societates et amicitiæ, et bono omnia adunantur. Et principium omnium bonum, velut factivum causale, et movens omnia, et continens ea propriæ pulchritudinis amore; et summum omnium dilectissimum, velut perfectivum causale (propter bonum enim omnia fiunt), et exemplabile, quia secundum ipsum omnia segregantur. Ideo et ipsum est optimo bonum: quia bonum et optimum juxta omnem causam omnia concupiscunt, et

non est quid exsistentium quod non participat bonum et pulchrum. Audebit autem et hoc ratio dicere, quia et quod non ὄν, participat bonum et optimum. Tunc enim et hoc bonum et optimum, quum in Deo secundum omnium ablationem superessentialiter laudatur. Hoc unum bonum et optimum, singulariter est omnium multorum bonorum et optimorum causale. Ex hoc omnium exsistentium essentiales subsistentiæ, unitates, discretiones, immutabilitates, alteritates, similitudines, dissimilitudines; societates contrariorum, distinctiones unitorum; providentiæ superiorum, vicissitudines æquiformium, conversiones inferiorum omnium in semetipsis custoditivæ, et immutabiles habitationes et collocationes; et iterum omnium in omnibus propriæ unicuique societates et compaginationes et inconfusæ amicitiæ, et harmoniæ universitatis; in universo concretiones insolubiles, continentiæ exsistentium non deficientes, susceptiones faciendorum; status omnes et motus, alii intellectualium, alii animarum, alii corporum : status enim et motus est omnibus, super omnem statum et omnem motum, collocans unumquodque in suimet ratione, et movens in proprium motum.

Et moveri quidem dicuntur divini animi : circulariter quidem, uniti non inchoantibus et non terminatis illuminationibus boni et optimi; in directum vero, quandocumque proveniunt in subjectorum providentiam, recta omnia terminantes; oblique, quia et providentes inferioribus, irreversibiliter manent in immutabilitate, circa immutabilitatis causale bonum et optimum incessanter circumeuntes. — Animæ autem motus circularis quidem est in semetipsam introitus ab his quæ foris sunt, et intellectualium suarum virtutum uniformis conversio, sicut in quodam circulo inerrabile suum donans, et a multis quæ sunt extrinsecus, se convertens et congregans primum in semetipsam, deinde velut uniformem factam adunans adunate adunatis virtutibus : et sic in bonum et optimum manuducta quod super omnia exsistentia, et unum et id ipsum, et non inchoans et non finitum. Oblique vero anima movetur, quantum proprie se ipsa divinas illuminatur scientias, non intellectualiter et potenter, sed rationaliter et investigiose, et ut commixtis et transitoriis operationibus; per vero directum, quando non in semetipsam intrans, et singulari intellectualitate mota (hoc enim, ut dixi, est quod secundum cyclum), sed ad ea circa se proveniens, et ab his extrinsecus, tanquam a quibusdam symbolis variatis et multiplicatis, in simplas et unitas reducitur contemplationes.

Horum igitur et sensibilium in universo trium motuum, et multo prius unoquoque mansionum et stationum et collocationum, causale est et continens et finis, bonum et optimum, et super omnem statum et motum. Propterea omnis status et motus, est et ex ipso, et per ipsum, et in ipsum, et propter ipsum. Etenim ex ipso et per ipsum, et essentia et vita omnis et mentis et animæ et omnis naturæ; parvitates, æqualitates, magnitudines, mensuræ omnes; et exsistentium corrationabilitates et compactiones et concretiones; universitates, partes; unum omne, et multitudo; conjunctiones partium, totius multitudinis unitates, consummationes universalitatum; quale, quantum, tantum, multum; comparationes, discretiones,

omnes aequalitates, omnes mensurae, termini omnes; ordines, eminentiae, elementa, formae; omnis essentia, omnis virtus, omnis operatio, omnis habitus, omnis sensus, omnis ratio, omnis intellectus, omnis illuminatio, omnis scientia, omnis unitas. Et simpliciter, omne quod est, ex bono et optimo est, et in bonum et optimum convertitur; et omnia quaecunque sunt et fiunt, per bonum et optimum sunt et fiunt; et ad hoc omnia vident, et ab ipso moventur et continentur, et propter ipsum, et per ipsum; et in ipso omne principium exemplativum, consummativum, intellectuale, speciale, formale. Et simpliciter, omne principium, omnis continentia, omne terminum, aut ut comprehendens dicam, omnia quae sunt, ex bono et optimo, et omnia quae non sunt, superessentialiter in bono et optimo. Et
Rom. XI, 36 est omnium principium et finis, et superprincipale et superfinale : quia ex ipso, et per ipsum, et in ipso, et in ipsum sunt omnia, ut ait sacer sermo.

Omnibus est igitur bonum et optimum concupiscibile et amabile et delectabile; et per ipsum et propter ipsum minora meliora conversibiliter amant, et sociative aequalia aeque honorabilia, et meliora minora provide, et haec semetipsa singula quaeque connexe; et omnia bonum et optimum desiderantia facit, et vult omnia quaecunque facit et vult. Audebit autem et hoc dicere vera ratio, quia et ipse omnium causalis per bonitatis excellentiam omnia amat, omnia facit et vult, omnia continet, omnia convertit. Et est etiam divinus amor optimus, et optimi per optimum. Ipse enim benefactor existentium amor, in optimo per excellentiam ante subsistens, non sinit ipsum infecundum in se ipso manere; movit autem ipsum in operationem juxta omnium genitivam excellentiam.

Et ne quis nos arbitretur contra Eloquia amoris cognominationem honorificare. Est quidem enim irrationabile, ut arbitror, et stultum, non virtuti intentionis attendere, sed dictioni. Et hoc non est divina intelligere volentium proprium, sed sonos leves recipientium, et hos usque ad aures transeuntes forinsecus continentium; et nolentium scire quid quidem talis dictio significet, quomodove eam oporteat et per alias aeque potentes et manifestiores dictiones declarare, patientiumque elementis et litteris non intellectis, et syllabis et dictionibus incognitis et non ingredientibus in animae suae intellectualia, sed foris circa labia et auditus eorum percrepitantibus : ac si non liceat quaternum numerum per bis duo significare, aut simplam lineam per rectam lineam, aut maternitatem per paternitatem, aut aliis quibusdam multis orationis partibus id ipsum significantibus. Oportet autem scire secundum rectam rationem, quia elementis, et syllabis, et dictionibus, et scripturis, et orationibus utimur per sensus : sed quum anima nostra intellectualibus operationibus ad invisibilia movetur, abundant cum sensibilibus sensus; sicut et intellectuales virtutes, quum anima deiformis facta per unitatem ignotae inaccessibilis lucis, radiis desiderabilibus se immittit invisibilibus theoriis. Quum vero animus per sensibilia commoveri festinat ad contemplabiles invisibilitates, pretiosiores omnibus sunt clariores sensibus provectus, lucidiora verba planiora visibilibus : sicut quum non plana sunt accumbentia sensibus, neque ipsa animo adsistere sensibilia bene poterunt.

Veruntamen ut non hæc dicere putemur tanquam divina Eloquia submoventes, audiant hanc amoris nominationem criminantes : Ama eam, inquit, et custodiet te; amplexare eam, et exaltabit te; honora eam, ut te comprehendat : et quæcumque alia secundum amatorias theologias dicuntur. Et quidem visum est quibusdam nostris theologis * et divinius esse nomen amoris, quam dilectionis. Scribit autem et divinus Ignatius : Meus amor crucifixus est. Et in ipsis introductionibus Eloquiorum invenies quemdam dicentem de divina sapientia : Amator factus sum formæ illius. Itaque hoc amoris nomen ne timeamus, neque quis nos conturbet sermo de hoc disceptans. Mihi enim videntur theologi commune quidem dixisse * dilectionis et amoris nomen, propterea autem divinis magis referre amorem, propter inconsequentem talium virorum adamationem. Pulchre enim vero amore non a nobis tantum, sed ab Eloquiis ipsis laudato, multitudines non capientes uniforme amatoriæ divinæ nominationis, proprie ad semetipsos partibile * et corporale et dividuum labefecerunt, quum non sit verus amor, sed umbra, aut magis casus a vero amore. Remotum est enim multitudine singulare divini et unius rationis *. Ideo et sic difficilius nomen multis putatum, in divina sapientia statuitur, et ad reductionem eorum et restitutionem in veri amoris notitiam, et ita, ut absolvatur in ipso difficultas. A nobis autem iterum ubi et inconsequens quidem sæpe intelligendum terrenos zelos, secundum opinionem melioris famæ : Cecidit, quis ait, dilectio tua super me, sicut dilectio mulierum. In elucescentibus divinis sublimitatibus, in eadem virtute statuitur a sacris theologis dilectionis et amoris nomen secundum divinas manifestationes; et est hoc virtutis unificæ et conjunctivæ et differenter contemperativæ in bono et optimo, per bonum et optimum ante substitutæ, per * bonum et optimum editæ, et continentis quidem æquipotentia secundum socialem vicissitudinem, moventis autem prima ad minorum providentiam, et collocantis inferiora conversioni superioribus.

Prov. IV, 6, 8.
* hierologis
Epist. IX.
Sap. VIII, 2.
* dixisse
* impartibile
* amoris
II Reg. I, 26.
* ex bono et optimo per

Est autem et ecstaticus divinus amor, non sinens se ipsos esse amantes, sed amandorum. Et declarantur quidem superiora providentia facta inferiorum, et æquiformia inter se invicem continentia, et minora ad prima diviniori conversione. Proinde et Paulus magnus in excellentia divini factus amoris, et mente excedentem suam virtutem assumens diviniori *, Vivo, ait, jam non ego, vivit autem in me Christus : ut vere amator. Et mente excedens, sic sic inquit Deo, et non ipsam sui vivens, sed ipsam amatoris vitam ut nimis dilectissimam. Audendum autem et hoc pro veritate dicere, quia et omnium causalis bonorum et optimorum, omnium amore per excellentiam amatoriæ bonitatis habitudine sua fit, ut exsistentia omnia providentiis ambiens; et ut bonitate et dilectione et amore fovetur, et super omnia et omnibus remoto, ad unum omnibus deducitur juxta mente excedentem superessentialem virtutem redeuntem semetipso. — Propter quod et zeloten eum divini sapientes appellant, velut multum in exsistentia amorem *, et ut ad zelum suscitatorem concupiscentiæ suæ amatoriæ, et ut zeloten eam ostendentem et concupita zelantem, et ut provisis eum exsistentibus per semetipsa zelantibus. Et omnino bono

* divino ore
Galat. II, 20.
* opti[illegible] a[illegible]

et optimo est amabile et amor, et in bono et optimo ante collocantur, et per bonum et optimum sunt et fiunt.

Quid autem omnino theologi volentes? Nam aliquando quidem amorem et dilectionem ipsum dicunt, aliquando vero, amatum et dilectum. Ejus quidem ipse causativus, et ut productor et genitor, hoc autem ipse est; et eo quidem movetur, eo autem movet, quando ipse sibimet et sibi est præcessor et movens. Sic autem dilectum quidem et amatum eum vocant, ut bonum et optimum; amorem vero iterum et dilectionem, ut moventem simul et ut reducentem virtutem eum qui est in semetipsum solum (ipsum per se ipsum bonum et optimum ut sic quidem edicendum, exsistentem semetipsum per semetipsum, excellentis unitatis optimam processionem); et amatorium* motum simplum, per se ipsum motum, per se ipsum activum; præexsistentem in optimo, et ex optimo exsistentibus emanantem, et iterum in optimum convertentem, in se et infinitum se ipso et carens principio. Divinus amor ostenditur differenter, sicut quidam æternus circulus, per optimum et ex optimo et in optimo et in optimum inerrabili conversione circumiens, et in eodem et per id ipsum, et proveniens semper et manens et revolutus. Hæc et communis noster sanctus perfector divinitus introduxit per amatorios hymnos: quorum non inconsequens recordari, et ut sacrum quoddam caput imponere de amore nostro sermoni.

« Amorem, sive divinum, sive angelicum, sive intellectualem, sive animalem, sive « naturalem dicamus, unitivam quamdam et continuativam intelligimus virtutem : « superiora quidem moventem in providentiam inferiorum : æquiformia iterum, « in socialem vicissitudinem ; et novissima subjecta, ad meliorum et superposi- « torum conversionem. »

« Quoniam ex uno multos amores ordinavimus, et consequenter diximus quales « quidem eorum qui in mundo sunt et supermundialium amorum scientiæ et « virtutes (quos supereminent, secundum redditam rationis speculationem, intelle- « ctualium et invisibilium amorum ordines et dispositiones : post quos per se « intelligibiles, et si qui vere ibi bonis amoribus superapparent, et hymnum pro- « prie hymnizavit) ; et nunc iterum recipientes omnes in unum et complicatum « amorem et omnium ipsorum patrem, convolvamus simul et congregemus, ex « multis primo in duas comprehendentes eum amatorias universaliter virtutes, « quarum potentatur et principatur omnino ex omni summitate omnis amoris « incommensurabilis causa, et ad quam extenditur connaturaliter unicuique exsisten- « tium, ab exsistentibus omnibus universalis amor. »

« Age nunc et has iterum in unum congregantes, dicamus quia una quædam « est simplex virtus se ipsam movens ad unitivam quamdam temperantiam, ex « optimo usque exsistentium novissimum, et ab illo iterum consequenter per omnia « usque optimum, ex se ipsa et per se ipsam et ad se ipsam se ipsam revolvens, « et in se ipsam semper eodem modo revoluta. »

Et quidem dixerit quis : Si omnibus est bonum et optimum amabile et ad se

ipsum et dilectum (appetit enim ipsum et quod non est, ut dictum est, et contendit quomodo in ipso esse; et ipsum formificum est etiam informium, et in ipso et quod non est, superessentialiter dicitur et est) : quomodo dæmoniaca multitudo non appetit bonum et pulchrum, at materialis vero exsistens, et angelica erga appetitum optimi stabilitate recidens, malis omnibus causa et sibi ipsi et aliis quæcumque vitiantur, dicitur? Quomodo autem omnino ex optimo generata dæmoniaca gens non est deiformis? Aut quomodo optimum ex optimo factum, mutatum est? et quid vitiavit ipsum? Et omnino quid malum est? et ex quo principio substitit? et ex quo exsistentium est? Et quomodo optimus ipsum adducere voluerit? quomodo autem volens potuerit? Et si ex alia causa malum, quæ altera exsistentibus præter optimum causa? Quomodo autem et Providentia exsistente, est malum, aut factum omnino, aut non interceptum*? Et quomodo appetit quid exsistentium ipsum præter optimum? * interemptum

Hæc quidem ergo forsan quis dicit hujusmodi dubitationibus. Talis autem cæcorum ratio. Nos vero dignabimur apud rerum veritatem respicere. Et primum quidem hoc dicere confidemus : Malum non est ex optimo; et si ex optimo est, non est malum. Neque enim ignis frigere, neque optimi non optima adducere. Et si exsistentia omnia ex optimo (natura enim optimo, adducere et salvare; malo vero, corrumpere et perdere), nihil est exsistentium ex malo. Et neque ipsum erit malum, siquidem et sibi ipsi malum sit; et si non hoc, non omnino malum erit malum, sed habet quamdam optimi (secundum quam omnino est) partem. Et si exsistentia bonum et optimum desiderant, et omnia quæcumque faciunt, per inspectum optimi faciunt, et omnis exsistentium speculatio, principium habet et finem optimum (neque enim in mali naturam respiciens facit quæ facit) : quomodo erit malum in exsistentibus, aut omnino ὂν tali optimo desiderio desertum? Et si exsistentia omnia ex optimo, et optimum summitas exsistentium, est quidem in optimo et quod non ὂν. Malum autem neque ὂν est; si autem non, non omnino malum, neque non exsistens* : nullum enim et* universaliter non ὂν, nisi in optimo secundum superessentiale dicitur. Hoc erit ergo optimum simpliciter, et exsistente et non exsistente multo prius supercollocatum. Malum vero neque in essentiali neque in non exsistentibus est, sed ab ipso non exsistente magis distat optimo, et non essentialius. * ὂν * erit

Unde ergo est malum? dicet quis. Si enim non est malum, virtus ac malitia idem : et aut omnis omni, et aut in partibili corrationale; aut neque virtuti pugnans, erit malum. Et quidem contrarium temperantia et intemperantia, et justitia et injustitia; et neque alicubi secundum idem justum et injustum dico, et temperatum et intemperatum. Sed et ante foris manifestatam ejus qui est in virtute ad contrapositum distantiam, in ipsa multo prius anima universaliter distiterunt virtutibus malitiæ, et rationi passiones insidiantur. Et ex his necessarium dare quod bono malum contrarium. Non enim sibi ipsi bonum contrarium, sed sicut ab uno principio et uno egenitum causali, societate et unitate et amicitia gaudet.

Et neque minus bonum majori contrarium; neque enim minus calidum aut frigidum, plurimo contrarium. Est ergo in exsistentibus, et est, et opponitur bono malum. Et si corruptio est exsistentium, non expellit hoc esse malum, sed erit et hoc et exsistentium gignificum. Aut non sæpe hujus corruptio, hujus fit generatio? Et erit malum in universitatis plenitudinem comperfectivum, et universo non quod imperfectum esse, propter se ipsum præstans.

Dicet autem ad hæc vera ratio, quia malum, in malum, nullam essentiam aut generationem facit; solum vero vitiat et corrumpit, quantum in se est, exsistentium substantiam. Si autem genificum quis ei esse tribuat, et hujus corruptione alteri dare generationem, respondendum vere: Numquid corrumpunt quæ dant generationem? sed corruptio quidem et malum corrumpit et vitiat tantum; generatio vero et essentia per bonum fiunt: et erit malum corruptio quidem per se ipsum, genificum vero per bonum. Et est quidem malum, neque exsistens, neque exsistentium factivum, per autem bonum et exsistens, et bonum exsistens, et bonorum factivum. Magis autem, neque enim erit id ipsum secundum se ipsum, et bonum et malum, neque ejusdem corruptio et generatio eadem secundum id ipsum virtus, neque hæc virtus, aut hæc corruptio. Ipsum quidem malum, neque exsistens, neque bonum, neque gignificum, neque exsistentium et bonorum factivum. Bonum autem quibuscunque perfecte inest, perfecta facit et pura et integra optima; minus vero ipsum participantia, et imperfecta sunt bona et mixta per defectum boni. Et non est universaliter malum, neque bonum, neque beneficum; sed quod magis aut minus bono proximum, proportionaliter erit bonum. Quoniam quidem ipsa per omnia veniens perfectissima bonitas, non usque solas implet circum se omnino optimas essentias, extenditur autem usque ad novissimas: his quidem universaliter adveniens, his autem minus, aliis vero novissime, ut unumquodque eam participare potest exsistentium. Et quædam quidem omnino bonum participant, quædam vero magis, et minus privantur, quædam autem obscuriorem habent boni participationem, et aliis secundum novissimam consonantiam adest bonum. Si enim non proportionaliter unicuique bonum adesset, essent divinissima et honorabilissima novissimorum habentia ordinem. Quomodo autem et esset possibile uniformiter omnia participare bonum? Numquid omnia exsistentia similiter in universalem ejus participationem opportuna? Nunc autem hæc est boni virtutis superexcellens magnitudo, quia et privata et summet privationem post se* facit, secundum quod universaliter est sui participare. Et si oportet fidum dicere verum, et pugnantia ei, suâ virtute et sunt et pugnare possunt.

Magis autem, ut comprehendens dicam, omnia exsistentia, quantum sunt, et bona sunt et ex bono; quantum autem privantur bono, neque exsistentia sunt neque bona. In aliis quidem enim habitudinibus, qualis est caliditatis aut frigiditatis, sunt calefacta et relinquente ea caliditate; et vitæ et mentis multa exsistentium simul expertia sunt, et essentia Deus exaltatur et est superessentialiter et simpliciter. Aliarum quidem simul omnium abeunte ipsa quæ non est ingenita omnino habi-

tudine, sunt exsistentia, et subsistunt. Quod vero per omnem modum bono privatum est, nunquam nusquam neque erat, neque est, neque erit, neque esse potest. Quale est incontinens. Etsi privetur bono juxta irrationabilem concupiscentiam, in hoc quidem neque est, neque exsistentia concupiscit ; participat tamen bonum secundum ipsam unitatis et amicitiæ obscuram consonantiam. Et furor participat bonum per se movendo et appetendo opinabilia mala ad opinabile bonum erigere et convertere. Et ipse certantis vitæ appetens, tanquam totus vitæ appetens, et egregiæ opinionis, et hoc appetere, et vitam appetere, et ad egregiam vitam respicere, participat bonum. Et si omnino bonum consumpseris, neque essentia est, neque vita, neque concupiscentia, neque motus, neque aliud aliquid. Itaque et fieri ex corruptione generationem, non est mali virtus, sed minoris boni præsentia. Quantum et ægritudo defectus est ordinis, non omnis : si enim hoc fieret, neque ægritudo ipsa subsisteret. Manet autem et est ægritudo, essentiam habens minimum ordinem, et in se substitutum. Quod enim omnino expers boni, neque ὄν, neque in exsistentibus ; quod autem mixtum, per bonum in exsistentibus, ac per hoc in exsistentibus et ὄν, quantum bonum participat. Magis autem exsistentia omnia tantum erunt magis et minus, quantum optimum participant. Etenim in essendo per se ipsum nunquam nusquam ὄν, neque erit. Hoc autem ibi quidem ὄν, ibi vero non ὄν, quantum quidem recedit ab eo quod semper est, non est ; quantum autem ex esse accepit, tantum est, et ei omnino esse, et quod non ὄν, ipso continetur et salvatur. Et malum quod quidem est omnino a bono recessio, neque in magis neque in minus bonis erit. Hoc autem ibi quidem bonum, ibi vero non bonum, pugnat quidem bono cuidam, non omni autem bono, tenetur autem et hoc boni participatione. Et substantificat et sumet privationem, bonum tota sui participatione. Omnino enim abeunte bono, neque totaliter quid erit bonum, neque mixtum, neque per se malum. Si enim malum imperfectum est bonum, absentia perfectissimi boni et imperfectum, et perfectum bonum aberit : et tunc solum erit et videbitur malum, quando his quidem est malum quibus opponitur, his autem tanquam bonis aufertur. Pugnare enim sibi invicem eadem per eadem in omnibus, impossibile. Non ergo ὄν malum.

Sed neque in exsistentibus est malum. Si enim omnia exsistentia ex bono, et in omnibus exsistentibus bonum, et omnia continet bonum ; aut non erit malum in exsistentibus, aut in bono erit. At in bono non erit. Etenim neque in igne frigus, neque ille vitiatur eo, et malum bono inexsistente. Si autem fuerit, quomodo erit in bono malum ? Si quidem ex eo, inconsequens et impossibile. Non potest enim, *Matth.* vii,
ut Eloquiorum veritas ait, arbor bona fructus malos facere, neque illud iterum. Si 18.
autem non ex ipso, ex alio clarum quia principio et causa. Etenim aut malum ex bono erit, aut bonum ex malo ; aut si non hoc possibile, ex alio principio et causa erit et bonum et malum. Omnis enim dyas non principium ; monas autem erit totius dyadis principium. Et quidem inconsequens, ex uno et eodem duo omnimodo contraria provenire et esse, et ipsum principium non simplum et singulare, sed partitum et biforme, et contrarium in se ipsum et mutabile.

Imo vero neque duo existentium contraria principia possibile esse, et ea inter se invicem et in universo pugnantia. Si enim hoc daretur, erit et Deus non innocens, neque sine vexa. Siquidem si sit quid eum perturbans, sequitur quod omnia erunt inordinata et semper pugnantia : et quidem amicitiam omnibus existentibus bonum tradit, et per se pax et pacis donum laudatur a sacris theologia. Proinde et amica bona, et compacta omnia, et una vita genita, et ad unum optimum coordinata, et adunata, et similia, et comparata inter se invicem. Itaque non divinum malum, et malum non divinum. Sed neque ex Deo malum. Si* enim non bonum, aut benefacit et bona adducit, et non aliquando quidem et quaedam, aliquando autem non, et non omnia : transmutationem quidem in hoc faciet et mutabilitatem, et circa se, hoc est circa omnium divinissimum et causam. Si autem in Deo bonum substantia est, erit transferens ex bono Deus aliquando quod est, aliquando autem quod non ; si vero participatione bonum habet, et ex altero habebit, et aliquando quidem habebit, aliquando autem non habebit. Non igitur ex Deo malum, neque in Deo, neque simpliciter, neque secundum tempus.

Sed neque in angelis est malum. Si enim enuntiat bonitatem divinam deiformis angelus, illud existens* secundum participationem secundo, quod quidem secundum causam enuntiat primo ; imago est Dei angelus, manifestatio occulti luminis, speculum purum, splendidissimum, immaculatum, incontaminatum, incoinquinatum, recipiens totam (si justum dicere) speciositatem bene formatae deiformitatis, et pure declarans in se quo, sicut possibile est, bonitatem quae est in abditis*. Non igitur neque in angelis est malum. Sed puniendo peccantes sunt mali ? Hac ergo ratione et compescentes delinquentes sunt mali, et sacerdotum divinis mysteriis immundum prohibentes. Et quidem neque puniri malum, sed dignum fieri pœna ; neque secundum dignitatem prohiberi sacris, sed non sacrum et non sanctum fieri, et incontaminatis inopportunum.

Sed neque dæmones natura mali. Etenim si natura mali, neque ex bono, neque in exsistentibus, neque ex bonis conversi natura, et semper mali sunt. Sequitur : sibimet sunt mali, an aliis ? Si quidem sibimet, an corrumpunt se ipsos ? Si autem aliis, quomodo corrumpunt, aut quid corrumpunt ? essentiam, an virtutem, an actionem ? Si quidem essentiam, primum quidem non juxta naturam : natura enim incorruptibilia non corrumpunt, sed acceptiva corruptionis. Sequitur : neque hoc omnibus et omnino malum. Sed neque corrumpitur quid exsistentium secundum quod essentia et natura ; sed defectu juxta naturam ordinis harmoniae et commensurationis, ratio infirmatur, manere similiter habens. Infirmitas autem non perfecta : si enim perfecta, et corruptionem et subjectum interimeret, et erit ipsa corruptio et sibimet corruptio. Itaque hujusmodi non malum, sed deficiens bonum. Quod enim omnino expers boni, neque in exsistentibus erit. Et de virtutis et actionis corruptione eadem ratio.

Deinde quomodo a Deo facti dæmones, sunt mali ? Bonum enim bona adducit et substituit. Et quidem dicuntur mali, dixerit quis, sed non secundum quod sunt

(ex optimo enim sunt, et optimam sortiebantur essentiam), sed secundum quod non sunt, infirmi, ut Eloquia aiunt, servare suum principatum. In quo enim, dic mihi, Jud. vitiari dicimus dæmones, si non in cessatione divinorum bonorum habitudine et actione? Sed itaque si natura mali dæmones, semper mali; et quidem malum instabile est. Ergo si semper sic habent, non mali : quod enim semper id ipsum, optimi proprium. Si autem non et semper mali, non naturales, sed indigentiæ angelicorum bonorum. Sed non omnino expertes boni, secundum quod et sunt, et vivunt, et intelligunt, et omnino est quidam in eis concupiscentiæ motus. Mali autem esse dicuntur, propter quod infirmantur circa naturalem operationem. Falsa ergo conversio est eis malum, et a cognatis suis egressio, et informitas, et imperfectio, et impotentia, et salvante eis perfectionem virtute infirmitas et fuga et casus. Itaque quid in dæmonibus malum? Furor irrationabilis, amens concupiscentia, phantasia proterva. Sed hæc et si sunt in dæmonibus, non omnino neque in omnibus neque hæc secundum se mala. Etenim in aliis animalibus non motus talium, sed interemptio, est et corruptio animali et malum. Habitus enim salvat et esse facit hæc habentem animalis naturam. Non igitur malum dæmonum gens quantum est juxta naturam, sed quantum non est. Et non mutatum est datum eis totum bonum, sed ipsi dato ceciderunt toto bono. Et datas eis angelicas donationes nunquam ipsas commotas fuisse dicimus; sed sunt et integri et clarissimi, etsi non vident participantes suas boni conspectivas virtutes. Itaque quod sunt et ex optimo, sunt et optimi; et bonum et optimum concupiscunt, esse et vivere et intelligere exsistentium appetentes. Et privatione et fuga et casu connaturalibus sibi optimis, dicuntur mali; et sunt mali secundum quod non sunt, et quod non est appetentes, malum appetunt.

Sed animas quis esse dicit malas. Si quidem quia contendunt malis provide et salutifere, hoc non malum, sed bonum, et ex bono, et malum bene faciente. Si autem vitiari animas dicimus, in quo vitiantur? si non in bonarum habitudinum et operationum defectu, et per propriam infirmitatem imperfectione et perditione. Etenim et aerem hunc circa nos obscurari dicimus defectu et absentia lucis; ipsa autem lux semper lux est, et tenebras illuminans. Non igitur neque in dæmonibus neque in nobis malum ut exsistens* malum, sed ut defectus et desolatio proprio- * ὄν rum bonorum perfectionis.

Sed neque in animalibus irrationabilibus est malum. Si enim interimas furorem et concupiscentiam, et alia quæcunque dicuntur, et non sunt simpliciter eorum naturæ mala : grande quidem et ferox leo perdens, neque leo erit; mansuetus autem omnibus factus canis, non erit canis : siquidem canis quoddam custoditivum, et quoddam adveniendi quidem domesticum, abigendi vero extraneum. Itaque quod non corrumpit naturam, non malum; corruptio autem naturæ, infirmitas et defectus naturalium habitudinum et operationum et virtutum. Et si omnia quæ sunt per generationem, in tempore habent consummationem, neque imperfectum omnino contra omnem naturam.

Sed neque in tota natura malum. Si enim non omnes naturales rationes contra universalem naturam, nihil est ei contrarium. Ejus autem per singula, hoc quidem secundum naturam erit, hoc vero non secundum naturam. Alii enim aliud est
* contra secundum* naturam. Et hoc inde contra naturam, ut malitia. Hoc contra naturam, privatio eorum quæ sunt naturæ. Itaque non est mala natura; sed hoc naturæ malum, non posse quæ sunt propriæ naturæ perficere. — Sed neque in corporibus est malum. Vile enim et infirmum, defectus formæ et privatio ordinis. Hoc autem non omnino malum, sed minus bonum. Si enim omnino fiat solutio boni et formæ et ordinis, peribit et ipsum corpus. Quia vero neque malitiæ causa animæ corpus, clarum ex hoc, possibile esse et sine corpore extra subsistere malitiam, sicut et in dæmonibus. Hoc enim et intellectibus et animabus et corporibus malum, habitudinis propriorum bonorum infirmitas et casus.

Sed neque multum murmurat in materia malum, ut aiunt, secundum quod materia. Etenim et ipsa ornatus et formæ et speciei habet participationem. Si autem sine his dum est materia secundum se, sine delectatione est et informis : quomodo facit quid materia, quæ neque pati potest secundum se habens ? Sed itaque, quomodo materia malum ? Si quidem enim nihil, non enim est neque bonum neque malum. Si autem est, quomodo existentia oportet omnia ex bono ? Et ipsa ex bono consequitur. Et si bonum mali factivum sit, malum ut ex bono exsistens, est bonum ; aut malum boni factivum sit, et bonum, ut ex malo, malum. Aut duo iterum principia, et hæc alio uno pendula vertice. Si autem necessariam dicunt materiem ad plenitudinem totius mundi, quomodo materia malum ? Aliud enim bonum quod necessarium. Quomodo autem optimus ex malo adducit quædam ad generationem ? Aut quomodo malum optimo necessarium ? fugit enim optimi naturam malum. Quomodo autem gignit et nutrit naturam materia mala exsistens ? Malum enim secundum quod malum, nullius est genitivum aut nutritivum, aut omnino factivum aut salvativum. Si autem dixerint ipsam quidem non facere malitiam in animabus, attrahere vero eas : et quomodo erit hoc verum ? Multæ enim suum in bonum adspiciunt ; et quidem quomodo fiat hoc, materia omnino eas in malum attrahente ? Itaque non ex materia in animabus malum, sed ex ipso delicto. Si autem et hoc aiunt materiam omnimode sequi, et necessariam instabilem materiam ex semetipsis collocari non valentibus : quomodo malum necessarium, aut necessarium malum ? — Sed neque hoc quod dicimus privare, secundum virtutem propriam pugnat bono. Universalis enim privatio, universaliter impotens ; particularis vero, non secundum quod privatio habet virtutem, sed secundum quod non universalis est privatio. Privatione enim boni particulari exsistente, nondum malum ; et facta, et mali natura periit.

Colligenti autem dicendum : Bonum ex una et tota causa est, malum ex multis et particularibus defectibus. — Scit Deus malum aut bonum ; et apud ipsum causæ malorum virtutes sunt beneficæ. — Si malum æternum, et creat, et potest, et est, et agit : unde ei hoc ? Aut ex bono, aut bono ex malo, aut ambobus ex alia causa.

— Omne quod secundum naturam, ex causa definita gignitur. Si malum incausale et infinitum, non secundum naturam. Neque enim in natura ejus contra naturam, neque inartificialis in arte ratio. — Igitur anima malorum causa. Sicut ignis calefaciendi, et omnia quibuscumque vicina fuerit, malitia replet. Bona quidem animæ natura; operationibus autem aliquando quidem sic habet, aliquando vero sic. Si quidem ex natura et esse ejus malum, et unde ei esse? Ex creatrice omnium exsistentium optima causa. Sed si ex ea, quomodo secundum essentiam malum? Bona enim omnia eadem egenita. Si autem operationibus, nec hoc est incommutabile. Si autem non sic, unde virtutes? numquid et deiformitate ejus facta? Relinquitur ergo malum infirmitas et defectus boni esse. — Optimorum causa una: si optimo malum contrarium, mali causæ multæ; non quidem factivæ malorum rationes et virtutes, sed impotentia et infirmitas, et mixtura dissimilium immoderata. Neque immobilia et semper sic se habentia mala; sed multa et infinita, et in diversa ferentia, et his omnibus multis et malis.

Omnibus etiam malis principium et finis erit bonum. Propter enim bonum omnia, et quæcumque bona, et quæcumque contraria. Etenim et hoc agimus bonum desiderantes. Nemo enim malum respiciens facit quæ facit. Proinde neque substantiam habet malum, sed contra substantiam, propter bonum et non ex eo factum. — Malo esse ponendum secundum accidens, et per aliud, et non ex principio proprio. Itaque quod factum est, rectum quidem esse putandum, quia ex bono esse putandum, quia propter bonum fit; veritate autem non rectum esse. Quamobrem quod non bonum, bonum arbitramur. Ostenditur aliud concupiscibile, et aliud factum. Non igitur malum est ex via, neque est ex visione, neque ex natura, neque ex causa, neque ex principio, neque ex fine, neque ex termino, neque ex consilio, neque ex substantia. Privatio igitur est malum, et defectus, et infirmitas et immoderantia, et peccatum, et inconspicuum, et informe, et non vivens, et non intelligens, et irrationale, et imperfectum, et incollocatum, et incausale, et infinitum, et infecundum, et pigrum, et infirmum, et inordinatum, et dissimile, et multum, et tenebrosum, et inessentiale, et hoc nunquam et nusquam nullum ὂν.

Quomodo autem omnino potest malum ad bonum ex mixtione? Quod enim omni bono expers, neque est quid, neque potest. Etenim si bonum et ens est, et consultorium, et bene potens, et activum: quomodo poterit quid contrarium bono, et substantia et sapientia et virtute et operatione privatum? — Non omnia omnibus, et omnino eadem secundum id ipsum mala. Dæmoni malum, contra deiformem intellectum esse; animæ, contra rationem; corpori, contra naturam.

Quomodo autem omnino mala, Providentia exsistente? Non est malum, si malum neque exsistens, neque in exsistentibus; et nihil exsistentium improvisum. Neque enim est malum ὂν conspicuum, subsistens bono. Et si nullum exsistentium non particeps boni, malum autem defectus boni, nihil autem exsistentium privatur universaliter bono; in omnibus exsistentibus divina providentia, et nihil exsistentium non provisum. Sed et factis malis optime et pulchre Providentia usa est ad

nostram aut aliorum formationem aut utilitatem, et proprie unicuique exsistentium providet. Propter quod et vanam aut dissipantem multorum non recipimus rationem, qui oportere aiunt Providentiam et invitos nos in virtutem ducere. Corrumpere enim naturam, non est Providentiæ. Unde ut Providentia uniuscujusque naturæ salvatrix, per se ipsos motorum ut per se ipsos motorum providet, et omnia, et ea per singula, similiter universo, et unicuique quantum provisorum natura recipit totius et largissimæ providentiæ editas proportionaliter unicuique providas bonitates.

Non igitur in malum, neque in exsistentibus malum. Non omnino enim malum, si et malum, et fieri malum, non secundum virtutem, sed per infirmitatem. Et dæmonibus, quod quidem sunt, et ex bono, et bonum. Malum autem ipsis, ex propriis bonis casu, et mutabilitates, circaque similitudinem et habitum infirmitas cognatæ ipsis angelicæ perfectionis. Et appetunt bonum, secundum quod et esse et vivere et intelligere substituuntur. Et si non appetunt bonum, id quod non est appetunt; et non erit hoc appetitus, sed vere appetitus peccatum.

In scientia autem peccantes, vocant Eloquia, circa non latentem boni scientiam aut actionem infirmos, et scientes voluntatem, et non facientes, auditores quidem, infirmos aut circa fidem aut operationem boni; et imprudentiam * quibusdam convenire benefaciendo, per falsam conversionem aut infirmitatem voluntatis. Et sic omnino malum, ut sæpe diximus, infirmitas et impossibilitas, et defectus est aut scientiæ, aut errantis scientiæ, aut fidei, aut desiderii aut operationis boni. Et quidem, dixerit quis, non vindicabile infirmitas; econtrario vero concessibile. Si quidem non licitum erat posse, bene se haberet ratio; si autem ex bono posse, dante (juxta Eloquia) ea quæ sunt opportuna omnibus simpliciter, non laudabile ex boni propriorum bonorum habitu peccatum, et irrationabilis conversio, et fuga, et casus. Sed hæc quidem a nobis in his quæ sunt de justa et divina justificationis observantia, satis secundum virtutem dicta sunt: secundum quam sacram actionem, Eloquiorum veritas sophisticas et veritatem et falsitatem contra Deum loquentes infirmavit tanquam perversas sapientes rationes. — Nunc autem, quantum secundum nos, sufficienter laudatur bonum ut vere mirabile, ut principium et finis omnium, ut continentia exsistentium, ut formificum non exsistentium, ut omnium bonorum causale, ut malorum non causale, ut providentia et bonitas universalis, et superans exsistentia et non exsistentia, et mala et suam privationem bonam facientem, omnibus appetibile et amabile et delectabile; et quæcumque alia in his palam vera ostendit (ut arbitror) ratio.

Luc. xii, 47. Jacob. iv, 17. Joan. xiii, 17.
* [illegible]

Jacob. i, 5.

ARTICULUS XXVI

ELUCIDATIO PARTIS PRIMÆ HUJUS CAPITULI QUARTI : DE BONO, ET PRIMO QUOMODO BONITAS DEO ATTRIBUATUR.

PRÆMITTITUR huic capitulo titulus iste : De optimo, lumine, bono, amore, ecstasi, zelo ; et quia malum neque ὄν, neque ex eo quod est, neque in exsistentibus.

Ad materiam ergo in superioribus inceptam rediens auctor, ait : *Si commodum ergo,* id est, quia commodosum atque conveniens est prosequi inchoata, *in eam jam sermone divinam nominationem redeamus,* id est, revertamur « jam » loquendo « in nominationem » illam « divinam », id est ad tractandum de nomine illo di- B vino, *quam remote theologi superdivine* * *Deitati ab omnibus segregant,* id est, quod nomen « theologi segregant », id est, segregatim seu valde specialiter atttribuunt, « Deitati superdivine » id est divinius quam exprimi valeat ; vel « Deitati superdivinæ », id est superexcellenter et ineffabiliter deæ ac perfectæ et increatæ. Hinc alia littera habet : Ad ipsam jam boni appellationem explicandam pergamus, quam theologi peculiariter summæ Deitati ex omnibus applicant. *Ipsam (ut* C *arbitror) divinam subsistentiam,* id est divinam essentiam, *bonitatem dicentes.* Deus namque naturaliter, independenter, substantialiter et infinite est bonus, ita quod sua essentia ac natura, est bonitas pura, perfectionaliter infinita. Quod consequenter probatur a posteriori, utputa ab effectu ipsius. *Et quia existendo optimum, ut essentiale optimum,* id est non accidentaliter nec participative, sed ex propria natura, *in omnia quæ sunt extendit bonitatem,* id est, propriam boni- D tatem communicat entibus universis : imo ipsorum essentia, perfectio, proprietas, et

* superdivinæ

A quidquid entitatis in ipsis est, participatio quædam est bonitatis primæ et increatæ.

Etenim, sicut quidem qui secundum nos est sol, id est quemadmodum sol iste sensibilis cujus quotidie perfundimur visibili luce, *non cogitans aut præeligens,* id est non ex prædeliberatione aut prævio cogitatu, *sed eo esse,* id est ex sui esse naturali proprietate et concreata sibi luce : non tamen ex solo suo esse substantiali specifico, quia nec lux illa sensibilis, est substantialis aut specifica forma solis, sed forma accidentalis et qualitas naturalis, quemadmodum calor est qualitas ignis. Itaque sol suo esse ita *illuminat omnia quæ participare lumen ejus secundum propriam potentia sunt rationem,* id est, quæ ex sua natura apta sunt participare ac suscipere lumen solis. Hoc est quod ait, « quæ secundum propriam rationem », id est naturam et speciem, « sunt potentia », id est valentia ac disposita, in se recipere « lumen » solare. Quod ita est, quantum est ex parte solis. Denique lux solis suo effectu et virtute seu influentia et vigore, ad multa pertingit ac penetrat ad quæ ipsa lux essentialiter non pertingit.

Sic et optimum, super solem ut super obscuram imaginem, id est « sic » summum bonum, quod est per infinitam eminentiam « super solem » materialem, tanquam « super imaginem », seu potius vestigium obscurum sui Creatoris, præsertim si sol atque cœlestia corpora inanimata dicantur : quod verius securiusque æstimari videtur ; *excellenter principale exemplum,* id est summum bonum ex-

sistens excellentissime « principale » et ideale exemplar ex quo exemplariter ac imitatorie deducta ac producta sunt omnia. Hoc alia littera continet: *Segregato archetypum*, id est singulari modo principale exemplar. Saepe exemplum improprie sumitur hic pro exemplari, quum proprie nominetur exemplum, quod ad alterius similitudinem factum est seu productum, exemplar vero, id ad cujus imitationem aut similitudinem aliquid fit. *Ipsa subsistentia*, id est ex propria sua natura, *omnibus existentibus proportionaliter*, id est secundum uniuscujusque capacitatem, mensuram et dispositionem, *superemittit totius bonitatis radios*, id est, desuper infundit luciformes et claras participationes cujuslibet seu cujuscumque « bonitatis » seu perfectionis creatæ, quia ab ipso derivatum est esse, vivere, agere, movere et moveri; vel « totius bonitatis », id est dona et radios suæ bonitatis et procedentes ab ea; quæ est bonitas tota, perfecta et universalis, omnia bona in se virtualiter, exemplariter, causaliter, supereminenter et superopulentissime comprehendens : juxta quem modum, omne et totum et perfectum coincidunt.

ARTICULUS XXVII

DE BONITATIS DIVINÆ DIFFUSIONE IN ANGELOS ET ANIMAS RATIONALES.

P*ER quos substiterunt*, id est per radios istos subsistentiam sortitæ sunt tanquam per causas formales intrinsecas, *incorruptibiles et intellectuales mentes et essentiæ et virtutes et operationes*. Intelligentiæ namque seu angeli sunt quidam radii luminis æterni, potentiæ quoque ipsorum et actus fluunt a radiis ipsis. Sic et omnis creatura dicitur quidam radius sui Creatoris. Porro ab essentia fluit virtus seu potentia, atque ab essentia per potentiam causatur operatio rei simili modo a radiis illis substantialibus. Ex quibus tanti theologi verbis multum roboratur positio dicentium non esse materiam ullam in angelis.

Per eos sunt, et vitam habent non deficientem, et sunt inviolabiles omni corruptione et morte, id est indeficientem, perpetuam, a sua duratione imminorabilem quacumque « corruptione » naturali seu « morte » quæ sit corruptio ipsius substantialis esse. Attamen mors culpæ et corruptio vitiorum inest dæmonibus. Omnis quoque creatura, in quantum ex nihilo est, de se in nihil vertibilis est ; et annihilaretur, nisi a suo Creatore manuteneretur in esse, ut non solum philosophi Plato, Proclus, Avicenna, sed theologi quoque Gregorius, Damascenus, Anselmus, testantur. *Et materia et generatione purgatæ*, id est puræ ac liberæ a « materia », quæ est pure passiva potentia, subjectum formæ substantialis, ac intellectualis perfectionis impeditiva ; *et ab inconstantia et fluxu et aliud aliter ferente mutabilitate sursum positæ*, id est collocatæ et exsistentes super instabilitatem et fluxum, ac mutabilitatem ferentem, id est inducentem, « aliud » esse et « aliter », id est, facientem aliter et aliter se habere.

Et incorporales et immateriales intelliguntur. Ideo a philosophis nuncupantur substantiæ separatæ. De hoc in libro de Causis multa dicuntur, videlicet : Intelligentia est substantia quæ non dividitur ; Substantiæ unitæ intelligibiles, non sunt generatæ ex re alia, et omnis substantia stans per essentiam suam, non est generata ex re alia. Itemque : Omnis substan-

tia stans per se ipsam, est non cadens sub corruptione; omnis substantia stans per essentiam suam, est simplex et non dividitur; omnis substantia simplex, est stans per se ipsam, hoc est per essentiam suam. Et rursus : Omnis substantia destructibilis, non sempiterna, aut est composita, aut delata super res alias. Hinc et Proclus probat subtiliter, quod omne conversivum ad se ipsum, necessario est simplex, indivisibile, incorporeum, immortale, quoad id quo est taliter conversivum et reditivum ad se.

Et ut intellectus, id est tanquam mentes separatæ, per se stantes sine contagione materiæ, *supermundane intelligunt,* id est, deiformiter noscunt simplici intuitu, sine compositione ac divisione, et sine reflexione et conversione ad rerum phantasmata, *et exsistentium propriæ illuminantur rationes,* id est, rerum « rationes » ac formæ seu species « illuminantur » ac decorantur in eis ex irradiatione Altissimi super ipsas. Hinc alia littera continet : Et exsistentium proprie splendidantur sermones. Porro aliæ translationes evidentiores videntur : quarum est una, Rerum rationes divinis illustrationibus discunt; alia vero, Exsistentium proprie illuminantur rationibus. *Et iterum in cognata, quæ propria sunt, deferunt,* id est, illuminationes et cognitiones sibi desuper factas, in angelos sibi propinquiores et inferiores transfundunt, ut constat ex dictis super Angelicam hierarchiam. Unde alia ait translatio : Rursus ad propinquiora et cognata, quæ didicerunt, transmittunt.

Et habitationem ex bonitate habent, id est, mansionem in Deo ac cœlo empyreo, atque in propriis hierarchiis ac choris, et in pace interna, « habent » efficienter « ex bonitate » increata, quæ Deus est. Etenim teste Philosopho, dans formam dat consequentia formam, quæ sunt locus et motus. Ex bonitate demum sua intrinseca, quæ est eorum formalis essentia, convenit eis formaliter mansio eis connaturalis in choro ac ordine suo, saltem inchoative.

A Ex bonitate vero et excellentia meritorum suorum, sortitæ sunt completive distinctas ac proprias mansiones. Unde Salvator deprompsit, In domo Patris mei mansiones multæ sunt, hoc est diversi gradus et collocationes præmiorum, juxta diversos gradus distinctionesque meritorum. Alius textus habet : Habent item ex bonitate constantiam, id est permanentiam seu firmitatem in bono. Joan. XIV, 2.

Et fundamentum eis inde est, id est, ex bonitate habent radicationem ac sta-

B bilimentum in Deo, in quo per bonitatem virtutum et gratiæ ab exordio manserunt fundatæ, et per conversionem ad ipsum ac beatificam visionem, confirmatæ et immobilitatæ sunt in Creatore, *et continentia,* id est conservatio, *et custodia,* id est tuitio ac securitas ab omni nocumento, *et refectio bonorum,* id est epulatio felix, juxta illud : Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ. *Et ejus appetentes,* id est, eamdem refectionem quam habent, jugiter cupientes, quoniam nunquam fastidi- Ps. XXXV, 9

C unt ipsam : imo satietas et appetitus ibi sunt simul in eodem. Etenim teste summo Apostolo, In ipsum desiderant angeli prospicere. *Et esse et bene esse habent* ex summo bono, utputa perfectionem primam et secundam, id est perfectionem substantialem et accidentalem. Propterea asserit Proclus : Ab eodem habet res esse et bene esse. In libro quoque de Causis, propositione octavadecima, inducitur : Res omnes habent essentiam propter ens primum, et res vivæ omnes sunt motæ per I Petr. I, 12.

D essentiam suam propter vitam primam, et res omnes intelligentes habent scientiam propter intelligentiam primam, id est a primo intelligente atque sciente, ut ibidem in commentario exponitur.

Et ad eum (ut possibile) referuntur et bene specificatæ sunt, id est, ad primam ac summam bonitatem conversæ, reductæ et configuratæ sunt, quantum per naturam ipsis possibile est. Sunt namque constitutæ in termino suæ perfectionis, et potentialitas in ipsis ad actum perfecte redacta est,

permansionem quantum ad essentiale præmium earumdem, felicitatemque principalem. *Ex * his quæ sunt ad se invicem communicationes*, id est, mentes illæ angelicæ superiores ex donis et bonitatibus sibi divinitus distributis diffundunt ac largiuntur inferioribus angelis, *ut divinæ eos [illegible]*, id est, secundum quod ordinatio ac jussio Dei ipsos præfigit, instigat, hortatur, *[illegible]*, id est, [illegible] divinarum influxionum ac illuminationum procedentibus et descendentibus in mentes illas inferiores « ex » summo « bono » per mentes superiores.

[illegible] supermundani sunt ordines, id est, ex illa influxione et illustratione divina diversi ac decori et pulchre ornati chori et « ordines » sunt in Angelis; de quorum officiis, distinctionibus et dispositionibus tractatum est libro de Angelica hierarchia; *et ad invicem unitates*, id est mutuæ uniones, seu aptæ connexiones, secundum quod sapientis est ordinare; *inter se invicem locationes*, id est constitutiones omnium et singulorum in convenientibus locis ad invicem, secundum quod angeli dicuntur esse in locis definitive, *inconfusæ discretiones*, id est distinctiones et differentiæ ab invicem valde decoræ, quoniam species rerum concatenatæ et connexæ sunt, quemadmodum numeri.

Ad superiora reductiones inferiorum virtutes, id est vires idoneæ ad reducendum ac convertendum mentes inferiores ad superiores pro illuminatione suscipienda ab illis, *circa secunda providentiæ majorum*, id est activæ provisiones superiorum angelorum circa inferiores et circa humana, *proprietatum uniuscujusque virtutum custodiæ*, id est observationes « virtutum propriarum uniuscujusque » angeli. Nam unusquisque illorum inconfuse custodit et explet quod spectat ad se, nec terminos sibi præfixos transgreditur: ideo subditur, *et circa eos non labentes ambitus*, id est circumspectiones et perambulationes in executione spectantium ad se nequaquam erroneæ. *Circa appetitum optimi immutabilitates et sublimitates*, id est invariabiles ac sublimes appetitiones et affectiones summi boni, in quod indeviabiliter feruntur, tendunt ac fixæ sunt; *et quæcumque alia dicta sunt a nobis in eo*, id est de appetitu isto, seu in tractatu *de Angelicis proprietatibus et ordinationibus*.

Sed quæcumque ipsius cœlestis hierarchiæ sunt angelicæ mundationes, id est, universæ purgationes activæ et passivæ quæ sunt in tribus angelicis hierarchiis, *et supermundanæ illuminationes*, id est illuminationes supernæ ac directivæ, *et consummationes totius perfectionis angelicæ*, id est perfectivæ actiones, utputa tres actus hierarchici angelicorum spirituum, *ex causalissima et fontali sunt bonitate*, id est a primo increatoque bono, a quo est omnis causalitas, fecunditas, influentia creaturarum: et bonum illud omnipotens, est incomparabiliter causale, fecundum, operativum, utputa infinitæ opulentiæ in se ipso, juxta illud libri de Causis: Primum est dives in se, et dives in aliis.

Ex qua et deiforme eis donatum est, id est, ex bonitate illa præstitum est angelis quod sunt deiformes, hoc est præ ceteris creaturis Creatori similiores, utputa solum intellectuales, immateriales, simplici intuitu et infallibiliter intelligentes, *et elucere in eis occultam bonitatem*, id est, quod incomprehensibilis bonitas, liberalitas, perfectio Dei, in ipsis præclarius fulget ac repræsentatur; *et esse angelos, tanquam enuntiatores divini silentii*, id est, quod sunt primi præcones ac nuntii denuntiantes ecclesiasticæ hierarchiæ ea quæ Deus in se ipso disposuit, concepit, decrevit, et inferioribus insinuare proposuit, prout super Angelicam hierarchiam expressum est. Nam et angelus interpretatur nuntius: estque nomen officii, non naturæ, secundum Gregorium. *Et ut luminaria clara*, id est, quod vere sunt splendida luminaria, intellectualis luminis copiose contentiva ac aliis infusiva, *in abditis **

* e

Greg. hom. 34.

* adytis

existentis interpretativa, id est expositiva secretarum veritatum in abscondito sapientiæ Dei thesauro latentium, *præmissos*, id est nuntios ad talia revelanda desuper missos antequam fiant.

Consequenter ostenditur qualiter animabus rationalibus suo modo communicantur divina charismata.

Sed et post illos sacros et sanctos intellectus, id est post mentes illas supernas, immaculatas et virtuosas in intellectu et affectu, in se et in suis operibus, *animæ et quæcumque sunt animarum bona, per summe optimam sunt bonitatem*, id est, « animæ et » cuncta naturalia atque gratuita « bona » earum, producta sunt a superoptima bonitate :

Amatrices eas esse habendi essentialem vitam, id est, quod ipsæ animæ amant et cupiunt habere ac retinere vitam naturæ, et ipsum vivere primum, quod secundum Philosophum, est ipsis viventibus esse : a quo vivere intrinseco, primo, essentiali, animabus communicato, derivatur ac profluit vivere secundum, id est actio vitalis; *insolubile ipsum esse posse in optimorum**

* et posse ad angelicas intentus vitas, per eas ut optimas ductrices, in omnium optimorum

A *bonitatem principalem reduci*, id est, incorruptibile et immortale esse rationalium animarum « posse reduci » ad summam « bonitatem », a qua optima quæque fluxerunt : *et inde emanantium illuminationum in participatione fieri*, id est, effici et constitui « in participatione illuminationum emanantium » a summa bonitate, *secundum summam analogiam*, id est juxta maximam proportionem, capacitatem et habitudinem ipsis possibilem; *et deiformitatis donationem ut virtus participa-*B *re*, id est, partim suscipere etiam divinas proprietates, ut immortalitatem, intellectualitatem liberumque arbitrium, « ut virtus », id est, quantum possibile est et potestas animæ se extendit, quæ facta est in umbra intelligentiæ, et vim intellectivam habet defectuosam ac discursivam; *et quæcumque alia a nobis in his quæ sunt de anima, enumerata sunt*, id est, alia omnia dona quæ sortita est anima, quæ enumeravimus in tractatu quem de anima compilavimus, habet anima ipsa a C bono illo supremo. Quo constat quod beatissimus Dionysius librum quoque de anima edidit : quem utinam haberemus.

ARTICULUS XXVIII

QUALITER BONITAS DIVINA RELUCEAT IN IRRATIONALIBUS.

SED *et de ipsis, si oportet dicere, irrationabilibus animabus aut animalibus*, id est, « si oportet » aut expedit loqui « de irrationabilibus animabus » ac brutis, *quæcumque aerem secant*, id est, volando aerem dividunt, et percussione alarum suarum efficiunt sonum. Unde in
Sap. v, 11. libro Sapientiæ dicitur : Commotis alis aerem verberant, *et quæcumque in terra gradiuntur*, ut gressibilia seu progressiva, *et quæcumque in terra** *extenduntur*, sicut reptilia, *et in aquis vitam aut in*

* terram

D *mari et in terra sortientia*, id est, quæ gignuntur et vivunt vel in terra, vel in aquis, aut in utroque, ut pisces aliqui, et aves quamplurimæ, et de quorum productione originali legitur in Genesi, *et quæcumque sub terra cooperta vivunt et obruta*, id est infossa seu pressa; *et simpliciter quæcumque sensibilem*, id est sensitivam, *habent animam aut vitam, et hæc omnia per optimum animantur*, id est, omnia ista vitam suam a summo bono mediate aut immediate participant per generatio- Gen. i, 20, 22, 24, 25.

sunt aut creationem, *et vivificantur a fonte vitæ*, non formaliter intrinsece, sed *effective*.

Et perfecta omnia, ut plantæ, gramina, arbores, *vivificantur et moventur habent* [illegible] *ad optimum. Et quæcumque sunt inanimata*, id est non animalia, *et non vitalia essentia*, ut elementa et plurima mixta, *et mineralia, per optimum est*, id est, ab optimo Deo sunt, ex quo, per quem, et in quo sunt omnia, *et per ipsum essentialem habitum sortita*, id est, a summo bono susceperunt « habitum essentialem » id est formam substantialem, quæ eis est velut habitus quidam inhærens, seu naturalem inclinationem.

Et optimum et super omnia substantia est, id est, quoniam bonum increatum æternum excedit et excellit cuncta creata quæ sunt, *quomodo igitur est optimum?* non utique quasi inter illa contentum, aut tanquam unum illorum; *et informe formificat?* id est, qualiter ipsum non formatum ab aliquo, alia format? *Et in se solo et non exsistens*, id est, in se ipso separatum exsistens, nec alicui alteri essentiale, *omnium essentialitas est*, id est, omnis « essentiæ » creatæ essentia est, id est causa ipsius essentialitatis, et excellentissima est essentia; *et non vivens* vita limitata, seu ita quod in ipso sit aliud vivens, aliud vita, *supervivens vita*, id est vita omnem aliam vitam transcendens; *et non intelligens* per intellectum a se distinctum, est *superans sapientia*, id est sapientia transcendentissima; *et quæcumque in optimo informia sunt*, id est, « in » Deo « optimo » fonte exemplarium rationum, a quibus reliqua cuncta formantur, et ipse a nullo formatur, sic informia quædam censentur [quæ] sunt *superexcedentissimæ specificationis*, id est distinctionis superaltissimæ. Distinctis namque et propriis et specialibus rationibus, seu exemplaribus similitudinibus ac ideis, Deus æternus universa cognovit et operatur, ut in libro LXXXIII Quæstionum loquitur Augustinus.

Et si justum est dicere, optimum quod est super omnia substantia, id est summum et incomparabile bonum, *et id quod non ens, appetit*, id est materia prima, naturali inclinatione formam substantialem appetendo quæ est participatio quædam primi ac puri actus, videlicet Dei, sicut ait Philosophus : Materia appetit formam, quemadmodum turpe pulchrum, et femina masculum. Denique materia prima secundum se considerata, dicitur non esse seu non ens, quoniam est pura potentia et infinitum* entium, sicut Deus dicitur purus actus et primum ens. Esse autem, est a forma : nam forma est quæ dat esse. Hinc Platonici posuerunt bonum ante ens, et bonum latius participari quam ens, atque materiam primam esse bonum, quia ordinatur ad bonum, puta ad formam, non tamen esse ens. In quibus S. Dionysius videtur sequi Platonem. Nam in isto volumine prius tractat de bono, quam de ente. Hinc Proclus Platonicus secundo theoremate Elementationis suæ theologicæ asserit : Materia quidem ex uno subsistens, entis secundum se est expers speciei; et iterum : Ipsum quod non est, appetit bonum.

Et contendit quoquomodo in optimo esse, id est, materia quasi conatur et certat naturali desiderio « esse in optimo », id est summum bonum participare, *et hoc esse ente superessentiali juxta omnium ablationem*, sic exsistendo in «ente» primo per participationem, ut sit etiam ipsa ens, quæ secundum se nec est quid, nec quale, nec quantum, secundum Philosophum septimo Metaphysicæ : « ente (inquam) superessentiali juxta omnium ablationem », id est ente primo, puta in Deo, qui est ens superessentiale per abnegationem universorum ab ipso : quoniam non est ens nec aliquid omnium, prout res creatæ, et prout capere possumus, sed modo in infinitum sublimiori, nobis prorsus incomprehensibili.

Sed quod quidem nos in medio prætermissum effugit, id est, id quod jam supra omisimus tangere. Unde alia translatio

* [illegible]

continet : Quod nos in medio [orationis A cursu] ferme fugerat. *Et cœlestium principum et sublimitatum causa optimum*, id est, summum bonum est « causa » effectiva, exemplaris ac finalis omnium supernorum principatuum « et sublimitatum » et potestatum, imo et terminationum ac
Sap. xi. 21. finium. Omnia quippe in numero, pondere et mensura constituit. Et intrinsecos rerum fines seu terminationes instituit ac effecit, terminos quoque extrinsecos, terminos item durationis, secundum illud :
Job xiv. 5. Constituisti terminos ejus, qui præteriri B non poterunt. Unde et in libro Job asseri-
Ibid. xxviii. 3. tur : Universorum finem ipse considerat.
Ibid. xxxviii. 4. 5. 10. Et rursus : Ubi (inquit) eras quando ponebam fundamenta terræ ? Quis posuit mensuras ejus ? Circumdedi terminis mare. *Non aucta et nominatica*, id est causa inaugmentabilis nec nominabilis ; vel ut alii textus habent, Non variata, id est invariabilis causa : unde subjungitur, *et omnino immutabili eadem latitudine*, id est, jugiter est exsistens in amplitudine suæ potestatis « eadem » et incommutabili. C

Et consonantium, id est, causa est consonantiarum et proportionum cœlestium motuum. Quod non est intelligendum quod (juxta Pythagoricos) sit sonus realis consonantiaque corporalis in cœlestium motibus corporum. Propter quod alius habet textus : Motuum quoque quiete et sine strepitu vires suas agentium. Quod doctrinæ Aristotelis consonat. *Si sic oportet dicere*, id est, quia sic expedit loqui, *maxima cœlesti via*, id est, bonum illud supremum est causa in amplissimo cœlorum spatio D ac itinere, *motuum* cœlestium.

Et sideralium ordinum, id est coordinationis stellarum. Unde Dominus ait ad
Ibid. 33. Job : Numquid nosti ordinem cœli, et pones rationem ejus in terra ? *Et decorositatum*, id est pulchritudinum. Nempe ut in primo Timæi habetur, incomparabili pulchritudine mundus consistit. *Et luminum* quibus cœlestia corpora radiant et ornantur, *et collocationum*, id est situum et positionum.

Et singularum stellarum permeabilis multimodæ motionis, id est, bonum illud æternum est causa prima ac principalis, quamvis forsan non immediata, multiplicium motuum siderum : qui motus sunt permeabiles, quia complentur quotidie in revolutionibus suis ; moventurque motu propriæ sphæræ ac motu mobilis primi.

Et ejus quæ est duorum luminarium, id est, etiam causa est motuum solis et lunæ, *quæ Eloquia vocant magna*. Unde in Genesi habetur : Dixit Deus, Fiant lu- Gen. i. 14. 16.
minaria in medio cœli : et fecit Deus duo magna luminaria. Quorum unum secundum apparentiam magnum vocatur, quia propinquissimum elementis ; aliud secundum veritatem, quod est in medio planetarum, secundum Ptolemæum aliosque communiter, quamvis Aristoteles putaverit solem proximum lunæ. *Ab eisdem in eadem circummeabilis revolubilitatis*, id est, summum bonum est causa revolutionis luminarium horum ab oriente in occidentem, et econverso, *secundum quæ apud nos dies et noctes terminatæ*, id est, ex cursu et motu solis et lunæ accipiuntur et terminantur in terra dies et noctes, *et menses et anni mensurati*. Nam ex completione motus lunæ in sphæra sua ex motu primi mobilis, sumitur nomen et duratio mensis ; porro ex hujuscemodi completione motus solaris, sumuntur anni. Hinc legitur in Genesi : Sint in signa Ibid. 14.
et tempora, et dies, et annos ; et in Jeremia : Hæc dicit Dominus, qui dat so- Jer. xxxi. 35.
lem in lumine diei, ordinem lunæ atque stellarum in lumine noctis. Ecclesiasticus quoque ait : Luna ostensio temporis et si- Eccli. xliii. 6. 8.
gnum ævi, mensis secundum nomen est ejus. Hinc subditur :

Temporis et eorum quæ in tempore sunt, circulares motus segregant, et numerant, et ordinant, et continent, id est, luminaria ista distinguunt, et numerabiles reddunt orbiculares revolutiones quæ fiunt in tempore, ac tempore mensurant « et ordinant » eas causaliter, ac causant unam post aliam, sicque virtualiter « continent » ipsas.

ARTICULUS XXIX

SOLEM ESSE IMAGINEM DIVINÆ BONITATIS QUANTUM AD PROCESSUM RERUM AB IPSA.

QUÆ si quis dixerit de ipso per se solari radio? id est, quod inconveniens esset idem asserere de luce seu radio solis, quod scilicet ex primo sit lumen, et causet dies, distinguatque tempora, cum et valde diversos, miros et multos pariat effectus in terra?

Ex optimo enim lumen, et imago bonitatis; id est, « lumen » hoc sicut et cetera lumina, quæ originaliter a summo bono fluxerunt, sunt evidentes imagines « bonitatis » increatæ: alia ornando, se undique diffundendo, omnia clarificando. Nam et ipsemet Deus lux appellatur. Unde Joannes: Deus (ait) lux est, et tenebræ in eo non sunt ullæ. (I Joan. I, 5.) Hinc additur: *Deinde et lumen non laudatur optimum*, id est, Deus qui summum est lumen, « laudatur » et designatur nomine « lucis »: ut apud Joannem, Erat lux vera. (Joan. I, 9.) *Velut in imagine principalis forma manifestata*, id est, sicut vere summa et exemplaris forma resultans, resplendens, et notificata per suum effectum, tanto evidentius quanto effectus ille clarior est similitudo primi et summi opificis.

Sic enim omnium summitas divina bonitas, id est « bonitas » increata, apex et « summitas omnium » rerum, *a sublimissimis et antiquissimis essentiis usque ad novissimas pervenit*, id est, a supremis suis effectibus, supernis suis spiritibus, operando et influendo, non locum mutando, descendit usque ad infimos suos effectus, *et adhuc super omnes est*, id est, universis et singulis eminet, nullibi terminata neque inclusa, *neque his quæ sursum sunt anticipantibus ejus excellentiam*, id est, ita quod nec supremæ illæ creaturæ, Creatoris sui « excellentiam », perfectionem, immensitatem præpediant, attingant aut consequantur, *neque his quæ deorsum sunt*, id est nec inferiora creata, *ambitum transgredientibus*, id est, infinitatem Dei, qua omnia intra se claudit et continet, exeant, effugiant aut evadant, juxta illud Psalmi: Quo ibo a spiritu tuo? et quo a facie tua fugiam? Si ascendero in cælum, tu illic es, etc. (Psalm. CXXXVIII, 7, 8.) In Job quoque legitur: Excelsior cœlo est, et quid facies? profundior inferno, et unde cognosces? longior terra mensura ejus, et latior mari. (Job. XI, 8.) Ad ipsum ergo humiliter confugiamus, cujus majestatem effugere nequaquam valemus. Denique concordat prædictis quod theoremate centesimo quadragesimo loquitur Proclus juxta suum modum loquendi: Omnes deorum potentiæ desursum inchoantes, et per proprias procedentes medietates, usque ad extrema deveniunt, et usque ad loca circa terram. Additque in commentario: Neque enim illas impedit aliquid, nec prohibet præsentiam ad omnia.

Sed et illuminat potentia omnia, id est, cuncta illuminabilia, quæ scilicet illuminationis sunt protinus susceptiva, Deus « illuminat »: imo et sæpe illuminationis incapacitatem ac obicem tollit ac gratiæ impedimenta, ut patet in his quos gratiosissime prævenit. *Et quæ non sunt facit* per creationem præcipue, dicente Apostolo: Vocat ea quæ non sunt, tanquam sint. (Rom. IV, 17.) *Et vivificat* quædam vita naturæ, quædam vita gratiæ, quædam vita gloriæ, *et continet*, id est conservat, *et perficit*, movendo et inclinando ad congruam operationem ac debitum finem.

Et mensura est exsistentium: juxta illud Philosophi, In omni genere, primum est mensura posteriorum. Veruntamen Deus

A superbenedictus et supersublimis, est mensura extrinseca, communis, excedens, cunctis finem imponens, universa determinans, notificans et coarctans. Hoc est quod theoremate centesimo septimodecimo asserit Proclus : Omnis deus mensura est entium, multitudines enim entium determinat et mensurat. *Et æternitas.* Deus quippe est sua æternitas, nec æternitas est Dei mensura, nisi secundum rationis considerationem. *Et numerus.* Deus est simplicissima unitas : nec est numerus de B genere quantitatis, nec numerus numeratus prædicamentalis, quamvis sit trinitas ; sed dicitur « numerus » numerans superexcedens, ut causa omnis pluralitatis. *Et ordo,* id est causa ordinis universi, *et ambitus,* id est, cuncta circumiens et intra se claudens. Sicque dicitur numerus, ordo et ambitus per causam. *Et causa, et finis,* id est « causa » effectiva atque finalis.

Sic et divinæ bonitatis significativa imago, magnus hic et plenus luce et semper lumine sol. Hic ostendit per simile C quod dixit de Deo : « Magnus » (inquiens) « hic sol », id est sol visibilis, planetas ceteros ac sidera vehementer excedens magnitudine corporali, virtute causali, luce multiplicique effectu, evidens Dei « imago » quantum ad multa, « plenus luce » in se « et lumine » quod influit aliis. Ideo subditur : *secundum multam consonantiam boni,* id est imitativam assimilationem, *et omnia quæcumque participare eum possunt, illuminat,* sicut expressum est, *et superextentum habet lumen in omnia,* D quasi paratus illud impertiri ac superfundere omnibus susceptivis, *expandens in visibilem mundum,* id est super totum corporale universum ad naturalem ordinem ac habitudinem spectans. Non enim illuminat cœlum empyreum, nec corpora glorificata in ipso. Unde in Apocalypsi dicitur : Civitas non eget sole neque luna. (Apoc. XXI, 23.) Isaias quoque ait : Non erit tibi sol amplius ad lucendum per diem. (Is. LX, 19.) *Sursumque et deorsum propriorum radiorum claritates* immittit.

Et si quid eos non participat, hoc non infirmitatis aut brevitatis est illuminativæ ejus distributionis, id est, non contingit ex defectu aut parvitate virtutis « illuminativæ » ipsius solis, qua distributivus est luminis sui cunctis capacibus, *sed per assumptionis luminis importunitatem non repansorum in luminis participationem,* id est ex aliqua indispositione materiæ ad solaris luminis assumptionem, id est « participationem ». *Itaque multa sic se habentium radius transiens,* id est, lumen solis multa incapacium suæ claritatis pertransit, *quæ post illa illuminat,* id est, etiam illa illustrat postquam facta fuerint apta illuminari, *et nihil est visibilium quo non recipiatur,* id est, in « quo non recipiatur » lux solis, quantum est ex parte ipsius, *secundum propriæ claritatis superexcellentem magnitudinem,* id est juxta exuberantissimam plenitudinem lucis solis, quæ tanta est quod cunctis capacibus præsto est.

Sed et ad generationem sensibilium corporum committitur, id est, simul cum radiis et influentiis aliorum cœlestium corporum descendit, confert ac mittitur ad mixtorum productionem, *et ad vitam eas movet.* Propter quod ait Philosophus : Homo generat hominem et sol. *Et nutrit, et auget, et perficit, et purgat, et renovat.* Ad omnia enim ista disponit ut causa dispositiva, universalis, instrumentalis ac secundaria, non ut deus quidam, quemadmodum plurimi putaverunt : nam et Aristoteles, tertio de Anima, nominat solem, deorum virorumque patrem. Nutrimenta etiam generatorum producit. *Et mensura est et numerus horarum, dierum, et totius secundum nos temporis, lux,* id est, « lux » illa solis seu radius « est » causaliter « mensura et numerus temporis ».

Verum his objici posset quod loquitur Damascenus libro secundo : Græci per solis et lunæ ortum et occasum, et concursum eorum, aiunt omnia dispensari quæ secundum nos sunt. Nos autem dicimus quod non sunt causa alicujus eorum quæ

tionis, nec generabilium neque corruptibilium eorum quæ corrumpuntur; signa vero sunt mutationis transmutationisque aeris. Et comprehendum quod Damascenus efficaciter et catholice probat quod non sunt causæ directæ aut coactivæ actuum humanorum, præsertim quantum ad partem hominis superiorem, intellectualem ac liberam. Porro quod ait eos non esse causam generationis et corruptionis, nec generabilium et corruptibilium, sic exponendum est, quod scilicet non sunt causæ talium dominative et potestative, ut posuerunt idololatræ; nec sunt per se, sed quasi per accidens, causæ corruptionis. Unde secundum Philosophum, sol suo accessu ad nos in zodiaco est causa generationis et renovationis in inferioribus istis, suo vero recessu, causa est corruptionis, quemadmodum ignis sua elongatione fertur causa infrigidationis, et nauta sua absentia causa naufragii.

Insuper effectus solis et luminis ejus sunt multi. Tempora namque distinguit, temporales sunt vices ac versiones, puta ver, æstatem, autumnum hiememque inducit, gelida resolvit; mollia quædam consolidat, et dura quædam resolvit, fructus maturat, aperit flores, terram et arbores ornat foliis, graminibus, herbis, virgultis, atque futuræ resurrectionis et renovationis atque in melius commutationis typum prænuntiat; vapores diversimode elevat et deponit; lætificat et decorat mundum inferiorem; medicinalis est, et suavis oculis sanis.

Præterea, de hac luce subjungit princeps iste theologorum unum prorsus notabile. *Illa autem est lux, etsi tunc imperfecta erat*, id est, quamvis informis fuerit quando creata est, scilicet prima die, *quam quidem dicimus dixit Moyses*, id est, quam sanctus Moyses asseruit, *et quam illam terminasse primam secundum nos dierum trinitatem*, id est, fecisse ac formasse « trinitatem dierum », id est primos tres dies, « secundum nos », id est dies successivos ac temporales quibus homines assueti sunt, antequam quarto die factus est sol, cujus motu causatus, inceptus et terminatus est quartus dies, ut patet in Genesi. Ex quibus verbis est evidens, quod S. Dionysius in Scripturis studiosissimus, et in earum intelligentia ab Apostolis ac apostolicis viris, præsertim a Paulo ac Hierotheo, instructus, ut ipsemet frequenter testatur, dies illos primæ creationis rerum de quibus locutus est Moyses, intellexit et intelligendos edocuit de temporalibus et successivis diebus, in quorum quarto perhibuit solem factum. Idem Leo Papa affirmat, et universi doctores catholici Latini et Græci atque Hebræi qui ante Augustinum fuerunt. Nec Augustinus expositionem suam novam, antea inauditam, posuit assertive, sed opinative loquendo. Ideirco quod quidam doctores scholastici eam assertive sequuntur, non censetur laudabile, prout de hoc super secundum Sententiarum diffusius scripsi. Per hoc quoque quod asserit solem factum esse de luce illa, insinuat solem esse naturæ elementaris.

Gen. I, 3-13. Ibid. 14-19. II Sent. dist. 12, 14.

ARTICULUS XXX

SOLEM ESSE IMAGINEM DIVINÆ BONITATIS QUANTUM AD ORDINEM RERUM IN IPSAM.

CONSEQUENTER declarat qualiter bonitas increata instar luminis solis se habet [quantum ad ordinem rerum in ipsam].

Et sic quidem omnia ad semetipsam bonitas convertit, id est, « bonitas » Dei universa creata « ad semetipsam » tanquam ad omnium principalem ac ulti-

mum finem ordinat, inclinat ac movet, a qua omnia naturaliter appetunt conservari. Unde in Proverbiis asseritur : Universa propter se ipsum operatus est Dominus. Qui in Apocalypsi fatetur : Ego sum principium et finis. Porro creata diversimode convertuntur ad Deum, juxta illud in Proclo : Omne ens substantialiter convertitur solum, aut vitaliter, aut etiam cognitive. Nec obstat quod quædam obstinate et inavertibiliter sunt a Deo aversa, sicut et quidam non esse desiderant : quia hoc totum innaturale est, et prorsus per accidens.

Prov. xvi, 4.

Apoc. i, 8, xxi, 13.

Et principaliter congregatrix est dispersorum, id est, bonitas summa ea quæ ab invicem sunt distincta, divisa, contraria, reducit, colligit, et in unum redigit ordinem rerum, ut patet de elementis ac aliis multis : quod et eminentius agit in intellectualibus creaturis. Unde Joannes ait : Jesus moriturus erat pro gente, ut filios Dei qui erant dispersi, congregaret in unum. Hinc ipse fassus est : Qui non colligit mecum, dispergit, etc. *Ut principalis et unifica Deitas*, cujus est multa in unum reducere. Propter quod dixit : Alias oves habeo quæ non sunt ex hoc ovili, et illas oportet me adducere, et fiet unus pastor et unum ovile. Hinc Proclus theoremate tertiodecimo Elementationis theologicæ fatur : Omne bonum unitivum est participantium ipso, et omnis unitio bonum, et bonum uni idem : etenim bonum est salvativum entium omnium, propter quod appetibile est omnibus. Hinc additur : *et omnia ipsam ut principium, ut continentiam, ut finem appetunt*, id est, cuncta creata primam bonitatem desiderant ut primum « principium » effectivum, et ut causam conservativam, atque ut ultimum « finem ».

Joann. xi, 51, 52.

Luc. xi, 23.

Joann. x, 16.

Et optimum est, ut Eloquia aiunt, ex quo omnia subsistunt et sunt : « omnia » quippe, secundum Scripturas, a summo bono fluxerunt ; *tanquam ex causa perfectissima adducta*, id est ad esse vocata et perducta, juxta illud libri Sapientiæ : Quomodo posset aliquid permanere nisi tu voluisses ? aut quod a te vocatum non esset, conservaretur ? In Job quoque dicitur libro : Quis ignorat quod omnia hæc manus Domini fecerit ? *Et in quo omnia constituta sunt*, tanquam in primo et exemplari principio ac ultimo fine, et in cujus omnipotentia, dispositione ac imperio sita sunt, secundum illud in libro Esther : Domine Deus, rex omnipotens, in ditione tua cuncta sunt posita, et non est qui tuæ possit resistere voluntati. Job etiam ait : In cujus manu est anima omnis viventis, et spiritus universæ carnis hominis. *Tanquam in omnipotenti consulto*, id est sicut in securissimo fundamento et indefectibili conservatorio (hinc alia habet translatio : Sicut in omnipotenti fundo), *custodita et comprehensa*, id est contenta et inclusa in ipso, qui ait per Jeremiam : Ecce sicut lutum in manu figuli, ita vos in manu mea. Qui ut in libro Job habetur, Conteret multos et innumerabiles, et stare faciet alios pro eis. Hinc apud Joannem ait Salvator de suis electis : Non rapiet eos quisquam de manu mea. *Et in quod omnia convertuntur, sicut in propriam singula summitatem*, id est, cuncta naturaliter inclinantur redeuntque in ipsum, sicut expositum est, et « singula convertuntur » in ipsum ut conserventur (juxta illud, Oculi omnium in te sperant), sicut in proprium summum bonum, quod est omnium provisivum et influens eis conservationem ac necessaria, prout in vicesima propositione libri de Causis inducitur : Causa prima regit res omnes, et influit super eas virtutem vitæ et bonitates, et implet omne sæculum bonitate.

Rom. xi, 36.

Sap. xi, 26.

Job xii, 9.

Esther xiii, 9.

Job xii, 10.

Jer. xviii, 6.

Job xxxiv, 24.

Joann. x, 28.

Ps. cxliv, 15.

Et illud concupiscunt omnia : intellectualia quidem et rationalia, scienter ; sensualia vero, sensibiliter ; sensus autem expertia, id est, ea quæ carent sensu, videlicet vegetativa, *tantum insito motu vitalis appetitus*, id est inclinatione desiderii vitæ vegetativæ quam sortiuntur ; *inanimalia autem*, id est prorsus inanimata nec viva, *et tantummodo existentia, ad*

solam essentialem participationem appetentes, id est, desiderant summum bonum « opportunitate », id est convenientia eis desiderii, « ad » obtinendam seu conservandam « solam participationem essentialem », id est participationem primæ et summæ essentiæ quoad solum gradum essendi.

Summus et sanctus iste philosophus noster magnus Dionysius, ista et consimilia quæ ex philosophia et naturali lumine didicit et cognovit, theologicis suis immiscuit libris, in quantum ea quæ fidei sunt et in Scriptura habentur, per ea clarius intelliguntur. Eorum ista naturalem rationem secundum simplicem intelligentiam non excedunt, et a philosophis sunt conscripta, præsertim a Proclo ex documentis Platonis. Quæ et Proclus in commentario tricesimi noni sui theorematis subtiliter valde exponit, dicendo : Sicut res procedit, ita convertitur ; et mensuræ conversionis determinatæ sunt et correspondent mensuris secundum processum. Ideo quæ cognitiva sunt Dei, cognitive convertuntur ad ipsum.

*Secundum hanc significationem** *imaginis rationem*, id est juxta istam proprietatem, considerationem et actionem summæ bonitatis « significatione imaginis », id est, quæ attenditur et pensatur ex significatione et descriptione imaginis, *et lux congregat et convertit ad se ipsam omnia visibilia, mota, illuminata, calefacta*, id est, lumen solis, seu sol suo lumine, trahit ad se et ad sui appetitionem ac participationem universa corporalia, mobilia, illuminabilia a se, et quæ lumine suo ac ejus repercussione calefieri queunt, sicut expressum est, *omnino ab ipsius splendoribus comprehensa*, id est, præfata corporalia a luminibus ac radiis solis sunt penitus qualificata* et circumfusa. *Ac per hoc et sol, quia omnia soluta facit*, id est, quia dissoluta reparat atque consolidat, *et congregat dispersa*, id est, divisa coadunat.

* significatione

* omnino

Et omnia enim sensibilia desiderant, id est, luce ejus perfundi naturaliter cupiunt, *aut ut videndi, aut ut movendi, et illuminandi, et calefaciendi, et omnino comprehendendi a lumine appetentia* ; id est, vel appetitu « videndi » active vel passive (juxta illud Ecclesiastæ : Dulce lumen, et delectabile est oculis videre solem) ; aut desiderio « movendi » se aut alia, et ambulandi ac operandi (juxta illud : Ortus est sol, et exibat homo ad opus suum et ad operationem suam usque ad vesperam) ; aut desiderio illuminationis forinsecus, seu proficiendi in scientia ; aut desiderio calefactionis, quia in die frigus plus temperatur ; seu appetitione « comprehendendi », id est circumfulgendi, « a lumine », secundum illud in Actibus : Optabant diem fieri. Hinc de luce adhuc nocturna Ambrosius multa scribit in Hexameron et in hymno : Hoc, inquiens (id est in media nocte, aut paulo post, gallo cantante), excitatus lucifer Solvit polum caligine, Hoc omnis errorum* chorus Viam nocendi deserit. Hoc nauta vires colligit, Pontique mitescunt freta. Hoc ipsa petra Ecclesiæ (scilicet Petrus) Canente, culpam (suæ negationis) diluit.

Eccle. XI, 7.

Psal. CIII, 23.

Act. XXVII, 29.

* erronum

Et neque ibi dico juxta antiquitatis verbum, id est, ista non dico, nec in ista materia loquor, juxta errorem et morem antiquorum gentilium, *quia deus est sol*, id est, quod « sol » sit « deus » et rector machinæ mundialis, prout in libro Sapientiæ de idololatris recitatur, quod solem et lunam putaverunt rectores orbis terrarum ; *solusque Creator*, scilicet verus Deus, *hujuscemodi universitatis proprie procurat manifestum mundum*, id est, ipse « solus » dispensat et regit « mundum » sensibilem, sicut ad Job dicitur : Quem constituit alium super terram ? aut quem posuit super orbem quem fabricatus est ? Vel istud de sole dicitur negative.

Sap. XIII, 2.

Job XXXIV, 13.

Sed quia invisibilia Dei, id est invisibiles Dei proprietates seu attributa, ut omnipotentia, sapientia, bonitas : quæ quamvis realiter idem sint, tamen pluraliter designantur et exprimuntur, vel propter

diversos suos effectus, aut propter comparationem ad plura; *a creatura mundi*, id est ab homine, qui dicitur omnis creatura apud Marcum, Prædicate Evangelium omni creaturæ: quia cum omni creato aliquid habet commune: *facturis*, id est per ea quæ facta sunt, *intellecta*, id est intellectualiter cognita, seu intellectu, id est acie mentis, *conspiciuntur*, id est, cognoscuntur non clare per speciem in se ipsis, sed a posteriori per effectus, atque per speculum in ænigmate, *et æterna ejus virtus divinitatis*, id est potestas deitatis æterna. Creatura quippe et ordo universi, est quasi scala et simulacrum ascendendi ac pertingendi ad aliqualem Creatoris notitiam. Propter quod in Sapientiæ libro scriptum est: Vani sunt omnes homines in quibus non subest scientia Dei, et de his quæ videntur bona, non potuerunt intelligere eum qui est: a magnitudine enim speciei et creaturæ poterit creator horum cognoscibiliter videri. Hinc et Isaias admonet: Levate in excelsum oculos vestros, et videte quis creavit hæc. Siquidem causa cognoscitur per effectum, quum effectus appelletur participata quædam causæ suæ similitudo. Denique istud assumpsit Dionysius ex dictis magistri sui Pauli ad Romanos.

I Cor. xiii, 12. — Sap. xiii, 1, 5. — Is. xl, 26. — Rom. i, 20.

ARTICULUS XXXI

DE LUCE AUT LUMINE INTELLIGIBILI: QUOMODO ESSENTIÆ DIVINÆ CONVENIAT.

SED *hæc quidem in Symbolica theologia*, id est, de isto « in Symbolica theologia » tractavimus: in qua docetur qualiter Deus ex corporibus cognoscatur, laudetur ac nominetur. *Nunc autem intelligibile optimi lucivocum*, id est nomen Dei spirituale voce luminis designatum, *nobis laudandum et dicendum*, id est, a nobis est hoc capitulo exponendum et extollendum. Quo verbo ostenditur quod lux in spiritualibus vere ac proprie dicatur, et magis quam in corporalibus.

Quia lux invisibilis optimus dicitur, id est, Deus incomparabiliter bonus « dicitur lux » vere ac proprie in sua natura: quod tamen nobis ex ejus effectibus innotescit. Unde subjungitur:

Omnem quidem supercœlestem intellectum implendo invisibili lumine, utputa multiplici sapientia ac « lumine » gloriæ; *omnem vero ignorantiam et errorem abigendo ex omnibus quibuscumque inest animabus*, id est omnem nescientiam « et errorem » culpabilem expellendo ab « animabus » quibus « inest » per caritatem et gratiam: ex quibus expellit ignorantiam juris ad quod sciendum tenentur, et periculosum damnabilemque errorem; in quibus animabus successive auget scientiam et profectum quousque in patria repleantur. Hinc subditur:

Et omnibus ipse sacro lumine tradendo et intellectuales earum oculos repurgando, id est, « et » cunctis animabus fidelibus et electis purgando et « repurgando », quoties opus est, « oculos earum » interiores mentales, « lumine sacro tradendo », id est per gratiam gratum facientem, ipsis hanc infundendo, *circumposita eis ex ignorantia caligine*, id est ab excæcatione « circumposita » ipsis « ex ignorantia » præceptorum et aliorum spectantium ad salutem; *et removendo et replicando multa gravitate tenebras condensas*, id est, auferendo et discutiendo ab eis « tenebras » vitiorum « condensas », id est habituatas et exaggeratas ex magna tarditate et pigritia pœnitendi et emendandi, quum

tamen clamet Apostolus : Surge, qui dormis, et exsurge a mortuis. (Ephes. v, 14.) Ac Jeremias : Usquequo morabuntur in te cogitationes noxiæ! (Jer. iv, 14.) Psalmographus quoque : Filii hominum, usquequo gravi corde! (Ps. iv, 3.) Et demum Paulus : Deponentes omne pondus et circumstans nos peccatum. (Hebr. xii, 1.)

Et tendendo primo quidem claritate moderata, id est primitus quasi illustrando luce ac gratia mediocri, juxta dispositionem earum. Propter quod ait Bernardus : Nolo repente fieri summus, paulatim proficere volo. In cujus signum Christus in Evangelio cæcum legitur paulatim clarius illustrasse, ita quod fatebatur : Video homines quasi arbores ambulantes. (Marc. viii, 24.) *Deinde illis tanquam degustantibus lumen*, id est, cœlestis gratiæ infusionem et profectum virtutum experientibus, juxta illud Archiapostoli : Si tamen gustastis quam dulcis est Dominus; (I Petr. ii, 3.) et Pauli apostoli : Gustaverunt nihilo minus bonum verbum Dei virtutesque sæculi futuri. (Hebr. vi, 5.) *Et magis desiderantibus*, id est, ferventius cupientibus divinorum charismatum incrementum et consolationis internæ saporem, secundum illud Ecclesiastici : Qui edunt me, adhuc esurient. (Eccli. xxiv, 29.) Carnales quippe deliciæ dum non habentur, grave in se desiderium accendunt; dum vero habentur, cito per satietatem in fastidium vertuntur. Spirituales vero deliciæ dum non habentur, vix appetuntur; dumque degustantur, vehementius affectantur, secundum Gregorium. *Magis semetipsam intus dando et copiose illucendo*, id est intus fulgendo; quoniam ipsum fervens desiderium est quasi spiritualis hiatio ac præparatio, meritum et dignificatio ad influxum et susceptionem abundantioris illustrationis ac perceptionis spiritualium gratiarum. Propter quod dictum est : Dilata os tuum, et implebo illud. (Ps. lxxx, 11.) *Quia dilexerunt multum*, id est summum bonum et ejus charismata. Caritas namque ad omne bonum disponit, et omne bonum meretur. Ideo in Apocalypsi Dominus loquitur : Suadeo tibi emere aurum ignitum, ut locuples fias. (Apoc. iii, 18.)

Et semper extendendo eas in ea quæ ante sunt, id est ad meliora et viciniora saluti totas stimulando, trahendo ac provocando, ita quod arbitrantur parum se profecisse, et ad majorem inardescunt profectum, juxta illud Apostoli : Ego me non arbitror comprehendisse. (Philipp. iii, 12.) *Juxta suam unicuique analogiam*, id est, ea quæ Dei sunt ac suæ salutis contemplantur ac pensant penes mensuram, gradum ac facultatem illuminationis et gratiæ eis infusæ. Unde Paulus ait : Quæ retro sunt obliviscens, ad ea vero quæ priora sunt extendens me ipsum, ad destinatum persequor, ad bravium vocationis supernæ. (Ibidem 13, 14.) Nempe Salvatore testante, Nemo ponens manum suam ad aratrum et respiciens retro, aptus est regno cœlorum. (Luc. ix, 62.) Ideo ad Hebræos hortatur Apostolus : Intermittentes inchoationis Christi sermonem, ad perfectionem feramur,... ut non segnes efficiamini; (Hebr. vi, 1, 12.) et iterum : Consideremus invicem in provocatione caritatis et bonorum operum. (Ibid. x, 24.)

Lux igitur invisibilis dicitur super omnem lucem optimum, id est, summum bonum nuncupatur « lux » intellectualis, spiritualis, sublimior omni luce creata, *ut radius fontalis*, id est tanquam lumen primum, et omnis lucis secundæ fontale principium, *et supermanans luminis effusio*, id est tanquam exuberantissima lux omnibus superfulgens, et causa omnis lucis effusæ; *omnem supermundanum et circummundanum et inmundanum intellectum ex plenitudine sua illuminans*, id est, mentes superiores adsistentes Omnipotenti, ad exteriora non missas, mentes quoque angelicas inferiores, ecclesiasticæ hierarchiæ proximiores, et item mentes humanas, « ex » propria « plenitudine » ac abundantia copiose ac ordinate irradians, utputa supremas per se, et inferiores per superiores, *et intellectuales eorum totas revocans virtutes*, id est, reducens ad se vires illarum intellectivas.

Et omnes continens superordinando, id est, in se conservans desuper ordinando, providendo ac moderando quid universis

et singulis illis conveniat atque agendum A sit, *et omnia superans superincumbendo*, id est, cuncta excedens, non distans, imo proxime præsens et ipsis intenta ; *et simpliciter omnem illuminatricis virtutis dominationem, tanquam principalis lucis et plus quam lucis in semetipsa comprehendens et superans et intendens*, id est, intra se habens, vincens et intuens cunctam eminentiam principativam potentiæ illuminativæ omnium intellectuum prætactorum « tanquam » ipsa exsistens « lucis » præcipuæ, imo « plus quam lucis », quia B in infinitum et incomprehensibiliter excedit omnem lucem creatam, et superaltissime lux est. Hinc alia littera clarius habet : Sicut principaliter lucens et superlucens.

Et intellectualia et rationalia omnia congregans, id est, angelos et homines in eumdem summum finem convertens et
Ephes. II, 14. colligens in se : qui fecit utraque unum, et homines ad hoc electos, angelis concordavit, *et perdita faciens*, id est, damnata per culpam recuperans. Venit enim C Filius hominis quærere et salvare quod periérat. *Luc.* XIX, 10; *Matth.* XVIII, 11.

Etenim, sicut ignorantia separatrix errantium est, id est, quemadmodum ipsi errantes ex ignorantia sua separantur a Deo ac sapientibus, et frequenter ab invicem, *ita invisibilis luminis præsentia*, id est gratiosa præsentia Dei, et gratia ejus gratificans splendida, ac donum sapientiæ salutaris, *congregatrix et unitrix illuminatorum est et perfectiva*, id est, effective ac formaliter congregat et unit ac perficit eos qui illustrantur.

*Et adhuc conversiva ad vere exsistens**, id est, convertit eosdem ad Deum incommutabiliter exsistentem, *ex multorum opinione vanorum**, id est ex diversis erroribus inanium hominum : ut patet in hæreticis, schismaticis, et falsa docentibus ac perfidis, qui ex sui intellectus ignorantia, imbecillitate, deceptione, vel diabolica suggestione, multipliciter ab invicem et a Catholicis sunt divisi, quorum multi præfato modo reducti sunt, *varios cultus, aut potius dicendum phantasias, in unam veram et puram et uniformem congregans scientiam*, id est, diversos intellectus, seu potius phantasticas imaginationes, uniens in veræ ac catholicæ fidei salubri doctrina, *et una et unitrice luce implicans*, id est, concludens, concordans, salutariterque involvens eos in luce divina et ecclesiastica theoria, juxta illud ad Romanos : Unanimes, uno ore honorificetis Deum ; ad Corinthios quoque : Obsecro ut id ipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata. Hoc est quod ad Philippenses affectuosissime Apostolus exhortatur : Si qua (inquiens) consolatio in Christo, si quod solatium caritatis, si qua societas spiritus, si qua viscera misericordiæ, implete gaudium meum, ut idem sapiatis, unanimes, id ipsum sentientes.

* ὄν

* vanorum c[illegible]erlens

Rom. XV, 6. *I Cor.* I, 10. *Philipp.* II, 1, 2.

ARTICULUS XXXII

DE PULCHRO : QUALITER DEO ATTRIBUATUR.

HOC *optimum laudatur a sacris theologis et ut bonum et ut pulchrum, et ut dilectio et ut dilectissimum* : id est, sancti theologi laudant Deum tanquam vere substantialiter « bonum et » essentia- D liter « pulchrum », quod est diligens quæ creavit, ac sua « dilectio et dilectissimum » bonum omni menti bene dispositæ, quod omnes tenemur incomparabiliter toto corde diligere ; *et quæcumque aliæ dicendæ*

nent formositas et gratiosæ venustatis diversæ nuncupationes, id est, reliquæ omnes appellationes pulchritudinis increatæ quæ est causa omnis formæ ac gratiositatis, conveniant summo bono.

Bonum autem et pulchrum non separandum in causa quæ in uno omnia comprehendente causa, id est, « bonum et pulchrum » non sunt ab invicem distinguenda saltem realiter, « in » prima « causa », quæ in uno suo simplicissimo esse omnem perfectionem simplicissime ac penitus infinite includit ac possidet.

Hæc autem in existentibus omnibus in participationes et participantia dividentes, id est, duo ista, videlicet bonum et pulchrum, distinguentes, saltem ratione, in entibus universis in participantes et « participationes », id est secundum effectus participatos et vires illos recipientes. Siquidem bonum magis pertinet ad vim affectivam, pulchrum ad cognitivam, ut infra magis clarebit. *Pulchrum quidem esse dicimus pulchri particeps*, id est, « pulchrum » creatum vocamus quod participat primum et summum pulchrum, *pulchritudinem vero, participationem pulchrificæ omnium bonorum causæ*, id est, « pulchritudinem » creatam appellamus ipsam « participationem causæ » omnia pulchra producentis sub ratione qua pulchra est, ut infra dicetur.

Supersubstantiale autem bonum, pulchrum quidem dicitur, propter ab eo omnibus existentibus traditam proprie unicuique pulchritudinem, id est, « propter pulchritudinem traditam ab eo omnibus existentibus » et « unicuique proprie », scilicet secundum suam naturam, mensuram et dispositionem. Ex quo sequi videtur quod Deus vocetur pulcher et bonus per causam, quia largitus est creaturis bonitatem et pulchritudinem : quod quamvis sit ita, non tamen ob hoc solum, nec principaliter attributa hujusmodi perfectionalia ei conveniunt, ut patebit. Attamen juxta dicta subjungitur : *et velut omnium bene compactionis et claritatis*

A *causa*, id est, ob hoc quod ipse est « causa » principium « compactionis » bonæ, id est compositionis et consolidationis convenientis, « et claritatis omnium » rerum, *instar luminis fulgurans cunctis omnibus pulchrificas fontalis radii sui traditiones*, id est, ad similitudinem lucis radiose emittens et communicans cunctis dona suæ æternæ formositatis ac luciditatis, *et velut omnia ad se ipsum vocans*, id est, inclinans et movens (*unde et pulchrum dicitur*), *et velut tota in totis in* B *se congregans*, id est, universa colligens « in se » ac si quodlibet esset in quolibet, hoc est tam tenaciter et constanter.

Et bonum vero, sicut omne bonum simul, id est, ipse Deus est « bonum », tanquam « bonum » universale, totius ac omnis boni in se bonitatem et perfectionem includens, *et plus quam bonum*, quia est bonitas pura, incomprehensibilis et immensa, *et semper ὄν*, seu totum, *secundum eadem*, id est in cunctis incommutabilis, *et similiter*, id est uniformiter, C *bonum* in se ; *neque factum, neque solutum*, id est nequaquam corruptum ; *neque acutum**, *neque tabidum*, id est non « acutum » neque obtusum corporeo modo ; *neque hic quidem bonum, hic vero malum*, id est, non sic « bonum » ut in uno loco sit bonum, et in alio loco « malum » ; *neque tum quidem, tum vero non*, id est uno respectu seu habitudine bonum, non alio ; *neque ad hæc quidem bonum, ad hæc autem malum ; neque ibi quidem, ibi autem non ; tanquam quibusdam quidem totum* D *bonum, quibusdam vero non bonum : sed ut ipsum per ipsum, cum ipso, uniforme semper ὄν bonum* : hoc est, bonum istud increatum, immensum, est uniformiter et omnifarie ac quomodolibet bonum secundum omnem comparationem, respectum, personam et causam ; secundum omnem locum, et tempus, et opus ; et ex se, et per se, et cum se omniformiter ita se habet, ut etiam libro de Hebdomadibus Boetius scribit.

Et ut omnis boni fontem et pulchritu-

* auctum

dinem supereminenter in semetipso præferens, id est, in se ipso superexcellenter habens et ostendens originalem rationem ac primam fecunditatem atque decorem totius boni. *Simpla enim et superexcellenti omnium bonorum natura, omnis pulchritudo et omne bonum uniformiter secundum causam ante subsistit* : id est, A « omnis pulchritudo » secunda « et omne bonum » causatum « substitit ante » ac uniformiter in « natura » causativa « omnium bonorum », simplici et superexaltata : in qua omnia ante et ab æterno idealiter et causaliter fuerunt, quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia, secundum Apostolum. Rom. XI, 36.

ARTICULUS XXXIII

BONITATEM ET PULCHRITUDINEM DIVINAM ESSE OMNIUM CAUSAM.

Ex *bono ipso omnibus exsistentibus esse secundum propriam rationem singula quæque bona*, id est, cunctis quæ sunt convenit « esse quæque singula », id est particularia, distincta, « secundum propriam rationem, ex bono » illo altissimo exemplari quod omnium rationes, formas et species in se habet, instituit ac distinxit, utpute ars increata rationibus plena, quæ cuncta superno ducit et producit ab exemplo, mundum mente gerens, similique in imagine formans.

De quo Plato asserit in Timæo : Nihil fit cujus ortum non legitima causa et ratio præcedat aliqua ; porro operi formam dat opifex suus. Et rursus : Conditor fabricatorque universi optimus dat* ; ab optimo autem invidia longe est relegata : itaque cuncta sibi similia effici voluit, prout uniuscujusque natura fuit capax. Quam Dei voluntatem si quis dicat esse rerum causam atque originem, recte eum putare consentiam. Insuper consonat quod in Elementatione sua theologica ex doctrina Platonis magistri sui disseruit Proclus : Omnia qualitercunque participantia bono, præcedit quod primo bonum, et quod nihil aliud est quam bonum. Si ergo aliquid aliud illi apponas, minuis illud, faciendo quoddam bonum pro bono simpliciter. Omnium igitur principium et

* datur

B prima causa bonum est : et illud omnimode bonum est, et non hinc bonum, hinc non bonum. Deus ergo est primum, perfectum, summum et simplicissimum bonum, ex propria natura suæ bonitatis omnibus communicativus, nec aliquid relinquens totaliter expers suæ participationis. Ad quod innuendum Christus quoque in Evangelio est locutus : Sitis filii Patris vestri qui est in cœlis, qui solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos. Matth. V, 45.

C *Et per bonum omnium copulationes et societates et amicitiæ*, id est, ex primo bono originaliter ortum habet quod res creatæ habent ad invicem connexionem, coordinationem, societates et amicitias : quod et in libro de Causis innuitur. Propter quod Proclus : Bonum, inquit, est unitivum participantium ipso. Ideo subditur : *et bono omnia adunantur*. Omnia quippe appetunt bonum et convertuntur ad ipsum, sicque adunantur in ipso. Idcirco primum bonum est causa ordinis D rerum.

*Et principium omnium bonorum**, id est, primum bonum est, *velut*, non similitudinarie, sed vere realiter, *factivum causale, et movens omnia*, quum sit primus motor atque impressor desiderii naturalis cujuslibet rei ad suum finem :

* [illegible]

atque omnia movet quemadmodum desideratum movet desiderantem, et desiderium excitat; *et continens est propriæ pulchritudinis omnes*, id est, cuncta conservat *desiderans perfectionem eorum*. Unumquodque enim appetit suam perfectionem, et appetit, quantum possibile, permanere, imo et esse perpetuum participare, vel in se, vel in sua posteritate aut specie.

Et summum omnium dilectissimum, id est, altissimum illud bonum est omnibus maxime concupitum, *velut perfectivum omnium*, id est tanquam causa omnium perfectiva: quæ plus influit quam quæcumque causa secunda; et dum causæ secundæ removent suum influxum, ipsa non removet suum, ut ait auctor libri de Causis. Qui ibidem protestatur: Prima rerum creatarum est esse, quod proprie dicitur effectus primæ causæ. *Propter bonum enim omnia fiunt.* Hinc secundum Philosophum, bonum et finis concidunt, ut infra clarius exponetur. *Et exemplabile*, id est, primum bonum est omnium primaria exemplarisque causa, et ita dicitur « exemplabile », non quod ipsum ad alicujus similitudinem factum sit, aut exemplariter productibile, sed quod ad ejus imitationem aut assimilationem cetera facta sint et causentur; *quia secundum ipsum omnia in ipsum* segregantur*, id est, universa exemplariter producuntur ab ipso secundum ideales rationes mentis divinæ, in qua omnia unum sunt, et procedendo « segregantur » ac diversificantur ab invicem et ab ipso, redeuntque « in ipsum », quia convertuntur in ipsum sicut in causam conservativam. Hinc Proclus: Omnis (ait) ordo ab unitate incipiens, procedit in multitudinem, et reducitur ad unitatem eamdem; itemque: Omne (inquit) causatum manet in sua causa, et procedit ab ea, et convertitur ad ipsam.

Idem et ipsum est optime bonum*, id est, primum bonum est optimo et excellentissimo modo bonum, utpote independenter, interminabiliter, et per essentiam, ac extra omne genus, et supra ordinem universorum; *quia bonum et optimum juxta omnium omnia concupiscunt*, id est, entia « omnia » in quolibet genere causæ appetunt « bonum et optimum ». Alii textus habent: Bonum et pulchrum. *Et non est quid exsistentium quod non participet bonum et pulchrum*, id est, nulla est creatura non habens aliquam participationem boni et pulchri.

Audebit autem et hoc ratio dicere, id est, confidenter dicam, *quia et quod non est**, id est, etiam id « quod non est » exsistens, *participat bonum et optimum*, puta materia prima, ut paulo ante expressum est. Aliæ vero translationes habent: Bonum et pulchrum. *Tunc enim et hoc bonum et optimum*, id est, tunc vere apparet quid et in quo sit ratio hujus boni et optimi seu primi boni, et pulchri, *quum in Deo secundum omnium ablationem supersubstantialiter laudatur*, id est, quum Deo adscribitur, et ipsemet Deus esse asseritur altiori modo quam ulla ostendit essentia, per universorum abnegationem a Deo, dicendo quod Deus verius ac magis proprie est non bonum et non optimum, et nec bonum nec pulchrum, quam bonum et optimum, seu bonum et pulchrum: quia in infinitum excellentius ista conveniunt ei, quam capere aut intelligere valeamus; imo nec ei conveniunt hoc modo quo concipiuntur a nobis.

Hoc unum bonum et optimum, seu « unum bonum » et pulchrum, *singulariter est omnium multorum bonorum et optimorum*, seu pulchrorum *causale*, id est effectivum principium cunctorum quæ in rebus creatis vocantur bona aut optima, seu bona et pulchra.

Ex hoc omnium exsistentium essentiales subsistentiæ, unitates, discretiones: id est, ex illo primo bono et pulchro tanquam ex causa effectiva et exemplari atque finali, profluxerunt « subsistentiæ essentiales », id est essentiæ de genere substantiæ et actuales exsistentiæ earumdem, « unitates, discretiones »; *immutabilitates*, quæ creaturis possunt compete-

* [illegible]
* optime
* 5v
p. 184 A'.

re : sicut Beati non possunt mutari a bono in malum, nec averti a Deo; *alteritates, similitudines, dissimilitudines; societates contrariorum :* ut sunt convenientiæ et concordiæ elementorum symbolum habentium, quæ sunt connexa et consociata; *distinctiones unitorum* : quemadmodum materia et forma in rebus compositis counitæ, ab invicem sunt distinctæ.

Providentiæ superiorum circa inferiora, *vicissitudines æquiformium*, id est alternæ ac mutuæ habitudines coordinatorum seu æquivalentium, *conversiones inferiorum omnium in semetipsis custoditivæ*, id est reditiones et respectiones inferiorum ad sua superiora, per quas conversiones custodiuntur et conservantur inferiora intra limites suos. Unde Proclus fatetur : Uniuscujusque bonum secundum unionem exsistit; et iterum : Omne divinum providet secundis, et ereptum est ab eis, etc. *Et immutabiles habitationes*, id est perpetuæ mansiones, *et collocationes*. Creator namque omnia congrue collocavit. Nam et juxta Philosophum, Dans formam dat et consequentia formam, utputa motum et locum.

Et iterum omnium in omnibus propriæ unicuique societates, id est mutuæ rerum confœderationes, et colligationes rerum ad invicem, *et compaginationes*, id est connexiones seu juncturæ, *et inconfusæ amicitiæ*, id est connaturales concordantiæ et consensiones sive amores plurimorum ad invicem, *et harmoniæ universitatis*, id est contemperationes et consonantiæ, comproportiones et uniones suaves entium mundi invicem conferentium ; *in universo concretiones insolubiles*, id est indissolubiles concernentiæ rerum, quæ instar exercitus dispositæ sunt sub Deo, prout secundo Primæ philosophiæ habetur ; *continentiæ exsistentium non deficientes*, id est inces- A santes conservationes quibus quædam a quibusdam manutenentur : secundum quod motus cœli fertur quædam vita et vigor inferiorum, quia a motu cœli, motus dependet inferiorum, quemadmodum a motu cordis, motus membrorum in animali, secundum Rabbi Moysen atque philosophos ; *susceptiones faciendorum*, id est capacitates et aptitudines seu inchoationes quædam « faciendorum » ; vel ut alii habent, Successiones eorum quæ fiunt, secundum quod in generabilibus et cor- B ruptibilibus unum alteri est succedens, et corruptio unius, generatio est alterius.

Status omnes et motus, id est quietes, dispositiones, motiones et actiones, *alii intellectualium*, id est intelligentiarum seu angelorum, *alii animarum*, tam rationalium quam irrationalium, *alii corporum*. His enim diversimode conveniunt status et motus, ut patet ex introductis. *Status enim et motus est omnibus*, id est, Deus omnipotens est cunctis creatis causa stationis ac motionis eorum : qui stabilis ma- C nens, dat cuncta moveri, et unumquodque movet ad proprium finem, et in illo facit quiescere. Qui est *super omnem statum et omnem motum*, sicut causa super effectum, et Creator super creaturam : qui tamen interdum fertur moveri improprie, hoc est in actum procedere ; *collocans unumquodque in suimet ratione*, id est, unicuique tribuens rationem suam specificam, in quantum ipse est omnium causa exemplaris, formans singula ad similitudinem seu imitationem ideæ quam habet in D se, *et movens in proprium motum*, id est, omnia inclinans et excitans ad exeundum et exercendum motus et actus sibi convenientes, quemadmodum sagittator movet ac dirigit sagittam ad signum : quod efficit Deus ut causa prima universalis ac principalis, exsecutive vero per causas secundas.

ARTICULUS XXXIV

DE TRIBUS ANGELICARUM MENTIUM ANIMARUMQUE RATIONALIUM MOTIBUS ET CONTEMPLATIONIBUS

CONSEQUENTER Theologus compendiose tangit tres species motionum et contemplationum mentium angelicarum. A

Et moveri quidem dicuntur divini animi, id est intellectus deiformes superni : *circulariter quidem, uniti sine principiis et sine terminatis illuminationibus boni et optimi*, id est, secundum quod feruntur in Deum, ac divinis splendoribus atque illuminationibus a Deo activis, qui est ipsa illuminatio sua activa, uniuntur. Hinc alia habet translatio : Moveri spiritus illi altissimi circulariter perhibentur, dum B æternis principio ac fine carentibus pulchri ac boni fulgoribus uniuntur. Præterea constat quod motus corporalis ac localis immaterialibus illis spiritibus non convenit per se aut in propria eorum natura. Unde asseruntur moveri motu circulari modo prætacto, quoniam sicut in circulo non apparet principium neque finis, sic Deus seu splendor et illuminatio ejus, principio caret et fine.

In directum vero, quandocumque procedunt in subjectorum providentiam, re- C *cte omnia terminantes*, id est, motu recto moventur dum se extendunt ac prodeunt quasi linealiter ad inferiorum provisionem et directionem.

*Oblique, quia et providentes inferioribus, irrecessibiliter manent immutabilitate**, id est, motu obliquo et quasi reflexo moventur, in quantum « inferioribus » providendo, non cessant moveri et ferri ac converti immutabili inavertibilitate, *circa immutabilitatis causale*, id est ad Deum et in eum, qui est causa totius salubris D immutabilitatis, *bonum et optimum incessanter circumeuntes*, id est circa Deum essentialiter bonum et pulchrum indesinenter intenti, et in ipso quietissime occupati. Alia translatio continet : Circa identitatis auctorem pulchrum ac bonum indesinenter choream ducentes. Veruntamen incircumscriptibilem Deum nil proprie circuit, imo ipse potius circuit universa : de quo psallimus, Dominus in circuitu populi sui. Sancti vero in ejus circuitu esse et stare dicuntur, quia ipsi undique tendunt in illum, qui in medio est eorum.

* al. immutabilitate

Ps. cxxiv, 2

At vero juxta istam descriptionem, dicuntur angeli sancti circulariter contemplari, intuendo Deum in se, et alia in ipso ; recte autem, contemplando res in similitudinibus et rationibus propriis ipsorum mentibus inditis ; oblique vero, redeundo ex speculatione effectuum in summæ causæ notitiam.

Sequitur de motibus animarum.

Animæ autem motus circularis quidem est in semetipsam introitus ab his quæ foris sunt, id est, « circularis » ac spiritualis « motus animæ » rationalis, « est » reditio ac conversio ejus a consideratione seu dilectione rerum exteriorum ad inspectionem sui ipsius. Etenim anima rationalis, quum sit spiritualis et intellectualis essentia, et super corpus elevata, ac stans per se, in quantum intellectualis natura, est reflexiva et conversiva ad se ipsam ac proprios actus, ut patet tertio de Anima, et in Proclo ac libro de Causis ostenditur. Quumque ab exterioribus et sensibilibus incipiat ejus cognitio, ab illorum notitia redit et ingreditur ad se ipsam. Rursus, dum illis jam cognitis ac relictis, ad sui ipsius intuitionem, discussionem, provisio-

nem revertitur et fixa insistit, circulariter A moveri asseritur.

Et intellectualium suarum virtutum uniformis conversio, id est, talis motus atque reditio est simplex reductio virium ejus intellectivarum, seu virtuosorum habituum sapientiæ, scientiæ et caritatis, ad interiora et ad divina objecta ; *sicut in quodam circulo inerrabile suum donans :* id est, intellectivam animæ partem, quæ ut talis non errat (phantasia namque interdum est recta, interdum non recta, secundum Philosophum ; intellectus semper est B rectus : nam et ejus objectum est verum, nec falsum intelligitur) : hoc ergo « inerrabile donans », id est, statuens ac muniens, quasi « in circulo quodam », id est repositorio firmo aut infallibili veritate, præsertim in Deo, qui sicut circulus principio caret et fine.

Et a multis quæ sunt extrinsecus. In illis enim et turbatur et inquietatur, juxta *Luc x, 41.* illud : Martha, Martha, sollicita es et turbaris erga plurima. *Se convertens et congregans primum in semetipsum :* nam et C caritas incipit a se, ut primo omnium attendat et procuret se ipsam. Propter quod *Ibid ix, 25.* in Evangelio dicitur : Quid proficit homo si lucretur universum mundum, se ipsum autem perdat? In Ecclesiastico quoque : *Eccli. xiv, 5.* Qui sibi nequam est, cui bonus erit? Itemque : Miserere animæ tuæ placens Deo. *Ibid xxx, 24.*

Deinde velut uniformem factam, id est animam suam simplificatam, *adunans,* id est, recolligens ac per contemplationem et caritatem unum cum Deo efficiens, *adunate,* id est reductive, *adunatis virtutibus,* id D est intellectualibus viribus, seu caritate et sapientia ; vel, « virtutibus » connexis et concatenatis. *Et sic in bonum et optimum manuducta,* id est ad summum ac simplicissimum Deum reducta : cujus imago est ipsamet anima, sicque ex sui ipsius cognitione ad Deum ascendit, redit, dirigitur.

Quod super omnia exsistentia, id est, entia cuncta creata infinite excedit, *et unum et id ipsum, et non inchoans et non finitum :* id est, bonum illud et pulchrum est vere ac perfectissime « unum » et unitas ipsa, in quo nec partium pluralitas, imo nec modorum diversitas, ut dicitur in libro de Causis, et in quo idem sunt esse, posse et agere ; est quoque « id ipsum », in quo nulla prorsus mutatio, nulla varietas, sed omnimoda ac superperfectissima incommutabilitas. Compositio quippe et mutatio, indigentiæ imperfectionisque signum est. Si enim compositum in uno componentium haberet quidquid ad suam spectat perfectionem, superflueret aliud. Hinc Dominus ait per Malachiam : Ego Dominus, et non mutor. *Malach. iii, 6.* De quo Psalmographus : In pace in id ipsum dormiam et requiescam ; *Ps. iv, 9.* itemque : Tu autem idem ipse es. *Ps. ci, 28.* Hinc fertur in libro de Causis : Primum est dives in se, et est dives in aliis ; et significatio hujus est unitas ejus : non quod unitas ejus sit sparsa in ipso, imo unitas ejus est pura, quoniam est simplex in fine simplicitatis. Si autem aliquis vult scire quod causa prima est dives, projiciat mentem suam super res compositas, et inquirat de eis inquisitione perscrutata. Inveniet enim omne compositum diminutum, imperfectum et indigens : indigens quidem aut alio, aut rebus ex quibus componitur. Res autem simpliciter una, quæ est bonitas pura, est una tantum et unitas, et non fit super eam influxio. Porro res reliquæ non sunt divites per se ipsas : imo indigent vero uno influente bonitates et gratias omnes.

Quod etiam est « non inchoans », id est, non incipiens esse, quamvis de novo aliquando operetur prout ab æterno instituit et prænovit, « et non finitum », sed perfectionaliter infinitum, utputa actus purus, in quo nulla potentialitas limitans, nulla differentia contrahens, nulla materia terminans.

Oblique vero anima movetur, quantum proprie se ipsa divinas illuminatur scientias, id est, in « quantum » in « se ipsa », puta in intellectu, docetur et suscipit illuminationes divinas, *non intellectualiter et*

pulcrius, id est « non » pure « intellectualiter » ac valide, nec deiformiter, sicut intelligentia inferior illuminatur a superiori, *sed rationaliter et circumlocutive*, id est discursive et investigative, ita quod secundum suam naturam et capacitatem illustratur atque dirigitur in inquirendo et proficiendo : ideo subditur, *et ut commixtis et transmutativis operationibus*, id est considerationibus involutis multiplici phantasmate ac sensibilibus formis et speciebus abstractionibusque intelligibilium specierum ab illis : quod in principio profectuum spiritualium maxime verum est. Anima vero jam depurata et virtutibus decorata, quandoque desuper anagogice illustratur, deiformiter eruditur, et pure, valenter atque repente docetur, elevatur et contemplatur, quando (ut nono de Civitate Dei recitat Augustinus ex verbis Apuleii Platonici et secundum Platonem) mens humana subito quasi in altissimis motibus superno coruscamine perfunditur, et velut in splendidissimis tenebris lumen intermicans, raptim ac instantanee intuetur. Hoc ipsum Aristoteles quoque insinuavit, dicendo quod vita nostra interdum ad modicum talis est, qualis æternaliter vita primi principii. Denique super Angelicam hierarchiam ostensum est hoc esse de mente magni Dionysii : quod et infra, Deo præstante, in expositione libri de Mystica theologia plenius ostendetur.

Per vero directum, id est, anima rationalis motu recto ac lineali movetur, erigitur, speculatur, *quando non in semetipsam intrans, et singulari intellectualitate mota*, id est, quando non ab exterioribus redit ad se, nec movetur intellectualitate sincera ad Deum ; *hoc enim, ut dixi, est quod secundum circulum* *, id est, ita moveri et converti in se, est circularis motus et contemplatio animæ : juxta illud Platonis in Phædone, Quoties anima per se ipsam speculatur, illico defertur in sincerum semperque exsistens ac immortale. *Sed ad ea circa se proveniens*, id est, ad sensibilium considerationem procedens, *et ab his extrinsecus, tanquam a quibusdam symbolis variatis et multiplicatis*, id est tanquam a sensibilibus similitudinibus multipliciter inter se differentibus, *in simplas et unitas reducitur contemplationes*, id est ad spirituales divinorum theorias ab involutionibus phantasticis depuratas, ex creaturis intelligens Creatorem, ex corporalibus incorporalia, ex brevibus æterna, secundum Hieronymum.

* cyclum

ARTICULUS XXXV

BONUM ET PULCHRUM ESSE CAUSAM UNIVERSALIUM MOTUUM ET QUIETUM.

HORUM ergo * *et immobilium in universum totum motuum*, id est in communi seu toto, *et multo prius unoquoque mansionum et stationum et collocationum, causale est et continens et finis, bonum et optimum, et super omnem statum et motum* : id est, summum « bonum » et primum pulchrum, quod est « super omnem » quietem « et motum, est causale » et conservativum atque finale principium « mansionum » et requietionum ac localium constitutionum in quolibet ente, « multo prius » et principalius quam quæcumque alia causa ; « prius » quoque, quia in re particularia sunt ante universalia, quæ abstrahuntur a particularibus et singularibus. Istud, sicut et quædam sequentia, paulo ante elucidata sunt.

* igitur

Propterea omnis status et motus, est et ex ipso, et per ipsum, et in ipsum, et pro-

pter ipsum, id est, « ex ipso » tanquam ex causa efficiente, « et per ipsum » tanquam per causam formalem et exemplarem, « et in ipsum » reductive, « et propter ipsum » sicut propter causam finalem.

Etenim ex ipso et per ipsum profluxit *et essentia et vita omnis et mentis et animæ et omnis naturæ*, id est omnis vita intellectualis, et animalis seu sensitiva, et naturalis ; *parvitates, æqualitates, magnitudines, mensuræ omnes ; et exsistentium corrationabilitates*, id est consonantiæ et coordinationes pulchræ ac rationabiliter institutæ, *et compactiones et concretiones ; universitates, partes ;* sicut expositum est.

Insuper ex ipso summo bono et pulchro sunt : *unum omne* creatum, *et multitudo*, sicut in quinto theoremate Proclus probat : Omnis (inquiens) multitudo secunda est ab uno. Nec verum est, nisi ad pium intellectum, quod quidam dixerunt, quod ab uno simplici non procedit immediate nisi unum, quum omnes angeli cœlestesque orbes et elementa immediate a Deo creata sunt, juxta illud Genesis : In principio creavit Deus cœlum et terram. (Gen. I, 1.) Ideo Avicebron in libro Fontis vitæ, propositionem illam recte negavit, et quidam injuste eum super hoc reprehendit. *Conjunctiones partium, totius multitudinis unitates, consummationes universalitatum ; quale, quantum, tantum, multum ; comparationes, discretiones ; omnis multitudo, omne summum*, id est valde altum, *termini omnes ; ordines, eminentiæ, elementa, formæ ; omnis essentia, omnis virtus*, id est omnis potentia, *omnis operatio, omnis habitus, omnis sensus, omnis ratio, omnis intellectus, omnis illuminatio, omnis scientia, omnis unitas.*

*Et simpliciter, omne exsistens**, est *ex bono et optimo, et in bono et optimo est* conservative, idealiter, virtualiter, cognitive, *et in bonum et optimum convertitur.* Unumquodque enim convertitur in id a quo procedit, et per quot procedit, per tot convertitur, juxta Proclum. *Et omnia quæcumque sunt et fiunt, per bonum et optimum sunt et fiunt*, secundum illud Joannis : Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil. (Joan. I, 3.) Et ad Romanos dicitur : Ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia. (Rom. XI, 36.) *Et ad hoc omnia vident*, id est naturalem habent respectum ad illud, et per modum videntis se habent, ipsum finaliter appetendo, secundum illud Psalmi : Oculi omnium in te sperant, Domine. (Ps. CXLIV, 15.) *Et ab ipso moventur*, qui unicuique impressit inclinationem ad proprium finem, *et continentur, et propter ipsum et per ipsum ; et in ipso omne principium exemplativum, consummativum, intellectuale, speciale, formale*, id est universæ causæ exemplares ad similitudinem in se præconceptam causantes, et perfectivæ suorum effectuum, intellectualiterque agentes.

Et simpliciter, omne principium, omnis continentia, omne summum, aut ut comprehendens dicam, omnia quæ sunt, ex bono et optimo ; et omnia quæ non sunt, superessentialiter in bono et optimo, id est, etiam ea quæ non sunt nec erunt, sunt in Deo cognitive et virtualiter, imo et idealiter, secundum Ægidium et Henricum, ac alios qui ponunt in Deo infinitas ideas. *Et est omnium principium et finis, et superprincipale et superfinale : quia ex ipso, et per ipsum, et in ipso, et in ipsum sunt omnia, ut ait sacer sermo.* (Rom. XI, 36.)

* Ex.

ARTICULUS XXXVI

DE AMORE : QUOD OMNIA SUO MODO AMENT BONUM, ET PROPTER BONUM OPERENTUR, ET QUOD IPSEMET DEUS AMET OMNIA.

OMNIBUS *est igitur bonum et opti-* A *mum*, id est, summum « bonum » et pulchrum « est » cunctis *concupiscibile et amabile et delectabile*. Est enim convenientissimum cunctis bene dispositis. *Et per ipsum et propter ipsum minora meliora convertibiliter amant*, id est, bona minora amant præstantiora tanquam suas causas, *et socialiter æqualiformia æque honorabilia*, id est, æqualia amant coæqualia sibi, *et meliora minora provide*, id est, meliora amant inferiora tanquam suos effectus; *et hæc semetipsa singula quæque* B *continue*, id est, conjunctim amant se invicem. *Et omnia bonum et optimum desiderantia facit*, quia impressit omnibus desiderium naturale ad propriam perfectionem ac finem, *et vult omnia quæcunque facit et vult*.

Audebit autem et hoc dicere vera ratio, id est, fiducialiter dico ex vera ratione, *quia et ipse omnium causalis per bonitatis excellentiam*, id est quod summa et prima causa « per excellentiam » suæ « bonitatis », *omnia amat*, in quantum sunt C sui effectus. Unde in libro Sapientiæ dicitur : Diligis omnia quæ sunt, et nihil odisti eorum quæ fecisti. (Sap. XI, 25.) Et hoc agit ex sua bonitate, quoniam omne creatum est quoddam bonum participatum, et simile per hoc aliquo modo bono primo et increato, secundum quod effectus vocatur participata similitudo propriæ causæ. Sic *omnia facit et vult, omnia continet, omnia convertit*, id est, cuncta conservat et « convertit » ad se propter se, sicut et Salomon protestatur : Omnia propter se D operatus est Dominus. (Prov. XVI, 4.) Qui per Ezechielem fatetur : Propter memetipsum ego faciam, non propter vos, notum sit vobis. (Ezech. XXXVI, 22.) Hinc Proclus ait : Omnis processus per similitudinem secundorum ad prima efficitur, et rursus : Omnis conversio per similitudinem efficitur eorum quæ convertuntur, ad id ad quod convertuntur.

Et est etiam divinus amor optimus, id est, increatus Dei « amor » in Deo consistens vere « optimus est », et idem quod ipsemet Deus amans, *et* est *optimi*, id est præstantissimi objecti, quoniam Deus primo omnium amat se ipsum, *per optimum*, id est per propriam bonitatem et amabilitatem. Hinc alia littera clarius continet, Propter bonum, id est ob propriam bonitatem.

Ipse enim benefactor existentium amor, id est amor divinus causa omnis boni ac doni creati, beneficus rebus creatis, *in optimo per excellentiam ante subsistens*, id est, ante omne creatum excellentissime in Deo ab æterno consistens, *non sinit ipsum infecundum in se ipso manere*, id est, non permisit Deum « in se ipso manere » absque germine et effectu.

Veruntamen hoc non est intelligendum, quod Deus naturali emicatione aut necessaria seu inevitabili emanatione, creata produxerit, ut quidam Peripatetici atque Platonici putasse videntur, etiam auctor libri de Causis, et Avicenna et Algazel et Alphorabius, multique alii, qui et dixerunt mundum ab æterno fuisse, et tamen a Deo fluxisse. Non tamen senserunt Deum aliqua coactione fecisse creata, sed ex naturali superabundantia suæ bonitatis et communicabilitatis ac dilectionis, non potuisse se continere a suæ bonitatis communicatione. Quinimo emanationem divinam ad

intra qua Pater gignit Filium naturali emanatione, non noverint, dixerunt Deum ab æterno procreasse creata quasi naturali diffusione. Unde et Aristoteles dixit : Idem eodem modo se habens, facit idem. Ex eadem quoque dixerunt radice, quod Deus altissimus per se ipsum immediate non produxit nisi primam intelligentiam, et illa secundam primamque animam nobilem et primum orbem cœlestem, sicque deinceps, prout Avicenna in sua Metaphysica scripsit expresse. Et auctor libri de Causis in commentario nonæ propositionis : Causa (inquit) prima supereminet omnibus rebus, quoniam ipsa est causa intelligentiæ et animæ et naturæ et reliquis rebus ; verumtamen est creans intelligentiam absque medio, et creans animam et naturam et reliquas res mediante intelligentia.

Denique, quamvis opiniones istæ excellentiorum philosophorum videntur aliquid subtilitatis continuisse, tamen revera irrationabiles sunt et stultæ ; nec solum contra catholicam fidem, sed insuper debilissimi fundamenti. Quum etenim causa prima sit supersapientissimus intellectus, et per intellectum omnia causans et operans, hinc sicut plura et innumerabilia simul intelligit, sic et plura simul efficere potest, agitque omnia ad extra liberrime.

Quod ergo princeps theologorum hic as- A serit, quod amor divinus non reliquit eum sine germine esse, intelligendum est sic, quod non aliunde aut ab extrinseco, sed ex se ipso et ex propria bonitate, communicabilitate, liberalitate et amore motus est ad rerum creationem, quas et prius dilexit quam condidit : nempe amare est alicui bonum velle. Et quamvis creaturas non produxisset, non tamen in se ipso infecundus sterilisve fuisset aut esset, qui per Isaiam deprompsit : Numquid ego qui alios parere facio, ipse non pariam ? dicit *Is. LXVI, 9.* B Dominus ; si ego qui ceteris generationem tribuo, sterilis permanebo ? Quod quamvis suo modo ad litteram exponatur, tamen ex verbis illis accipitur argumentum probandi quod præter omnem emanationem ad extra, sit in divinis generatio vera processioque ad intra. Propter quod etiam dicunt theologi, quod emanatio illa in Deo ad intra, est causa, exemplar et ratio omnis emanationis ad extra. Hinc quoque subjungitur :

Movit autem ipsum in agendum, id est, C divinus amor induxit Deum ad communicandum se ad extra et ad producendum creata, *juxta omnium genitivam excellentiam,* id est secundum suam causalitatem altissimam qua est « omnium » causativus, juxta illud in Genesi, Istæ sunt generationes cœli et terræ : ubi generatio sumitur *Gen. II, 4.* extense pro quacumque productione seu etiam creatione.

ARTICULUS XXXVII

OBJECTIO DE USU VOCABULI AMORIS EXCLUDITUR : PRIMO PER RATIONEM.

CONSEQUENTER excludit quamdam objectionem.

Et ne quis nos arbitretur contra Eloquia amoris cognominationem honorificare, id est, ne aliquis putet quod contra D morem sacræ Scripturæ honoremus nomen amoris, utendo illo in divinis ac Deo adscribendo amorem, quia in rebus carnalibus solemus uti hoc nomine.

Est quidem enim irrationabile, ut arbi-

tentur, id abutuntur, non curanti intentionis attendere, id est non considerare rem significatam et intentionem loquentis seu scribentis, *sed litteram*, id est principaliter intendere proprietati vocabuli. Propter quod ait Hilarius: Sermo debet rei esse subjectus, non res sermoni. Idcirco dum constat de re, vanum est de terminis cavillare.

Et hoc non est divina intelligere volentium proprium, id est, abusio talis non convenit expositoribus intelligere Scripturas ac divinorum adipisci notitiam, sed insipientibus et curiosis: juxta illud ad
I Tim. vi, 4 Timotheum: Superbus est, nihil sciens, sed languens circa pugnas verborum. *Sed sonos horum recipientium*, id est, istud convenit eis qui vocem verborum advertunt, quæ tanquam successive leviter sonant, ac sonando pertranseunt ac desinunt esse, *et hos usque ad aures transeuntes forinsecus*
* sustinentium *suscipientium* *, id est, istud illorum est qui sustinentur et intra se pensant sonos ipsos verborum pertingentes extrinsecus « usque ad » audientium « aures », *et nescientium scire quid quidem talis dictio significet*, id est, non curantium discere quid vocabulum tale aut tale designet, *quemadmodum eam oporteat et per alias æque potentes et manifestiores dictiones declarare*, id est, aut qualiter exponenda sit per terminos ejusdem et æqualis aut certe clarioris significationis.

Pulsationibusque elementis et litteris non intellectis, id est, sustinentium aures suas immutari ac percuti sono et voce exordinatorum ac litterarum quas non intelligunt, *et syllabis et dictionibus incognitis*, id est, quarum significationem ignorant, *et non ingredientibus in animæ suæ intellectuale*, id est non intrantibus intellectum ipsorum quoad veram significationem, *sed foris circa labia et auditus eorum perstrepentibus*, id est, aerem moventibus ac agitantibus forinsecus ad aures et os illorum.

At si non liceat quatuor numerum, id est « numerum » qui dicitur « quatuor », seu quaternarium numerum, *per bis duo significare, aut rectam lineam per rectam lineam*, supple, designare: quod utique licet, pereddeque esset oppositum dicere; *aut maternitatem per paternitatem*. Interdum enim paternitatem et maternitatem accipimus prout solam designant relationem, sicque uno pro alio utimur indistincte. Ut quum dicitur: Pater est res habens filium. Nam si filiam habeat, non filium sexus virilis, nihilo minus pater est. Similiter mater est, si habeat filium, non filiam: nec in talibus locutionibus, pater, mater, filius, filia significant sexum, quia sic sunt in genere qualitatis; sed relationem, suntque in prædicamento Ad aliquid. *Aut aliis quibusdam multis orationis partibus id ipsum significantibus.*

Oportet autem scire secundum rectam rationem, id est vere rationabiliter, *quia elementis*, id est litteris, *et syllabis, et dictionibus, et scripturis, et orationibus utimur per sensus*, id est ex intellectuali institutione. Vel secundum alias translationes. Propter sensus, id est ad significandum ac aliis insinuandum mentis conceptum, juxta illud Platonis in secundo Timæi: Propterea sermonis est ordinata communicatio, ut præsto fierent mutuæ voluntatis indicia. Unde Philosophus dixit: Sunt ergo ea quæ sunt in voce, earum quæ sunt in anima passionum conceptionumve notæ.

Sic quum anima nostra intellectualibus operationibus, id est interioribus considerationibus et abstractionibus, *ad invisibilia movetur*, id est, ad divinorum ascendit notitiam et amorem, *abundant cum sensibilibus sensus*, id est, superflui sunt sensus et sensibilia, quia oportet relinquere ac transcendere ea, quamvis primo ministerialiter cooperentur. *Sicut et intellectuales virtutes*, id est, vires intellectivæ secundum quod tales, superfluæ sunt, *quum anima deiformis facta per unitatem ignotæ* et *inaccessibilis lucis*, id est, dum anima fuerit facta heroica et divina, atque per ardentissimam divini amo-

ris effigiem flammigeram increatæ luci unita, ac per mysticam theologiam in Deum absorpta, *radiis desiderabilibus se immittit*, id est, irradiationibus supernis deificis ac summæ sapientiæ splendoribus valde optandis se ingerit, unit, infundit. Quamvis autem in tali ecstatica elevatione vires intellectuales concurrant, non tamen ut intellectuales, sed et divinæ ac deiformes et altiores se factæ *invisibilibus theoriis*, id est per contemplationes theoricas et mysticas visiones, in quibus oportet se ipsum omnes quoque intellectuales vires ac operationes transcendere, prout primo Mysticæ theologiæ capitulo dicitur.

Quum vero animus per sensibilia removeri festinat, id est, dum mens humana properat et conatur ex sensibilium consideratione « removeri », id est ab istis inferioribus abstrahi et elevari, *ad contemplabiles invisibilitates*, id est ad contemplativos ac sapientiales excessus et divinorum intelligentias, *pretiosiores omnibus*
A *sunt clariores sensibus provectus*, id est, aptiores et appetibiliores sunt dictiones et sermones qui magis aperti sunt et amplius provehunt ad intelligendum quæ proponuntur, *lucidiora verba planiora visibilibus*, id est clariora et faciliora verba ad proficiendum ex visibilibus et per visibilia ad intelligibilia ac divina ; *sicut quum non plana sunt accumbentia sensibus*, id est, quemadmodum dum ea quæ exterioribus sensibus occurrunt seu percipiuntur, non sunt evidentia, *neque ipsa animo*
B *adsistere sensibilia bene poterunt*, id est, non valebunt « ipsa sensibilia » lucide præsentare et cognoscibilia facere homini. Accidentia quippe magnam conferunt partem ad cognoscendum intellectualiter substantiam rei. Ideirco dum illa non sunt evidenter agnita, non inducunt ad claram sui subjecti notitiam. Hinc alia translatio clarius continet : Quippe si obscura sunt quæ adjacent sensibus, ne ipsi quidem animo rite suggerere sensibilia poterunt.

ARTICULUS XXXVIII

PRÆDICTÆ OBJECTIONIS EXCLUSIO PER AUCTORITATES ; ET DE SIGNIFICATIONE NOMINIS AMORIS.

CONSEQUENTER probat auctoritate Scripturæ quæ dixit.

Verumtamen ut non hæc dicere putemur, id est, ne prædicta videamur asserere, utputa nomen amoris locum habere in divinis, *tanquam divina Eloquia subnoventes*, id est, quasi Scripturis contradicentes, et eas quantum in nobis est evertentes, *audiant hanc amoris nominationem criminantes*, id est, reprehendentes nomen amoris divinis attribui, et in spiritualibus locum habere, seu pro spirituali dilectione accipi posse, advertant sequentia. *Ama eam, inquit, et custodiet te ; amplexare eam, et exaltabit te ; honora eam,*
C *ut te comprehendat*. Hæc in libro Proverbiorum sunt scripta. In libro Sapientiæ quoque asseritur : Hanc amavi et exquisivi a juventute mea. Sed et Christus ad Petrum : Petre, amas me? *Et quæcumque alia secundum amatorias theologias dicuntur*, id est, hæc et his similia quæ in theologicis libris conscripta sunt in capitulis de divino amore tractantibus, supple, satis probant intentum. (Prov. IX, 6, 8. — Sap. VIII, 2. — Joann. XXI, 17.)

Et quidem visum est quibusdam nostris theologis, id est, aliquibus nostris sermo-
D nes sanctos tractantibus apparuit, *et divinius esse nomen amoris, quam dilectionis*, id est, quod « nomen amoris » non

solum sit licitum, sed « divinum » quoque A in Scripturis et aptius nomine caritatis, eo quod evidentius exprimat vehementiam quamdam et impulsum in amatum. Hoc tamen auctor iste non affirmat.

Scribit autem et divinus Ignatius, id est mellifluissimus et ferventissimus martyr ab apostolo Joanne conversus, archiepiscopus Antiochenus : cujus excellentia demonstratur ex hoc quod tantus iste theologus ipsum pro auctoritate allegat, ac divinum appellat : *Meus amor crucifixus est*, id est, Christus Jesus amantissimus B meus, cruci pro me affixus est. Quem beatissimus ille Ignatius non nominat solum suum amatum seu dilectum, sed et amorem, ad insinuandum vehementiam suæ dilectionis ad illum.

Et in quis introductoribus Eloquiorum invenies quemdam dicentem de divina sapientia : Amator factus sum formæ ejus. Hoc scriptum est in libro Sapientiæ. Quem librum quidam antiqui sancti doctores quasi editum a Salomone allegant. Hieronymus vero et Hebræi et doctores communiter dicunt quod editus sit a Philone disertissimo Judæorum, quem B. Hieronymus in libro suo de Viris illustribus, scribit fuisse tempore beatissimi Petri archiapostoli. Qui Philo in libro Sapientiæ aliquando loquitur in Salomonis persona : Præcepisti (inquiens) mihi, Domine, ædificare templum tibi in Jerusalem, etc.

Sap. VIII, 2.

Ibid. IX, 8.

Juxta hæc remanet quæstio cur liber ille vocetur introductorius Eloquiorum. Responderuntque aliqui, quoniam introductivus est in libros Salomonis. Sed quia indeterminate hic dicitur, Eloquiorum, verius apparet quod ideo, quia multum specialiter disponit et confert ad totius intellectum Scripturæ, loquendo de Christo, qui est sapientia Patris, et de passione ipsius ac ejus operibus, ita quod quasi summarie continet totam Scripturam, ut patet diligenter legenti.

I Cor. I, 24.

Propter hoc amoris nomen ne timeamus, id est, non vereamur eo uti in divinis, *neque quis nos conturbet sermo de hoc disceptione*, id est, nullus « sermo de hoc » disputans aut ambigens, nos perturbet. *Mihi enim videntur theologi commune quidem ducere dilectionis et amoris nomen*, id est, mihi apparet quod auctores Scripturæ frequenter pro eodem sumpserunt utrumque hoc nomen, amor et dilectio, *propterea autem divinis magis referre amorem*, id est, ob hoc amoris nomine potius usi sunt in divinis rebus et Scripturis, *propter inconsequentem talium virorum intellectionem*, id est ad confutandum inconvenientem amorem vel acceptionem nominis amoris, dicentium hoc nomen non congruere in Scripturis, neque in spiritualibus rebus.

Pulchre enim vero amore non a nobis tantum, sed ab Eloquiis ipsis laudato, id est, quum nomen amoris celebriter capitur pro « vero » ac spirituali « amore », non solum a nobis, sed etiam in Scripturis, *multitudines non capientes uniforme amatorie divinæ nominationis*, id est, turbæ C imperitæ non intelligentes quomodo nomen amoris « uniforme » sit, id est commune ac indifferens ad utrumque amorem, *proprie ad semetipsos partibile et corporale et divisum labefecerunt*, id est, viliter et indigne traxerunt ad se tanquam quid licitum, amorem carnalem, divisum, proprium et privatum. De quibus ait Apostolus : Omnes quæ sua sunt quærunt, non quæ Jesu Christi. *Quum non sit verus amor*, id est, amor carnalis « non » est « amor » sincerus ac « verus » et unius, D *sed umbra, aut magis casus a vero amore*. Nempe quum amare sit alicui bonum velle, qui alteri seu sibi ipsi cupit, procurat, aut vult quod veræ saluti contrariatur, et ad damnationem perducit, ac maxime nocet, non vere diligit, sed potius odit alios et se, ut qui carnales delicias, vanos et mundanos honores, temporalia quoque superflua appetunt sibi seu aliis. Idcirco scriptum est : Qui diligit iniquitatem, odit animam suam. Hinc carnales amici sunt inimici. Attamen talis amor

Philipp. II, 21.

Ps. X, 6.

speciem quamdam habet veri amoris, et A obscura illius imago censetur.

Remotum est enim multitudine, id est, a majori et carnali hominum parte longe est et inexpertum, *singulare divini et unius rationis*, id est amor ille præcipuus spiritualis, qui omnes comprehendit, amplectitur et includit, ac unitivus est omnium, amicos inimicosque diligens. Propter quod scriptum est : Latum mandatum tuum nimis ; et item in Isaia, Coangustatum est stratum, ita ut alter decidat, et pallium breve utrumque operire non potest : quoniam cor humanum simul capere nequit carnalem et spiritualem amorem. Denique amor spiritualis dicitur « unius rationis », quoniam diligit universos sub una hac ratione, quia ad Dei imaginem sunt creati, felicitatis capaces, ac Christi sanguine liberati. Perfectio autem quo major, eo et rarior et paucioribus inest. Hinc Apostolus : Animalis (inquit) homo non sapit ea quæ Dei sunt.

(Ps. xviii, 96. — Is. xxviii, 20. — I Cor. ii, 14.)

Ideo et sic difficilius nomen multis putatum, id est « nomen » amoris, quod a C pluribus imperfectis ac defectuosis « difficilius » capitur, qualiter sit amor verus ac spiritualis. Illis namque apparet quod se ipsum castigare, violentare ac vincere et quasi quotidie mortificare, sit potius se odire quam vere amare. Contra quorum æstimationem ait Salvator : Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam. *In divina sapientia statuitur*, id est, ponitur in Scripturis ex inspiratione æternæ Sapientiæ pro vero et spirituali amore, *et ad reductionem eorum* D *et restitutionem in veri amoris notitiam*, id est, ad hoc quod mente reducantur ac recollocentur in cognitionem « veri » et spiritualis « amoris », sicque assuescant, discant ac studeant se ipsos ac proximos spiritualiter adamare, bona gratiæ ac gloriæ jugiter cupiendo, procurando ac conservando sibi ipsis in primis ac aliis, *et ita, ut absolvatur in ipsa difficultas*, id est, ita id fiat ut amplius non sit eis difficile ad spiritualem amorem se dare ac elevare.

(Joann. xii, 25.)

A nobis autem iterum ubi et inconsequens quidem sæpe intelligendum terrenos zelos, id est, inconveniens est « nobis » et apud nos « terrenos zelos », id est affectiones sensuales intensas, frequenter accipere « ubi » Scriptura loquitur de amore spirituali, *secundum opinionem melioris famæ*, id est secundum expositionem et æstimationem sanioris intelligentiæ promulgatæ : *Cecidit, quis ait*, id est, quidam dicit : Cecidit *dilectio tua super me*, id est, ita dilexi te, et amor tui tam fortiter B cor meum intravit, *sicut dilectio mulierum*. Hoc sumptum videtur ex secundo Regum libro, ubi sanctus et spiritualis vir David propheta Jonathan deflens : Doleo, inquit, super te, frater mi Jonatha, decore nimis et amabilis super amorem mulierum : sicut mater unicum amat filium suum, ita te diligebam. Qui amor prævalidus et intensus, dicitur zelus. Nec tamen de carnali intelligendum est affectu, quamvis ex superficie litteræ sic posset putari. Nam subditur :

(II Reg. i, 26.)

In elucescentibus divinis sublimitatibus, id est in angelicis ac spiritualibus mentibus nobis desuper notificatis, *in eadem virtute*, id est in spirituali hac significatione, *statuitur*, id est ponitur, *a sacris theologis dilectionis et amoris nomen secundum divinas manifestationes*, id est juxta proprietates et declarationes spirituales. *Et est hoc virtutis unificæ et conjunctivæ et differenter contemperativæ*, id est, comparatio ista consistit in hoc, quod sicut amor carnalis facit in suo genere unionem carnaliter vivificam, prolificativam, et animorum ac corporum conjunctivam, atque amantium ita contemperativam ; sic et melius ac multo sublimius spiritualis dilectio vivificat diligentes, unit, contemperat, colligat, et in se invicem transformat, habitareque facit unius moris in domo, una, concorditer atque pacifice : et ita utraque contemperatio ista est multum differens ab invicem et distincta. Facit demum ista, et sic unit spiritualis amor, *in bono et optimo*, puta in Deo.

(Ps. lxvii, 7.)

[a Virtute », inquam,] per bonum et optimam, id est per donum gratiæ ejus, nobis substitutis, id est præordinatis a Deo, qui prædestinavit nam nobis charitatem conferre, per bonum et optimam nobis et continentia quidem acquisitam, id est, infusa et creata a summo bono, et conservantia custodiens nos partes in vigore secundum secundam connexionem, id est in quadam amicabili seu stabili conversatione, quam conservant per temporum vicem. « Virtutis » dico, moventis* prima, id est superiora, ad minorum providentiam, id est A ad providendum et communicandum se inferioribus, et collocantis inferiora conversione superioribus, id est, subjecta aptantis ad convertendum, ad suscipiendum influxum beneficiorum a superioribus. Hinc apud Joannem dixerat Christus : Notum feci eis nomen tuum, ut dilectio tua in eis sit, et ego in eis. Et in prima Petrus Canonica inducit : Seniores, pascite gregem Dei spontanee, forma gregis facti ; Paulus quoque : Tanquam si nutrix foveat filios suos, ita volebamus nos tradere B vobis.

*moventis / motis — Joann. XVII, 26 — I Petr. V, 1-3 — I Thess. II, 7, 8.

ARTICULUS XXXIX

DE AMORE ECSTATICO ET ZELO DIVINO.

CONSEQUENTER docetur alia ac subditioris proprietas ac operatio spiritualis amoris.

Est autem et ecstaticus divinus amor, id est, amor spiritualis ac fervidus extra se ponit amantem, transferendo et quasi transformando eum in suum dilectum, cui illum intime conjungit. Hoc alia habet translatio : Est autem et extasim faciens amor divinus. *Non sinens se ipsos esse amatores*, id est, non permittens eos esse tantummodo id quod sunt in propria sua persona, sed quasi unum faciens eos cum amato, sicut ait Philosophus : Amicus est alter ego. *Sed amandorum*, id est eorum quæ amant, et velut idem sunt cum ipsis. Unde alia littera apertius continet : Non permittens sui ipsorum esse amatores, sed amatorum. Unde et teste Apostolo, Qui adhæret meretrici, unum corpus est. (I Cor. VI, 16.)

Et declarantur quidem superiora, id est, eminentiora ostenduntur esse amorum inferiorum per dilectionem ipsorum ad illos, *providentia facta inferiorum*, id est per provisionem quam caritative inferioribus exhibent ; *et coæquiformia inter se invicem continentia*, id est æqualia seu coordinata vel æquivalentia probantur idem C peragere, « se invicem » continendo, fulciendo, constabiliendo, sive sint « æquiformia » in genere, sive in specie ; *et minora vel prima diviniori conversione*, id est, infima idem declarant convertendo se ad superiora sua : quæ conversio est tanto divinior, quanto ad diviniores fit causas.

Propterea et Paulus magnus in excellentia divini factus amoris, id est Paulus apostolus per gratiam Dei constitutus in grandi eminentia divini amoris, secundum quod D Chrysostomus in tractatu de Laudibus Pauli effatur : Sicut ferrum in ignem missum quasi totum fit ignis, sic Paulus pene totus factus est caritas ; *et mente excedentem suam virtutem assumens diviniori*, id est, corde valde divino concipiens amorem « excedentem suam virtutem », id est, tam prædominantem et æstuantem, quod vim suam affectivam naturalem penitus vicit ac sibi subjecit, ac corpus suum valde alteravit. *Vivo, ait, jam non ego*, id est, non solum vivo naturali vita et hu- (Galat. II, 20.)

mana, *vivit autem in me Christus*, id est, christiformiter conversor, et Christi actibus me conformans et transformatus prorsus in ipsum. Unumquodque etenim illi potissime conformatur cujus actiones magis exercet et in eis occupatur. *Ut vere amator*, id est, Paulus hoc dixit ut verus et spiritualis Christi amator. Christus quoque sic vixit in Paulo, ut verus et summus Pauli amator. Hinc in Canticis asseritur : Fortis est ut mors dilectio, lampades ejus, lampades ignis atque flammarum. (Cant. VIII, 6.) *Et mente excedens*, id est Paulus in Deum ecstaticus factus, *sic sic inquit Deo, et non ipsam sui vivens, sed ipsam amatoris vitam ut nimis dilectissimam*, id est, Paulus dicit « non vivens » propriam « vitam », hoc est, non exercens principaliter opera propriæ vitæ, sed Christi, tanquam vitam sibi carissimam. Unde ad Galatas testatur : Christo confixus sum cruci, vivo autem jam non ego, vivit vero in me Christus (Galat. II, 19, 20.); et alibi : Mente excedimus Deo (II Cor. V, 13.); itemque : Semper mortificationem Christi in corpore nostro circumferentes, ut et vita Christi manifestetur in carne nostra mortali. (Ibid. IV, 10, 11.)

Audendum autem et hoc pro veritate dicere, id est, confidenter dicendum est et hoc, *quia et omnium causalis bonorum et optimorum*, id est quod Deus causa cunctorum « bonorum et optimorum », et in ordine ac genere creaturarum, *omnium amore per excellentiam amatoriæ bonitatis habitudine sua fit*, id est, creata cuncta amando ex sua excellentissima et amabilissima bonitate, « fit habitudine sua », id est, quasi extra se et extra propriam consistentiam ponitur, non per aliquam sui mutationem aut transpositionem localem, sed objective et operative, sicut subjungitur : *ut existentia omnia providentiis ambiens*, id est, sua provisione cuncta cingens ac penetrans. Unde alia translatio clarius continet : Extra se fit, ad omnia quæ sunt providentiæ multiplicis ratione pertingendo.

Et ut bonitate et dilectione et amore A *fovetur*, id est, intra se delectatur et quasi nutritur propria « bonitate », beneficentia, « dilectione et amore » quæ creaturis ostendit, impendit, communicat : juxta illud Jeremiæ, Lætabor super eis quum bene eis fecero. (Jer. XXXII, 41.) Et Nehemias ait : Gaudium Domini est fortitudo nostra. (II Esdr. VIII, 10.) *Et super omnia et omnibus remoto, ad unum omnibus reducitur* [*], id est, a propria altitudine qua « omnibus » eminet et transcendit, « reducitur omnibus », id est, ad omnium provisionem extendit se, « ad B unum », id est, ad hoc quod in omnibus sit, et cuncta reducat, colligat atque adunet in se, *juxta mente excedentem superessentialem virtutem*, id est, secundum suam omnipotentiam et caritatem « excedentem mente », id est intuitione et providentia propriæ mentis, *redeuntem semetipso*, id est, convertentem se ad se propria potestate. Istud alia littera clarius exprimit ita : Et ex supremo illo statu quo supra et ab omnibus exceptus est, ad id ut intra omnia sit, excedente illa su- C persubstantiali virtute qua nusquam a se progreditur, semetipsum dimittit.

[*] deducitur

Propter quod et zeloten eum divini sapientes appellant, id est, auctores Scripturæ vocant Deum « zeloten » ac zelatorem, ut in Exodo : Ego sum Dominus Deus tuus fortis, zelotes. (Exod. XX, 5.) *Velut multum in existentia amorem*. Ipse namque est suus amor, qui est multus et magnus ac multiplex in effectu. *Et ut ad zelum suscitatorem concupiscentiæ suæ amatoriæ*, id D est, laudant Dei amorem tanquam excitatorem « ad zelum suæ amatoriæ concupiscentiæ », id est sui intellectualis desiderii amorosi : quo desiderio fervent qui cupiunt Deum ferventer diligere, juxta illud : Concupivit anima mea desiderare justificationes tuas. (Ps. CXVIII, 20.) De qua intellectuali concupiscentia scriptum est in libro Sapientiæ : Concupiscentia sapientiæ deducet ad regnum perpetuum. (Sap. VI, 21.) *Et ut zeloten eum ostendentem*, id est, bonitatem Dei monstrantem quasi zeloten, *et concupita*

zelotem, id est, intense amantem; *et ut provisis suis existentibus per scientiam zelantibus*, id est, tanquam bonis creatis quibus ipse providet, « zelantibus », id est, fervide cupientibus, ipsum per se ipsa. Sicque Deus vocatur zelotes, etiam per effectum seu causam.

Denique taliter amat Deus præcipue intellectuales ac rationales creaturas, maxime prædestinatos. Unde in Deuteronomio legitur : En Domini Dei tui cœlum est et cœlum cœli, terra, et omnia quæ in ea sunt; et tamen patribus tuis conglutinatus est, et amavit eos, elegitque semen eorum post eos. Et item per Jeremiam locutus est : Sicut adhæret lumbare viri ad lumbos ejus, sic agglutinavi mihi domum Israel; et rursus : Numquid obliviscetur virgo ornamenti sui, aut sponsa fasciæ pectoralis suæ? et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui. Hinc in Proverbiis fatetur : Deliciæ meæ esse cum filiis hominum.

*Et omnino bono et optimo est amabile amor**, id est, « amor », potissime increatus, « est » quid « amabile bono et optimo », id est tam ipsemet Deo, quam præstantioribus creatis bonis ac optimis; *et in bono et optimo ante collocatur**, id est, « ante » omnia amor iste consistit « in bono et optimo » increato, et participatur, ut patuit, a creatis; *et per bonum et optimum sunt et fiunt*, juxta illud : Omnia per ipsum facta sunt. Siquidem omne datum optimum et omne donum perfectum, desursum est.

Deut. x, 14, 15. — Jer. xiii, 11. — Ibid. ii, 32; Is. xlix, 15. — Prov. viii, 31. — * Et amatum. — * collocatur. — Joan. i, 3. — Jacob. i, 17.

ARTICULUS XL

QUALITER DEUS, ET AMOR SIVE DILECTIO, ET DILECTUS SEU AMATUS DICATUR.

QUID *autem omnino theologi volentes?* id est, quid sibi volunt theologi in istis? *Nam aliquando quidem amorem et dilectionem ipsum dicunt*, id est, interdum affirmant quod Deus est amor atque dilectio, juxta illud : Deus caritas est. *Aliquando vero, amatum et dilectum*, id est, quandoque nominant Deum ipsum amatum et dilectum, ut in Canticis : Ecce tu pulcher es, dilecte mi. Simili modo Deum vocamus bonum et bonitatem, sapientem et sapientiam; in quo non differunt concretum et abstractum; imo ob suam omnimodam et extremam simplicitatem, abstracta magis proprie competunt ei. Ad quod consequenter respondet :

Ergo quidem ipse causalis, id est, Deus dicitur amor et dilectio, quoniam causa est omnis amoris et dilectionis, quamvis etiam aliis modis, *et ut producens et genitor*, id est, tanquam ante alia volens et productor creatorum ex amore quo voluit eis suam bonitatem communicare, juxta quod dictum est, quod divinus amor non reliquit Deum sine germine esse. *Hoc autem ipse est*, id est, Deus « est ipse » amor in se subsistens et dilectio, quamvis incomparabiliter eminentiori modo quam intelligere valeamus. *Et eo quidem movetur*, id est, ex amore suo procedit in actum benefaciendo creatis; *eo autem movet*, id est, secundum quod amans, movet et excitat seu inclinat se ad benefaciendum. Etenim amans vocatur, qui vult alteri bonum. *Quando ipse suimet et sibi est processor et movens*, id est, secundum quod « ipse » Deus opus suum præcedit præconcipiendo ac prædefiniendo in se ipso quid facturus sit, ac se ipsum inducendo ad operandum, « et » ita se « movens », stabilis atque immobilis in se ipso persistens.

I Joan. iv, 16. — Cant. i, 15. — Art. xxxvi.

Sic autem dilectum quidem et amatum eum vocant, id est, theologi in Scripturis Deum appellant « dilectum et amatum », præsertim et ubertim in Canticis, *ut bonum et optimum*, id est, in quantum est substantialiter bonus et optimus. Bonum quippe est ipsius appetitus objectum : bonum vero intellectum, id est intellectualiter cognitum, est amoris qui caritas dicitur, objectum. Hinc supergloriosissimus Deus summe, pure, et incomparabiliter est amandus propter se ipsum.

Amorem vero iterum et dilectionem, id est, theologi nuncupant Deum rursus « amorem et dilectionem », *ut moventem simul et ut reducentem virtutem*, id est, secundum quod ipse movet et convertit vim suam amativam seu caritatem, *eum qui est in semetipsum solum*, id est tantum seu principaliter « in eum semetipsum », id est in illum qui est ipsemet. *Ipsum per se ipsum bonum et optimum et sic quidem edicendum*, id est, certe exprimendum est quod Deus per se bonus sit et optimus, *exsistentem semetipso per semetipsum, excellentis unitatis optimam processionem*, id est, est se ipso et ex se ipso exsistens, loquendo de Deo essentialiter, estque processio optima « unitatis excellentis », id est causa cujuscumque optimæ emanationis, qui in se est summæ ac simplicissimæ unitatis, vel emanationis simplicis « unitatis », quia hujusmodi emanatio ex parte sui fontis seu termini a quo, utputa Dei, est præcipuæ unitatis et simplicitatis. Deus enim non motu proprie dicto, utpute temporali et successivo, condidit mundum, ut Philosophus satis probat. Sic quippe fuissent motus et per consequens tempus, ante mundum, et ante tempus ac motum.

Et amatorum motum, id est, theologi vocant Deum « motum amatorum », id est causam motionis et reditionis quibus convertuntur in ipsum ut in objectum ac finem. Indidit namque eis inclinationem ad suum principium. *Simplum, per se* A *ipsum motum*, id est, simplicem, ex propria bonitate procedentem in actum : Boetius, lib. III, metr. 9.

> Quem non externæ pepulerunt fingere causæ
> Materiæ fluitantis opus, verum insita summi
> Forma boni,

ut Boetius, Platonis sententiam in primo Timæi versibus exprimens, protestatur. *Per se ipsum activum*, id est propria et consubstantiali sibi potestate operativum ac operantem, quum sit prima causa, dicente Apostolo : Quis prior dedit illi ? Rom. xi, 35.

B *Præexsistentem in optimo*, id est in ratione et eminentia summi boni, *et ex optimo exsistentibus emanantem*, id est, communicantem ac diffundentem dona sua « exsistentibus ex optimo », id est rebus creatis profluentibus aut profluxis ab ipso, *et iterum in optimum convertentem*, id est, rursus reducentem creata « in optimum », *in se et infinitum se ipso et carens principio*, hoc est « in se » ipsum finaliter, qui est ens propria actualitate et perfectione « infinitum ». Est enim ens C simpliciter, absolute, formaliter ac perfectionaliter infinitum : et constat quod tale ens incomparabiliter perfectius sit omni ente finito, « carens principio » durationis et causationis, quum sit ens perfecte æternum, primum et incausatum.

Divinus amor ostenditur in rebus *differenter*, id est, amor Dei in creaturis diversis diversimode relucet ac declaratur, secundum quod se illis variis modis communicat, *sicut quidam æternus circulus* : nam et æternitas circulo quodammodo D comparatur : *per optimum et ex optimo et in optimo et in optimum inerrabili conversione circumiens*, id est, « amor » ille ceu « circulus circumiens », id est intra se claudens et ambiens omne creatum, per Dei bonitatem et ex ea et in ea et in eam tanquam in terminum ultimatum, « inerrabili », id est indeviabili, « conversione » qua omnia convertit, reflectit ac reducit ad se, *et in eodem et per id ipsum, et proveniens semper et manens et revolutus*, id est, amor ille jugiter « manens » in

Deo, « et proveniens semper » in ea af-fectus quæ amat, « et revolutus », id est super ea quæ amat conversus et intentus.

Hæc et communis noster sanctus perfector divinitus introducit, id est, S. Hierotheus magister meus et tuus, o Timothee, ista compendiosissime scripsit *per amatorios hymnos*, id est in laudibus Dei A ad divinum honorem inflammativis; *quæ jam non inconsequens recordari*, id est, conveniens valde et proportionatum est huic materiæ scripta illa Hierothei recolere, *et ut sacrum quoddam caput imponere de amore nostro sermoni*, id est huic nostro tractatui inserere quoddam novum exordium « de amore ».

ARTICULUS XLI

HIEROTHEI SANCTISSIMI EX AMATORIIS HYMNIS. DE AMORIS DIVISIONE ET DEFINITIONE.

A*MOREM, sive divinum, sive angelicum, sive intellectualem, sive animalem, sive naturalem dicamus, unitivam quamdam et continuativam intelligimus virtutem*; id est, generaliter omnem « amorem », sive loquamur de amore increato, sive de amore angelorum sanctorum, sive de amore rationalium creaturarum, dicimus esse vim seu habitum aut « virtutem » conjunctivam amantis cum amato, « et continuativam » amborum spiritualiter aut corporaliter ad invicem, ita quod fiant quodammodo unum, quamvis non C simpliciter unum suppositum, aut una res B numero; *superiora quidem moventem in providentiam inferiorum*, id est ad providendum inferioribus suis; *æquiformia iterum, in socialem vicissitudinem*, id est, coordinata atque æqualia, ad mutuam connexionem ac concordem communionem, influxum, confœderationem seu contemperationem, ut paulo ante expositum est; *et novissima subjecta, ad meliorum et superpositorum conversionem*, id est, amorem dicimus esse virtutem inclinantem inferiora ad hoc quod se convertant ad sua superiora, ut jam dictum est sæpius.

ARTICULUS XLII

EJUSDEM EX IISDEM AMATORIIS HYMNIS. AMORES OMNES AD DUOS REDUCI.

Q*UONIAM ex uno multos amores ordinavimus*, id est, quia jam diximus ex divino et increato amore oriri et profluxisse « amores » plurimos ordinate, quorum quidam ab invicem distinguuntur specifice, quidam numero tantum, *et consequenter diximus quales quidem eorum qui in mundo sunt et supermundialium* D *amorum scientiæ et virtutes*, id est, docuimus qualiter agnoscantur vires seu proprietates vel bonitates amorum « eorum qui sunt in » hoc « mundo » inferiori, et « amorum » supermundanorum ac supernorum spirituum.

Quos supereminent, secundum redditam rationis speculationem, id est, amo-

ribus rerum mundi inferioris præfulgent ac prævalent, juxta considerationem « rationis » præhabitam, *intellectualium et invisibilium amorum ordines et dispositiones*, id est species, dignitates et ornamenta angelicorum spirituum : quorum ferventissimæ atque purissimæ dilectiones in tantum excedunt etiam rationalium animarum amores spirituales, quod qui minor est in regno cœlorum, major est perfectissimo viatorum quamdiu in via est. *Post quos per se intelligentes, et si qui vere ibi bonis amoribus superapparent*, id est, « post » amores altiorum spirituum supercœlestium, qui ex natura sua intellectuales sunt sine sensibili cognitione, « superapparent », id est præeminere videntur, « bonis amoribus », inferiores spiritus exsistentes ibidem. Vel inferiores istos nominat spirituales viros divinos, quorum conversatio est in cœlis. (Philipp. III, 20.) *Et hymnum proprie hymnizant*, id est, Deum collaudant singuli juxta suum gradum et statum.

Et nunc iterum recipientes omnes in unum et complicatum amorem, id est « omnes » præfatos amores resumendo et reducendo ad « unum amorem » quasi conglobatum et omnes amores in se generaliter continentem, *et omnium ipsorum patrem*, id est ad Deum totius amoris causam fontalem, *convolvamus simul et con-*

A *gregemus*, id est, jam dicta compendiose colligamus in unum, *ex multis primo in duas comprehendentes eum amatorias universaliter virtutes*, id est, in primis distinguentes et dividentes amorem ex pluribus suis speciebus « in duas » species, seu in duos amores generales, qui sunt duæ virtutes amatoriæ Dei; *quarum potentatur et principatur omnino ex omni summitate omnis amoris immensurabilis causa*, id est, Deus immensus, seu amor ejus æternus « immensurabilis », potentior ac prin-B cipalior est « omnino et ex omni » parte sublimitatis cujuscumque « amoris », utroque isto amore in quem jam dividemus prætactos omnes amores; *et ad quam extenditur connaturaliter unicuique exsistentium, ab exsistentibus omnibus universalis amor*, id est, « ad quam » primam causam « amor universalis », id est amor omnis ac generalis, conveniens cuicumque enti, « extenditur », id est, movetur et tendit, « ab omnibus exsistentibus », id est a qualibet re creata, a qua progreditur C hujusmodi amor « connaturaliter unicuique », id est apte et congruenter juxta naturam et speciem singulorum : quia diversa diversimode tendunt in ultimum finem, et quædam paucioribus, quædam pluribus motibus seu actibus illum attingunt et adipiscuntur.

ARTICULUS XLIII

EJUSDEM EX IISDEM AMATORIIS HYMNIS, DUOS PRÆDICTOS AMORES AD UNUM PRIMUM REFERRI.

A*GE nunc et has iterum in unum congregantes*, id est duas « has » species amoris denuo colligendo et declarando « in unum » seu pariter, *dicamus quia una quædam est simplex virtus*, id est, « una » species istorum amorum « est » vis « simplex » naturalis, *se ipsam movens*, id est,

D ex propria natura inclinans ac tendens, *ad unitivam quamdam temperantiam*, id est proportionatam moderantiam, connexionem seu coordinationem, *ex optimis usque exsistentium novissimum*, id est a summo ordinis universi seu prima intelligentia, usque ad infimum entium ; vel,

« et optimo », id est effective a summo bono per totum ordinem rerum; *et ab illo iterum consequenter per omnia usque optimum*, id est ab infimo rursus omnia movens et reducens usque ad summum bonum, procedendo et ascendendo per media. Aut certe virtus hæc simplex et unitiva, ac universorum contemperativa ac reductiva, est virtus divina simplicissima, increata, quæ efficienter, fontaliter et principaliter facit hæc. De qua subditur : *ex se ipsa et per se ipsam et ad se ipsam se ipsam revolvens*, id est, propria potestate secundum sapientiam et dispositionem suam fontanam convertens « se ad se », jugiter redeundo ad se per contemplationem, non tanquam ad finem, *et in se ipsam semper eodem modo revoluta*, id est invariabiliter ac uniformiter ad se conversa. Unde Proclus disseruit : Omne αὐθυπόστατον ad se ipsum conversivum est; et iterum : Omne ad se ipsum conversivum, est αὐθυπόστατον.

ARTICULUS XLIV

QUÆSTIONUM ALIQUOT DE MALO ADVERSUS PRÆDICTA OBJECTIO.

CONSEQUENTER quærit et quasi objicit contra præhabita.

Et quidem dicerit quis, id est, aliquis circa seu contra hæc dicere potest : *Si omnibus est bonum et optimum amabile et ad se ipsum et dilectum*, id est, « si » juxta præhabita « bonum » et pulchrum, præsertim summum bonum, « est » cunctis creatis « amabile » et desiderabile ac « dilectum », et ad se ipsum « attractivum » seu attrahibile. — *Appetit enim ipsum et quod non est*, id est materia prima, *ut dictum est*, et sæpe expositum, *et contendit quomodo in ipso sit* *, id est, naturaliter appetit illud, ac conatur et quasi certat ad hoc, appetens formam per quam participat primum bonum. *Et ipsum formificum est etiam informium*, id est, primum bonum formam largitur et ornatum his quæ ex se informia sunt et indecora; *et in ipso et quod non est, superessentialiter dicitur et est*, id est, in Deo « est » exemplariter et idealiter seu causaliter, etiam id « quod non est » per se actualiter, ut materia prima, seu quodcumque creabile nondum creatum aut nunquam creandum, quod tamen prætacto modo « superessentialiter » est in Deo, videlicet secundum modum ipsius superessentialem, et virtualiter ac idealiter. — *Quomodo dæmoniaca multitudo non appetit bonum et pulchrum*, quum sint creati a Deo secundum esse suæ naturæ? Et eadem quæstio est de cunctis damnatis, qui sunt obstinati in malis, et cupiunt non esse seu mortem, oderuntque omne bonum honestum. *Ad materiale* * *vero existens*, id est ad materialia affectata dæmonum multitudo (unde alia habet translatio : Inclinata autem ad materiam), *et angelica erga appetitum optimi stabilitate recidens*, id est lapsa a « stabilitate angelica » circa desiderium « optimi », ad quod angeli naturaliter ac stabiliter inclinantur, imo et inavertibiliter post confirmationem suam in bono, *malis omnibus causa et sibi ipsis* * *et aliis quæcumque vitiantur, dicitur*, id est, causa peccandi et vitiorum origo est tam sibi ipsis quam hominibus qui transgrediuntur, juxta illud Sapientiæ : Invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum; imitantur autem illum qui sunt ex parte ipsius. Hinc apud Joannem loquitur Christus : Diabolus homicida erat ab initio, et in veritate non stetit; quum loquitur mendacium, ex pro-

* pro
* Al. materialia
* ipsi
Sap. II, 24, 25.
Joann. VIII, 44.

priis loquitur, quia mendax est, et pater ejus. Verumtamen, ut asserit Origenes, homines ex se ipsis jam proni sunt ad mala, et ad venerea afficerentur, quamvis a dæmonibus non tentarentur. Nihilo minus homines communiter a dæmonibus incitantur ad vitia, ita quod dæmones eis sunt causa peccandi, quamvis ad aliqua prava ex se ipsis labantur. Sunt autem hominibus causa peccandi non coactiva, sed suggestiva.

Præterea, qualiter dæmonum multitudo sibi ipsis sit causa peccandi, duplex est opinio. Una, quod primus ille apostata Lucifer ceteros angelos tenebrarum incitavit et induxit ad aversionem a Creatore : quæ est communis opinio. Propter quod in Scripturis dæmones appellantur angeli principis tenebrarum diaboli. (*Matth.* xxv, 41.) Alia, quod quilibet dæmonum ex se ipso suam concepit iniquitatem : quod tenet Albertus in scripto quarti Sententiarum, et Guillelmus Parisiensis libro de Universo.

Præterea quæri potest qualiter dæmonum multitudo ad materialia fuerit ab exordio inclinata, quum ipsi immateriales consistant. Respondetur, quod si juxta Platonicos diceremus dæmones esse animalia corpore aeria animoque passiva, quæstio ista faciliter solveretur. Sed quoniam sanctus iste theologus et plurimi alii dicunt angelos esse immateriales, dicendum apparet quod non inclinantur ad corporalia delectamenta secundum quod talia, sed ut sunt culpæ et immunditiæ quædam Dei offensivæ, et animarum perditiones. Vel dicuntur ad materialia inclinari, id est, ad ea quæ sunt passivæ potentiæ, ad vanitates et falsitates, vel ad dominandum hominibus. Nam et in dæmonibus est aliquid per modum materiæ habens se, scilicet, quod est. Propter quod libro de Causis fertur quod intelligentia est habens hyleathin *.

* aliter hylatin. Cf. tom. XV, p. 21C.

Deinde movet dubia circa prædicta.

Quomodo autem omnino ex optimo generata dæmoniaca genus non est deiformis? id est, unde et qualiter accidit quod A genus dæmonum creatum a Deo naturaliter bono, non est simile Deo in bonitate et æquitate, quum effectus naturaliter assimiletur propriæ causæ? *Aut quomodo optimum ex optimo factum, mutatum est?* id est, quomodo contigit quod angeli inter creata primum locum tenentes, et per consequens ex Deo efficienter atque ex propria natura formaliter valde boni, sunt ita aversi a summo bono? *Et quid vitiavit ipsum,* scilicet angelum ?

Et omnino quid malum est? id est, diligentissime B est quærendum « quid » sit « malum ». *Et ex quo principio substitit?* id est, ex qua causa sumpsit originem? *Et ex quo existentium est?* id est, ex quo ente positivo et effectivo principio sit causatum, vel incepit aut fluxit? *Et quomodo optimus ipsum adducere voluerit?* id est, qua ratione Deus qui summum est bonum, voluit malum esse aut illud producere? *Quomodo autem volens potuerit?* id est, dato quod Deus voluit producere malum, quomodo potuit hoc efficere et implere, C quum malum non sit appetibile, nec sit potentiæ, sed potius impotentiæ, facere malum? *Et si ex alia causa malum,* id est, « si malum » processit « ex alia causa » quam ex Deo, *quæ altera existentibus præter optimum causa?* id est, quid aliud « causa » est entibus universis, nisi summum bonum ?

Quomodo autem et Providentia existente, est malum, aut factum omnino? id est, si ponamus Deum habere providentiam omnium, qualiter potest esse malum D culpæ, aut qualiter fieri potuit, quum optimi provisoris sit malum excludere, præsertim per anticipationem præcavendo ne accidat, vel saltem illud corrigendo et removendo dum contigit ? Ideo subditur : *aut non interceptum,* id est interruptum et sublatum de medio. *Et quomodo appetit quid existentium ipsum præter optimum ?* id est, « quomodo » res aliqua « appetit » malum, quod est « præter optimum », et non potius appetit bonum et optimum ?

ARTICULUS XLV

SOLUTIONES QUÆSTIONUM DICTARUM : ET PRIMO QUOD MALUM NON SIT ALIQUID EXSISTENS.

DEINCEPS ad hæc responsurus præmittit : *Hæc quidem ergo forsan quis dicit*, id est, aliquis potest hæc tangere ad insinuandum quæstionis difficultatem (unde alia littera habet : Ista quidem fortasse dicturus est quispiam), *Anfractuosis dubitationibus*, id est diversis rationibus per utraque parte hinc inde motus. *Talis autem rerum ratio*, id est argumentatio ignorantium veritatem in ista quæstione est talis sicut jam tactum est. *Nos vero dignabimur apud rerum veritatem respicere*, id est dignanter considerabimus quid hic respondendum sit juxta rei veritatem. Porro aliæ duæ translationes sic continent : Nos autem rogabimus eum (utpute taliter arguentem) ad rerum veritatem conspicere.

Et primum quidem hoc dicere confidemus, id est, ad hanc quæstionem in primis fiducialiter respondebimus : *Malum non est ex optimo*, id est, quod « malum » culpæ formaliter, hoc est, in quantum est malum culpabile, « non est » positive et effective ex summo bono, a quo tamen est permissive ; materialiter quoque, videlicet quantum ad id quod entitatis in ipso est, efficienter est a Deo, a quo omne esse et omne bonum procedit : primum equidem rerum creatarum est esse. Porro malum pœnæ et malum pœnale positivum, sicut adversa et debitæ castigationes culparum, quum sint justæ, sunt directe
Amos III, 6. a Deo, juxta illud Amos : Si erit malum in civitate quod Dominus non fecit ? Qui
Is. XLV, 7. per Isaiam testatur : Ego Dominus, et non est alter, formans lucem et creans tenebras, faciens pacem et creans malum. Denique mors, ut est sola privatio, non est realis ac positivus effectus, nec directe a Deo ; sed ut est pro peccato juste inflicta, est a Deo secundum quod sibi competit aliquo modo esse, ut et infra dicetur. Si vero sumatur pro vitæ privatione cum pœnalibus dispositionibus ad eamdem, sic est juste a Deo, præsertim in rationalibus creaturis. Quo constat quomodo intelligendum sit illud Sapientiæ : Deus mortem Sap. I, 13, 14.
non fecit, nec lætatur in perditione vivorum ; creavit enim ut essent omnia.

Et si ex optimo est, non est malum, id est, si malum culpæ est a Deo directe, formaliter et efficienter, « non est malum » culpæ. Sic quippe nihil procedit a bono nisi bonum ; quod et Proclus et auctor libri de Causis, Avicenna et alii meliores philosophi multipliciter ac subtiliter ostenderunt, sicut et consequenter probat Theologus. *Neque enim ignis frigere, neque optimi non optima adducere* : id est, sicut in naturalibus ignis non habet causaliter et directe frigus efficere, sic in intellectualibus optimum non habet directe et efficienter malum culpæ, ut est tale, producere. Hinc et apud Matthæum ait Salvator : Omnis arbor bona bonos Matth. VII, 17, 18.
fructus facit, mala autem arbor fructus malos facit ; non potest arbor bona fructus malos facere, neque arbor mala fructus bonos.

Et si exsistentia omnia ex optimo, id est, quum omnia quæ positive sunt aliquid, sint effective a summo bono immediate vel mediate. *Natura enim optimo, adducere et salvare*, id est, « optimo » naturale ac proprium est ad bonum deducere, et ad finem perducere salutarem, *malo vero, corrumpere et perdere*, id est, « malo » et vitioso in quantum est tale, competit corruptionem peccati inducere, modum, spe-

ciem ordinemque subvertere, et damnationem afferre, prout damnatio est salutis privatio. *Nihil est exsistentium ex malo,* id est, nulla res positiva ut talis, est directe et effective « ex malo », quod est privatio boni. Verum quod his objici posset, infra solvetur.

Et neque ipsum erit malum, id est, « ipsum malum », quod est privatio boni, aut culpa, non « erit » nec est aliquid positive, *siquidem et sibi ipsi malum sit,* id est, quamvis « sit malum » sibimetipsi. Hinc juxta Philosophum, si aliquid esset essentialiter aut totatiter malum, corrumperet semetipsum. Attamen in quantum quod moraliter malum est, nocivum et malum est sibi ipsi. Etenim uniuscujusque malum in proprium redundat auctorem, prout in Ecclesiaste legitur : Qui *Eccle. x, 8.* fodit foveam, incidet in eam. Propterea per Jeremiam asserit Dominus : Numquid *Jer. vii, 19.* me ad iracundiam provocant ? nonne semetipsos in confusionem vultus sui ? Hinc, Qui diligit iniquitatem, odit animam suam ; *Ps. x, 6.* et, Os quod mentitur, occidit animam. *Sap. i, 11.* Et impii maxime lædunt, occidunt ac destruunt semetipsos. *Et si non ita omnino**, id est, « si omnino ita non » est, *malum non** *erit malum* totaliter, nec aliquid « erit malum » essentialiter. Unde alius habet textus : Quod nisi ita sit, malum non omnino erit malum. *Sed habet quamdam optimi (secundum quam omnino est) partem,* id est, habebit quamdam participationem ac portionem boni, « secundum quam est omnino », in quantum illam participat.

* *Et si non hoc*
* *non omnino malum*

Et si (pro quia) *exsistentia bonum et optimum desiderant,* naturali ad minus inclinatione, ut frequenter expressum est, *et omnia quæcumque faciunt, per inspectum optimi faciunt,* id est, universa quæ agunt, efficiunt intuitu ac desiderio summi boni finaliter ac mediate ad minus; *et omnis exsistentium speculatio,* id est intuitus seu intentio, *principium habet et finem optimum,* id est, ex bono inchoatur et a positiva potentia, et ad finem lauda-

A bilem terminatur vere vel apparenter, ita quod operans intendit bonum suo judicio. *Neque enim ad** *mali naturam respiciens facit quæ facit,* id est, non intendit nec eligit nec appetit malum secundum quod malum, quum objectum appetitus sit bonum, nec malum ut tale, est eligibile aut appetibile, sed odibile atque fugibile. Enimvero qui mala pœnalia appetunt, ut adversa, dolores, disciplinas, et mori pro fide, seu medicinalia amara, non cupiunt illa ut mala, sed ut utilia ac salubria, ad salutem aut sanitatem accommoda. B *Quomodo erit malum in exsistentibus ?* id est, « malum » culpæ, aut aliquid essentialiter atque totaliter malum, esse non valet in aliquo exsistente, nec inter exsistentia computari tanquam aliquid positive. *Aut omnino ὄν tali optimo desiderio desertum,* id est expers « omnino desiderio » summi boni ?

* *in*

Et si exsistentia omnia ex optimo, id est, quum entia cuncta ex summo bono manaverint, *et optimum summitas exsistentium,* C id est, summum bonum sit primum principium et vertex altissimus omnium rerum, *est quidem in optimo et quod non ὄν,* id est, materia prima, seu quod fieri potest a Deo nec fiet, est in Deo idealiter seu virtualiter, juxta exposita. *Malum autem neque ὄν est ; si autem non,* id est, « si » ita « non » est, *non omnino malum,* id est, « non » est penitus « malum », *neque non exsistens,* id est nec nihil, sed aliquid positivum, et ita non esset purum malum. *Nullum enim et universaliter non exsistens**, D id est, id quod prorsus nulla res est, *nisi in optimo secundum superessentiale dicitur,* id est, non ponitur esse nisi in Deo secundum supersubstantialem ejus potentiam et æternam notitiam, qua potest illud producere, qui vocat ea quæ non sunt, tanquam sint. *Rom. iv, 17.*

* *ὄν*

Hoc erit ergo optimum simpliciter, et exsistente et non exsistente multo prius supercollocatum, id est entibus et non entibus infinite æternaliterque præstantius. *Malum vero neque in essentiali neque in*

non existentibus est, sed ab ipso non existente magis distat optimo, id est, a non ente magis distat quam a bono : quia in non exsistente nullatenus est nec fundatur sicut in bono, cujus privatio perhibetur, *et non existentibus*, id est non plus aliud positivum aut substantia aliqua, quam non ens.

ARTICULUS XLVI

DUBITATIONES QUÆDAM DE EXSISTENTIA MALI.

U*NDE ergo est malum? dicet quis. Si enim non est malum, virtus ac malitia idem*, id est, bonitas et pravitas non different; *et quæ omnis omni*, id est, cuilibet malo idem erit quodlibet bonum, *et quæ in partibus correspondens*, id est, particulari malo idem et consonum erit bonum particulare. Hinc alia littera clarius habet : Nisi enim sit malum, virtus et vitium idem erit ; omnisque virtus erit quod tota vitiositas, et quæ particularis est virtus, hoc erit quod vitium itidem particulare. *Aut neque virtutis purgans** *erit malum*, id est, nihil « erit purgans » virtutem a malo. Porro aliæ translationes planius dicunt sic : Aut neque quod virtuti adversatur, erit malum ; Neque virtuti repugnans, erit malum. Quod improbatur quum subditur :

* pugnans.

Et quidem contrarium temperantia et intemperantia, id est, sibi invicem contrariantur, sicut albedo et nigredo ; similiter *et justitia et injustitia. Et neque alicubi secundum idem justum et injustum dico*, id est, nullibi « dico » eumdem « secundum idem justum atque injustum », *et temperatum et intemperatum. Sed et ante foris manifestationem ejus qui est in virtute ad contrapositum distantiam*, id est, ante differentiam hominis virtuosi a contraposito, id est a vitioso, « manifestatam foris », id est apparentem forinsecus per opera exteriora, *in ipsa multo prius anima universaliter distiterunt virtutibus malitiæ*, id est, vitia « multo » plus « in anima » a « virtutibus » distant et diversificant « universaliter », id est in omnibus, ut ex eorum effectibus elucescit. Virtus namque facit animam Deo amabilem, Dei amicam, sponsam ac filiam, cœlestis regni heredem, pulchram ac nobilem : quorum opposita facit iniquitas.

Et rationi passiones insidiantur, id est, motus et affectus partis sensitivæ non refrenati usu rationis ac luce virtutum, actum rationis obfuscant. Veruntamen passiones ut sunt solum naturales motus, non sunt bonæ nec malæ. Exteriora demum opera sunt quasi signum virtutis ac vitii, et propter testimonium conscientiæ ædificationemque proximi requiruntur.

Et ex his necessarium dare, id est, « ex his » motivis oportet assignare, *quod bono malum contrarium*, id est aliquod « malum contrarium bono ».

Non enim sibi ipsi bonum contrarium, id est, unum bonum alteri bono non est directe et immediate contrarium, quamvis per accidentalia quædam invicem opponantur, juxta illud Ecclesiastici : Respice in omnia opera Altissimi, unum contra unum. (Eccli. XXXIII, 15.) *Sed sicut ab uno principio et uno egenitum causali, societate et unitate et amicitia gaudet*, id est, unum bonum naturaliter lætatur, seu per modum lætantis se habet, ex consortio, unione « et amicitia » seu convenientia sui cum alio bono, tanquam ab uno Creatore et eodem causali principio procreatum. Propter quod assimilationem habent et cognatio-

nem quamdam ad invicem. Etenim similitudo omnia congregat, quemadmodum dissimilitudo disjungit, secundum Proclum. Hinc in Ecclesiastico scriptum est : Omne animal diligit simile sibi, sic et omnis homo proximum sibi : omnis caro ad sibi similem conjungetur, et omnis homo sibi simili sociabitur. Per Malachiam quoque dicitur : Numquid non pater unus omnium nostrum ? numquid non Deus unus creavit nos ? quare ergo despicit unusquisque fratrem suum ?

Eccli. XIII, 19, 20.

Malach. II, 10.

Et neque minus bonum majori contrarium est : neque enim minus calidum aut frigidum, plurimo contrarium, id est, minus calidum non contrariatur calidiori, nec minus frigidum frigidiori : imo ejusdem sunt speciei, secundum quod majus et minus non variant speciem : distinguuntur tamen et differunt quantum ad gradum qualitatis seu perfectionis aut dignitatis.

Est ergo in exsistentibus, et ὄν est, id est, ex his sequi videtur quod malum sit in his quæ sunt, et quod sit, *et opponitur bono malum,* id est, quod etiam malum

A sit oppositum bono. Quod aliquo modo sic est, quoniam privative opponuntur.

Et si corruptio est exsistentium, non expellit hoc esse malum, id est, quamvis malum sit formaliter « corruptio » boni, sicut mors vitæ, per hoc non excluditur nec impeditur quin malum sit. Istud argumentative inducit, et paulo post declarabitur veritas. *Sed erit et hoc* et exsistentium genificum,* id est, malum erit generativum seu productivum entium. Quod probatur subdendo : *Aut non sæpe* B *hujus corruptio, hujus fit generatio ?* Communiter etenim dicitur : corruptio unius, est generatio alterius, et econtra. Non quod idem sint in re, sed concomitantur se invicem. *Et erit malum in universitatis plenitudinem comperfectivum,* id est, conferens et cooperans ad perfectionem universi, *et universo non* imperfectum esse, propter se ipsum præstitum,* id est datum ad mundi completionem « propter se ipsum », quasi intentum per se. Hinc alia habet translatio : Atque universo, C ne imperfectum sit, per se ipsum præstans.

* h. ὄν

* non quod

ARTICULUS XLVII

DICTORUM DUBIORUM SOLUTIO : QUOD MALUM NON GENERET IN QUANTUM MALUM, SED IN QUANTUM BONUM.

CONSEQUENTER ponitur horum solutio.

Dicet autem ad hæc vera ratio, id est, rationabilis consideratio respondebit ad ista ; *quia malum, si malum, nullam essentiam aut generationem facit,* id est, quod malum secundum quod malum, non producit aliquid effective, nec generat. Unumquodque etenim agit secundum quod est in actu, et bonitatem suam communicat alteri : quod est proprietas boni. Unde et agens dicitur præstantius passo,

D et causa suo effectu. *Solum vero vitiat et corrumpit :* quod non est actio positiva ; imo malum formaliter est vitiatio et corruptio ipsa, « et corrumpit », *quantum in se est, exsistentium substantiam,* id est actualem exsistentiam. Quemadmodum enim generatio est productio de non esse ad esse, sic corruptio est ipsius esse destructio.

Si autem genificum quis ei esse tribuat, id est, si quis adscribat malo esse generativum alterius, *et hujus corruptione al-*

tam duas generationes, id est conferre A sui susceptionem et productionem sui esse per corruptionem alterius, *respondendum esse* : *Nequaquam corrumpunt quae dant generationem ?* id est, respondendum est illi, quod principia et causae generationis non sunt causae corruptionis directe et per se. *Sed corruptio quidem et malum corrumpit* per se, ita quod est directe causa formalis ipsius corruptionis, *et vitiat tamquam*, id est, indignanti, laedit et destruit ; *generatio vero et essentia per bonum fiunt*, id est, « generatio » rei et productio suae B formae substantialis procedunt ab eo quod bonum est.

*Et erit malum corruptio quidem per ipsum**, id est, « per ipsum malum » et ab eo ortum habet « corruptio ». Unde et privatio quae est malum naturae, vocatur in naturalibus causa corruptionis, seu materia, non omnis neque simpliciter, sed privationi annexa ; et ut illi annexa, fertur causa corruptionis : sicque bonum non ut tale, sed in quantum malo conjunctum aut subalternatum, est causa corruptionis. *Generatio vero per bonum*, id est, causa ge- C nerativa est a bono.

* a quo

Et si quidem malum, id est, « si » aliquid est « malum », *neque existens, neque existentium factivum*, id est, in quantum est malum, non est aliquid positive existens, neque realis existentium causa. Causare etenim praesupponit esse : sicut et universaliter actus secundus, actum primum. Idcirco non causat, quod non est. *Per autem bonum et existens*, id est « per bonum » et per id quod actua- D liter est, *et bonum existens, et bonorum factivum*, id est, malum per suum subjectum accipitur tanquam ens et tanquam « factivum bonorum », realiumve effectivum.

Neque autem, supple, dicendum est sicut subjungitur, *neque enim erit id ipsum secundum se ipsum*, id est, unum et idem secundum eamdem rationem seu proprietatem vel actionem, non erit, *et bonum et malum ; neque ejusdem corruptio et generatio eadem*, id est, non sunt realiter idem « corruptio et generatio » rei « ejusdem », quum sint a causis diversis, et a diversis incipiant terminis, atque ad terminos tendant ac finiantur diversos, *neque secundum id ipsum eadem** *virtus*, id est, non est bonum « eadem virtus » causalis secundum idem ; *neque haec virtus, aut haec corruptela*, supple, idem sunt, neque secundum idem ; sicut expositum est.

* alias non eadem

Ipsum quidem malum ut tale, *neque existens, neque bonum, neque genitivum, neque existentium et bonorum factivum*, id est, non est « bonum », neque actu « exsistens », quum ipsum esse sit naturaliter bonum et appetibile, nec generativum alicujus entis realis, neque aliorum operativum.

Bonum autem quibuscumque perfecte insit, perfecta facit et pura et integra optima, id est, « bonum » ea in quibus est « perfecte » secundum naturam seu capacitatem eorum, « facit perfecta, pura et integra » valdeque bona in genere et ordine suo, secundum quod Deus vidit cuncta quae fecerat, et erant valde bona. Gen. I, 31. Denique bonum increatum facit haec efficienter ; bonum vero creatum participatum haec facit formaliter. *Minus vero ipsum participantia*, id est, quae bonum summum minus plene participant, *et imperfecta sunt bona et mixta per defectum boni*, id est aliquo modo composita et potentialia, ita quod in ipsis inveniuntur quod est et quo est, actus et potentia, materiale et formale : quia sunt defectiva, et a bono perfectibilia. Sic et Proclus affirmat : Omne quod fit unum aut bonum, participatione unius aut boni fit unum seu bonum ; secundum autem quod sustinet et suscipit participationem illius, est unum aut bonum.

Et non est universaliter malum, neque bonum, neque beneficum, id est, in creaturis nihil est quod sit « universaliter » et omnifarie sive simpliciter « malum », aut « bonum », aut aliis benefactivum, sed solum in genere et ordine suo. Nempe

quod uni est malum, est alteri occasionaliter seu aliquo modo bonum. Deus quoque multa bona ex nostris elicit malis. Sed et omnia cooperantur electis in bonum. Nec malum privat seu destruit nisi bonum sibi oppositum. Hinc scriptum est in Ecclesiastico : Omnia sanctis in bona, impiis autem et peccatoribus in mala convertentur. Solum quoque primum et increatum ens, est universaliter simpliciterque perfectum, ut quinto Metaphysices Aristoteles et commentator ejus testantur ; et illud est omnibus influens, sicut in libro de Causis asseritur quod prima causa replet omne sæculum bonitate. *Sed quod magis aut minus bono proximum, proportionaliter erit bonum*, id est, quanto magis propinquum est summo bono, tanto est melius, et primo bono similius : quod idcirco vocatur mensura omnium secundorum.

Rom. VIII, 28.

Eccli. XXXIX, 32.

Quoniam quidem ipsa per omnia veniens perfectissima bonitas, id est, increata bonitas per universa procedens, sua dona communicando, *non usque solas implet circa* se omnino optimas essentias*, id est, communicationem et influentiam suam extendit ac diffundit non solum usque ad supremas intellectuales deiformesque creaturas, *extenditur autem usque ad novissimas*, id est usque ad infima, ad quæ divina providentia et efficientia se extendit ; *his quidem universaliter adveniens*, id est, copiosius se effundens, puta supremis, *his autem minus*, videlicet mediis, *aliis vero novissime*, id est infime, juxta illud Philosophi : Ab hoc ente omnibus dirivatum est esse et vivere, his quidem clarius, his autem obscurius. *Ut unumquodque eam participare potest exsistentium*, id est, prout quævis creatura potest recipere : quemadmodum S. Paulus lactasse vel potasse se perhibet qui solidum cibum capere nequibant ; atque in Evangelio legitur Dominus unicuique dedisse secundum propriam virtutem.

* circum

I Cor. III, 1, 2. Hebr. V, 12.

Matth. XXV, 15.

Et quædam quidem omnino bonum participant, id est in abundantia et excellentia magna, ut mentes angelicæ ; *quædam vero magis, et minus privantur* : quoniam rationales creaturæ plus desuper sortiuntur quam irrationales, juxta illud in Job : Qui docet nos super jumenta terræ, et super volucres cœli erudit nos ; *quædam autem obscuriorem habent boni participationem*, ut bruta ; *et aliis secundum novissimam consonantiam adest bonum*, id est, inanimata secundum infimum gradum participant bonum, secundum congruentiam et proportionem ordinis universi.

Job XXXV, 11.

Si enim non proportionaliter unicuique bonum adesset, id est, si summum bonum se non communicaret universis et singulis ordinate, secundum mensuram, dignitatem seu capacitatem ipsorum, *essent divinissima et honorabilissima novissimorum habentia ordinem*, id est, suprema essent in loco ac ordine infimorum, dum ipsis infunderentur dona inferioribus congruentia. Porro supernaturalia et gratuita dona non dantur semper secundum naturalium dignitatem, dispositionem ac ordinem, sed interdum juxta donantis libertatem ac sapientiam. Ad quod designandum Christus apud Matthæum : Volo, inquit, et huic novissimo dare sicut et tibi. Annon licet mihi quod volo facere ?

Matth. XX, 14, 15.

Quomodo autem et esset possibile uniformiter omnia participare bonum ? quasi dicat, Nequaquam. Nec enim lapis capax est sapientiæ, aut lignum virtutis. Quumque intelligentiæ participent bonitatem divinam per modum signaculi, homines per modum imaginis, inferiora per modum vestigii, nequeunt summum « bonum uniformiter participare », repræsentare aut imitari. *Numquid omnia exsistentia similiter in universalem ejus participationem opportuna ?* id est, creata omnia non sunt æqualiter apta ad participationem summi boni perfectam seu generalem.

Nunc autem hæc est boni virtutis superexcellens magnitudo, id est, istud « est magnitudo » permaxima « virtutis », potestatis seu bonitatis divinæ, *quia et pri-*

malo et omnes privationes, id est ea quæ carent excellentioribus donis et ipsam dispositionem ad dona proportionata, *ad se facit, secundum quod universaliter est participabile*, id est, perducit ad participationem suæ bonitatis apta commensuratione, « secundum quod » ipsa « est universaliter » ab omnibus participabilis. Nihil enim evadit neque effugit providentiam et influentiam ejus cui est cura de omnibus. Sap. vi, 8

Et si oportet fidenter dicere verum, id est etiam quam expediat me confidentem et securum in ipso dicere quæ sunt vera, *et pugnantia ei*, id est, repugnantia et contrariantia Deo, *sua virtute et sunt et pugnare possunt*, id est, divinæ virtutis participatione et conservatione subsistunt, perdurant, et potestatem repugnandi sortita sunt. Ideo dixit Pilato : Non haberes potestatem adversum me ullam, nisi datum tibi esset desuper. Joan. xix, 11 Apostolus quoque : Non est (ait) potestas nisi a Deo. Rom. xiii, 1 Veruntamen ipsa potestatis abusio, atque perversitas ac malitia seu deordinatio usus hujusmodi, non est a Deo, sed a defectuosa voluntate creata. Propter quod Dominus per Osee : Ipsi (ait) regnaverunt, et non ex me ; principes exstiterunt, et non cognovi. Osee viii, 4

ARTICULUS XLVIII

QUIDQUID EXSISTIT, SECUNDUM BONI PARTICIPATIONEM ESSE ID QUOD EXSISTIT.

M*AGIS autem, ut comprehendens dicam*, id est, ut plura compendiose perstringam, *omnia existentia, quantum sunt, et bona sunt et ex bono*, id est, in « quantum sunt, sunt bona » bonitate naturæ et entitatis. Nam bonum cum ente convertibile est. *Quantum autem privantur bono*, id est, participatione boni destituta sunt, *neque existentia sunt neque bona* : sic enim labuntur et aliena sunt ab illo.

In aliis quidem enim habitudinibus, id est in ceteris qualitatibus aut habitibus, *qualis est caliditatis aut frigiditatis*, id est, qualis est habitus seu qualitas caloris aut frigoris, *sunt qualificata* *, id est tali aut tali qualitate informata ; *et relinquente ea caliditate, et vitæ et mentis multa existentium simul experta sunt*, id est, dum fuerint calore privata, « multa exsistentium », quæ scilicet solum sunt, nec vivunt, nec ratione utuntur, *et essentia Deus exaltatur*, id est, adhuc manent in suo esse ac natura quam habent a Deo, qui tam superexaltatus est, *et est superessentialiter et simpliciter* : ideo participatio, influentia et effectus ejus remanent in re creata, dum posteriores quædam qualitates et formæ tolluntur, ut in commentario primæ propositionis libri de Causis habetur. Hinc alia translatio clarius ait : Calefacta subsistunt etiam ubi defecerit calor, etc.

* calefacta

Aliarum quidem simul omnium abeunte ipsa quæ non est ingenita omnino habitudine, sunt existentia, id est, recedente et destructa « habitudine », id est qualitate, « omnium simul » rerum « aliarum » quibus habitudo talis « non est omnino » innata, sed separabiliter inhærens, subjecta illa adhuc manent in esse, *et subsistunt*, et subsistere possunt. *Quod vero per omnem modum bono privatum est*, id est, quod nullatenus fuit nec est nec erit participans bonum, *nunquam nusquam neque erat, neque est, neque erit, neque esse potest.*

Quale est incontinens, id est, simile

huic est in homine incontinente. *Etsi privetur bono juxta irrationabilem concupiscentiam*, id est, quamvis « bono » rationis « privetur » per suam carnalitatem, et peccet mortaliter, ita quod spiritualiter nihil est neque vivit. Propter quod subditur : *in hoc quidem neque est*, id est, spiritualiter non est, in quantum hujusmodi, *neque exsistentia concupiscit*, id est, non appetit ea quæ vere sibi salubria
Joann. XVI. 24. sunt, juxta illud in Joanne : Usque modo non petistis quidquam in nomine meo. *Participat tamen bonum secundum ipsam unitatis et amicitiæ obscuram consonantiam*, id est, adhuc « participat bonum » naturæ, et entis tenuem quamdam unionem ac adamationem in genere tenet, quæ corruptione inficitur, dum per speciem inordinati amoris contrahitur.

Et furor participat bonum per se movendo et appetendo opinabilia mala ad opinabile bonum erigere et convertere : id est, vehemens ira « participat » aliquid boni in hoc quod movet et appetit illa quæ sibi bona videntur (quæ tamen vere sunt illicita, quamvis opinetur quod bona sint), et appetit ea « erigere » atque adducere ad id quod vere opinatur ac æstimat esse « bonum » : sicque in ira est quasi aliquid apparentis justitiæ, quod tamen per immoderatam commotionem fuscatur.

Et ipse certantis vitæ appetens, id est, ille qui appetit vitam virtuti ac rationi rebellem, et contra honestatem cer-
Job XXIV. 13 tantem, juxta illud Job : Ipsi fuerunt rebelles lumini ; *tanquam totus vitæ appetens*, id est, vivere cupiens secundum concupiscentiam suam, *et egregiæ opinionis*, id est cupidus conversationis quam ipse reputat præoptandam, et putat respectum habere ad vitam præclaram, *et hoc appetere, et vitam appetere, et ad egregiam vitam respicere, participat bonum*, utpote « vitam », et eam sub ratione boni, quæ tamen in quantum vitiosa, bona non est. *Et si omnino bonum consumpseris*, id est, « bonum » esse negaveris, et prorsus illud abstuleris, *neque essentia est*, id est, ex tuis verbis illud sequeretur, quod nec « essentia est », *neque vita, neque concupiscentia, neque motus, neque aliud aliquid*.

Itaque et fieri ex corruptione generationem, non est mali virtus, id est, non procedit ex potestate aut influentia « mali » formaliter sumpti, *sed minoris boni præsentia*, id est ex virtute « boni » defectuosi præsentis, in quo est aliquid boni et causalitatis quod inchoative aut potentialiter in materia latuit.

Quantum et ægritudo defectus est ordinis, id est convenientis et contemperatæ ordinationis humorum seu complexionis in animali. Et in hac propositione prædicatio est causalis, quia ex illo defectu causatur infirmitas. « Est » autem « ægritudo defectus ordinis » *non omnis*, id est non cujuslibet ordinis : *si enim hoc fieret*, id est, si in ægritudine nihil ordinationis maneret, *neque ægritudo ipsa subsisteret*, id est, nihil esset reale, sicut nec cæcitas nec mors, nec haberet realem effectum. *Manet autem et est ægritudo*, id est, aliquid reale « manet » in ea, imo ipsa manet, *essentiam habens minimum ordinem*, id est modicum prioris ordinationis, cujus læsio est atque corrosio, *et in se substitutum*, id est, in ordine illo fundatur et subjectatur infirmitas. Ideo alia littera habet : Et in ipso subsistens.

Quod enim omnino expers boni, id est, nihil de bono participat, *neque ὄν*, id est, non est ens, *neque in exsistentibus* est. *Quod autem mixtum, per bonum in exsistentibus*, id est, quod rebus inest ac miscetur, per hoc quod participat aliquid bonitatis, est « in exsistentibus », *ac per hoc in exsistentibus et ὄν, quantum bonum participat*, id est, ens est in quantum aliquid boni sortitur.

Magis autem exsistentia omnia tantum erunt magis aut minus, id est, potius dico quod universa tanto amplius tantove minus sunt, *quantum optimum participant*, id est, quanto magis aut minus participant summum bonum. *Etenim in essendo per se ipsum nunquam nusquam*

Ens, neque erit hic, aut ibi. Ubi quidem ens, ubi non ens*: id est, quum nunquam sit ens per se aut ex se, id est, ens per essentiam seu ens imparticipatum, nunquam erit ens istud vel illud, aut in loco isto aut alio, quum non participet bonum. *Quantum quidem recidit* ab eo quod semper est*, id est, in quantum cadit ac deficit ab ente æterno, *non est*, id est, in tantum deficit ab esse; *quantum vero ex esse accepit*, id est, in quantum participavit esse ab illo, *tantum est, et ex omnino esse*, supple, convenit secundum participationis suæ mensuram, *et quod non ens, quo continetur et salvatur*, id est, tum esse virtualiter continetur in esse a quo est et ad esse perducitur: secundum quod creatio et generatio dicuntur productiones de non esse.

Et malum quod quidem est omnino a bono remotum, id est, quod nihil de bono participat, *neque in magis neque in minimis bonis erit*, id est, nullibi invenietur, quum prorsus non sit. *Hoc autem ubi quidem bonum, ubi vero non bonum*, id est, quod ex una parte est bonum, et ex alia non, *pugnat quidem bono cuidam*, id est, repugnat et contrariatur cuidam bono, *non omni autem bono*, id est, non repugnat bono simpliciter, nec « omni bono », sed bono sibi opposito in genere suo; *tenetur autem et hoc boni participatione*, id est, aliqualiter manet per boni participationem, in quantum ex aliqua parte bonum est. *Et substantificat et animat privationem*, id est, sui ipsius privationem sustentat, relinquendo in suo subjecto aptitudinem ad id quod deest, *bonum tota sui participatione*, id est, « bonum » exsistens prout tota « sui » « boni » participatione « fœlicitur ». Nam inde sortitur ut bonum suo modo dicatur.

Omnino enim abeunte bono, id est bono totaliter subtracto, *neque totaliter quod erit bonum*, id est, nullum erit bonum participatum, *neque mixtum*, quod scilicet ex una parte sit bonum, ex alia malum, *neque per se malum*, id est, non erit quid totaliter aut per essentiam malum. *Si enim malum imperfectum est bonum, absentia perfectissimi boni et imperfectum*, id est, imperfectum dicetur per defectum et recessum sui a perfectissimo bono, *et perfectum bonum aberit*, id est, ratio et veritas boni perfecti longe erit ab eo. *Et tunc solum erit et videbitur malum, quando his quidem est malum quibus opponitur*, id est, dum suo opposito nocet, *his autem tanquam bonis aufertur*, id est, ab aliis bonis segregatur, tanquam non exsistens ejusdem generis aut contrarietatis cum illis. *Pugnare enim sibi invicem eadem per eadem in omnibus, impossibile*, id est, fieri nequit quod eadem entia per easdem qualitates aut dispositiones sibi invicem adversentur ac noceant.

Non ergo ens malum, id est, hoc concluditur ex inductis, quod nihil est essentialiter malum, nec aliqua res positiva ex pura malitia, nec pura malitia est entitas.

ARTICULUS XLIX

MALUM NON ESSE ALIQUID POSITIVUM IN EXSISTENTIBUS.

SED *neque in exsistentibus est malum*, quasi sit aliquid positivum, et dum formaliter sumitur. Istud sæpe monstratum est; tamen resumit, ut clarius et multiplicius probet fortiusque inculcet mentibus hominum. Disputat quippe contra pessimum errorem ac hæresim perfidorum duo principia ac genera rerum effe-

ctiva ponentium, videlicet unum per se bonum, aliud per se malum. Quæ hæresis tempore beatissimi Joannis apostoli cœpit per Marcionem hæresiarcham : quam postmodum auxit et renovavit sceleratissimus Manichæus.

Si enim omnia exsistentia ex bono, et in omnibus exsistentibus bonum, id est, quoniam « omnia » quæ realiter sunt, fluxerunt « ex » primo et summo « bono » fontaliter, mediate vel immediate, « et in omnibus » quæ sunt, est aliquid boni, *et omnia continet bonum*, id est, bonum conservat cuncta in esse, quemadmodum et malum est corruptivum; *aut non erit malum in exsistentibus* tanquam aliquid positivum, *aut in bono erit*, ita quod aliquid essentiæ mali erit bono admixtum.

At in bono non erit, id est, non potest ita esse « in bono ». *Etenim neque in igne frigus, neque ille vitiatur eo*, id est, ignis non vitiatur frigore tanquam qualitate sibi naturaliter inhærente aut conveniente, et ipsum denominante, *et malum bono inexsistente*, id est, malum non bonificatur per hoc quod ei bonum inest : quia secundum hanc hæresim, contrariantur omnino, nec unum per aliud a sua natura mutatur.

Si autem fuerit, quomodo erit in bono malum? id est, dato quod « malum » formaliter sumptum, sit aliquid positivum, « quomodo erit » subjective « in bono »? *Si quidem ex eo, inconsequens et impossibile*, id est, ineptum est dicere, « et impossibile » est, quod malum ita acceptum, sit ex bono veluti quid reale : quod probat evangelica auctoritate. *Non potest enim, ut Eloquiorum veritas ait, arbor bona fructus malos facere, neque illud iterum*, id est, malum non potest facere bonum, seu arbor mala non valet facere fructus bonos. Quod Christus ad litteram dixit non de duabus naturis contrariis, ut Manichæi putabant, sed de hominibus bonæ ac malæ voluntatis. Christus tamen non vult quod bona voluntas nequeat fieri mala, neque mala bona. Porro Theologus ad hoc istam allegat hic auctoritatem, quod ex bono, ut tale, non queat procedere nisi bonum, quamvis ex bona voluntate, secundum quod libera et defectiva atque errabilis, potest oriri malum.

Matth. VII, 18.

Si autem non ex ipso, id est, si malum non est ex bono, *ex alio clarum quia principio et causa* erit, id est, certum quod sit « ex alio principio et » alia « causa ». *Etenim aut malum ex bono erit, aut bonum ex malo; aut si non hoc possibile*, id est, « si possibile non » est istud ita esse, *ex alio principio et causa erit et bonum et malum*, id est, ex duobus principiis erunt, et erunt duo prima effectiva rerum principia. Quod reprobat, subdens : *Omnis enim dyas non principium*, id est, nulla dualitas seu binarius est primum rerum principium; *monas autem erit totius dyadis principium*, id est, unitas est principium dualitatis. *Et quidem inconsequens, ex uno et eodem duo omnimodo contraria provenire et esse*, quum causa producat simile sibi : idcirco effectus ejusdem causæ sunt simul in eodem aliquo similes; *et ipsum principium non simplum et singulare*, id est, inconveniens quoque est dicere primum « principium non » esse simplex, « singulare » ac unicum, *sed partitum et biforme*, id est divisum seu divisibile atque compositum, *et contrarium in se ipsum et mutabile*, id est constare ex contrariis quorum unum agat in aliud, ut sunt mixta ex elementis, et ipsum esse mutabile.

Hæc eadem Proclus ex documentis Platonis subtiliter probat in Elementatione theologica, dicens : Omnis multitudo secunda est ab uno. Quod in commentario quinti theorematis probat pulcherrime ac diffuse. Hinc denuo protestatur : Omnia entia procedunt ab una prima causa; et, Omnis ordo ac multitudo ad unam primam reducitur unitatem. Item : Omne, inquit, primo et principaliter ens secundum unumquemque ordinem, unum est, neque duo [vel] plura.

ARTICULUS I.

MALUM NON ESSE IN DEO, NEQUE EX DEO.

CONSEQUENTER demonstrat, quod non possibile sit esse duo rerum principia contraria.

Non vero neque duo existentium contraria principia possibile esse, id est, possibile non est quod sint « duo » entium « principia » invicem « contraria », ut per se bonum, et per se malum, *et ea contra se invicem et in universo pugnantia*, id est « ea » contra « se invicem » præliari, et in toto mundo bellum habere, ut prætacti finxerunt hæretici : quorum vesania ab Empedocle orta videtur, ponente quatuor materialia rerum principia, quatuor scilicet elementa, et duo formalia effectiva, litem videlicet et amicitiam.

Si enim hoc daretur, erit et Deus non immunis, neque sine rixa, id est, Deus non esset immunis nec exsors ab inquietudine atque molestia. *Siquidem si sit quid eum perturbans, sequitur quod omnia erunt inordinata*, id est, si sit aliquid Deum inquietans, impugnans, molestans, cetera omnia erunt confusa, *et semper pugnantia*, id est, se invicem impugnantia.

Et quidem amicitiam omnibus existentibus bonum tradit, id est, cuncta entia ordinis universi connexionem, concordiam, consabilitionem inter se habent ac retinent ex bono eorum principio; *et per se pax et pacis donans laudatur a sacris theologis*, id est, Deus in Scripturis « laudatur » et esse describitur « per se » summa et vera « pax », id est tranquillissima quies, « et » dator « pacis ». De quo dixit Apostolus : Non est Deus dissensionis, sed pacis ; et : Ipse est pax nostra ; itemque : Pax Christi, quæ exsuperat omnem sensum. *Propterea et amica bona*, id est, invicem sunt amicabilia et invicem conferentia et influentia, cœlestia et terrena, superiora et inferiora, *et compacta omnia*, id est mutuo consolidata ac firmiter juncta, *et una vita genita*, id est ab uno fonte vitæ exorta, *et ad unum optimum coordinata*, id est ad unum bonum relata, *et adunata, et similia* : quædam namque conveniunt genere, quædam specie ; quædam in accidentibus multis, quædam in paucioribus ; universa quoque et singula assimilantur suo Creatori in aliquo ; *et comparata inter se invicem*, id est, mutuo se adunantia, in nominibus quoque multis communicantia ; comparantur etiam mutuo in quo unum excedat aliud, aut econtra.

(Margin: I Cor. xiv, 33. — Ephes. ii, 14. — Philipp. iv, 7.)

Itaque non divinum malum, id est, malum ex Deo non est tanquam positivus ejus effectus, *et malum non divinum*, id est, « malum non » est « divinum », nec est deus tenebrarum qui sit essentialiter malum aut malus.

Sed neque ex Deo malum. Si enim non bonus*, id est, « si* » Deus « non » est « bonus », *aut benefacit et bona adducit*, id est, producit et causat : *et non aliquando quidem et quædam, aliquando autem non, et non omnia* : id est, non solum facit bene interdum ac bona interdum, sed semper et omnium bonorum causa est ; vel, [non] facit interdum sic, interdum et quædam talia, « non omnia » tamen, sed aliqua mala, et aliquando male. *Transmutationem quidem in hoc faciet et mutabilitatem*, id est, ostendet se esse mutabilem, et in se variatum ac diversimode dispositum, *et circa se, hoc est circa omnium divinissimum et causam*, id est circa primam et summam ac præstantissimam causam.

* Aut
* aut

Si autem in Deo bonum subsistentia est, id est, quia in Deo esse bonum seu bonitas sua, est sua substantia seu natura, *erit transferens ex bono Deus aliquando quod est, aliquando autem quod non*, id est, Deus ex sua bonitate de non esse evocabit ad esse quandoque quæ nondum fuerunt, quandoque vero ea quæ sunt transferet ad melius et perfectius esse in accidentalibus, juxta illud Petri : Deus omnis gratiæ, qui vocavit nos in æternam suam gloriam, ipse perficiet, confirmabit solidabitque. *Si vero participatione bonum habet, et ex altero habebit*, id est, aliunde recipiet : non enim potest quid se ipsum producere. *Et aliquando quidem habebit, aliquando autem non habebit*, id est, interdum erit et manebit in suo esse, aliquando illud amittet, quantum est ex parte sui, et nisi desuper conservetur in esse : alioqui esset instantia de substantiis separatis corporibusque cœlestibus perpetuum esse habentibus. (I *Petr.* v, 10.)

Ex prædictis concludit : *Non igitur ex Deo malum, neque in Deo, neque simpliciter, neque secundum tempus :* id est, « malum » culpæ secundum quod tale, nequaquam « ex Deo » est, nisi permissive, nec malum essentialiter, quia tale malum non est ; neque in Deo est malum pœnæ, nisi causaliter et idealiter. Verumtamen cognoscit mala culpæ, sicque in eo sunt cognitive, quasi per accidens. Unde ait per Amos : Cognovi multa scelera vestra. (*Amos* v, 12.) Præterea actiones vitiosæ, quantum ad suum materiale, hoc est, quantum ad id quod entitatis et realitatis in ipsis est, dicuntur esse a Deo : non quoad suum formale, quia sic sunt deiformitates et obliquitates ac casus a recto et vero esse, suntque a voluntate perversa, quæ ut sic, est potius causa defectiva quam effectiva.

Postremo prædictis non obviat quod Deus aliquando in Scripturis perhibet se esse ab impiis molestatum, lassatum, violentatum, confixum. Loquitur namque metaphorice et more humano, et quantum ad similitudinem se habendi ac operandi : quemadmodum etiam fertur furere ac irasci. Sic quippe ait per Isaiam : Facta sunt mihi molesta. (*Is.* I, 14.) Et rursus in eodem Propheta : Numquid parum vobis est molestos esse hominibus, quia molesti estis et Deo meo? (*Ibid.* VII, 13.) Malachias quoque ait : Laborare fecistis Dominum in sermonibus vestris. (*Malach.* II, 17.) Et iterum in eodem : Vos, inquit, configitis me, gens tota. (*Ibid.* III, 9.)

ARTICULUS LI

ANGELORUM LAUS ET DESCRIPTIO, EISQUE MALUM NON INESSE.

DEINDE ostendit quod in angelis non sit malum, et patet sententia ex inductis.

Sed neque in angelis est malum : quia nec malum culpæ, quum sint confirmati in bono et beati in gloria consummati ; nec malum essentialiter dictum. Nec obstat illud in Job, Ecce qui serviunt ei non sunt stabiles, et in angelis suis reperit pravitatem : quia hoc de angelis dictum est quoad naturalia sua, et comparatione divinæ incommutabilitatis, et juxta statum ruinæ. (*Job* IV, 18.)

Si enim enuntiat bonitatem divinam deiformis angelus, id est, ex quo angelus gloriosus repræsentat in se Creatoris bonitatem præ aliis, *illud existens secundum participationem secundo, quod quidem secundum causam enuntiat primo*, id est, angelus est participative per dona na-

turæ et gratiæ inchoanter atque per dona gloriæ completius, quod est Deus omnipotens, quem repræsentat, id est, cujus perfectionem in se ostendit per naturam, et plene, independenter, ac infinite, cujus etiam « bonitatem », id est puritatem ac gratiam, angeli sancti enuntiant visoribus ecclesiasticæ hierarchiæ. Angeli quoque « primi », id est ante alias creaturas, saltem dignitate, enuntiant et præsentant Deum intuentibus eos.

Consequenter ponitur quasi quædam descriptio angeli.

Imago est Dei angelus, id est, « angelus » sanctus « est Dei imago », non naturalis, sed imitativa et repræsentativa, eminentiori modo quam anima rationalis, quanto altioris est naturæ, gratiæ et gloriæ, quam anima sive homo : exceptis præstantissimis animabus Christi et Virginis gloriosæ, quæ tamen in naturalibus cum ceteris conveniunt animabus, et ejusdem sunt speciei. *Manifestatio occulti luminis*, id est essentia manifestissima « luminis » increati, incomprehensibilis et immensi, seu luminis gratiæ et gloriæ nobis occultæ et ignotæ ; manifestator quoque et nuntius Dei ac multiplicis luminis ejus, de quo scriptum est : Numquid est numerus militum ejus? et super quem non splendet lumen ipsius? (Job xxv, 3.)

Speculum purum, utpote ab omni culpa alienum, non tamen plenarie repræsentativum divinæ perfectionis, secundum quod scriptum est de Sapientia æternali : Candor est lucis æternæ, et speculum sine macula Dei majestatis. (Sap. vii, 26.) Denique etiam divina essentia speculum est superlucidissimum in quo cuncta lucent, quod intuentur Beati : speculum utique voluntarium, quod se præsentat quantum vult et qualiter vult. *Splendidissimum*, id est valde splendidum, præsertim quantum ad lumen gloriæ et beatificæ visionis claritatem ; *immaculatum*, quantum ad puritatem suæ essentiæ, quæ caret materiæ macula ; *incontaminatum*, quoad intellectivam potentiam, in qua nullus est error, nec falsitas, neque ignorantia quæ sit culpa ; *incoinquinatum*, quoad vim affectivam, in qua nulla unquam fuit perversitas neque peccatum.

Recipiens totam (si fas est dicere) pulchritudinem boniformis deiformitatis, id est, participans, « recipiens », repræsentans, contemplans universam pulchritudinem Deitatis incircumscriptæ, optime in se ipsa dispositæ, nequaquam aliunde formatæ ; *et pure declarans in se ipso, sicut possibile est, bonitatem quæ est in adytis*, id est, sine admixtione falsitatis in se elucidans, quantum sibi « possibile est » et attinens, « bonitatem », perfectionem ac sapientiam Dei, exsistentem in secretissimis et incomprehensibilibus thesauris divitiarum illius, juxta illud Apostoli : In quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ Dei absconditi. (Coloss. ii, 3.) Hinc alia habet translatio : In se ipso insinuans, ut possibile est, sacratioris silentii bonitatem.

Veruntamen angelus cum omni celsitudine et excellentia sua, deficit infinite ab infinita perfectione, gloria et eminentia Dei, atque a plenaria repræsentatione et comprehensione illius, secundum quod ex sua actualitate et cognoscibilitate cognoscibilis est : quamvis ista nunc excellenter dicantur de angelo et eminentia ejus in genere et ordine suo, et per comparationem ad intellectum humanum, inferioresque creaturas.

Non igitur neque in angelis est malum, sicut jam patuit. *Sed puniendo peccantes sunt mali?* Hoc legendum videtur interrogative et negative, quasi dicat : An dicendi sunt mali puniendo iniquos? tanquam dicat, Non : sicut nec Deus, quum iniquos puniri ab eo ad quem jurisdictionaliter spectat, sit actus justitiæ. Propterea subditur :

Hac ergo ratione et compescentes delinquentes, id est, hi qui compescunt et domant per pœnas eos qui peccant, *sunt mali :* quod non est verum, nisi aliunde consistant culpabiles. Hinc alia habet translatio : An vero ideo sunt mali, quod

puniant peccantes? At vero punitio peccatorum in vita præsenti, aliquando fit per angelos bonos, ut patet quarto libro Regum de centum octoginta quinque millibus hominum quos angelus Domini interfecit in castris Assyriorum, et de subversione Sodomæ in Genesi; interdum per angelos malos, ut in Actibus de Anania et ejus uxore. *Et sacerdotum divinis mysteriis immundum prohibentes*, id est, hi qui prohibent immundos ac publice reos ab accessu ad divina mysteria sacerdotum, essent iniqui : quod reprobatur et alia ratione.

A *Et quidem neque puniri malum*, id est, reum « puniri » non est « malum » culpæ, sed opus justitiæ et malum pœnæ : ideo illud inferre non est culpabile; *sed dignum fieri pœna*, quod fit per culpam, est malum iniquitatis. *Neque secundum dignitatem prohiberi a* sacris*, id est propter demerita a divinis arceri, est pravum; *sed non sacrum et non sanctum fieri*, id est effici vitiosum, censetur culpabile, *et incontaminatis inopportunum*, id est inepte ad sacramenta et sacra et B sacramentalia se ipsum ingerere, est iniquum.

* alias om. a

ARTICULUS LII

DÆMONES NON ESSE NATURALITER MALOS.

SED *neque dæmones natura mali*, id est, ex sua essentia non sunt mali, nec vitiosi creati.

Etenim si natura mali, neque ex bono, id est, si essent substantialiter mali, non essent producti a bono causali principio, *neque in exsistentibus*, id est, non essent inter exsistentia computandi, quum omne exsistens ut tale, sit bonum, quum bonum et ens convertantur; *neque ex bonis conversi natura*, id est, non essent a bono transmutati in malum a sua natura : nempe quod naturaliter inest tanquam differentia aut proprium, non aufertur re permanente; *et semper mali sunt*, id est, a primo instanti subsistentiæ suæ fuissent inclusive iniqui.

Sequitur, id est, consequenter est sciscitandum : *sibimet sunt mali, an aliis?* id est, an pravi ac nocivi sunt sibi ipsis, an aliis? *Si quidem sibimet*, id est, si certe et utique sunt sibimetipsis mali, *an corrumpunt se ipsos?* secundum quod Philosophus probat, quia si aliqua res esset substantialiter mala, se ipsam destrueret.

Si autem aliis sunt mali, *quomodo cor-* C *rumpunt, aut quid corrumpunt* in illis? *essentiam, an virtutem, an actionem? Si quidem essentiam*, id est, si dicantur in aliis corrumpere illorum essentiam, *primum quidem non juxta naturam*, id est, si hoc primum dicatur, hoc dici non potest secundum naturalem entium cursum, nec naturaliter et universaliter potest hoc dici neque defendi; *natura enim incorruptibilia*, id est substantias ex sua natura incorruptibiles, ut sunt intelligentiæ et orbes cœlestes, *non corrumpunt, sed sus-* D *ceptiva corruptionis*, id est destructibilia ex sua natura. De quibus vicesima sexta propositione libri de Causis : Omnis substantia destructibilis non sempiterna, aut est composita, aut delata super res alias.

Sequitur : neque hoc omnibus et omnino malum, id est, corrumpi non est universaliter malum, quum multa sint ordinata in usum et alimoniam aliorum, et aliquid malum est per respectum ad naturam particularem, quod expedit quoad naturam universalem.

Sed neque corrumpitur quod constitutione secundum quod animalis et naturæ, id est, substantia ut sic, non est directe et per se ac immediate terminus seu ratio corruptionis, quia ut sic, non habet contrarium; *sed defectu juxta naturam ordinis harmoniæ et commensurationis*, id est ex disproportione et invaletudine ordinationis naturalis ipsius complexionis, *rationes infirmantur*, id est, vigor naturæ ac ratio permanendi deficiunt: quia substantia talium rerum mixtarum, ad actualem suam subsistentiam ac operationem naturalem requirit complexionem et dispositionem aptam in corpore; quibus deficientibus, forma substantialis de materiæ potentialitate educta, quasi per accidens desinit esse. Materia vero prima, ingenita et incorruptibilis perhibetur. *Manere similiter habens*, id est, natura cui conveniret adhuc, ut ante « manere » et operari, si harmonia in suo maneret vigore; juxta quod ait Philosophus, quod si vis visiva senis esset in organo ita disposito sicut dispositum est organum visus juvenis, tam clare videret in sene sicut in juniore.

Infirmitas autem non perfecta, id est, « infirmitas » illa naturæ non est prorsus completa atque prædominans suo subjecto. *Si enim perfecta*, id est, si taliter esset completa ac prævalens, *et corruptionem et subjectum interimeret*, id est, illud omnino destrueret, imo et se ipsam eo modo quo sibi convenit esse. Hinc subditur: *et erit ipsa corruptio et manet corruptio*. Manet ergo in infirmitate modicum quid vigoris. *Itaque hujusmodi non malum, sed deficiens bonum*, id est, talis infirmitas non est purum malum, « sed bonum deficiens », diminutum. *Quod enim omnino expers boni*, id est, nihil boni participat, *neque in exsistentibus erit*, id est, de numero exsistentium non est.

Et de virtutis et actionis corruptione eadem ratio, id est, idem dicendum « de corruptione » potentiæ et operationis, quod jam dictum est de corruptione essentiæ, quam naturaliter et inseparabiliter consequuntur propria potentia et actio aliqua.

ARTICULUS LIII

QUALITER DÆMONES SINT MALI.

DEINDE redit ad tractandum qualiter malum in dæmonibus ortum est et inventum, arguitque pro parte utraque, ut difficultas appareat quæstionis.

Deinde quomodo a Deo facti dæmones, sunt mali? id est, qualiter spiritus illi a Deo boni creati, imo ut multi dicunt, in gratia et caritate producti? quia secundum Augustinum, Deus fuit simul in eis condens naturam et largiens gratiam. *Bonum enim bona adducit et substituit*, id est, sub se constituit bona, quum agens producat simile sibi.

Et quidem dicuntur mali, imo et obstinati in malo. *Dixerit quis*, id est, respondere aliquis potest, *sed non secundum quod sunt*, id est, vitiosi « non » sunt « secundum quod sunt », et ut bonam habent naturam, *ex optimo enim sunt*, id est, ex summo bono per creationem fluxerunt, *et optimam sortiebantur essentiam*, id est, valde bonam a superoptimo Creatore acceperunt in sua creatione naturam; *sed secundum quod non sunt, infirmi* facti sunt, *ut Eloquia aiunt, non* servare suum principatum*, id est, ex hoc corruerunt, defecerunt et peccaverunt, quod non adhæserunt firmiter suo Creatori. Hoc sumptum est ex Canonica S. Judæ apostoli, dicentis : Angelos qui non — Judæ 6.

* alias om. non

servaverunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, etc. « Suum » quippe « principatum » non servaverunt, id est dignitatem et ordinem : imo a primo apostata cito ac facile permiserunt se a Creatore abduci.

In quo enim, dic mihi, vitiari dicimus dæmones, si non in cessatione divinorum bonorum habitudine et actione, id est, nisi in hoc quod cessaverunt ab adhæsione æternalium « bonorum », hoc est a debita « habitudine et actione » circa illa ? Unde alia littera habet : Nisi in definitione divinorum bonorum, habitudine scilicet et actione. Porro alia clarius continet : Nisi in carentia habitus et operationis divinorum bonorum.

Sequitur ad idem probandum ratio alia.

Sed itaque, supple, dico, *si natura mali dæmones*, id est, « si dæmones » ex sua « natura » sunt impii, *semper mali*, id est, ab exordio suo mali fuerunt indesinenter et incorrigibiliter; *et quidem malum instabile est*, id est inquietum, seu frequenter delebile. *Ergo si semper sic habent*, id est, immutabiliter in una dispositione persistunt, *non mali*, id est, sequitur quod mali non sint. [*Quod enim semper id ipsum, optimi proprium.*] *Si autem non et semper mali*, id est, « si non » jugiter « mali » sunt, *non naturales*, id est, malitiæ eorum non sunt eis innatæ, *sed indigentiæ angelicorum bonorum*, id est privationes et carentiæ angelicarum virtutum et perfectionum.

Sed non omnino expertes boni, secundum quod et sunt, et vivunt, et intelligunt, id est, non sunt penitus destituti naturalibus bonis ac donis, quoniam « sunt, vivunt, intelligunt » ; *et omnino est quidam in eis concupiscentiæ motus*, id est motio seu affectio circa bonum privatum. Quæ tamen concupiscentia non est inclinatio appetitus sensitivi, quo carent, sed appetitus deordinati, ad inferiora depressi, et quasi assimilati appetitui sensitivo : nam et terrenis honorationibus et sacrificationibus delectantur.

Mali autem esse dicuntur, propter quod infirmantur circa naturalem operationem. Naturalia namque per vitia inficiuntur et indisponuntur. *Falsa ergo conversio est eis malum*, id est, peccatum eorum est prava « conversio » ad se ipsos, atque a summo bono aversio, *et a cognatis suis egressio*, id est recessus ab angelis bonis, qui simul cum ipsis intellectualis consistunt naturæ, et suo adhæserunt factori, *et informitas*, quia naturalia non sunt in eis formata et decorata per dona gratuita, *et imperfectio*, id est carentia debitæ et supernaturalis perfectionis, *et impotentia*, per carentiam supernaturalis confortationis. Verum quantum ad naturalia, non est potestas super terram quæ comparetur potestati illorum. *Job* XLI, 24. *Et salvante eis perfectionem virtute infirmitas et fuga et casus*, id est imbecillitas, derelictio ac ruina a divina « virtute » conservante eos in sua perfectione naturali : per quam virtutem divinam conservati fuissent in donis supernaturalibus, et ad beatitudinem plenam perducti, si mansissent illi innitentes ac adhærentes.

Itaque quid in dæmonibus malum ? id est, quæ mala in eis sunt ? Et respondet : *Furor irrationabilis, amens concupiscentia, phantasia proterva.* Juxta præhabita hujus Sancti documenta, dæmones, sicut et angeli sancti, sunt intellectuales et incorporales substantiæ, in quibus non est portio sensitiva nec passiones ejusdem proprie atque univoce, sed per similitudinem operis et effectus : juxta quem modum etiam Deo simplicissimo adscribuntur ; verumtamen magis dæmonibus, quia in ipsis est vehemens conturbatio mentis, ingens desiderium ultionis, gravissima indignatio cordis, ferox conceptio, intensissima quoque appetitio propriæ honorationis, imo et cultus et adorationis, quæ soli Deo debetur. In tentationibus quoque valde cupiunt prævalere, animas ad damnationem pertrahere, et Dei venerationem minuere, imo universos pro posse inducere ad irreverentiam ejus. Has vitiosissi-

sos appetitiones, atrocissimas intentiones, turbulentissimos animi motus, quamvis in dæmonibus non fiant cum corporali transmutatione, vocat Theologus irrationabiles furores, amentes seu insensatas concupiscentias et phantasias protervas; quas et in hominibus causant, propter quod et causaliter competunt ipsis.

Sed hæc et si sunt in dæmonibus, non omnino neque in omnibus neque hæc secundum se mala, id est, quamvis « hæc » tria insint « dæmonibus, non » tamen sunt « mala » omnimode, « neque in omnibus » quibus sunt, « neque » sunt mala « secundum se » ubicumque inveniuntur, seu secundum rationes suas communes. *Etenim in aliis animalibus non motus talium, sed interemptio, est et corruptio animali et malum*, id est, in aliquibus brutis carentia talium motuum « est » quid « malum et corruptio » illorum. *Habitus enim salvat*, id est, istorum motuum habitus est conservativa animalium, quibus naturaliter insunt, *et esse facit hoc habentem animalis naturam*, id est, substantiam quæ habet eos facit conservari, ut ibi dicitur.

*Non ergo** *malum dæmonum genus quantum est juxta naturam*, id est, « dæmonum » universitas « non » est aliquid naturaliter « malum », *sed quantum non est*, id est, secundum quod deficit a vero et perfecto esse, in tantum non est bonum.

Et non mutatum est datum eis totum bonum, id est, naturalia dona magna et eminentia dæmonibus ab exordio præstita, non sunt in eis omnino corrupta, aut in malum naturæ variata, *sed ipsi data deseruerunt tota bona*, id est, peccando corruerunt in statum viliorem, et a perfectione ac excellentia totius boni ipsis collati, præsertim quantum ad usum bonorum illorum.

Et datas eis angelicas donationes, id est naturales vires seu concreatas scientias, *nunquam ipsas mutatas fuisse dicimus*, id est non fuisse ipsis ablatas. Verumtamen si in aliquibus donis et habitibus atque virtutibus gratiæ gratum facientis conditi erant, illas amisisse creduntur, quoniam stare nequeunt cum peccato mortali. Naturalia demum in ipsis per peccata fuerunt obtenebrata, non obstante quod subditur : *sed sunt integri et clarissimi*, id est quoad naturale acumen et intellectuale lumen ipsis innatum, sunt miræ subtilitatis, nec aliquid naturalium, quantum ad suam entitatem, ipsis subtractum est. Sed sunt perversæ electionis, et circa finem corrupti, nec expediti ad aliquid bene agendum. Ideo sequitur : *etsi ipsi non videant participantes suas boni conspectivas virtutes*, id est, quamvis ipsi personaliter non advertant nec pensent vires intellectivas discernere inter bonum et malum idoneas, ipsis concessas ita ut convertant eas ad inspiciendum utiliter bona et vera, sed abutantur eis ad pessima.

Itaque quod sunt et ex optimo, sunt et optimi, id est, a summo bono sunt facti, et valde bonæ et præclaræ sunt speciei : *et bonum et optimum concupiscunt* naturali desiderio, quod vel raro vel nunquam exit in actum, nisi perverse, *esse et vivere et intelligere existentium appetentes*. Verumtamen damnati, secundum documenta authentica, cupiunt absolute non esse, et mallent non esse, quam in tantis calamitatibus detineri, quamvis naturalem habeant inclinationem ad has naturales perfectiones ; et appetunt eas vel habitu vel aptitudine, et si actu, hoc est non sincere, sed detestabili intentione.

Et privatione et fuga et casu connaturalibus sibi optimis, dicuntur mali, id est, vitiosi censentur quia privati sunt spiritualibus, divinis et saluberrimis bonis, a quibus prolapsi sunt, et adhuc mente refugiunt ea. *Et sunt mali secundum quod non sunt*, id est, prout a summo bono et actualissimo esse occumbunt ; *et quod non est appetentes, malum appetunt*, id est, dæmones ipsi appetendo, « appetunt malum quod non est », id est, quod spiritualiter nihil est, et formaliter sumptum non est aliquid positivum, sed va-

* ergo

nitas, falsitas et recessus a rectitudine ac omni bono salubri.

Præterea advertendum, quod beatissimus ac fidelissimus doctor S. Dionysius loquitur hic aliqualiter extreme, tractando de bonitate et excellentia dæmonum A in naturalibus, quia intendit hic scribere contra hæreticos qui vel duo rerum principia posuerunt, vel diabolum naturaliter malum asseruerunt : quorum insanias penitus volens exstirpare, loquitur sic extreme.

ARTICULUS LIV

AN ET QUOMODO ANIMABUS HUMANIS INSIT MALUM.

INSUPER docet qualiter in animabus humanis non sit malum juxta intellectum præhabitum.

Sed animas quis esse dicit malas, id est, forsitan aliquis dicet « animas » rationales naturaliter esse pravas, ita quod ipsa malitia sit in eis quædam naturalis proprietas et ipsis ingenita. *Si quidem quia contendunt malis provide et salutifere*, id est, quoniam animæ certant et student prudenter atque salubriter malis ad quæ ex naturali dispositione inclinantur, resistere ac prævalere. Alia littera continet : At animas quispiam dixerit esse malas ; si quidem cum malis nascuntur providentiæ salubritatis ratione. *Hoc non malum*, id est, non est malum quod ita contra mala contendunt, imo ex hoc consequitur quod non sunt naturaliter nec incorrigibiliter malæ ; *sed bonum* est hoc, *et ex bono*, id est a Deo creatore, et ex inclinatione ad bonum quam ipse originaliter indidit animabus, utpote ex synderesi, quæ semper remurmurat malo culpæ illicitque ad bona, *et malum bene faciente*, id est, bonificante per emendationem vitæ. Unde alius habet textus : Quod et malum facit bonum.

Sed objici potest illud libri Sapientiæ :
Sap. XII, 10. Iniqua est natio eorum (videlicet Chananæorum), et naturalis malitia illorum. Et respondendum, quod aliqui a natura non integra, sed corrupta, dicuntur inclinati B ad mala ex corporis dispositione, aut imitatione quadam parentum : non quod vitia ipsa sint eis innata, aut aliquid reale in ipsis. Ideo corrigi possunt. Unde præmittitur ibi verbis præallegatis : Dabas, Sap. XII, 10.
Domine, pœnitentiæ locum.

Si autem vitiari animas dicimus, in quo vitiantur ? si non in bonarum habitudinum et operationum defectu, id est, nisi in hoc quod defectuosæ ac negligentes sunt in exsecutione et perseverantia actionum virtuosorum habituum, C *et per propriam infirmitatem imperfectione et perditione*, id est, in « imperfectione » seu non profectu spirituali, « et perditione », id est amissione propriæ salutis, quam amittunt peccando mortaliter et succumbendo tentationibus et peccatis, juxta illud libri Sapientiæ : Injustitia est mortis Ibid. I, 15,
acquisitio, impii autem manibus et verbis 16.
arcessierunt illam ; et alibi : Homo per Ibid. XVI,
malitiam occidit animam suam ; in libro 14.
Job quoque : Quid perdis animam tuam Job XVIII, 4.
in furore tuo ? Istud ergo contingit iniquis D « per propriam infirmitatem », quia non sunt contra tentamenta ac vitia armati virtutibus ; et ex innata pronitate ad mala, juxta illud : Sensus et cogitatio Gen. VIII,
cordis humani prona sunt in malum ab 21.
adolescentia sua.

Istud consequenter declaratur per simile in naturalibus et exterioribus rebus. *Etenim et aërem hunc circa nos*, id est

« aerem » nobis circumfusum et totum hemisphaerium, obscurari dicimus defectu et absentia lucis, id est existentes privatos neque lucis sensibilis: quæ privatio seu carentia non est aliquid reale ad extra. *Ipsa autem lux, semper lux est*, id est lucens et clara, dummodo ejus subjectum non immutetur, *et tenebras illuminans*, id est, subjectum tenebrosum irradians, et illud illustrando, tenebras fugans, id est, cessare faciens, sicut qui loquitur, expellit silentium, quod nihil reale est. A

Non ergo neque in dæmonibus neque in nobis malum ut existens malum*, id est, nec in spiritibus illis malignis nec in hominibus invenitur « malum » culpæ tanquam res aliqua, *sed ut defectus et desolatio propriorum bonorum perfectionis*, id est, tanquam privatio, deordinatio seu carentia « perfectionis propriorum bonorum », id est virtutum, gratiarum ac meritorum, quæ sunt spiritualia, vera ac propria bona rationalium creaturarum, quæ nec invito queunt auferri. * enim

ARTICULUS LV

IN ANIMALIBUS IRRATIONABILIBUS NON ESSE ALIQUID NATURALITER MALUM.

DEINCEPS idem ostendit in brutis. *Sed neque in animalibus irrationabilibus est malum* culpæ, seu quid essentialiter malum. *Si enim interimas furorem et concupiscentiam, et alia quæcumque dicuntur, et non sunt simpliciter eorum naturæ mala*: id est, si imaginarie tollas a brutis quasdam eorum proprietates et passiones ac operationes, quæ forsan videntur alicui malæ ac vituperandæ in ipsis, quamvis ita non sit, loquendo « simpliciter » et per respectum ad ordinem universi, licet interdum sint no- C civæ alicui particulari: istud, supple, inconveniens esset. Quod consequenter probatur.

Grande quidem et ferox leo perdens, id est, leo desinens esse animal naturaliter magnum, forte, audax, superbum, *neque leo erit*, id est, cessabit esse leo juxta solitum cursum naturæ. *Mansuetus autem omnibus factus canis, non erit canis*, id est, canis non existendo naturaliter animal iracundum, desineret esse canis secundum cursum communem, quamvis sint D aliqui canes quieti et quasi mites. *Siquidem canis quiddam custoditivum*, id est, B canis est animal factum et ordinatum ad custodiam domus domini sui per latratum et invasionem; *et quiddam adveniendi quidem domesticum*, id est animal præbens accessum habitatoribus propriæ domus, *abigendi vero extraneum*, id est factum ad repellendum extraneos et ignotos. Sicque proprietates istæ sunt bonæ in brutis hujusmodi.

Itaque quod non corrumpit naturam, non malum est, quum sit non nocivum naturæ. *Corruptio autem naturæ, infirmitas et defectio* naturalium habitudinum et operationum et virtutum*: id est, passiva « corruptio », læsio seu destructio « naturæ » passibilis in ægroto, est debilitatio, deficientia dispositionum seu proprietatum naturam directe consequentium, et actionum ac virium: quibus deficientibus, sequitur corruptio rei, quum res ordinetur ad aliquem finem, quem per operationem suam consequitur. Sumitur autem hic « corruptio » pro corruptione passiva, et non solum pro formæ expulsione, sed item pro prævia ad hoc dispositione nociva. * defectus

Et si omnia quæ sunt per generationem,

in tempore habent consummationem, id est, quum cuncta generabilia successive per temporis fluxum ad suam naturalem pertingant perfectionem, dicente Philosopho : Omnium natura constantium certa est mensura et ratio magnitudinis, certa
Job xv. 5 quoque periodus (juxta illud Job : Constituisti terminos ejus, qui præteriri non A poterunt) ; *neque imperfectum omnino*, id est, nihil est penitus incompletum, *contra omnem naturam*. Nam si defectus et imperfectio accidat ex una causa naturali, recompensatur ex alia, et facit natura melius quod potest, ita quod effectus non est penitus imperfectus, sed partim, ut patet in monstris.

ARTICULUS LVI

AN NATURÆ SIVE UNIVERSALI SIVE PARTICULARI, VEL CORPORIBUS, POSSIT INESSE MALUM.

SED *neque in tota natura malum*, id est, non solum a brutis, sed a « tota natura » inferiori ac superiori excluditur « malum » præfatum, quod scilicet essentialiter malum vocatur.

Si enim non omnes naturales rationes contra universalem naturam, id est, quum universæ particulares « rationes » seminales, seu formarum præparationes, « non » sint « contra universalem naturam » cœlestibus corporibus aut eorum motoribus insitam, sed potius ejus suo modo effectus sive stramentum, *nihil est ei contrarium*, id est, nil contrariatur naturæ universali in inferioribus istis naturalibus rebus. Hinc alia translatio clarius continet : Si enim omnes naturales rationes ab universali natura ducuntur, nihil est quod illi adversetur.

Ejus autem per singula, id est naturæ particulari in inferioribus, *hoc quidem secundum naturam erit, hoc vero non secundum naturam*, id est, aliquid erit naturale atque conveniens, aliquid econverso, secundum quod una causa particularis naturalis inferior, alteri tali causæ adversatur et impedit ejus effectum. *Alii enim aliud est secundum naturam*, id est, aliquid est uni naturale, quod non alteri.

Et hoc inde contra naturam, ut mali- B *tia*. Peccatum enim est contra naturam bene dispositam. Propterea juxta Tullium, Virtus est habitus rationi consentaneus, in modum naturæ agens. *Hoc contra naturam, privatio eorum quæ sunt naturæ*, id est, aliquid est innaturale contrariumque naturæ, quia « privatio » est boni naturalis, ut cæcitas.

Itaque non est mala natura, id est, nulla natura substantialiter est mala ; *sed hoc naturæ malum, non posse quæ sunt propriæ naturæ perficere*, id est, hoc est nocivum naturæ, non posse expedite perage- C re actus sibi convenientes.

Sed neque in corporibus est malum, quod scilicet sit totaliter et essentialiter malum.

Vile enim et infirmum, id est, ex parte corporis est infirmitas, turpitudo seu fœditas, quæ est *defectus formæ*, id est pulchritudinis seu decoris, *et privatio ordinis*, id est disproportio coordinationis partium in toto. Ad pulchritudinem etenim corporalem tria exiguntur, secun- D dum Philosophum : elegans statura, cohabitudo partium proportionata, et superfusus vividus color. *Hoc autem non omnino malum*, id est, defectus hujusmodi « non » est purum « malum », neque totaliter auferens bonum, *sed minus bonum*, utpote imperfectum. *Si enim omnino fiat solutio boni*

et formæ et ordinis, id est, si bonitas rei et formatio ejus ac decor totaliter dissolvantur et auferantur, *peribit et ipsum corpus*, id est, destruetur.

Quia vero neque malitiæ causa animæ corpus, id est, quod corpus non sit causa vitiorum animæ qua informatur, *clarum est hoc; possibile enim et sine corpore extra subsistere malitiam*, constat ex hoc quod possibile est (imo et realiter sic est) peccatum esse in substantiis incorporalibus, A *sicut in dæmonibus. Hoc enim et intellectibus et animabus et corporibus malum*, id est, « hoc » est commune « malum » intellectualibus substantiis, « et animabus » tam rationalibus quam irrationalibus, « et corporibus », *habitudinis propriorum bonorum infirmitas et casus*, id est ruina, defectio, debilitas bonæ « habitudinis », seu vigorosæ et validæ possessionis, « bonorum » ad perfectionem suam spectantium : quod malum vocatur privatio.

ARTICULUS LVII

DE MATERIÆ ITEMQUE PRIVATIONIS AD MALUM HABITUDINE.

S*ED neque malum est in materia, ut aiunt, secundum quod materia*, id est, « malum » prout dicitur esse « in materia », non multum reclamat prædictis, quia materia participat bonum. Ideo subditur : *Etenim et ipsa ornatus et formæ et speciei habet participationem*, id est, quia materia participat formam substantialem, quæ est decor et actualitas atque perfectio ejus.

Si autem sine his sit materia secundum se, id est, « si materia » capiatur aut consideretur nude « secundum se », sine prætactis additamentis, *sine delectatione est*, id est, non delectat quemquam, nec delectatur, *et informis*, id est indecora; *quomodo facit quid materia, quæ neque pati potest secundum se habens?* id est, qualiter sic accepta materia potest aliquid facere, quæ non est habens secundum se ipsam ut possit pati? quia secundum se nude, non est subjectum actionis passionisve naturalis. Non enim eam potest attingere agens naturale nisi ut informatam, et ut qualem ac quantam, quum agens naturale agat per motum.

Sed itaque dico, quomodo materia malum, id est, quod sit essentialiter malum? B *Si quidem enim nihil*, id est, si materia est non ens, *non enim est neque bonum neque malum*, id est, tunc non est aliquid bonum, nec malum quod positive sit aliquid. Istud argumentative proponitur. *Si autem est*, id est, « si » materia « est » ens, *quomodo existentia oportet omnia ex bono?* id est, qualiter verum est quod necesse sit « omnia » quæ sunt, esse « ex » primo et summo « bono »? *Et ipsa ex bono relinquitur*, id est, hoc tanquam verum « relinquitur », quod materia sit « ex C bono » tanquam ex causali principio. *Et si bonum mali facticum sit, malum ut ex bono existens, est bonum ; aut malum boni factivum sit, et bonum, ut ex malo, malum :* id est, aliquid erit « bonum » secundum quod « ex malo » procedit, vel econverso, ut si * progrediens, est malum. * sic Arguendo ista dicuntur.

Aut duo iterum principia, id est, « aut » rursus sequetur quod erunt « duo » effectiva « principia » rerum, *et hæc alio uno juncta vertice*, id est, habebunt unum caput ex quo fluunt, et in quo tanquam in D uno exordio uniuntur, quia oportet pluralitatem ad unum reducere. Alia littera habet : Et ipsa ab alio uno vertice segre-

gata, id est ex una origine derivata, et per emanationem ab illo diversificata.

Si autem necessariam dicunt materiem, id est, si ipsam materiam vere dicunt requiri et necessariam esse, *ad plenitudinem totius mundi*, id est ad perfectionem et complementum universi, *quomodo materia malum?* id est, sic falsum est quod ipsa sit substantialiter mala. *Aliud enim bonum quod necessarium*, id est, id « quod » sic « necessarium » est, est « bonum » non qualecumque, sed magnum. Sic et alia translatio habet : Alterum enim bonum et necessarium. Porro aliæ duæ translationes clariores ac magistrales sic continent : Aliud enim est malum, aliud necessarium.

Quomodo autem optimus ex malo adducit quardam ad generationem? id est, dici non potest quod Deus essentialiter bonus producat bona ex malo. *Aut quomodo malum optimo necessarium?* quasi dicat, Nullatenus. *Fugit enim optimi naturam malum*, tanquam sibi contrariam. *Quomodo autem gignit et nutrit naturam* generabilium *materia mala existens?* id est, si materia esset essentialiter mala, non concurreret ad generationem et nutritionem naturalium rerum, quum ordo sit optimum quid in rebus, nec conservatur nisi per bona. *Malum enim secundum quod malum, nullius est geniticum aut nutriticum, aut omnino facticum aut salvaticum*, id est conservativum. Hæ namque sunt proprietates operationesque boni, ut patuit supra.

Si autem dicerent ipsam quidem non facere malitiam in animabus, id est, si erronei illi respondeant quod materia non causat directe culpam in animabus humanis, *attrahere vero eas*, id est inclinare ad vitia; *et quomodo erit hoc verum? Multæ enim suum in bonum adspiciunt*, id est, plures animæ respiciunt ad salutaria bona. *Et quidem quomodo fiat hoc, materia omnino eas in malum attrahente?* id est, istud fieri non valeret, si materia coactive, et non occasionaliter tantum, traheret animas ad peccata. *Itaque non ex materia in animabus malum*, id est, peccatum « non » est primo et principaliter « in animabus ex materia » seu corpore, *sed ex ipso delicto*, id est ex fomite aut concupiscentia.

Si autem et hoc aiunt materiam omnimode sequi, id est, si radicem illam mali dicunt sequi materiam, *et necessariam instabilem materiam ex semetipsis collocari non valentibus*, id est, quod materia ex se fluida, necessaria sit ad subsistendum non potentibus subsistere in se et sine fulcimento materiæ : hoc, inquam dato, *quomodo malum*, puta materia, est quid *necessarium?* id est, id quod « necessarium » est ad tot bona, « quomodo » est « malum » ex sua natura? *aut necessarium malum?*

Veruntamen, sicut ait Scriptura, Corpus quod corrumpitur, aggravat animam; et multa impedimenta bene agendi, incitamenta quoque peccandi, proveniunt nobis ex corpore : quæ tamen non compellunt peccare. Propter quod Plato loquitur in Phædone : Quamdiu corpus habuerimus, et conglutinata fuerit anima nostra huic malo, nunquam plene adipiscemur quod cupimus. Decies enim millena nobis vacationum impedimenta inde proveniunt. De hoc beatissimus Andreas apostolus cruci affixus, supernaturaliter, plene sapientissimeque disseruit, ut libro de Civitate recitat Augustinus. Sap. IX, 15.

Præterea quæri potest : quum peccatum seu delictum aut concupiscentia sit malum culpæ, non potest esse radix prima peccandi. Respondetur, quod delictum aliquando sumitur pro quodam malo habituali, seu improbo sui amore, vel voluntate fragili et caduca. Hinc scriptum est : Unde bella et lites in vobis? Nonne ex concupiscentiis vestris, quæ militant in membris vestris? Jacob IV, 1.

Sed neque hoc quod dicimus privare, id est nec ipsa privatio, *secundum virtutem propriam pugnat bono*, id est, propria vi bono repugnat. *Universalis enim pri-*

totalis, id est, communis privatio omnis boni, universaliter impotens, id est, ad omnem actum est invalida secundum quod talis, quum non sit aliquid positivum. *Particularis vero, non secundum quod privatio habet virtutem*, id est vim activam, *sed secundum quod non universaliter est privatio*, id est in quantum privatio particularis : sic quippe relinquit aptitudinem quamdam ad aliquid. *Privatione enim boni particulari existente, nondum perfecte*, id est, malum necdum omnino prævaluit ; *et facta*, id est, ea recedente ac sopita, *et mali natura perit*, id est, malum illud sublatum est cujus carentia inerat ante privationis illius cessationem.

ARTICULUS LVIII

DE UNA BONI, PLURIBUS AUTEM MALI CAUSIS ; ITEM QUOD CAUSÆ MALI SINT VIRTUTES BENEFICÆ ; AN MALUM SIT ÆTERNUM, AN JUXTA NATURAM ; ET NUM MALI PRINCIPIUM ANIMA.

COLLIGENTI *autem dicendum*, id est, summarie perstringendo dico : *Bonum ex una et tota causa est*, id est ex causa totali et integra, concurrentibus circumstantiis cunctis ad bonum requisitis : quod de bono morali potissime verificatur ; *malum ex multis et particularibus defectibus* circumstantiarum, et formæ sive materiæ, præsertim si desit recta intentio, quæ secundum Ambrosium imprimit operi speciem. Idem in Ethicis ait Philosophus. Hinc pluribus modis contingit peccare, et uno modo facere bene. Cujus simile ponitur in sagittantibus versus signum.

Scit Deus malum aut bonum, id est, intra se novit de unoquoque an sit malum aut bonum, nec aliter posset esse omnium justus judex : *et apud ipsum causæ malorum virtutes sunt beneficæ*, id est, potentiæ intellectivæ ac liberæ, quæ sunt subjecta virtutum ac vitiorum, et meritorie agunt per gratiam et virtutes, « sunt causæ malorum », id est demeritorum ac vitiorum, quando a bono avertunt se. Sunt enim potentiæ ad utrumlibet. Peccatum quoque in tantum est voluntarium, quod si non esset voluntarium, non esset peccatum : atque prima radix peccandi dicitur in voluntate consistere.

Consequenter arguit pertinenter contra hæreticos. *Si malum æternum*, id est, si est aliquod malum æternale, substantialiter malum, et causa productiva universorum malorum : unde subjungitur, *et creat, et potest, et est, et agit : unde ei hæc?* id est, a quo habet hæc omnia? *Aut ex bono*, id est vel ex aliquo principio bono ante se, *aut bono ex malo*, id est, vel hoc convenit principio bono ex principio substantialiter malo, *aut ambobus*, scilicet tam bono quam malo, exsistentibus *ex alia causa* ipsis priori, nisi circulatio ponatur in causis.

Omne quod secundum naturam, id est, omne quod naturaliter est in ordine rerum, *ex causa definita gignitur*, id est, ex causa determinata producitur, præsertim quod ex intentione causatur. Casualia autem reducuntur ad causam per se. Per respectum quoque ad providentiam Creatoris, certus est ordo causarum. Hinc Plato : Nihil (inquit) fit cujus legitima causa non præcessit. Et in libro Job : Nihil in terra sine causa fit. *Job* v, 6. *Si malum incausale et infinitum*, id est, « si malum » causam non habet « et infinitum » est, id est indeterminatum ad genus et speciem, et infinitum ex parte materiæ, *non secundum*

naturam, id est, naturale non est. Unde alia habet translatio : Si malum causa et definitione caret, secundum naturam non est. *Neque enim in natura ejus contra naturam*, id est, id quod est contra naturam, non est in rei natura. Hinc alius textus clarius continet : Neque enim naturæ inest, quod est præter naturam. *Neque inartificialis in arte ratio*, id est, consideratio, « ratio » seu descriptio rei inartificiatæ, non cadit sub arte. Hinc et juxta Philosophum, infinitum non cadit sub arte : imo intellectus tale infinitum abhorret.

Igitur anima malorum causa, id est, anima rationalis per liberum arbitrium (in quantum facta ex nihilo, et defectiva ac labilis ex se) est causa culparum suarum in se, quamvis interdum a diabolo, carne et mundo tentata, instigetur ad vitia. *Sicut ignis calefaciendi*, id est, quemadmodum ignis est principium calefactionis in aliis : ita quod animæ sit naturale esse malam atque peccare, sicuti igni naturale est in se calidum esse et calefacere alia ; *et omnia quibuscumque vicina fuerit, malitia replet* ipsa anima talis, quantum sibi possibile fuerit. Istum errorem excludit, subdendo :

Bona quidem animæ natura, bonitate entis, et inclinatione naturali ad bona. Nam et ratio deprecatur ad optima. Synderesis quoque (quæ ponitur esse habitus primorum principiorum in operandis) et conscientia trahunt ad virtuosa. *Operationibus autem aliquando quidem sic habet*, id est, prudenter et virtuose se habet, *aliquando vero sic*, id est opposito modo, quoniam libere agit.

Si quidem et natura et esse ejus malum*, id est, si essentia et esse animæ naturaliter mala sunt, *et unde ei esse?* id est, a quo esse accepit? *Ex creatrice omnium exsistentium optima causa*, id est, ex summo bono esse sortita est. *Sed si ex ea, quomodo secundum essentiam malum?* id est, qualiter ipsa « secundum essentiam » suam iniqua et mala est, quum

* e

A illa essentia sit quædam imago et effectus et radius proprii Creatoris? *Bona enim omnia eadem egenita*, id est, « omnia » ex causa illa producta, sunt « bona » bonitate naturæ. *Si autem operationibus*, id est, si ex actibus suis facta est mala, *nec hoc est incommutabile*, id est, hoc est accidentale, emendarique potest durante hujus peregrinationis curriculo. *Si autem non sic, unde virtutes?* id est, si mutari nequit in melius, « unde » et qualiter præstantur ei « virtutes »? *Num*B*quid et deiformis est* facta?* quasi dicat : Aliquo modo « facta » et condita « est deiformis », tanquam ad imaginem et similitudinem Dei creata, sed in hoc multum proficere potest.

* deiformitate ejus

Gen. I, 26.

*Relinquitur ergo quod malum infirmitas et defectus boni sit**, id est, « quod malum » in veritate « sit defectus » et privatio « boni ».

* Relinquitur ergo malum... esse

Optimorum causa una, id est, quoniam « una » est « causa » fontalis omnium « optimorum », id est rerum valde bo-C-narum, *si optimo malum contrarium, mali multæ causæ*, id est, diversæ et plures sunt causæ malorum, ut patuit ; *non quidem factivæ malorum rationes et virtutes*, id est, causæ illæ « non » sunt « rationes » ac vires productivæ « malorum », ita quod mala formaliter sumpta, sint termini positivi ac reales effectus operationum, rationum viriumque illarum, *sed impotentia et infirmitas, et mixtura dissimilium immoderata*, id est, causæ illæ, secundum quod mala derivantur ab eis, D habent se per modum impotentiarum et debilitatum, ac compositionum ex dissimilibus immoderate, ita quod magis sunt causæ defectivæ quam effectivæ.

Neque immobilia et semper sic se habentia mala, id est, mala secundum quod talia, non sunt fixa et uniformia ac quieta, quum maxime distent a summo atque immobili ente ac ultimo fine ; *sed multa et infinita*, id est indeterminata ac inordinata, *et in diversa ferentia*, id est, moventia non in fines certos, sed in terminos

varium ac incertum. *Et his similibus multis et malis*, id est, hujusmodi finibus et terminis existentibus pluribus et iniquis; quamvis etenim multi, pessime contemnati, sint obstinati et quasi immobilitati in suis aversionibus finibusque perversis, loquendo in generali; in speciali tamen non figuntur in uno, sed in assiduis sunt cordium suorum tumultibus ac perstrepentissimae inquietudinibus, juxta illud:
Ps. cxi, 10 Peccator videbit et irascetur, dentibus suis fremet et tabescet. Hinc in Apocalypsi legitur: Cruciabitur iniquus igne et sulfure, et fumus tormentorum ejus ascendet in saecula saeculorum, et requiem non habebit die ac nocte. Apoc. xiv, 10, 11
Damnati namque et impii in nullo salubri stabiliti, de vitiis ad vitia dilabuntur, odiunt Deum, blasphemant, maledicunt, turbantur et furiunt. Hinc ait Psalmista: Deus meus, pone eos ut rotam, et sicut stipulam ante faciem venti. Ps. lxxxii, 14

ARTICULUS LIX

QUOD OMNIA BONI GRATIA FIANT, QUODQUE MALUM PER ACCIDENS SIT ET PRÆTER INTENTIONEM.

O*MNIBUS etiam malis principium et finis erit bonum*, id est, omnium actuum origo et finis est bonum aliquod, vel verum vel apparens. *Propter enim bonum omnia, et quæcumque bona, et quæcumque contraria*, id est, propter bonum operamur tam bona quam mala. *Etenim et hæc operamur bonum desiderantes*, id est, quodcumque etiam pravum facimus, aliquod bonum optando. *Nemo enim malum respiciens facit quæ facit*, id est, nullus agit quidquam considerando illud ut malum, sed sub ratione alicujus boni. Nil enim appeti potest nisi sub colore, apparentia rationeve boni. Idcirco in Proverbiis asseritur: Omnis via viri recta sibi videtur. Hoc quoque in Ethicis tangit Philosophus. Prov. xxi, 2

Propterea neque substantiam habet malum, id est, malum secundum quod malum, non dicit rem ratam, *sed contra substantiam*, id est, aliquid signat quod est contra consistentiam entis vel bonitatis seu veritatis; *propter bonum*, id est, gratia seu intuitu boni saltem apparentis exhibitum, *et non ex se factum*, id est non factum vere ex bona radice seu habitu virtuoso, imo interdum ex passione, ignorantia, aut certe ex mera malitia, quæ tamen appeti nequit nisi ut bonum apparens.

Malo esse ponendum, id est, in malo statuendum esse desiderium, secundum pravorum et iniquorum æstimationem erroneam, *secundum accidens, et per aliud*, id est, non per se, sed per « accidens, et per aliud » contingit, puta ex prævia aliqua deceptione, obtenebratione, inconsideratione seu inadvertentia, *et non ex principio proprio*, id est recta ratione aut intellectu sincero, nec ex cognitione priorum principiorum innata, sed falsa subsumptione.

Itaque quod factum est, id est, id quod gestum est aut prolatum, *rectum quidem esse putandum, quia ex bono esse putandum*, id est, idcirco putatur rectum, quia putatur « ex bono » venisse principio aut motivo, *quia propter bonum fit*, id est, faciens indicat se illud « propter bonum » egisse; *veritate autem non rectum esse*, id est, contingere potest quod revera non sit rectum. *Quamobrem quod non bonum, bonum arbitramur*, id est, ob hoc judi-

camus esse bonum, licitum, virtuosum, quod non est tale, et ita ex errore procedimus. Hinc teste Philosopho, imo et magno isto Dionysio, Omnis peccans est errans : et quamvis non erret in universali, errat tamen in particulari, cæcatus aliquo modo in judicando circa certum eligendum et operandum, aut refutandum ac evitandum. A

Ostenditur aliud concupiscibile, et aliud factum : id est, sicut concupiscentia seu desiderium, et opus seu exsecutio diversificantur, ita concupiscentia et factum interdum realiter ab invicem differunt ; quandoque vero materialiter idem sunt, dum quod primo desideratur, postmodum opere exercetur.

* igitur *Non ergo* malum est ex via*, id est ex peregrinatione præsenti tanquam ex causa necessaria, totali et directa, quamvis peregrinatio ista multis malis permisceatur,
Ps. cxli, 4. juxta illud in Psalmo : In via hac qua ambulabam, absconderunt laqueum mihi.
Gen. xlvii, 9. Et Jacob in Genesi : Dies, inquit, peregrinationis meæ super terram parvi et mali. *Neque est ex visione* : quanquam in
Jer. ix, 21. Jeremia legatur, Mors ingressa est per fenestras nostras. Si enim visioni non adsit consensus illicitus, non est scelus. *Neque ex natura*, quæ regitur ab agente infallibili, et non errante, nec directe est causa mali, sed ex particulari defectu, *neque ex causa* efficiente, sed deficiente, *neque ex principio*, id est ex agentis potentia, *neque ex fine*, id est causa finali, *neque ex termino* ad quem, *neque ex consilio*, tanquam realis effectus, quamvis scri-
Ps. i, 1. ptum sit : Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum. Et per Isaiam Domi-
Is. xxx, 1. nus dicit : Væ, filii desertores, ut faceretis consilium, et non ex me. *Neque ex substantia*.

Per hæc omnia non vult sanctus pater hic affirmare nisi quod malum non sit formaliter ullus positivus effectus, vel entitas aliqua, et quod non sit aliquod principium malorum effectivum, essentialiter malum. Hinc subditur :

Privatio ergo est malum, et defectus*, * igitur id est casus ab ente, *et infirmitas*, id est carentia laboris, *et immoderantia*, id est, excessus legis et modi ac ordinis, *et peccatum, et inconspicuum*, id est deordinatio quædam, *et informe*, id est indecorum,
B *et non vivens, et non intelligens, et irrationale*, id est, malum non est res aliqua vivens, intellectualis, rationem habens, ut posuerunt hæretici asserentes omnia corporalia et obscura a principio tenebrarum creata.

Et imperfectum, id est sine omni perfectione, *et incollocatum*, id est illocale, nec habitans in regione infinitæ tenebrositatis, *et incausale*, id est nullius entitatis productivum, quanquam vitia capitalia dicantur multos habere effectus dispositive
C seu concomitanter aut demeritorie, *et infinitum*, non sicut Deus, sed opposito modo, per carentiam finientis perfectionis, *et infecundum, et pigrum*, a divinis retardando, *et infirmum*, per carentiam totius firmitatis, *et inordinatum*, imo inordinatio ipsa, quamvis Deus ordinet illud per pœnam et ad multa utilia, *et dissimile* virtuti, nihil assimilationis habens cum Deo, quia nihil participat bonitatis divinæ, *et multum*, quia multum abundat, et unum trahit ad aliud, *et tenebrosum*,
D imo caligo, *et inessentiale*, nullam habens essentiam, *et hoc nunquam et nusquam nullum ens*, id est in nullo tempore nulloque loco tanquam reale quid. Toties ista exaggerat et resumit, ut stultissimum sceleratissimumque errorem prorsus elimine t.

ARTICULUS LX

MALUM NIHIL VALERE EX ADMIXTIONE BONI, NEQUE ESSE IDEM IN OMNIBUS.

DEINDE ostendit quod malum nec ex permixtione sui cum bono aliquid sit, possit aut operetur. *Quomodo autem omnino potest malum ad bonum ex mixtione?* id est, qualiter « malum » formaliter sumptum « potest » aliquid « ex mixtione » sui cum bono? vel quomodo potest cooperari directe ad bonum ex adjunctione sui cum bono? quasi dicat, Nequaquam. *Quod enim omni bono caret*, id est, quod nil boni participat, scilicet malum, *neque est quid, neque potest*, id est, nil penitus est, neque aliquid valet. *Etenim si bonum et ens est, et voluntarium*, id est, si poterit esse aliquid sapientialium, *et bene potens, et activum; quomodo poterit quid contrarium bono, et substantia et sapientia et virtute et operatione privatum?* id est, quomodo malum aliquid potest, quod caret subsistentia, sapientia, potestate et actione?

Non eadem omnibus, et omnino eadem A *secundum idipsum mala*; id est, eadem mala « non » sunt « omnibus » mala, neque quod uni malum est aut uno respectu, est malum omnino aut cunctis; sed « eadem mala » sunt « omnino » in « idipsum », id est unicuique in quo est eadem ratio ut hoc aut illud sit ei malum. *Dæmoni malum, contra deiformem intellectum esse*, id est defecisse a mente contemplativa consimili menti divinæ, et a clara ac amorosa contemplatione divinorum, et corruisse ad phantasiam proter- B vam, amentem furorem, et irrationabilem concupiscentiam. *Animæ malum contra rationem*, id est rationem rectam reliquisse, præsertim rationem fide ornatam, ac divinæ legi subjectam. *Corpori, contra naturam*, id est, corporis malum est non esse animæ bene obediens, sed eam per gulam et luxum fœdare, innaturaliterque ignobilitare.

ARTICULUS LXI

QUOD DIVINA PROVIDENTIA MALIS BENE UTATUR, PROPRIEQUE SINGULIS REBUS CONSULAT.

QUOMODO *autem omnino mala, Providentia existente?* tanquam dicat : Videtur quod divina providentia merito excluderet mala, si esset.

Non est malum, si malum neque existens, neque in existentibus, id est, quum malum non sit ens, neque quid positivum in entibus, non est utique quid reale; *et nihil existentium improvisum* a Deo,
Hebr. 4, 13 cujus oculis omnia nuda sunt et aperta. C *Neque enim est malum ξν conspicuum, subsistens bono*, id est, ens patens et evidens, in bono consistens. *Et si nullum existentium*, id est, si non est de numero entium, *non particeps boni, malum autem defectus boni*, id est privatio boni, *nihil autem existentium privatur universaliter bono*, id est totaliter ac generaliter; *in omnibus existentibus divina providentia*, id est, providentia Dei posita

est et dominatur in cunctis quæ sunt, *et* A *nihil existentium non provisum*, ut dictum est.

Deinde ostendit cur providentia Dei non excludit mala totaliter. *Sed et factis malis optime et pulchre Providentia usa est*, id est, iniquis operibus transgressorum providentia Dei sapientissime usa est, *aut nostram aut aliorum formationem aut utilitatem*, id est ad instructionem fidelium seu aliam hominum commoditatem. Nempe ut asserit Augustinus, tam bonus et sapiens est Deus, quod non permitteret fieri mala, nisi sciret et posset inde elicere bona. Ecce quam incomparabiliter enorme scelus fuit Christi occisio, et quam ineffabiliter magnum bonum consecutum est inde, puta totius mundi redemptio. *Et proprie unicuique existentium providet :* quia non solum habet providentiam generalem rerum quantum ad genera et species, vel quantum ad superiora et respectu rationalium creaturarum ; sed providentia et cognitio ejus pertingit usque ad minima distinctissime et complete, juxta illud Job : Universorum finem ipse considerat, et omnia quæ sub cœlo sunt, respicit. (Job xxviii, 3, 24.)

Propter quod et vanam aut disceptantem multorum non recipimus rationem, id est, non approbamus argumentationem multorum et contentiosam disputationem, *qui oportere aiunt Providentiam et invitos nos in virtutem ducere*, id est, qui arguunt sic : Si Deus habet providentiam de quolibet specialem, et ipse omnipotens sit, ergo unumquemque salvaret etiam vel D invitum. Etenim voluntati ejus quis resistet? (Rom. ix, 19.) Qui per Jeremiam fatetur : Quis similis mei ? et quis sustinebit me ? et quis est iste pastor qui resistat vultui meo ? (Jer. xlix, 19, l, 44.) *Corrumpere enim naturam, non est Providentiæ*, id est, nequaquam spectat ad providentiam supersapientissimi Creatoris, sua provisione naturas rerum corrumpere : quod faceret, si creaturas liberi arbitrii sua motione et directione necessitaret ad bene vivendum, quum naturale sit ipsis libere, non coacte, moveri, nec esset ipsis meritorium sic moveri et invite impelli.

Unde ut Providentia uniuscujusque naturæ salvatrix, id est, idcirco providentia Dei, tanquam actrix et conservatrix cujuslibet naturæ creatæ, *per se ipsos motorum ut per se ipsos motorum providet*, id est, B providentialiter regit motos per se, ut congruit talibus. Hinc alia translatio clarius ait : « Eis qui per se moventur, ut qui libero aguntur arbitrio providet ». *Et omnia, et ea per singula, similiter universo*, id est, universa ac singula dispensat secundum quod congruit toti ordini rerum ac mundo, in hoc similiter omnibus influens, quod singula moderatur juxta propriam naturam et dispositionem quorumlibet. Hinc additur :

Et unicuique quantum provisorum natu- C *ra recipit totius et largissimæ providentiæ editas proportionaliter unicuique providas bonitates :* id est, providentia Dei impertitur et influit « unicuique » creaturæ « bonitates providas », id est dona sapienter prævisa, « providentiæ » suæ « largissimæ et totius », id est perfecte, « editas proportionaliter unicuique », id est communicatas unicuique juxta suam analogiam et mensuram, « quantum natura provisorum », id est rerum providentiæ subjectarum, « recipit », id est, capax est et admittit. Ideo in Sapientiæ libro de summa Sapientia scribitur : Attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter. (Sap. viii, 1.) Hinc in libro de Causis asseritur : Causa prima implet omnia sæcula bonitatibus ; veruntamen omne sæculum non recipit inde nisi secundum modum virtutis suæ.

ARTICULUS LXII

MALUM NON ESSE REM ALIQUAM, NEQUE POTENTIAM, SED INFIRMITATEM.

* igitur

NON *ergo* * *est malum*, id est, nulla res A est substantialiter mala, *neque in existentibus malum*, id est, malum non est in rebus tamquam quid positivum. *Non omnino enim malum, ut et malum*, id est, malum secundum quod tale, nequaquam est, *ut fieri malum, non secundum virtutem, sed per infirmitatem*, id est, « fieri » aut facere « malum » non est virtutis, sed infirmitatis, loquendo de malo formaliter ; et qui potest quod sibi non expedit, quanto plus potest hoc, tanto infirmior est.

Et daemonibus, quod quidem sunt, et ex bono, et bonum, id est, « bonum » est esse ipsorum, « et ex « summo « bono » datum est ipsis. *Malum autem ipsis, ex propriis bonis casus*, id est, malitia et miseria eorum accidit ipsis ex ruina qua corruerunt a donis eis desuper praestitis, *et mutabilitatem, circaque similitudinem et habitum infirmitas*, id est instabilitates et imbecillitates adjunctae naturali similitudini eorum qua ad Dei similitudinem conditi sunt, atque habitui ipsorum scientiali eis concreato, seu per experientiam acquisito : quae infirmitas est imperfectio et debilitatio *connatae ipsius* * *angelicae perfectionis*, id est naturalis perfectionis concreatae personis angelicis. *Et appetunt bonum, secundum quod et esse et vivere et intelligere substituuntur*, id B est, naturali appetitu cupiunt bonum, in quantum sunt substituti et collocati in rerum natura, ut sint, vivant et intelligant. *Et si non appetunt bonum, id quod non est appetunt*, utpote malum ; *et non erit hoc appetitus, sed vere appetitus peccatum*, id est defectus et casus potentiae quae vere et merito appetitiva vocatur.

* cognatae ejus

ARTICULUS LXIII

AN ETIAM SCIENTER PECCARE SIT EX INFIRMITATE ; ET TOTIUS CAPITULI EPILOGUS.

IN *scientes autem peccantes, vocant Eloquia, circa non latentem boni scientiam aut actionem infirmos*, id est, Scripturae appellant eos qui peccant scienter, « infirmos circa scientiam » et « actionem boni non latentem », id est non incognitam eis. Ipsorum namque cognitio et actio bona tam imbecillis est, quod tentationibus, passionibusque vitiisque superantur. De quibus scriptum est : Dicunt se nosse Deum, factis autem negant, quum sint C abominati et reprobi. Isaias quoque ait : Sapientia tua et scientia tua decepit te. *Et scientes voluntatem, et non facientes* : id est, etiam eos qui sciunt Dei « voluntatem » atque praecepta, nec implent : hos, inquam, Scriptura vocat infirmos circa notitiam Dei. Unde et Dominus apud Lucam loquitur : Servus qui cognovit voluntatem domini et non fecit, plagis vapulabit multis. Horum scientia est informis ac debilis, et gravat peccatum, juxta il-

Tit. I, 16.
Is. XLVII, 10.
Luc. XII, 47.

Jacob. IV, 17. lud Jacobi : Scienti bonum facere et non facienti, peccatum est illi. Porro sciens et implens, scientiam habet formatam et fortem, ac fortis vocatur, secundum illud Prov. XXIV, 5. Proverbiorum : Vir sapiens fortis est ; et vir doctus, robustus ac validus.

Auditores quidem, infirmos aut circa fidem aut operationem boni : id est, Scriptura « auditores » quosdam verbi cœlestis nominat spiritualiter « infirmos » seu impotentes « circa fidem » (qui ut in Luc. VIII, 13; Matth. XIII, 21. Evangelio legitur, ad tempus credunt, sed in tempore persecutionis aut tentationis deficiunt et recedunt), « aut » circa « boni operationem », quorum fides quum sit Jacob. II, 17, 26. sine operibus, mortua est in se ipsa. *Et imprudentiam quibusdam convenire benefaciendo, per falsam conversionem aut infirmitatem voluntatis :* id est, Scriptura quoque testatur quibusdam inesse insipientiam ob hoc et per hoc quod non convertunt se ad Deum et ejus obsequium corde vero ac firmo, toto et integro, juxta Joel II, 12. illud Joelis : Convertimini ad me in toto Josue XXIV, 14. corde vestro. Ideo alibi scriptum est : Timete Dominum, et servite ei corde perfe- Hebr. X, 22. cto atque verissimo ; et alibi : Accedamus ad Deum cum corde vero, in plenitudine fidei, adspersi corda a conscientia mala.

Et sic omnino malum, ut sæpe diximus, infirmitas et impossibilitas, et defectus est aut scientiæ, aut errantis scientiæ, aut fidei, aut desiderii, aut operationis boni : quod totum jam frequenter expositum est.

Et quidem, dixerit quis, non vindicabile infirmitas, econtrario vero concessibile : id est, aliquis posset objicere his, dicendo quod infirmitas non est culpabilis, idcirco nec punienda, sed potius condonanda seu ignoscenda : ergo malum non videtur esse infirmitas, quum malum sit puniendum seu vindicandum.

Si quidem non licitum erat posse, bene se haberet ratio, id est, argumentatio ista bene procederet, si ipsum posse esset illicitum. *Si autem ex bono posse,* id est, « si » illud « posse » est « ex » summo « bono »,

A *dante (juxta Eloquia) ea quæ sunt operativa* * *omnibus simpliciter,* id est, quod * opportuna summum bonum, juxta Scripturas, dat cunctis creatis vires agendi (juxta illud Apostoli : Non est potestas nisi a Deo ; et Rom. XIII, 1. illud Deuteronomii : Memento Dei, quod Deut. VIII, 18. ipse tibi vires præbuerit) ; *non laudabile ex boni propriorum bonorum habitu peccatum, et irrationabilis conversio, et fuga, et casus,* id est malum istud quod est « conversio » seu potius aversio inordinata et recessus ac lapsus a tali posse desuper B dato, secundum quod inde collatum est, et ab « habitu boni », id est a possessione et habitione perfectionis, « bonorum propriorum » naturalium, præsertim naturalis legis ac rationis et habituum ei innatorum.

Sed hæc quidem a nobis in his quæ sunt de justa et divina justificationis observantia, satis secundum virtutem dicta sunt, id est, de his diximus « satis » in capitulo seu tractatu « de observantia justificationis divina et justa, secundum vir- C tutem », id est, prout nobis fuit possibile. Alia littera habet : In his quæ sunt de justitia et divino judicio. *Secundum quam sacram actionem,* videlicet justificationis observantiam, *Eloquiorum veritas sophisticas et veritatem et falsitatem contra Deum loquentes infirmavit tanquam perverse sapientes rationes,* id est, Scriptura veritatis infirmas et inanes ostendit « rationes sophisticas loquentes contra Deum veritatem et falsitatem ». Aliæ duæ translationes habent, Injustitiam et mendaci- D um ; et sic littera est planior. Potest nihilo minus ita exponi, quod illi qui alios nituntur decipere, atque ad persuadendum suos errores assumunt et applicant aliquas auctoritates et veritates philosophicas aut theologicas, loquuntur contra Deum non solum falsitates, sed etiam veritates quibus male utuntur.

Nunc autem, quantum secundum nos, sufficienter laudatur bonum, id est, in Epilogus isto tractatu, prout a nobis fieri potest,

« sufficienter » seu competenter « laudatur » summum « bonum », *ut vere solitarium, ut principium et finis omnium*, id est tanquam vere incomprehensibile bonum, et causam sui non habens, et ut universorum principium atque finis; *ut continentia*, id est virtus contentiva et conservativa, *consistentium*, juxta illud in hymno Horarum, Deus tenax vigor; *ut formatrix non existentium*, id est ut formativum et productivum eorum quæ ante non erant: quippe qui vocat ea quæ non sunt, tanquam sint, ita quod esse incipiunt, et producta sunt; *ut omnium bonorum causale*, id est ut causativum omnium bonorum; *ut malorum non causale*, secundum quod mala sunt, malorumque culpæ. (Rom. IV, 17)

Laudatur quoque *ut providentia et bonitas universalis* per efficientiam et influentiam, *et superans consistentia et non existentia sua dignitate, et mala et suam privationem bonum facientem*, id est, carentiam suæ gratuitæ præsentiæ seu privationem participationis suæ bonitatis, convertentem in suam gratiosam præsentiam et in actualem seu participationem, ita quod tali privationi gratiæ, habitus talis seu bonum succedit hujusmodi. Juxta quem modum loquendi, scriptum est in Amos: Dominus convertens tenebras in mane, et diem in noctem mutans. (Amos V, 8) Hinc alia habet translatio: Sui ipsius privationem in bonum convertens. Quod summum bonum est *omnibus appetibile et amabile et delectabile* incomparabiliter nimis. *Et quæcumque alia in his palam vere intendit (ut arbitror) ratio*, id est, consimilia perfectionalia prædicata competunt Deo, « quæcumque ratio » naturalis aut ratiocinatio ex Scripturis accepta « ostendit » manifeste de eo.

TRANSLATIO MARSILII FICINI

AGE igitur, ad ipsam appellationem boni explicandam jam pergamus, quam theologi Deitati plusquam divinæ ex omnibus excellenter attribuunt, ipsam Divinitatis principem (ut arbitror) exsistentiam, bonitatem appellantes: quippe quum eo ipso quod est bonum, utpote quod substantiale bonum est, bonitatem in omnia quæ sunt diffundat. Nam quemadmodum hic sol nobis conspicuus, nec cogitatione nec electione, sed eo ipso quod est, illuminat omnia quæ pro modo suo participationem lucis admittunt; sic et ipsum bonum, non aliter solem superans quam exemplar primum exilem excellenter antecellit imaginem, ipsa sua exsistentia per ea quæ sunt omnia, pro sua cujusque capacitate, bonitatis suæ radios abunde diffundit.

Per ipsos bonitatis divinæ radios subsistunt omnes intelligibiles intellectualesque essentiæ et virtutes et actiones. Per eosdem sunt et vivunt, vitamque indeficientem et indiminutam habent, ab omni videlicet corruptione et morte ac materia generationeque segregatæ, et ab instabili fluxaque et alias aliter agitata transmutatione semotæ. Jam vero tanquam incorporeæ immaterialesque substantiæ, munus id nactæ sunt ut intelligibiles essent; atque insuper tanquam intellectus, supra mundanam conditionem intelligunt; rationes quin etiam rerum ipsarum illustratione divina tanquam peculiares reportaverunt; eorumque ad illa quæ sibi cognata sunt, sua dona trajiciunt. Ab ipsa quoque bonitate perseverantiam habent et firmitatem, atque inde continentur custodiunturque, domiciliumque illinc habent pabulumque bonorum. Atqui bonitatem ipsam amantes, ut et sint beneque sint inde sibi vindicant; atque ad illam pro viribus

conformatæ, bonitatis speciem præferunt; atque ut divina lex dictat, sequentibus donorum ex ipso bono provenientium consortium exhibent. Inde illis adsunt mundo superiores ordines, uniones susceptionesque mutuæ, inconfusæ quoque distinctiones; virtutes etiam inferiora revocantes ad superiora, superiorum quin etiam ad inferiora providentia multiplex, propriarum cujusque virium conservatio; immutabiles præterea in se ipsas revolutiones, item identitates summitatesque circa boni ipsius amorem; et quotcunque alia dicta sunt a nobis in libro de Proprietatibus et ordinibus angelorum. Denique quæcunque cœlestis hierarchiæ propria sunt, ipsæ scilicet purgationes angelicæ, illustrationes quoque supermundanæ, et perfectionis consummationes angelicæ, id sane totum ex ipsa omnium causa et principali bonitate procedit: unde et illis boni indoles est indulta, munusque tributum quo occultam illam in se ipsa bonitatem ipsæ in se patefacerent, angelique exsisterent, tanquam divinum silentium nuntiantes, et quasi conspicua quædam lumina, tanquam e vestibulo bonum ipsum in adytis latens sequentibus declarantia. — Post sacros illos sanctosque intellectus, animæ omniaque animarum bona per ipsam consistunt bonitatem plusquam bonam. Inde virtutem intellectualem habent, inde essentialem vitam immortalem; inde, quod ipsa essentia potentiaque ad angelicas vitas adspirant; inde, quod per angelos tanquam bonos duces, revocantur ad ipsam bonorum omnium principem bonitatem, splendorumque inde micantium pro modo suo compotes evadunt, atque doni ipsius ad boni speciem pertinentis, pro viribus participes fiunt; illinc denique, quotcunque alia in his quæ scripsimus de anima, numeravimus.

Præterea, si de animabus irrationalibus animalibusve hic loqui licet, quæ vel aerem dividunt, vel per terram gradiuntur, vel serpunt humi, vel in aquis vitam sortita sunt, aut in aqua vicissim atque terra, vel sub terra insita pressaque luto vivunt, et simpliciter quæcunque sensualem animam aut vitam habent, hæc (inquam) omnia insuper per ipsum bonum consecuta sunt ut animarentur et viverent. Plantæ item omnes vitam nutritivam motricemque ab ipso bono sortitæ sunt. Et quæcunque essentia animæ vitæque expers est, per ipsum bonum est, atque per idem essentialem habitum reportavit. Si autem ipsum bonum est super omnia quæ sunt, ut certe est, nimirum ipsum quod illic est informe, format omnia; et in ipso solo, quod dicitur expers essentiæ et vitæ et intelligentiæ, est excessus essentiæ et eminentissima vita excellentissimaque sapientia; et quotcunque in ipso bono, modo quodam informium nominantur, ad potestatem pertinent sublimiorem formis, formas excellenter efficientem. Denique, si dictu fas est, ipsum quoque non ens appetit ipsum bonum omnibus quæ sunt excelsius, contenditque quodammodo ipsum quoque in bono esse essentia prorsus superiori, per negationem quamdam omnia inde tollentem. — Verum (quod in medio disputationis cursu nos effugerat) bonum ipsum causa est cœlestium principiorum atque definitionum, hujus videlicet substantiæ quæ nec augeri nec minui nec omnino variari potest; causa rursum ut celerrimus motus orbis immensi, ut ita dixerim, sine strepitu peragatur. Hinc præterea siderum ordines, decores, lumina, firmitates; hinc planetarum permutatio multiplex; hinc solis et lunæ, quæ magna luminaria sacræ Litteræ *Gen.* I, 16.
nominant, circuitus ab eisdem ad eadem perpetuo restitutus. Quibus sane restitutionibus apud nos dies et noctes mensesque et anni definiuntur: quæ quidem definitiones reliquos orbiculares motus tam temporis quam temporalium, determinant numerantque et ordinant atque continent.

Quid autem de ipsa dicam secundum se luce solari? Lumen sane ex ipso bono est, atque bonitatis imago: quapropter ipsum bonum, luminis cognomento laudatur, tanquam in imagine quadam exemplar impressum. Ipsa quidem transcendentis omnia

Deitatis bonitas a supremis antiquissimisque substantiis ad infimas usque pertingit, atque interim exstat super omnes, dum neque superiores essentiæ eminentiam ejus supergrediuntur, neque inferiores quin ab ipsa contineantur, effugiunt. Sed et illuminat quæcumque lumen admittere possunt, et fabricat vivificatque atque continet et perficit omnia. Rerum quoque omnium mensura est et ævum, et numerus atque ordo, custodia, causaque et finis. Simili forme ratione evidens divinæ bonitatis imago, magnus hic sol omnino semperque lucens, pro exigua boni similitudine, quæcumque lumen accipere possunt illuminat, habetque lumen per omnia eminenter explicitum, et per omnem hunc visibilem mundum supra pariter atque infra radiorum suorum splendores expandit. Si quid vero relinquitur lumine destitutum, id sane nec debilitati nec parvitati luminosæ distributionis est imputandum, sed his potius quæ inepta luci percipiendæ, ad participationem luminis attollere se non valent. Jam vero radius multa sic affecta pertransiens, quæ post ea sunt illuminat, nihilque visibile usquam est quod ob excellentem lucis propriæ magnitudinem non attingat. Præterea ad ipsam quoque sensibilium corporum generationem confert, eaque ad vitam movet, nutritque et auget, perficit, purgat, renovat. Mensura quoque et numerus horarum atque dierum totiusque nostri temporis est ipsum lumen. Ipsum namque lumen est, etsi tunc adhuc
Gen. I, 5, 14. erat infiguratum, quod divinus Moyses ait primam illam dierum nostrorum trinitatem ab initio distinxisse.

Bonitas ad se convertit omnia, primaque ipsa bonitas dispersa omnia congregat tanquam unitatis principium et unifica Deitas, atque hanc omnia tanquam principium, tanquam continentiam, tanquam finem appetunt. Bonumque ipsum est, ut sacra
Rom. XI, 36. tradunt Eloquia, ex quo subsistunt omnia, productaque sunt inde velut a causa omnium perfectissima, et in quo omnia constant, tanquam in omnipotenti fundamento penitus conservata. Ad quod omnia convertuntur, tanquam ad suum quæque finem; quod videlicet cuncta desiderant, intellectualia quidem rationaliaque, cognitrice quadam conditione, sensualia vero, sensuali; quæ autem sensu carent, ingenito vitalis desiderii motu; et quæ sunt expertia vitæ solaque sunt essentia prædita, sola quadam ad essentialem participantiam aptitudine. Eadem et evidentis imaginis ratione, lumen quoque congregat et convertit ad se ipsum omnia quæ vident, quæ moventur, quæ illuminantur, quæ calefiunt, quæve omnino ab ejus radiis continentur. Quapropter sol græce Ἥλιος appellatur, quod congregabilia reddat omnia concilietque dispersa. Omnia solem sensibilia concupiscunt, videlicet videre, aut moveri, et illuminari atque calefieri, et omnino ab ipso lumine contineri desiderantia. Neque vero hoc in præsentia dico antiquorum sequens opinionem, putantium solem esse deum et opificem universi, et idcirco patentem hunc oculis mundum ratione propria gubernare; verum
Rom. I, 20. hoc ideo dixi, quoniam invisibilia Dei a creatura mundi per ea quæ facta sunt intellecta, conspiciuntur, sempiterna quoque virtus ejus atque divinitas.

Sed hæc quidem ad Theologiam symbolicam, id est significativam, pertinent. In præsentia vero intelligibilem ipsius boni appellationem a lumine ductam celebrare debemus. Bonum quidem ipse lumen intelligibile nuncupatur, quoniam intellectum omnem supercœlestem lumine implet intelligibili; atque ex omnibus animabus quibus se ipsum infuderit, ignorantiam omnem erroremque expellit, easque sacri luminis participes efficit. Intellectuales harum oculos purgat, obductamque ex ignorantia caliginem discutit, atque profundo tenebrarum pondere obtusos suscitat explicatque in lucem. Primum quidem his mediocre lumen impertit. Deinde, postquam animæ gustantes lumen, ardentius ipsum amare cœperunt, uberius affluit; ideoque illuminat abundantius, quoniam plurimum dilexerunt; atque ita semper incendit, ut gradatim

ultra proficiant, quatenus sursum pro viribus se attollere valent. Ipsum ergo bonum lumine quovis excelsius, lumen intelligibile nuncupatur, tanquam fontana lux et exuberans profusio luminis, intellectum omnem supermundanum, circamundanum, intermundanum, sua illuminans plenitudine, totasque intellectuales horum vires renovans; et omnes denique intellectus comprehendens eo ipso quod se super eos expandat, atque omnes excedens eo quod desuper exsistat; et omnino tanquam principium luminis super lumen, auctoritatem dominationemque omnem potestatis illuminantis in se complectens et excedens atque antecedens. Jam vero intellectualia rationaliaque omnia congregat atque conciliat. Nam quemadmodum ignorantia eos qui decepti sunt, dividit; sic ipsa intelligibilis præsentia luminis eos qui illuminantur, congregat, unit, perficit, convertit quoque ad ipsum quod vere est ex opinionum diversitate, variasque visiones, sive (ut rectius loquamur) imaginationes, in unam veram, puram, uniformem cognitionem cogit, ac uno tandem et unifico lumine complet.

Hoc ipsum bonum a sanctis theologis, ut pulchrum et pulchritudo, item ut dilectio et diligendum laudatur, et quæcumque aliæ appellationes divinæ pulchritudinem illam decent gratiosissimam et omnis pulchritudinis auctorem. Pulchrum vero et pulchritudo in causa illa quæ in uno omnia colligit, distinguenda non sunt. Hæc enim in rebus quidem post Deum omnibus, etiam intelligibilibus, in participationes participantiaque dividimus : pulchrumque nominamus quod est particeps pulchritudinis; pulchritudinem vero, participationem quamdam causæ primæ pulchra omnia facientis. Ipsum vero superessentiale pulchrum, pulchritudo quidem dicitur, propter illam quam rebus omnibus (pro suo cujusque modo) pulchritudinem tradit, atque ut omnium concinnitatis nitorisque causa, luminis videlicet instar cunctis coruscans fontani radii sui derivationes, omnia passim pulchra reddentes, et tanquam ad se omnia vocans (unde et a vocando, pulchritudo Græce κάλλος cognominatur), ac denique tota in totis in unum colligens. Appellatur et pulchrum, tanquam universam comprehendens pulchritudinem, atque superpulchrum semperque et secundum eadem et eodem modo pulchrum : nec unquam ortum, neque caducum; nec adauctum, neque diminutioni subjectum; nec partim quidem hac pulchrum, illa vero turpe; nec alias quidem pulchrum, alias vero nequaquam; nec ad hoc pulchrum, ad illud turpe; nec hic quidem ita, ibi vero aliter; nec his sane formosum, illis autem deforme : sed tanquam ipsum secundum se ipsum, secum ipso, uniforme semper exsistens pulchrum, atque ut universi pulchri fontanam pulchritudinem in se ipso eminenter anticipans. In ipsa enim simplici et excelsa pulchrorum universorum natura, omnis pulchritudo et omne pulchrum uniformiter secundum causam præexsistit.

Ex hoc ipso pulchro omnibus quæ sunt inest ut pro modo suo sint pulchra; atque propter ipsum pulchrum omnium congruentiæ amicitiæque et communiones unionesque proveniunt. Idque omnium est principium, ut causa efficiens et movens et continens universa, pulchritudinis videlicet sui ipsius amore. Est et finis omnium cunctisque amabile tanquam finis : omnia enim pulchri gratia fiunt. Exemplaris quoque causa est : omnia enim per pulchrum definiuntur. Quamobrem idem est pulchrum ipsum atque bonum : quoniam omnia pulchrum pariter atque bonum secundum omnem causam appetunt, nec quidquam est in rerum ordine, quod non sit pulchri bonique particeps. Audebimus quoque dicere, ipsum etiam non ens, pulchri bonique compos exsistere. Tunc enim et ipsum est pulchrum atque bonum, quando in Deo per omnium ablationem supra modum essentiæ celebratur. Hoc ipsum bonum unum atque pulchrum, unice * causa est multorum omnium pulchrorum atque bonorum. Ex * unica
hoc omnes rerum essentiales subsistentiæ, uniones, discretiones, identitates, alteritates,

similitudines, dissimilitudines; præterea discretorum communiones, unitorum inconfusas proprietates; superiorum providentiam, rerum ejusdem ordinis consortia mutua, conversiones inferiorum; omnium interea suimet conservatrices immutabilesque mansiones atque firmitates; rursus omnium in omnibus pro sua cujusque proprietate communiones et congruentias mutuasque amicitias, consonantiasque universi; atque omnes in universo tum eorum quæ revera sunt contemperantias indissolubilesque nexus, tum eorum quæ fiunt perpetuas successiones; denique status omnes motusque mentium, animarum, corporum: status enim est omnibus atque motus, quod omni statu motuque superius exsistens, rem quamlibet in ratione propria firmat, et ad propriam dirigit motionem.

Sic intellectus divini circulo quidem moveri dicuntur, dum pulchri bonique splendoribus principio et fine carentibus conjunguntur; recta vero linea, quando ad inferiorum providentiam prodeunt, recta omnia peragentes; obliqua vero, quoniam dum sequentibus provident, nunquam a propria identitate discedunt, videlicet circa pulchrum atque bonum identitatis causam, indeficientem choream agentes. — Animæ vero motus circularis quidem est ingressus in se ipsam ab externis, atque intellectualium ejus virium glomeratio uniformis velut circulo quodam acta, munus non errationem ei largiens, eamque a multis extrinsecus circumfusis divertens atque colligens primo quidem in se ipsam, secundo tanquam uniformem jam effectam, singulariter unitis potestatibus copulans, tertio hinc ad pulchrum bonumque perducens quod super omnia quæ sunt est unum atque idem, neque principium habens neque finem. Oblique vero movetur anima, quatenus divinis subrutilat notionibus pro sua duntaxat proprietate susceptis, non intellectuali quidem stabilique sorte, sed rationali discurrentique conditione, transeuntibus scilicet actionibus atque permixtis. Linea vero recta movetur, quando non ingreditur in se ipsam, nec intellectuali uniformique proprietate movetur (hoc enim est, ut dixi, circuitum agere), sed ad externa procedens, ab eis velut a signis quibusdam variis multiplicibusque, ad simplices et unitas contemplationes erigitur.

Ipsum bonum atque pulchrum omni statu motuque superius, auctor est et conservator et finis harum trium in mundo motionum atque etiam sensibilium, multoque prius uniuscujusque mansionum et statuum atque firmitatum: per quod sane bonum atque pulchrum status omnis ac motus exsistit; ex quo, et in quo, et ad quod, et cujus gratia hæc omnia fiunt. Jam vero ex ipso atque per ipsum, essentia vitaque omnis intellectus et animæ naturæque exsistit: præterea parvitates, æqualitates, magnitudines; mensuræ omnes, proportiones rerum, congruentiæ, commixtiones; integritates, partes; quodlibet unum, quælibet multitudo; partium nexus, omnis multitudinis uniones, integritatum perfectiones; quale, quantum, quotum ejusmodi, infinitum; conjunctiones, discretiones; omnium infinitudo, omnis terminus, fines omnes; ordines, excessus, elementa, species; quælibet essentia, quævis potentia, omnis actio, habitus omnis, sensus, ratio, intelligentia, tactus, scientia, unio. Atque simpliciter, quidquid est, ex pulchro bonoque exsistit, et in pulchro bonoque consistit, et ad pulchrum bonumque convertitur. Nempe quæcumque sunt et vivunt, propter pulchrum bonumque sunt et fiunt: ad ipsum enim omnia spectant. Ab eodem moventur et continentur. Præterea ipsius gratia, et per ipsummet, et in eodem, est omne principium exemplare, perficiens, efficiens, speciale, elementale. Et simpliciter, omne principium, quælibet conservatio, unusquisque terminus, sive ut summatim dicam, quæcumque sunt, ex pulchro sunt atque bono: imo et quæ non sunt, ratione quadam plusquam essentiali in pulchro bonoque consistunt. Ipsumque est omnium principium atque

finis super omnem principii finisque rationem : quoniam ex ipso, atque per ipsum, *Rom. xi, 36.*
et in ipso, atque ad ipsum omnia pendent, quemadmodum sacrum testatur Eloquium.

Ipsum ergo pulchrum atque bonum est omnibus appetibile, amabile, diligendum. Rursus, propter ipsum ejusque gratia, inferiora quidem amant superiora, se ad illa videlicet convertendo; quæ vero in eodem ordine sunt, communicando invicem, consortia diligunt; sed præstantiora, inferiora diligunt providendo; et singula semetipsa, se videlicet continendo. Cuncta denique, quidquid agunt atque volunt, boni pulchrique desiderio faciunt atque volunt. Audebit et hoc vera ratio dicere, ipsam omnium causam propter bonitatis exuberantiam omnia amare, omnia facere, omnia perficere, continere, convertere. Est profecto divinus amor bonus boni propter bonum. Ipse enim amor beneficus rerum auctor, quum antea in bono prorsus exuberaret, non permisit ipsum sine germine in se manere, sed ad agendum movit per excessum omnium genitorem.

Nemo vero nos arbitretur præter sacrarum Litterarum auctorem, amoris nomen colere. Est enim irrationabile, ut reor, atque absurdum, non vim ipsam instituti exspectare, sed dictionibus inhærere. Nec vero hoc est hominum divina volentium intelligere, sed sonos dumtaxat nudos aucupantium, eosque tantum ad aures observantium, interiora nequaquam penetrare neque nosse volentium quid potissimum talis significet dictio, et quemadmodum deceat eam per alia tantumdem valentia et apertiora verba nonnunquam exponere. Curiose namque versantur in elementis et lineis intellectu carentibus, et syllabis dictionibusque cognitionis expertibus, neque ad intellectualem vim animæ penetrantibus, sed extrinsecus circum labia auresque sonantibus : perinde ac si non liceat quaternarium numerum exprimere per bis duo, figuramque rectilineam per figuram lineas directas habentem interpretari, sive maternam humum per patriam declarare, vel aliud quodvis eorum quæ in pluribus orationis partibus tantumdem significant. Decet autem recta ratione considerare nos elementis, syllabis, dictionibus, scripturis, sermonibus uti sensuum gratia. Quapropter ubi noster animus intellectualibus actionibus ad intelligibilia se jam confert, superflui sunt cum rebus sensibilibus sensus : quemadmodum et vires intellectuales supervacuæ sunt, quum animus divinam indutus speciem per ignotam unionem, luminis inaccessibilis radios jam attingit perceptionibus quibusdam expertibus oculorum. Quando vero mens per sensibilia studet ad contemplativas intelligentias provocari, illi præ ceteris sensuum usus eligendi sunt, qui ad intelligenda planius introducunt, apertioresque sermones, et quæ inter visibilia videntur expressiora. Nisi enim expressa fuerint quæ sensibus occurrunt, ne ipsi quidem sensus sensibilia menti rite porrigere poterunt.

Ceterum ne hæc dicere videamur sacra Eloquia pervertentes, audiant illa qui in
appellationem amoris calumniantur : Ama illam, inquit, et servabit te; valla te illa, *Prov. iv, 6,*
atque extollet te; honora illam, ut te complectatur : et quotcumque alia a theologis *8.*
ratione quadam amatoria celebrantur. Jam vero quibusdam ex nostris sacrorum tractatoribus visum est amoris nomen, dilectionis caritatisve nomine divinius esse. Scribit
enim et divinus Ignatius : Meus amor crucifixus est. Atque in ipsis instructionibus ad *Epist. [illegible]*
sacra ducentibus, quemdam (id est Philonem) de divina sapientia dicentem audies :
Amator equidem formæ illius sum effectus. Quamobrem nomen hoc amoris minime *Sap. viii, 2.*
formidemus, neque nos ulla perturbet oratio ab hac appellatione deterrens. Mihi sane videntur theologi commune quidem arbitrari dilectionis amorisque nomen, sed propterea divinis amorem ipsum verum potius assignare, ut istiusmodi hominum absurdam præsumptionem feriant. Quum enim verus amor non solum a nobis, sed etiam a divinis Eloquiis, quemadmodum Divinitatem decet celebretur, vulgus tamen unifor-

ne illud appellatione amatoriæ capere minime potens, suo quodam amore ad particularem, corporeum atque divisum amorem est prolapsum : qui profecto non verus est amor, sed imago quædam, vel potius ab amore vero casus. Unitas enim ipsa divini utriusque amoris, a vulgari multitudine comprehendi non potest. Quamobrem quod multis nomen videtur ingratius, in divina sapientia ponitur, ad illos erigendos atque provehendos in amoris ipsius veri notitiam, atque ut inde minus amoris appellationi succenseant. Inter nos autem, ubi abjectiores ingenio nonnihil obscenum suspicari II Reg. I, 26. nonnunquam possint, vocabulo quod videatur honestius Scriptura utens, inquit : Cecidit dilectio tua super me, sicut dilectio mulierum. Apud illos autem qui divina recte audiunt, nomen dilectionis amorisque a sacris theologis in eadem potentia ponitur, ubi exprimere divina conantur. Est autem hæc ipsa virtus quædam unifica et connectens mixtioneque commiscens, in ipso quidem pulchro bonoque propter pulchrum bonumque primo consistens, deinde vero ex pulchro bonoque propter pulchrum atque bonum foras emicans, ubi sane quæ sunt ejusdem ordinis, alterna continet communione, priora vero ad inferiorum providentiam movet, inferiora denique conversione quadam superioribus alligat.

Præterea divinus amor excessum efficit, dum amantes sui juris esse non sinit, sed amatorum jubet existere. Idque declarant omnia. Nempe superiora inferiorum providentiæ sese dedunt, æqualia vero conservationi mutuæ mancipare se solent ; inferiora denique divinæ cuidam ad suprema conversioni se ipsa devovent. Quapropter et Paulus ille magnus, divino amore jam occupatus, traductoriaque amoris hujus virtute comGalat. II, 20. prehensus, ore divinitus afflato proclamat, Vivo jam non ego, vivit autem in me II Cor. V, 13. Christus ; tanquam verus amator, atque in Deo, ut inquit, extra se positus, vivensque jam vitam non suam, sed amatoriam, tanquam prorsus amabilem. Audendum quoque id insuper pro veritate loqui, ipsum etiam omnium auctorem, pulchro bonoque amore omnium, propter bonitatis amatoriæ vehementiam extra se prodire dum providet omnibus ; atque bonitate et dilectione et amore quasi mulcetur, atque ex illo statu quo super omnia exstat ab omnibus segregatus, ad id profecto ut in omnibus sit, deducitur per supersubstantialem videlicet virtutem illam quæ traducit quidem ipsum interim a se ipso nusquam digredientem. — Quamobrem divinarum rerum periti, zeloten illum appellaverunt, ut amore benigno erga omnia prorsus exuberantem, excitantemque ad amatorii desiderii sui zelum desideriumque, ipsum declarantem zelo dignum : quo etiam quæ desiderabilia ipsi sunt promerentur et zelum ; atque ipse ad illa quæ providet, zelo quodam videtur affectus. Denique ipsum quod est amabile ipseque amor, pulchri bonique est, et in pulchro bonoque priorem habet sedem, [et] exsistit efficiturque propter pulchrum atque bonum.

Quid vero theologi sibi volunt quum aliquando quidem Deum amorem dilectionemque vocant, aliquando vero amabilem atque diligibilem nominant ? Sane alterius quidem causa est, ac veluti productor et genitor ; alterum vero ipse Deus exsistit. Rursus, altero quidem movetur, altero vero movet : quippe quum ipse sui sibique sit provector et motor. Hac utique ratione diligibilem ipsum nominant et amabilem, tanquam pulchrum atque bonum. Amorem rursus dilectionemque cognominant, propter virtutem ejus moventem provehentemque ad se ipsum, quippe quum solum id sit per se ipsum pulchrum atque bonum ; item propter quamdam sui ipsius per se ipsum expressionem, eminentissimæque unitatis benignam processionem, motumque amatorium simplicem, se moventem, per se operantem, præcedentem quidem in ipso bono, atque ex ipso per omnia procedentem, rursusque ad bonum se reflectentem. In quo sane munus suum fine principioque carens, præcipue divinus amor ostendit, tanquam

circulus aliquis sempiternus, propter ipsum bonum, ex bono, in bono, ad bonum, revolutione quadam nequaquam errante se glomerans, et in eodem atque secundum idem progrediens semper et manens, et denique restitutus. Hæc inclytus quoque noster in sacris Litteris institutor, divine admodum in amatoriis hymnis exposuit : quos profecto commemorare fas est, et tanquam sacrum quoddam caput apponere nostro de amore sermoni.

HIEROTHEI SANCTISSIMI EX AMATORIIS HYMNIS

« Amorem, sive divinum, sive angelicum, sive intellectualem, sive animalem, sive « naturalem dixerimus, vim quamdam intelligamus unificam atque commiscentem : « superiora quidem moventem ad inferiorum providentiam ; rursum quæ sunt ejus- « dem ordinis, ad communionem mutuam adhortantem ; inferiora tandem revocantem « ut ad sublimia convertantur. »

EJUSDEM EX EISDEM AMATORIIS HYMNIS

« Hactenus multos amores ex uno pendentes disposuimus. Diximus deinceps quales « sint notiones viresque amoris tum mundanorum, tum mundo superiorum. Quibus « sane mundanis, secundum designatam orationis intentionem, præsunt ordines orna- « tusque intelligibilium intellectualiumque amorum. Super eos autem exstant ipsi per « se intelligibiles atque divini amorum ibi revera pulchrorum, [et] a nobis pro viribus « proprie sunt celebrati. Nunc iterum resumentes, omnes in unum et conglobatum « amorem, amorum omnium patrem, colligamus simul atque congregemus, primo « quidem ex multis in duas cogentes amatorias vires universales, quas quidem omnes « continet regitque absoluta totius amoris causa penes principium omnia superemi- « nens, ad quam contendit pro cujusque natura, universus rerum omnium amor. »

EJUSDEM EX EISDEM AMATORIIS HYMNIS.

« Age jam has iterum colligentes in unum, dicamus unam quamdam esse simpli- « cemque virtutem se ipsam moventem ad unificam quamdam commixtionem, ex ipso « bono usque ad extremum universi, ab eoque rursum deinceps per omnia ad ipsum « bonum, ex se ipsa et per se et in se ipsa semet in circulum reflectentem, atque in « se ipsam semper eodem modo se glomerantem. »

Quum omnia appetant bonum, cur dæmones non diligant ipsum bonum, et unde dæmones sint mali.

Dixerit forte quispiam : Si pulchrum bonumque omnibus est amabile, desiderabile, diligendum (appetit enim ipsum id quoque quod non ens appellari solet, ut est dictum, contenditque quodammodo in ipso esse ; ipsumque bonum est quod etiam informibus formam facit, atque in ipso non ens, ratione quadam superessentiali dicitur et exsistit) : quonam pacto turba dæmonum pulchrum bonumque non desiderat, sed materiæ dedita, et ab angelica circa boni ipsius desiderium identitate delapsa, malorum omnium causa et sibi ipsi et aliis quæcumque depravata sunt, dicitur exstitisse ? Quo rursus modo dæmoniaca gens ex bono profecta, speciem boni nequaquam præfert ? Aut quomodo bona ex bono facta, mutari potuit ? et quidnam ipsam reddidit malam ? Et omnino quid est malum ? et ex quo initio substitit ? et in qua rerum est ? Item, quomodo Deus ipse bonus, malum facere voluit, aut volens potuit ? Atqui si ex alia causa malum trahitur, quænam alia rebus causa est præter ipsum bonum ? Denique, quum sit Providentia, quonam modo malum est, aut omnino fit, aut certe non tollitur ? Et quo pacto aliquid ipsum, dimisso bono, desiderat ?

Malum unde, et quid malum

Hæc forsan dicat ejusmodi disputatio dubitans. Nos autem admonebimus dubitantem ut rerum adspiciat veritatem. Atqui hoc primum audebimus dicere, malum ex ipso bono nequaquam exsistere, ac si ex bono sit, non esse malum. Non enim ignis est frigefacere, nec boni facere non bona. Præterea, si quæ sunt omnia ex bono procedunt (natura enim boni est producere atque servare ; mali vero, perdere atque dissolvere), profecto nullum exsistentium est ex malo. Atqui nec ipsum malum erit, siquidem se ipso sit malum ; atque nisi ita sit, non omnino malum erit malum, sed boni portionem quamdam (per quam sit) habebit. Item, si quæcumque sunt, pulchrum bonum-

quæ petunt, et quidquid agunt, propter id quod videtur bonum faciunt, omnisque rerum intentio bonum spectat ut principium atque finem (nihil enim mali naturam spectans facit quæ aggreditur facienda): quonam modo in ordine rerum erit malum? aut quo pacto in rebus omnino est aliquid, quum hujusmodi bono appetitu sit destitutum? Rursus, quæcumque sunt, ex ipso bono dependent, ipsumque bonum entibus est superius; atque etiam in bono etiam quod non ens dicitur, ens exsistit. Malum vero neque ens est; propterea nec est omnino malum. Neque rursus est omnino non ens; nihil enim erit ipsum quod dicitur omnino non ens, nisi per rationem quamdam ente superiorem in ipso bono dicatur. Bonum itaque et ipso simpliciter ente et non ente, multo prius in se ipso consistit. Malum vero neque in his quæ sunt, neque in his quæ non sunt, exsistit; sed et ab ipso non ente alienius est et distantius quam a bono, minusque habet substantiæ rationem. Legitur aliter: Sed et magis quam non ens, a bono et essentia discedit.

[illegible] Dixerit ergo aliquis: Undenam igitur erit malum? Nisi enim malum sit, virtus ac vitium erit idem: universale videlicet vitium, idem erit quod universa virtus; particulare similiter vitium, idem quod virtus particularis, aut saltem quod virtuti adversatur, non erit malum. Contraria profecto temperantiæ intemperantia est, justitiæque injustitia. Neque tamen dico justum hominem et injustum, rursumque temperatum atque intemperatum, invicem dissidere; verum etiam ante foris apparentem probi viri ad improbum discrepantiam, in ipso animo a virtutibus omnino vitia distant, et rationi motus dissident perturbati. Propterea necessarium est concedere malum aliquid esse bono contrarium. Neque enim bonum sibimet repugnat, sed universum bonum, velut ex uno principio ductum unaque causa genitum, communione quadam invicem et unione et amicitia gaudet. Neque rursus quod minus bonum est, majori bono contrarium est dicendum; quia nec minus calidum aut frigidum, magis calido frigidove repugnat. Malum igitur est in rebus, atque est aliquid, et ita dumtaxat est oppositum contrariumque bono. Ceterum si quis dixerit malum esse ipsum rerum interitum, non propterea convincet malum in rebus omnino nihil esse; sed ita erit malum quoque ens aliquod, tanquam conferens ad entia generanda. Nonne sæpe hujus interitus, generatio fit illius? Atqui malum ita conducet ad plenitudinem universi, ipsi per se præstabit ne sit imperfectum.

[illegible] Ad hæc autem vera ratio respondebit, malum qua ratione malum est, nullam essentiam vel generationem facere, solum vero depravare atque perdere, quantum in ipso est, rerum substantiam. Si quis autem ipsum generationis dixerit auctorem, propterea quod alterius pernicie præstet alteri genituram: respondendum est revera, non qua ratione perdit, generationem aliquam elargiri, sed qua corruptio malumque est, violare solum atque depravare; generationem vero essentiamque effici propter bonum: atqui malum per se quidem erit interitus, auctor vero generationis propter bonum. Et qua quidem ratione malum est, neque est ens, neque entium effectivum; at propter bonum et ens est et bonum auctorque bonorum. Imo vero neque est quidquam secundum idem, bonum atque malum; neque rursus ejusdem est interitus et generatio idem; neque qua conditione malum est, eadem et potentia, neque quædam per se potentia, aut quædam per se interitus. Ipsum namque quod dicitur per se malum, neque ens dicendum est, neque bonum, neque generationis effector, neque rerum auctor vel bonorum. Bonum vero quibus perfecte inest, perfecta, pura, integra bona facit; sed quæ minus ipsum participant, imperfecta bona sunt, ac propter defectum boni permixta. Omnino quidem malum non est ens, neque bonum, neque beneficum; sed quod magis aut minus appropinquat bono, pro ipsa appropinquandi mensura fit bo-

num. Siquidem perfecta bonitas per omnia se diffundens, non solum ad illas quæ sunt circa ipsam substantias optimas accedit, sed ad extremas usque procedit : aliis quidem summopere præsens, aliis autem inferiori quadam conditione, aliis tandem infimo quodam pacto, quatenus singula percipere possunt. Jam vero alia bonum prorsus participant; alia vero magis minusve inde degenerant; sed alia tenuiorem boni præsentiam sortiuntur: aliis denique vestigium boni contingit extremum. Atqui nisi bonum unicuique pro modo cujusque se præstaret, divinissimaque et antiquissima, infimorum ordinem obtinerent. Quonam pacto fieri poterat ut unica ratione singula bono participarent, quippe quum non omnia sint ad exactam participationem ejus accommodata? Nunc autem et hæc penes bonum est magnitudo potestatis excedens, quod ipsa etiam quæ privata sunt et ipsam privationem sui corroborat secundum participationem sui ubique productam. Denique si oportet vera audentius confiteri, illa etiam quæ repugnant bono, ipsa boni virtute et exsistunt et repugnare valent.

Ceterum, ut summatim dicam, quæcumque sunt, qua ratione sunt, eadem sunt et bona, exsistuntque a bono; qua vero destituta sunt a bono, neque bona sunt, neque subsistunt. Nempe in ceteris qualitatibus, velut in calore vel frigore, ita se res habet, ut quæ calefacta fuerint, etiam superesse possint postquam calor illa deseruit; pleraque etiam sunt quidem, tametsi vitæ et intelligentiæ sunt expertia; Deus quoque semotus est ab essentia, et superessentiali (ut ita dixerim) ratione consistit. Jam vero in ceteris simpliciter omnibus, tum habitu quovis amisso, tum etiam non assumpto, sunt tamen entia et subsistere valent. Quod autem a bono penitus destituitur, nimirum nec usquam nec ullo pacto vel fuit, vel est, vel erit, vel esse potest. Velut intemperatus etsi bono caret per concupiscentiam rationis expertem, atque per eamdem neque est ipse quidem, neque ulla quæ revera sint, concupiscit; interea tamen est boni particeps per tenuem quamdam amicitiæ et unionis imaginem. Ira quin etiam est boni compos, quatenus movetur appetitque, quæ mala videntur, ad id quod videtur honestum dirigere atque convertere. Atqui et ipse qui deterrimam vitam eligit, propterea boni particeps judicandus est, quod vitam desiderat, et eam quidem quæ sibi videtur optima, ac simpliciter quod appetit, vitamque desiderat, vitamque optimam spectat ut finem. Jam vero si bonum omnino sustuleris, nec erit essentia, neque vita, neque appetitus, neque motus, neque aliud quidquam. Quod igitur corruptionem generatio sequatur, non est id quidem mali potestas, sed minoris boni præsentia. Quemadmodum et morbus defectus quidem est ordinis, sed non universi. Si enim totus ordo desit, neque morbus ipse subsistet. Manet autem estque nonnihil morbus, quatenus essentiam habet et minimum ordinem, in quo sane velut fundamento subsistit. Quod enim universi boni expers excogitatur, neque est aliquid, nec in exsistentibus reperitur; quod autem mixtum est, id propter bonum est in ordine rerum, atque secundum hoc ipsum reperitur in rebus atque est ens, quantum est boni particeps. Imo vero quæ sunt omnia, eatenus magis minusve sunt, quatenus et boni participia sunt. Jam vero et in eo quod esse ipsum dicitur, quod nec usquam nec ullo modo ibi est, nec* erit quidem usquam. Quod autem quodammodo quidem est, quodammodo vero non, nimirum et quantum ab eo decidit quod semper est, sane non exsistit; quantum vero ipsius esse fit compos, tantum quoque consistit : atqui et simpliciter esse et quod non ens censetur, ab ipso quod semper penitusque est ens, continetur atque servatur. Ipsum quoque malum ita se habet, ut quod decidit prorsus a bono, id neque inter magis, neque inter minus bona sit futurum; quod vero quodammodo quidem bonum est, quodammodo vero non bonum, adversatur sane cuidam bono, non autem toti bono : atqui et ipsum participatione quadam boni regitur atque continetur. Nempe

* ne

bonum ipsum sua quadam participatione ipsum quoque sui privationem quadam quasi essentia donat. Profecto si bonum prorsus abierit, nec erit universaliter bonum aliquod, neque mixtum quidquam, neque malum ipsum. Si enim ipsum quod dicitur malum, est imperfectum bonum, nimirum per universam absentiam boni et imperfectum et perfectum bonum aberit. Tunc profecto duntaxat erit apparebitque malum, quando aliis quidem erit malum quibus est contrarium, ab aliis autem pendebit distinctum tanquam bonis. Nequeunt enim eadem secundum eadem, inter se in omnibus repugnare. Malum igitur non potest existens aliquid esse.

[illegible] Atqui nec in existentibus inest malum. Si enim haec omnia sunt ex bono, omnibusque bonum inest, continet* omnia: nimirum in his malum esse non potest. An forsan in bono malum esse potest? Minime: nam nec est in igne frigidum, nec malum in se ullum admittere potest quod malum etiam reddit bonum. Sin autem fingatur in bono malum esse, quonam pacto inerit? Si enim ex ipso concedatur exsistere, absurdum id quidem et impossibile. Nam ut sacrorum Eloquiorum veritas inquit, non potest arbor bona fructus malos facere, vel mala bonos. Sin autem bono malum ex se ipso non inest, an ex alio forsan tanquam principio causaque continget? Jam vero vel malum ex bono erit, vel ex malo bonum; aut si hoc est impossibile, ex alio quodam principio causaque erit bonum pariter atque malum. Nulla enim dualitas est principium, sed unitas ipsa est dualitatis omnis initium. Tametsi absurdum est confiteri ex uno eodemque duo quaedam prorsus inter se contraria proficisci, atque ita ipsum quoque principium non esse simplex penitusque unum, sed divisum atque biforme, contrariumque sibimet atque repugnans.

Matth. vii, 18 [illegible]

Neque rursus possibile est duo rerum esse principia, et invicem et in universo contraria atque repugnantia. Si enim id concedatur, nec Deus ipse a detrimento molestiaque procul aberit, si quidem non desit quod ipsum quoque perturbet. Praeterea cuncta erunt inordinata semperque pugnantia. Atqui bonum ipsum amicitia quadam cuncta conciliat, a sanctisque theologis et pax et pacis auctor appellatur. Quamobrem bona omnia sibi invicem amica sunt et consona, ex una vita, videlicet pullulantia, ad unumque ordine certo disposita bonum, atque sicut eodem quasi generis cognomento, ita conditionis similitudine et affectione quadam mansueta conjuncta. Quapropter malum neque est in Deo, neque divini commercii quidquam habet. Sed nec ex Deo malum est. Aut enim concedendum erit Deum non esse bonum, aut si procul dubio bonus est, bene facit efficitque bona. Neque tantum* ita, ut aliquando tantum aliqua bona faciat, aliquando vero non agat, vel non omnia: alioqui permutationem conditionis hujusmodi pateretur diversitatemque in se ipso circa id quod augustissimum est, videlicet causam. Jam vero si quidem in Deo bonum ipsa sua substantia est, si permutetur ex bono, Deus aliquando quidem erit, aliquando vero non erit; si autem participatione bonum habeat, et habebit ab alio, et alias id habebit, alias non habebit. Malum igitur nec est ex Deo, nec in Deo, neque simpliciter, neque per tempus.

[illegible]

Nec in angelis etiam malum est. Si enim angelus speciem boni praeferens divinam exprimit bonitatem, exsistens videlicet per participationem id ipsum secundo gradu, quod secundum causam est in se primo illud quod exprimitur; certe imago Dei est angelus, et occulti luminis declaratio, ac speculum purum, nitidissimum, incoinquinatum, immaculatum, incontaminatum, totam in se suscipiens (si fas est dicere) pulchritudinem speciei ipsius figuraeque divinae, atque in se ipso sincero (quantum fieri potest) splendore declarans secretissimi illius silentii bonitatem. Itaque nec angelis quidem inest malum: nisi forte quis dixerit propterea malos esse, quod puniant peccatores. Sed eadem ratione castigatores errantium mali erunt, similiter et sacerdotes

illi qui profanos a divinis mysteriis arcent. Sed profecto non malum est meritis affici pœnis; imo fieri pœnis dignum. Neque rursum malum, pro merito a sacris arceri, sed contaminatum profanumque evadere, ideoque nec aptum qui admittatur ad pura.

Naturam dæmonum non esse malam.

Neque rursus dæmones sunt natura mali : alioqui nec essent ex bono, nec essent prorsus aliquid. Atqui nec ex bonis natura mutati sunt in malos, neque semper exstitere mali. Præterea, utrum sibimet an aliis mali sint? Si forte sibi ipsis mali, se ipsos perdent. Sin autem aliis, quonam modo interimentes judicantur mali, aut quid potissimum interimentes? essentiamne, vel potentiam, vel actionem? Si quidem essentiam, primo quidem non præter naturam id efficient. Quæ enim per naturam incorruptibilia sunt, non corrumpunt, sed quæ corruptioni sunt obnoxia. Deinde ne id quidem omnibus et omnino malum est. Jam vero neque quidquam eorum quæ sunt perimitur, quantum est essentia et natura; sed ipsa congruentiæ commensurationisque proportio, propter ordinis naturalis defectum jam ita debilitatur, ut eodem modo permanere non possit. Infirmitas vero non est integra. Si enim integra foret, et corruptionem ipsam et subjectum ejus e medio tolleret, essetque corruptio hujusmodi, sui quoque ipsius interitus. Quamobrem quidquid malum dici solet, non est omnino malum, sed deficiens bonum. Quod enim expers omnino boni fingitur, nec usquam quidem aliquid erit. Eadem quoque de potentiæ actionisque corruptela ratio est.

Proinde quonam pacto dæmones, quum a Deo facti sint, mali sunt? Nempe bonum bona producit et statuit. Verumtamen malos appellari dicet aliquis; sed non qua ratione sunt aliquid, mali sunt (ex bono enim exsistunt, bonamque essentiam nacti sunt), imo qua ratione non sunt : quippe quum ad servandum principium suum infirmi fuerint, quemadmodum divina testantur Eloquia. Dic age, in quonam dæmones depravari dicamus, nisi in eo quod ab habitu actioneque circa bona divina vacant. Præterea, si natura mali sunt dæmones, semper fuere mali, tametsi malum est instabile. Non igitur si semper eodem modo se habent, mali (non) sunt : semper enim idem esse, boni proprium est. Sin autem non semper exstitere mali, non sunt ipsa natura pravi, sed indigentia quadam bonorum angelicorum. Neque boni prorsus sunt expertes, quatenus sunt, vivunt, intelligunt, habentque nonnullum desiderii motum. Pravi vero censentur, quoniam circa naturalem operationem sunt invalidi. His itaque malum, est aversio quædam, excessusque et discessus, ob quem bonis sibi convenientibus potiti non fuerint, defectus, imbecillitas infirmitasque virtutis perfectionem suam conservaturæ, fugaque et casus. Quid præterea in dæmonibus malum est? Furor irrationalis, concupiscentia demens, imaginatio præceps. Verum ista quanquam dæmonibus insunt, non tamen omnibus nec omnino neque ipsa secundum se mala sunt. Nam et in aliis animalibus, non hæc quidem habere, sed his carere, pernicies est animalium atque malum. Horum vero habitus servat esseque efficit animalis naturam hæc habentem. Quamobrem dæmoniaca gens non qua ratione secundum naturam est, sed qua non est, exsistit mala. Neque bonum illis traditum, totum est permutatum, sed ipsi a toto bono sibi tradito exciderunt. Nec angelica munera his tributa, aliquando permutata; sed integra sunt penitusque conspicua, quamvis ipsi minime cernant : quippe quum vires eas quibus bona videri possent, jam occluserint. Quapropter hoc ipso quod sunt, ex bono sunt atque boni; et pulchrum bonumque desiderant, dum videlicet esse, vivere, intelligere quæ quidem exsistentia sunt, desiderant. Sed privatione quadam et fuga casuque a convenientibus sibi bonis, mali cognominantur; suntque mali qua parte pulchri non sunt, et quod minime est appetentes, malum appetunt.

Judæ 6.

At animas quispiam dixerit esse malas. Si igitur quia conjunguntur malis quodam providentiae conservationisque officio, has aliquis suspicetur malas; objiciendum est hoc idque non esse malum, sed bonum, atque ex ipso bono proveniens, quod quidem vel quod alioqui malum est, reddit bonum. Sin autem animas quoquomodo depravari dicamus, in quonam depravantur? nisi in quodam affectionum actionumque bonarum defectu, et quoniam aberrantes a fine, ob infirmitatem propriam delabuntur. Jam vero circumfusum quoque nobis aerem obtenebrari dicimus, defectu videlicet et absentia luminis; ipsum vero lumen semper est lumen, quod etiam illuminat tenebras. Quamobrem nec in daemonibus nec in nobis ita malum est quasi existens aliquid, sed tanquam defectus aliquis per quem propriorum bonorum consummatione caremus.

Neque rursus in animalibus brutis est malum. Si enim iram concupiscentiamque auferas, et cetera quae in eis etsi mala dicuntur, non sunt tamen simpliciter suapte natura mala: leo quidem fortitudine superbiaque amissa, leo esse desinit; canis quoque blandus effectus omnibus, non erit canis: custodire enim latratu suo, canis est proprium, atque domesticos quidem admittere, alienos vero propellere. Quamobrem conservare naturam, non est malum; imo vero malum est naturae corruptio, debilitasque et naturalium qualitatum et actionum viriumque defectus. Proinde quaecumque generantur, per quaedam temporis intervalla perficiuntur, nec imperfectum quidem praeter universam naturam est omnino.

Neque rursus est in tota natura malum. Si enim naturales rationes omnes ab universali natura ducuntur, nihil est illi contrarium. Singulari vero naturae aliud quidem secundum naturam erit, aliud vero contra. Aliis namque naturis praeter naturam aliud accidit: quodve huic naturae consentaneum est, illi accidit alienum. Vitium vero naturae dicitur quod incidit praeter naturam, privatio videlicet naturalium. Itaque non est ipsa natura mala; id autem dicitur ipsi naturae malum, quod propria sibi officia explere non possit. — Proinde in corporibus nec malum aliquid est. Deformitas enim atque morbus, defectus quidam est speciei ordinisque privatio. Id autem non omnino malum est, sed minus bonum: alioqui, si pulchritudinis speciei que et ordinis integra solutio fiat, ipsum quoque corpus abibit. Praeterea neque corpus esse vitiorum causam animo contingentium, inde patet quod etiam absque corpore pravitas possit oriri, quemadmodum in daemonibus. Hoc enim est mentibus et animabus corporibusque malum, infirmitas videlicet ad bonum proprium consequendum impos, atque casus.

Sed neque verum est vulgatissimum illud, malum videlicet in materia esse qua ratione materia. Haec enim ornatus et pulchritudinis speciei que fit particeps. Si autem seorsum ab his materia suapte natura qualitatem speciemque nullam habet, quonam modo materia facit quidquam, quae nec id ipsum in se habet ut pati possit? Praeterea, quonam pacto materia malum est? Si enim nec usquam nec ullo modo est, neque bonum est neque malum. Sin autem quomodolibet est, quae vero sunt omnia, sunt ex bono, ipsa quoque existet ex bono. Atque ita vel ipsum bonum effector est mali; aut malum, quatenus fit ex bono, bonum erit; vel forte malum effector erit boni; vel bonum, quatenus est ex malo, evadet malum; aut duo rursum erunt principia, atque haec ex alio rursus uno quodam principio dependentia. Jam vero si materiam ad consummationem universi fuisse necessariam confitentur, quonam modo erit materia malum? Aliud namque malum est, aliud necessarium. Quo autem pacto bonus ipse Deus ex malo ad generationem ulla perducit? Aut quomodo malum est quod desiderat bonum? Nempe malum boni naturam fugit. Denique si materia naturaliter mala est, quomodo naturam generat atque nutrit? Malum enim, qua ratione malum est, nihil

generat aut nutrit, aut omnino quidquam facit aut servat. Si vero dixerint materiam quidem ipsam in animabus pravitatem nullam facere, sed eas trahere : quonam modo id verum erit, quum animæ multæ aciem suam ad bonum dirigant? Atqui quonam pacto id fieri potuisset, si eas ad malum materia prorsus attraheret? Quamobrem malum in animabus ex materia non contingit, sed ex inordinato quodam et aberrante motu. Si autem et hoc affirment omnino materiam sequi, atque est materia instabilis necessaria rebus in se ipsis consistere non valentibus : quonam pacto malum est necessarium? aut quomodo quod est necessarium, est et malum? — Sed neque hoc quod dicimus, privatio per vim propriam adversatur bono. Universalis namque privatio vim prorsus nullam habet; particularis vero, non quatenus privatio est, sed qua ratione non est privatio universa, vim aliquam habet. Quatenus enim particularis est defectus boni, nondum prorsus est malum : quæ si non sit ultra particularis, simul et ipsa mali natura discessit.

Bono esse unam causam, malo defectus multos.

Deum sub ratione boni cognoscere mala.

Malum non esse æternum.

Malum nullam habere causam vel rationem alicubi definitam.

Naturam animæ nequaquam esse causam mali.

Ceterum ut summatim dicam : Bonum ex una totaque causa proficiscitur; malum autem ex multis particularibusque defectibus accidit. — Cognovit præterea Deus malum sub ratione boni, ac penes ipsum malorum causæ sunt beneficæ vires. — Si vero malum sempiternum est, et fabricat potestque aliquid, ipsumque exsistit aliquid atque efficit : undenam sibi ista? An ex ipso bono, an forte bono hæc insunt ex malo? an potius ex alia causa insunt ambobus? — Omne quod secundum naturam exsistit, ex definita quadam causa nascitur. At si malum nullam habet causam definitam, nimirum secundum naturam non exsistit. Neque enim est in natura, quod præter naturam est; neque in arte ratio illius quod accidit præter artem. — An igitur anima causa est malorum, quemadmodum ignis calefaciendi principium, et omnia quibus appropinquaverit, implet malitia? an potius bona quidem est animæ natura, actionibus vero nunc quidem ita se habet, nunc vero non ita? Quod si per naturam mala est anima, essentiaque illius mala est, unde natura habet essentiam? Numquid ex bona causa omnium conditrice? Verum si ex illa, quonam modo per essentiam mala est? Hujus enim omnes geniture sunt bonæ. Sin autem per actiones est anima prava, nec hoc quidem est immutabile : alioqui undenam virtutes animæ provenirent, nisi et ipsa boni speciem acciperet? Reliquum est igitur malum esse debilitatem quamdam defectionemque a bono. — Bonorum causa una est. Si bono malum est contrarium, mali causæ multæ sunt : non tamen mala faciunt rationes atque vires ullæ, sed impotentia et infirmitas, atque incongrua quædam permixtio dissimilium. Mala nec immobilia sunt, neque semper eodem modo se habent; sed infinita et indeterminata, et in aliis semper pervagantia, atque his insuper infinitis.

Bonorum causa una, malorum multæ.

Malo non esse proprium principium neque finem.

Malum est per accidens.

Malorum omnium principium atque finis, est bonum. Boni namque gratia omnia tum bona tum contraria fiunt. Nam et mala facimus appetentes bonum : nullus enim malum spectans quæ facit aggreditur. Quapropter neque substantiam malum habet; sed præter substantiam exsistens, substantia nititur aliena, utpote quod non sui quidem, sed boni duntaxat gratia perpetratur. — Malum esse dicendum est per accidens, atque propter aliud, nec ex principio proprio. Itaque quum agitur, forte rectum quidem esse videtur, quoniam boni gratia geritur; re autem vera non est rectum, quia quod bonum non est, opinamur bonum. Demonstratum est, quando malum agitur, aliud quidem esse quod optatur, aliud vero quod agitur. Nonne igitur malum est præter viam, præter intentionem, præter naturam, præter causam, præter principium, præter finem, extra terminum, extra voluntatem, extra substantiam? Itaque malum est privatio, defectus, infirmitas, inconcinnitas, error; scopo, id est signo, pulchritudine, vita, intellectu, ratione, perfectione, fundamento, causa destitutum; interminatum,

sterile, iners, imbecillum, confusum, dissimile, infinitum, tenebrosum, essentia carens, ipsumque nullo modo ac nusquam et nil existens.

Quonam pacto malum omnino quidquam valet? Sola videlicet permixtione boni. Quod enim omnino bono vacuum est, neque est aliquid, neque potest quidquam. Etenim si bonum est et existens, et appetendum, et validum atque efficax: quonam modo boni contrarium aliquid poterit, quippe quum essentia, voluntate, potentia, actione sit captum? — Non omnibus omnino eadem et secundum idem mala sunt. Dæmoni quidem malum est, quod intellectus ejus amisit ipsam boni formam; animæ, quod ratione defecit; corpori, quod a natura descivit.

Quonam modo, quum sit Providentia, omnino mala sunt? Malum quidem (qua ratione malum) nec existens aliquid est, nec in existentibus aliquid; nec quidquam extra Providentiam est in rebus. Neque enim est malum existens aliquid, permixtionem boni non habens. Jam vero si nihil in rebus boni participatione caret, malum vero est defectio quædam a bono, resque nulla boni prorsus est expers; providentia divina cuncta comprehendit, nihilque Providentiæ gubernatione deseritur. Sed his quoque qui mali fiunt, Providentia bene utitur ad aliquam videlicet vel ipsorum vel aliorum, sive privatam sive communem utilitatem. Unicuique vero proprie providet. Quapropter vanum multorum sermonem nequaquam admittimus, qui asserunt divinam providentiam oportere nos ad virtutem vel invitos impellere. Non enim Providentiæ est naturam pervertere. Imo vero qua ratione est Providentia, est uniuscujusque naturæ servatrix. Quapropter his quæ per se moventur, tanquam libero motu mobilibus providet; totisque et singulis, quemadmodum illis atque his proprie convenit, quatenus eorum natura quibus providetur, capere potest totius universalisque providentiæ benefica munera providenter pro modo suo unicuique distributa.

Malum igitur nec est aliquid existens, nec est in rebus existentibus aliquid. Malum enim nusquam existit qua ratione malum. Atqui et fieri malum, non est potentiæ, sed impotentiæ potius. Nempe dæmonibus, hoc ipsum quod sunt, et ex bono est atque bonum. Malum vero hos est, quod a bonis propriis sunt prolapsi, atque circa identitatem habitumque fuerint permutati, perfectionemque angelicam sibi convenientem ob infirmitatem propriam non impleverint. Appetunt illi quidem bonum, dum esse, vivere, intelligere diligunt. Rursumque non appetunt bonum, dum quod non est desiderant; neque est istud appetere, sed ab appetitione vera potius aberrare.

Eos autem in cognitione delinquentes sacra vocant Eloquia, qui circa boni notionem haud latentem vel circa effectionem se debiliter habent; et qui voluntatem quidem noverunt, neque tamen faciunt; qui audierunt quidem, infirmi vero sunt circa fidem, aut operationem boni. Jam vero nolunt quidam intelligere ut bene faciant, propter quamdam perversionem... quod sæpe jam diximus, infirmitas et imbecillitas [est], et defectus vel simpliciter cognitionis, vel cognitionis communiter notæ, vel fidei, aut appetitionis, aut actionis boni. Dixerit vero quispiam, infirmitatem supplicium non mereri, sed veniam. Si igitur non licuisset posse, recte forsan esset objectum. Sin autem ex ipso bono vires suppeditantur, quod ut sacra Eloquia docent, omnibus simpliciter convenientia tribuit, non est ignoscendum si quis per ignaviam ab ipso bonorum propriorum habitu divinitus procedente aberraverit diverteritque et effugerit atque ceciderit. Verum hæc in libris de Justo divinoque judicio, satis a nobis pro viribus sunt exposita. In qua quidem sacra disputatione, divinorum Eloquiorum veritas sermones sophisticos iniqueque mendaciterque contra Deum loquentes, tanquam delirantes confutavit et repulit. — Nunc autem satis a nobis pro viribus celebratum est ipsum bonum ut revera admirandum, ut principium omnium atque finis, ut rerum omnium compre-

hensio, ut speciem non exsistentibus afferens, ut bonorum omnium causa, ut mali nullius causa, ut providentia et bonitas universa, et quæ sunt et quæ non sunt omnia supereminens, mala quoque et sui ipsius privationem quadam afficiens bonitate, omnibus desiderandum, et amandum, et diligendum : et reliqua quæ in superioribus verax (ut arbitror) ratio ad sufficientiam demonstravit.

PARAPHRASIS ABBATIS VERCELLENSIS

In hoc capitulo principalem materiam libri tractare incipit juxta quod in titulo ipsius prænotatur. Cujus continentiam hoc tenore decrevit comprehendendam : Tractemus deinceps de hoc nomine, bonus, quod Deitati videtur in Scripturis excellenter attribui, et eam a cunctis distinguere, ita ut ipsa divina essentia bonitas dicatur, eo quod Deitas substantialiter bona sit, et bonitatem suam ad rerum universitatem extendat. Cujus rei qualecumque indicium in sole corporeo ostenditur, qui non præmissa deliberatione vel electione, sed ex principali naturæ suæ proprietate, per se ipsum, quantum in se est, circumquaque cuncta illuminat luminis sui capacia et sibi exposita : et hoc, secundum singulorum illuminandorum proportionem. Sic divina bonitas incomparabiliter super solem, non minus quam super obscuram imaginem, ex proprietate naturæ suæ, per ipsam essentiam suam omnibus creaturis proportionaliter immittit radios suæ universalis bonitatis.

Per quos subsistunt omnes intelligibiles substantiæ et earum virtutes et operationes. Et ipsæ intelligibiles substantiæ per istos radios sunt, et vivunt sine defectu vitæ vel minoratione alicujus corruptionis et sine morte, et pure et immaterialiter sunt sine generabilitate et corruptibilitate, et superant omnem instabilem et fluxam variationem. Et sicut incorporales et immateriales intelliguntur, et sicut mentes et puræ intelligentiæ supermundane intelligunt, et exemplaribus rationibus exsistentium per speciem Verbi æterni illuminantur, et rursus ipsarum rationum cognitiones ad imagines naturales propriarum mentium intellectualiter cognitivas deferunt : per quas imagines veritates Verbi repræsentantur, secundum quod quælibet mens ad imaginem ipsius Verbi creata est. Et ex bo-

A nitate habent firmam in Deo mansionem et fundatam collocationem, et continentiam, et custodiam, et internam bonorum refectionem. Et ipsam bonitatem desiderantes, habent ex ea esse et bene esse, et ipsi quantum possunt se conformantes, ab ea informantur, et perceptam ab ea conformitatem et dona ab ea sibi distributa, inferioribus suis communicant secundum legem divinam. Et ex ea ordines angelici habent ut sibi invicem uniantur, et ab invicem capiantur, et inconfuse discernantur. Inferiores virtutes inde habent sui sursumactivas ad superiores, et superiores ad B providentias inferiorum, et quælibet propriæ virtutis custodiam et circa se invicem intransmutabilem convolutionem, et circa desiderium veri boni immutabilem identitatem et summum excessum, et quæcumque alia de angelis tractavimus in Angelica hierarchia. Et quæcumque sunt angelicorum ordinum purgationes, illuminationes perfectiones sunt ex fontana Dei bonitate : ex qua ipsi habent ut boniformes sint, et occultam Dei bonitatem in se manifestent, et divinum silentium enuntient, et sicut clara luminaria secreta Dei occulta interpretentur. — Sed et ex ipsa boni- C tate animæ sanctæ habent et quod mentes sint, et quod intellectuales et quod immortales, et quod omnino sint et possint, et quod extendantur ad angelos, et quod per ipsos ad summum bonum agantur sursum, et quod illuminationibus inde emanantibus proportionaliter participent, et divinæ bonitati conformentur, et quæcumque alia tractavimus de animabus in libro de Anima.

Sed et omnia animalia irrationalia, sive aeria, sive terrestria, sive aquatica sive pluribus istorum utentia, et eorum animæ propter verum bonum animata sunt et vivunt. Sed et plantæ inde habent vitam vegetabilem, et

immobiliter inde habent ut sint quod sunt. Quare autem bonitas sit super omnia existentia, quomodo ergo est, et causa forma formæ? Quomodo excedens substantia in ipsa non est non existens? et excedens vita, in qua est non vivens? et excellens sapientia in ipsa est non sensus? Et de his quibuscumque excessibus formationum non habentium formam. Nec tantum existentia divinæ bonitati participant, sed et quod non ens est, tendendo in esse, quodammodo (ut ita dicam) appetit bonum quod est supersubstantiale per ablationem ab omnibus. Vel sic: Quod omnino non est, aliquid esse [illegible] Deo in [illegible], quodammodo appetit esse in bono in quantum ipsum bonum supersubstantiale est, et ab omni esse [illegible]. Vel sicut motus extremæ sphæræ, qui partim est, partim non est; [illegible] quod quasi medius est inter esse et non esse, et continuo motu non præteriens [illegible] semper effugit, nam instantia simul incipiunt et desinunt: et hoc medium bonum appetit. — Et bonum est causa ipsius cœli, motus extremæ sphæræ, quæ absque a se incipiens absque in se et terminatur, et neque augmentum suscepit neque diminutionem, et habet substantiam invariabilem. Et bonum est causa motuum maximæ volutionis cœli sine [illegible] et ordinationem stellarum, et pulchritudinem et lumen et collocationem ipsarum stellarum; et translationem quarumdam astrorum multis modis, et planetarum errationem; et restitutionem circularis a puncto ad idem punctum duorum luminarium quæ specialiter Scriptura magna vocat, scilicet solis et lunæ, quorum motibus mensurantur [illegible] dies et noctes, et menses et anni, et circulares mediciones temporis et eorum quæ sunt in tempore discernuntur, numerantur, ordinantur et continentur. (Gen. I, 16.)

Sed et solaris radius secundum naturam suam, ex bono est et est imago bonitatis. Unde bonum laudatur nomine luminis, sicut veritas in sua imagine declarata. Sicut enim divina bonitas omnibus supereminenter pertransit a summis substantiis usque ad ultimas, et adhuc super omnes est, superioribus non pertingentibus ad ipsius excessum, et inferioribus non transeuntibus ipsius ambitum. Sed et illuminat omnia luminis capacia, et creat, et vivificat, et continet. Et mensuram dat rebus quantitate continua successiva, et quantitate discreta, et ordinat res et circumdat, et causa totalis est omnium et finalis. Ita et magnus sol, sol evidens divinæ bonitatis imago secundum potentialitatem creaturæ corporeæ eminentius multis aliis totus splendens et superlucens, et omnia capacia luminis illuminat quantum in se est, et superextendit lumen ad omnem mundum sensibilem sursum et deorsum. Et si aliquid splendoribus ejus non participat, hoc non est ex defectu suæ illuminativæ virtutis, sed quia radio non præsentatur, vel quia non est capax illuminationis. Et talia multa transiens radius solis remotiora illuminat, et nihil est visibilium ad quod non pertingat quantum est in efficacia sui splendoris. Sed et generationem corporum visibilium operatur, et ad vitam ea movet vegetabilem, et operatur eorum nutrimentum et augmentum et consummationem. Et mundat et renovat et mensurat sol motu suo tam continue quam discrete horas, dies et lumen totius nostri temporis. Ipse enim sol formatus est quarta die, et de illa luce adhuc imperfecta quæ secundum Moysen distinxit primum triduum in initio mundi. (Gen. I, 4-19.)

Et sicut divina bonitas est principaliter congregatrix dispersorum, omnia ad se convertens ut principaliter unifica, et omnia ipsam ut principium et continentiam et finem appetunt; et bonum est, ut dicit Scriptura ex quo omnia subsistunt et sunt (ex eo tanquam ex causa perfectissima adducta ad esse, et quodlibet ad suum esse), et in quo omnia consistunt sicut in omnipotenti plantatione custodita et contenta, ad quod omnia perficienda convertuntur, singula sicut ad proprium finem, et quod omnia desiderant (intellectualia quidem et rationalia, cognitive, et irrationalia sensitive, plantæ motu vitalis appetitus; inanimata, aptitudine essendi): ita secundum imaginariam imitationem, lumen solis congregat et ad se convertit omnia videntia, et quæ moventur illuminantur, vel calefiunt et quæ omnino a fulgoribus ejus continentur. Propter quod ἥλιος appellatur, quoniam omnia indestructibilia facit et congregat dispersa. Et omnia sensibilia ipsum desiderant tanquam appetentia aut videre, aut moveri, aut calefieri, et omnino contineri a lumine. Nec hoc dico secundum errorem antiquæ idololatriæ, quasi sol sit deus et creator hujus universitatis et procuret mundum, sed quod juxta Apostolum invisibilia Dei a creatura mundi per ea quæ facta sunt intellecta, conspiciun- (Rom. XI, 36.) (Ibid. I, 20.)

tur, sempiterna quoque virtus ejus et divinitas.

Sed hæc in Symbolica theologia tractavimus. Nunc autem tractandum est quomodo bonitas divina dicatur lumen intelligibile. Quod utique ideo fit, quia implet omnem supercœlestem mentem intelligibili lumine, et omnem ignorantiam erroneam expellit ab omnibus animabus quibus jungitur *, et omnibus illis sanctum lumen tradit, et intellectuales eorum oculos mundat a circumposita ipsis quasi fæce quam ex ignorantia contraxerunt et movet et aperit ipsos oculos multa tenebrarum caligine prius conclusos : et primo eis tradit claritatem suæ infirmitati commensuratam ; post illis lumen gustantibus et magis desiderantibus, magis se infundit et abundanter superfulget, quoniam dilexerunt multum et semper extendit ipsas animas ad anteriora, secundum valetudinem ipsarum ad respectum divini radii. Bonitas ergo divina dicitur lumen intelligibile quod est super omne lumen, tanquam radius fontanus et effusio luminis supereffluens, illuminans omnem supermundanam mentem ex propria plenitudine et renovans omnes intellectuales virtutes earum ; et omnes incorporaliter excedens eo quod omnibus superextenditur, et omnia comprehendens superincumbendo ; et generaliter in se ipso coassumens et superhabens et præhabens omnem dominationem illuminativæ virtutis, tanquam principaliter lucens et omnibus superlucens ; intellectualia et rationalia, scilicet angelos et homines, etiam superfuso radio congregans secundum illud : Ortus est sol et congregati sunt. Et facit ea indestructibilia omnia per naturam, quædam per gloriam impassibilia. Sicut enim ignorantia est divisiva ab invicem eorum qui ducti sunt in errorem, ut patet in hæresum multitudine ; ita præsentia luminis intelligibilis est coadunativa et illuminativa eorum qui illuminantur, et etiam eorumdem perfectiva et conversiva a multis opinionibus ad vere existens, et varias visiones vel potius phantasias congregans ad unam et veram et mundam et uniformem cognitionem ; et implet speculatores suos unitivo lumine.

* ingignitur

Ps. ciii, 22.

Præterea hæc divina bonitas laudatur in sacra Scriptura sicut pulchrum et sicut pulchritudo quæ effectiva est pulchri et sicut dilectio et sicut diligibile passive, et aliis variis vocabulis exprimentibus dona pulchrificæ

A et gratificantis pulchritudinis. Pulchrum autem et pulchritudo non sunt inter se differentia sicut causa et effectus, sicut prius et posterius in Deitate quæ est causa comprehendens in summa sua causali simplicitate omnia. Hanc enim divisionem pulchritudinis et pulchri facimus in creaturis secundum participationes et participantia dicentes esse pulchrum quod participat pulchritudine, pulchritudinem autem, participationem causæ pulchrificantis omnia pulchra. Loquentes vero de summo bono, aliter utimur, dicentes quod supersubstantiale pulchrum dicitur pul-

B chritudo, eo quod ipsum pulchrificat omnia exsistentia secundum propriam ipsorum proportionem, et causat universalem omnium harmoniam et claritatem, et juxta significationem solaris luminis cum fulgore immittit universitati rerum pulchrificas distributiones sui fontani radii, et quasi omnia ad se ipsum vocat et κάλλος, id est pulchritudo, dicitur sicut omnia in omnibus ad idem congregans. Pulchrum autem dicitur Deus, sicut pulcherrimum et superpulchrum, et semper exsistens secundum eadem et simul pulchrum : et neque factum, neque destructum ; neque

C auctum, neque minoratum ; neque uno respectu pulchrum, alio respectu turpe ; neque hic pulchrum et illic non ; neque quibusdam pulchrum et quibusdam non pulchrum : sed sicut ipsum secundum se ipsum, cum se ipso semper exsistens uniforme pulchrum, et sicut præhabens in semetipso excedenter fontanam pulchritudinem omnis pulchri.

Omnis enim pulchritudo et omne pulchrum, uniformiter et causaliter præexsistunt in simplici et supernaturali natura omnium pulchrorum : et ex ipsa præexsistente, pulchra omnia exsistentia habent esse pulchrum sin-

D gula secundum proportionem suam ; et propter pulchrum sunt omnium concordiæ et amicitiæ et communiones, et pulchro omnia uniuntur. Et pulchrum est principium omnium, sicut effectivum omnium et movens et omnia continens amore propriæ pulchritudinis. Et ipsum est finis omnium, sicut causa finalis : omnia enim fiunt causa pulchri. Et pulchrum est causa exemplaris omnium in Verbo : quia secundum ipsum omnia determinantur. Unde colligitur, quod idem est pulchrum quod bonum : quia omnia secundum omnem causam desiderant pulchrum et bonum, et non est aliquid exsistentium

quod non participet pulchro et bono. Quando enim laudatur Deus ut supersubstantialiter pulchrum et bonum, per omnium exsistentium ablationem, tunc quasi non exsistens in pulchro comprehenditur. Et hoc unum bonum et pulchrum singulariter est causa omnium pulchrorum et bonorum. Et ex hac causa sunt omnes [illegible] substantiales essentiæ, et unitiones et discretiones, et identitates et alteritates tam substantiales quam accidentales, et similitudines et communiones [illegible] contrariorum alia [illegible] sunt sub eodem genere, et [illegible] est super; et providentiæ superiorum ad inferiores, et alternæ habitudines coordinatorum in eadem hierarchia vel ordine vel gradu, et inferiorum conversiones ad superiora sua, et incommutabiles mansiones tam superiorum quam inferiorum conservationes in semetipsis, et communiones et complexiones singulorum ad singula juxta uniuscujusque proprietatem et proportionem, et inconfusæ amicitiæ ad invicem, et consonæ harmoniæ universitatis rerum, et indissolubiles concretiones ipsius universitatis, et indeficientes rerum continentiæ et successiones creaturarum, omnes status, omnes motus mentium et animarum et corporum. Ille enim qui est super stationem et motum collocans unumquodque in his quæ sibi competunt rationabiliter, ipse tanquam est causaliter status omnium stantium, et movens omnes motus ad Deum.

Dicuntur autem mentes angelicæ moveri circulariter, sursum scilicet, in quantum uniuntur illuminationibus pulchri et boni, quæ sunt sine principio et fine, juxta quod in circulo non invenitur principium aut finis. Ipsæ autem dicuntur moveri recte in quantum superiores procedunt ad inferiorum providentiam, cuncta rectificantes, et per medios ad infimos recte transeuntes. Oblique autem dicuntur moveri, id est neque circulariter neque recte, quando inferioribus (ut dictum est) providentes, nihilo minus ingressibiliter a se manent uniformiter et indeficienter laudantes intra se pulchrum et bonum, causam suæ incommutabilitatis. — In anima autem motus circularis dicitur, quando ipsa investigando quasi egrediens, ad se intellectualiter, quasi ad punctum de quo exiit, circulariter reflectitur a multitudinis devio revocata, et primo ad se ipsam coadunata et uniformis facta et

A unitis virtutibus unita, manuducitur ad pulchrum et bonum quod est super omnia exsistentia, et quod vere est unum et idem, sine principio, sine fine, ut est circulus. Oblique autem dicuntur moveri animæ, quando non simplici et intellectuali extensione in divina, sed secundum conditionem mortalium rationali et symbolica investigatione creaturarum manuducuntur ad illuminationes divinæ cognitionis. Recte autem moveri dicuntur, quando ad exteriora progredientes, non inde in se ipsas reflectuntur (quod esset motus circularis), sed ex illis tanquam symbolis multiplicibus ad simplices et unitas
B sursumaguntur contemplationes.

Pulchrum igitur et bonum quod est super omnem statum et motum causa est et continens et finis istarum motionum in mentibus et animabus et triplicis motus rerum sensibilium (scilicet recti, circularis, et obliqui) in hac visibilium universitate, et multo familiarius et quasi directius est causa mansionum et stationum et collocationum omnium dictorum. Et propter pulchrum et bonum et ex illo et in illo et ad illud et ejus gratia, est omnis statio et omnis motus. Ex ipso enim
C et per ipsum est omnis substantia et vita et mentis et animæ, et omnis naturæ parvitates, æqualitates, magnitudines, mensuræ omnes, et exsistentium proportiones et harmoniæ in situ congruo et universitatis congruentia* concretiones diversorum in unum, totalitates partes; omne unum, omnis multitudo; conjunctiones partium, omnis multitudinis unitiones, consummationes universitatum; quale quantum, infinitum, comparationes discretiones, omnis infinitas, omnis finis definitiones; omnes ordines, eminentiæ, elementa, formæ; omnis substantia, virtus, operatio, habitus, sensus; omne
D verbum, omne factum, omnis tactus, scientia, unitio. Et generaliter, omne exsistens ex pulchro et bono, et in pulchro et bono est, et ad pulchrum et bonum convertitur; et omnia quæcumque sunt et fiunt [per pulchrum sunt et fiunt], et ad ipsum omnia inspiciunt, et ab ipso moventur et continentur, et ipsius gratia, et propter ipsum, et in ipso est omne principium exemplare, finale, efficiens, formale, elementarium. Et simpliciter, omne principium, omnis continentia, omnis summitas, et ut cuncta comprehendam, omnia exsistentia, ex pulchro et bono sunt, et omnia non exsistentia supersubstantialiter sunt in bono et pul-

* consonantia

chro. Et bonum et pulchrum est ipsorum omnium principium et finis superprincipale et superperfectum : quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso, et ad ipsum omnia sunt, sicut dicit Apostolus. *Rom. XI, 36.*

Omnibus ergo desiderabile et amabile et delectabile pulchrum et bonum : et propter ipsum et ipsius consideratione inferiores amant superiores, convertendo se ad eos; et coordinati in eadem hierarchia vel ordine vel gradu amant invicem coordinatos sibi ; et superiores amant inferiores, eis influendo; et singuli singulos universaliter. Et omnia, quia desiderant pulchrum et bonum, ideo faciunt quæcumque faciunt, et volunt quæcumque volunt. Possumus autem fiducialiter et veraciter dicere, quod Deus, qui est omnium causa, propter bonitatis suæ excessum amat omnia, et facit omnia, et omnia perficit et continet et ad se convertit. Et est divinus amor bonus boni propter bonum. Ipse enim amor qui operatur exsistentia, præexsistens in bono excessive, non dimisit ipsum bonum manere sine germinis fecunditate ; sed movet ipsum ad creandum * res secundum excessum bonitatis qui est generativus omnium. (* causandum)

Nemo autem putet nos Deo attribuere nomen amoris sine Scripturæ sacræ attestatione ; nec attendat ad vocum sonos et dictiones et syllabas, sed ad eorumdem significata, sine quibus voces vacuæ sunt, et ad dicentis intentionem, et ad vocum significantium æquipollentias, et circumlocutiones ad exprimendum conceptum intellectum exquisitas : ut si dicatur bis duo, pro quatuor ; aut maternum solum, pro patria ; aut simile aliquid. Attendendum est autem quod utimur elementis, syllabis et dictionibus et orationibus non propter ipsas voces sed propter earum significata, quibus conceptis, quasi superfluæ sunt voces : sicut quando anima intellectualiter se exercet, superflui quasi sunt interim sensus corporei ; et eidem immittenti se ad unitionem inaccessibilis et superintellectualis luminis, superfluæ sunt intellectuales virtutes vel operationes. Sed quando mens per sensibilium collationem studet manuduci ad intelligibiles contemplationes, tunc eam magis juvant et provehunt planiores orationes et planiora sensibilium symbola, quæ clariores faciunt repræsentationes.

Et hac de causa nomine amoris utimur in divinis. Et hoc, juxta sacræ Scripturæ attestationem : Dilige (vel Ama, secundum aliam translationem) illam (id est sapientiam), et servabit te ; et arripe illam et exaltabit te ; et glorificaberis ab ea, quum eam fueris amplexatus. Et multæ aliæ scripturæ, sive in Cantico amoris, sive in aliis libris, amoris nomine utuntur in divinis : licet quibusdam Catholicis de Deo loquentibus indivinius vel indecentius videatur nomen amoris, quam dilectionis, id est minus congruens divinis (quamvis antiqua translatio habeat, Divinius, id est magis congruens). Verumtamen S. Ignatius sic scripsit : Amor meus crucifixus est in Christo. Et in libro Sapientiæ, qui continet multiplicem exhortationem et introductionem ad scientiam Dei, invenis Philonem dicentem de divina sapientia : Hanc amavi et exquisivi a juventute mea, et quæsivi mihi sponsam eam assumere, et amator factus sum formæ illius. Communiter ergo et uniformiter utendum est in divinis nomine amoris et nomine dilectionis; nisi quod videtur plus utendum nomine amoris, ad reprimendum temeritatem depravantium nomen illud : qui, quamvis sacræ Scripturæ amorem Deo attribuant, quia multitudines non capiunt simplicitatem spiritualis amoris, juxta consuetudinem suæ carnalis cogitationis et affectionis, nituntur nomen illud amoris trahere ad significationem corporalis amoris, qui non est verus amor, sed longinquum idolum veri amoris, et est casus a vero amore. Ad auferendum autem molestiam verbi a multitudine non valente intelligere unitivum Dei amorem, propter ipsorum sursumactionem et suscitationem ad cognitionem veri amoris, cautum est a Theologia ut nomen amoris in divinis assumeretur; nec solum propter illos, sed et propter nos, ne nomen * amoris, secundum apparentem formam verborum sacræ Scripturæ, possemus suspicari in spiritualibus viris terrenum amorem, ex eo quod dicit David : Doleo super te, frater mi Jonatha, decore nimis et amabilis super amorem mulierum ; sicut mater amat unicum filium suum, ita te diligebam. Qui autem recte divina intelligit, æquipollenter accipit in divinis nomen amoris et nomen dilectionis, et indifferenter significatur utroque nomine virtus unifica et conjunctiva et concretiva dilecti et diligentis in bono et pulchro, præexsistens in Verbo, per bonum et pulchrum ex bono et pulchro distributa, continens coordinata in una hierarchia aut in uno ordine vel gradu,

Prov. IV, 6, 8. — *Epist. 10.* — *Sap. VIII, 2.* — * nomine — *II Reg. I, 26.*

A secundum affectum et motum ipsorum habitudinem; moventem autem priora ad providendum subjectis, et colligentem inferiora in conversionem ad superiora.

Est autem amor in Deum tendens faciens ecstasim, non permittens amatores esse sui ipsorum per proprii cultum, sed eorum qui amantur, per excessum mentis, et facit superiora esse inferiorum per providentiam, et coordinata sibi invicem per mutuam continentiam, et inferiora superiorum per conversionem ad ipsa. Unde et B. Paulus in amore Dei magnifice excellens, dicit: Vivo autem jam non ego, vivit vero in me Christus. (Galat. II, 20)

B Hoc autem dicit sicut verus amator, et ecstasim passus, vivens Deo, et non sibi, sed amabili vita quod valde diligebat. Audendum autem est pro vero dicere, quod ipse Deus omnium causa pulchro et bono amore omnium per abundantiam amativæ bonitatis extra se ipsum fit providendo omnibus existentibus, et per bonitatem et amorem trahitur, et ex eo quod est super omnia et ab omnibus segregatum, ad id quod est in omnibus deducitur secundum virtutem supersubstantialem facientem ecstasim, sed a se ipso inegressibilem.

C — Propter quod qui profunde divina intelligunt, Deum zelotem vocant, tanquam abundanter amantem existentia, et excitantem mentes ad fervens desiderium ipsius, ostendentes ipsum esse per quem vere amabilia amantur ab existentibus, et per quem omnia existentia fiunt amabilia. Et omnino amabilitas est pulchri et boni, et amor in bono et pulchro præradicatur, et propter pulchrum et bonum et est et ingignitur quibus inest.

Vocant autem theologi Deum quandoque amorem et dilectionem tanquam causam et procreatorem amoris. Vocant et diligibilem et amabilem, quod vere est, quia omnibus appe-

D tibilis. Et in quantum amorem aliis ingignit sua supersubstantiali et universali appetibilitate, motus dicitur; in quantum vero est ipsa appetibilitas per infinitatem pulchritudinis et bonitatis omnium attractivæ, sicut magnes quemadmodum facit ferrum moveri, movere dicitur. Sive moveri dicitur, in quantum per bonitatem adductivus est sui ipsius ad existentia; movere vero, in quantum est motivus et adductivus existentium ad se ipsum. Dicitur ergo amabile et diligibile, in quantum ipse est plenitudo bonitatis et pulchritudinis cunctis appetibilis. Dicitur etiam amor

A et dilectio, in quantum ipse virtus movens et quasi sursum agens omnia ad se, omnibus naturaliter appetendus et bonus, et processus quidam simplex et amativus motus sive vere unitatis ab omnibus segregatæ, et ad omnia perveniens, per se mobilis, per se operans; præexistens supersubstantialiter in bono, ex bono et ad existentia emanat, et rursus ad bonum convertitur, in quo divinus amor monstratur sicut quidem æternus circulus habens sui interminabilitatem et principii carentiam, circumambulans propter bonum, ex bono in bono, et in bonum per quamdam

B circulationem non errantem. Et ipse amor in eodem et secundum idem procedens semper in se manet, et ad se restituitur. Hæc tractavit B. Hierotheus a Deo motus, in laudibus divini amoris: quas hic partim commemorabimus, quasi caput imponendo nostro tractatui.

« Quando amorem nominamus, sive divinum, sive angelicum, sive intellectualem, sive animalem, sive naturalem, designamus nomine amoris quamdam virtutem unitivam et concretivam, moventem superiora ad providentiam inferiorum, et coordinata ad

C communicativam et unitivam habitudinem, et inferiora ad conversionem ad superiora. (EX AMATORIIS HYMNIS B. HIEROTHEI)

« Quoniam enumeravimus plures amores ex uno originem habentes, consequenter dicemus quales sunt mundanorum et supermundanorum amorum cognitiones et virtutes. Inter quas excedunt ordines et ornatus amorum intellectualium et intelligibilium, id est mentium quæ intelligunt, et bonorum[*] quæ intelliguntur. Post quos ordines, viri spirituales qui vel proprii studii exercitatione vel divina revelatione divina intelligunt præeminent existentibus aliis per vere

D pulchros amores, et istos amores proprie laudavimus. Iterum vero resumentes omnes amores dictos convolvamus et refundamus eos ad unum et conclusum amorem qui omnes dictos amores ingignit, et congregemus eum a multis, primum colligentes ipsum ad binarium amorem, scilicet boni et pulchri, vel intellectualium et rationalium, vel processivi et recollectivi: post quos superprincipatur omnino incomprehensibilis causa omnis amoris ex eo qui est super omnia, et ad quam universalis amor omnium existentium secundum uniuscujusque naturam intendit. »

[*] horum

« Iterum ergo istos duos amores ad unum « congregantes, dicimus quod una est simplex « virtus ex se et per se motiva ad unitivam « omnium concretionem ex bono ad extrema « exsistentium procedens, et iterum seriatim « per omnia reflectens se ipsam ad bonum ex « se et per se et ad se, semper, uniformiter et « eodem modo revoluta. »

Objecerit autem aliquis sic prædictis : Dictum est supra quod pulchrum et bonum omnibus est desiderabile et amabile ; et dictum est quod ipsum non exsistens desiderat bonum, et certat aliquo modo in bono esse ; et ibidem paulo ante præmittitur quod format carens forma ; et rursus dicitur quod omnia non exsistentia sunt supersubstantialiter in pulchro et bono. Si ergo ita est quomodo fit ut quum tanta sit multitudo dæmonum, nullus eorum desideret pulchrum et bonum sed inclinetur et inclinet ad appetitum materialium, et prolapsa ab uniformi angelico desiderio boni, et sibi et omnibus causa est omnium malorum quæ fiunt ? Quomodo autem fit ut dæmonum tribus ex bono omnino producta, non sit bono conformis ? Et quomodo bonus ipsam producere voluit, aut volens potuit ? Quod si ex aliqua causa alia quam ex bono est malum, quæ est illa causa ? Quomodo autem exsistente divina providentia, potest fieri malum aut manere non destructum ? Et quomodo aliquid exsistentium desiderat vel malum, aut aliquid præter bonum ?

Respondemus : Malum non est ex bono ; et si aliquid est ex bono, ipsum non est malum : quia sicut contra ignis naturam est ut infrigidet sic contra naturam boni est ut producat aliquid non bonum. Et quum omnia exsistentia sint ex bono, nihil exsistentium ex malo est : siquidem naturaliter bonum producit ad esse, et salvat in esse vel bene aut beate esse ; malum vero corrumpit et destruit. Et res mala omnino non erit, si secundum quod est mala est. Si vero non secundum quod est mala est, non est omnino mala sed habet aliquam boni participationem, secundum quod omnino est. Item si exsistentia pulchrum et bonum desiderant, et omnia quæcumque faciunt, propter hoc quod sibi videtur bonum faciunt (nihil enim facit aliquis respiciens ad naturam mali) : quomodo ergo erit malum in exsistentibus, aut omnino exsistens, desiderio boni privabitur ? Et si omnia exsistentia ex bono sunt, et bonum est summitas eorum, ergo et A non exsistens est in bono. Malum autem neque est ens : alioqui non esset omnino malum. Neque est omnino non ens : nihil enim est universaliter non ens nisi secundum quod non ens supersubstantialiter est in bono ut dictum est supra. Bonum ergo est supersimpliciter exsistens, et multo superius quam exsistens in bono collocatum. Malum autem neque in exsistentibus, neque in non exsistentibus, sed ab ipso non exsistente magis absistens quam bonum, et magis sine substantia. Malum erit extra ens et non ens per defectum ; bonum vero extra utrumque est per B excessum.

Sed objicitur : Unde ergo est malum ? Si enim malum omnino non est, non est aliud quam virtus, neque in generali neque in particulari, neque malitia in aliquo repugnat virtuti. Quod stare non potest, quia castitas contraria est impudicitiæ, et generaliter justitia injustitiæ : et hoc dico secundum justum et injustum, pudicum et impudicum. Et etiam antequam appareat exterius distantia virtuosi ad vitiosum, multo prius in ipsa anima distiterunt universaliter malitiæ a virtutibus, et passiones vitiorum repugnant rationi. Unde C sequitur quod aliquod malum est contrarium bono, quum bonum non sit sibi ipsi contrarium, sed ab uno principio et una causa procedens, gaudeat communione et unitate et amicitia. Sed neque minus bonum contrarium est magis bono : sicut minus calidum non est contrarium magis calido ; neque minus frigidum, magis frigido. Videtur ergo ex prædictis, quod malum sit in exsistentibus et exsistens, et adversetur bono. Et si malum est corruptio exsistentium, per hoc non videtur excludi ab essentia, sed esse generativum exsistentium, quum videamus multoties quod D unius rei corruptio, sit alterius generatio. Et ita videtur quod malum conferat rebus, consummationem largiendo rerum universitati, ut non maneat imperfecta.

Ad hoc veraciter respondetur, quod malum secundum quod malum, non habet substantiam, neque est generativum alicujus rei, sed tantum malum facit et quantum in ipso est, corrumpit substantiam exsistentium ut ita dicam. Item corruptio in quantum corruptio, non dat alicui rei generationem sed tantum malum facit et corrumpit, generatio autem et substantia a bono fit. Est ergo malum secundum se ipsum corruptio, dicitur autem

generativum, propter bonum. Malum secundum A se, nec est exsistens, nec effectivum exsistentium; sed propter bonam naturam exsistentem dicitur bonum et exsistens et bonorum effectivum. Praeterea non est aliquid secundum idem, bonum et malum; nec eadem virtus secundum idem, est generatio et corruptio ejusdem, nec per se virtus est generatio et corruptio alicujus, nec per se corruptio est generatio et corruptio alicujus. Malum ergo secundum se, neque exsistens est, neque bonum, neque operativum generationis, neque effectivum exsistentium et bonorum. Bonum autem ea quae se perfecte et B integre participant, facit perfecta et integra et immixta bona; quae autem minus ipsum participant, facit bona imperfecta et mixta, propter suae participationis diminutionem. Malum autem penitus neque est bonum, neque facit bonum; sed secundum quod aliquid magis vel minus bono appropinquat, vel magis aut minus illo participat, secundum hoc magis vel minus bonum erit. Divina enim bonitas in summas substantias se copiose transfundens, et per media usque ad extrema perveniens, cunctis se communicat: primis quidem plene, mediis minus, extremis extreme. Si C enim extremis aeque se communicaret ut primis, essent et illa provectissima ut prima. Non autem congruit omnia aeque et uniformiter participare bono, quum non omnia sint ad plenariam ejus participationem pariter opportuna. Haec autem est superexcellens magnitudo omnipotentis bonitatis, quod privata se et sui ipsius privationem facit esse, secundum quod universaliter ab omnibus participatur. Et omnia sibi adversantia, participatione virtutis ipsius et sunt et bona sunt et adversari possunt.

Et omnia exsistentia generaliter, in quan- D tum sunt, et bona sunt et ex bono; in quantum autem privantur bono, nec bona sunt, neque exsistunt. Nam in particularibus habitibus accidit ut eis recedentibus, subjectum tamen exsistat; sicut aliquid calidum est aut frigidum, et tamen recedente caliditate vel frigiditate manet quod prius erat; et multa etiam exsistunt quae nec mente nec vita participant, et Deus ab ipsa substantia per excessum segregatur, et tamen supersubstantialis est. Et omnino quolibet habitu alio aut recedente aut non recedente, exsistentia aliqua sunt vel esse possunt. Quod autem penitus privatur bono, nullo modo fuit aut est aut erit aut esse potest. Si autem objicis mihi quod fornicarius privatur bono, et tamen est, et amor ejus est, et privatur omni bono: respondeo quod in quantum concupiscentia ejus irrationabilis est, in tantum privatur bono et non est, nec concupiscit exsistens; in quantum vero appetit unitivum amorem, in quadam longinqua et obscura resonantia participat bono et appetit exsistens. Sed et motus furibundus participat bono, in quantum motus et desiderium convertendi et redigendi ea quae apparent mala, ad id quod apparet bonum, quamvis non sit. Et aliquis appetens vitam quae est revera pessima, sibi tamen videtur optima, secundum hoc ipsum quod desiderat vitam optimam et ad illam respicit, participat bono. Si autem omnino bonum auferas, neque relinquetur substantia, neque vita, neque desiderium, neque motus, neque aliquid aliud. Quod ergo unius rei corruptionem sequitur alterius generatio non est ex aliqua virtute mali, sed ex virtute boni licet minorati in quantum est. Et aegritudo est ex defectu ordinatae proportionis humorum non omni modo; quia si penitus deficeret, etiam ipse morbus non subsisteret. Sed manet morbus per modicam ordinationem quae restat. Sic quod omnino expers est boni, neque exsistens est, neque in exsistentibus, quod autem mixtum est propter bonum quod habet exsistit et in exsistente est. Et etiam omnia exsistentia, in quantum magis et minus bono participant, in tantum magis et minus sunt. Et non solum exsistentia, sed etiam quod nullo modo est aut erit sed excedit ipsum ens, in bono tamen exsistit. Quod autem mixtum est id est secundum naturam bonum, secundum peccatum malum, in quantum participat bono exsistente in tantum est, in quantum vero ab eo decidit, in tantum non est: et omnino per esse ipsius quasi tenetur et sustentatur non exsistens ejus, id est per bonum malum. Malum autem quod omnino ab eo cecidit, nec minus bonum erit, sed penitus non erit; quod autem partim bonum, partim non bonum est, secundum quod dictum est, particulariter, non universaliter, bono adversatur. Et tenetur et quasi sustentatur boni privatio, ipsius boni participatione: quia ubi omnino bonum subtrahitur universaliter, neque bonum neque malum neque mixtum erit. Quum enim malum sit imperfectum bonum, sicut malus ho-

mo, vel malus angelus, vel mala actio: ubi ergo perfecte abest bonum, ibi aberit et perfectum et imperfectum bonum; et tunc tantum erit aut esse videbitur aliquod malum, quando bono adversatur, vel a bono segregatur. Impossibile est enim eadem secundum idem, vel eadem sibi in omnibus adversari. Malum ergo non est exsistens.

Sed nec in exsistentibus est ipsum malum. Si enim omnia exsistentia sunt ex bono, et bonum contineat omnia quæ sunt in exsistentibus; aut non erit malum in exsistentibus, aut malum in bono erit. Sed in bono esse non potest malum, sicut nec in igne frigidum; nec bonum facit malum fieri in eo quod est malum. Si autem detur quod malum sit in bono, sequitur inde inconveniens et impos-
Matth. VII, 18. sibile. Non enim potest arbor bona fructus malos facere, neque econverso, ut dicit Scriptura. Si autem malum est ex aliquo, et non est ex bono, ergo est ex alio principio et ex alia causa; et sequetur ut aut sit malum ex bono, aut bonum ex malo: quod si est impossibile, ex uno principio et causa erit bonum, et ex alio malum. Sic ergo duo erunt prima rerum principia. Quod esse non potest: quia omnis binarii principium, unitas est, et omnino inconveniens est ex uno et eodem simplici principio duo perfecte contraria procedere et esse; et ipsum principium non esset vere simplex et singulare, sed divisibile et biforme, et contrarium sibi ipsi et mutabile.

Sed nec possibile est esse duo principia rerum sibi contraria, invicem sibi universaliter adversantia. Si enim hoc detur, sequitur quod Deus non sit sine læsione et molestia rixæ, sed est aliquid semper Deo adversans: unde sequitur quod rerum universitas sit inordinata, et omnia semper pugnantia. Bonum autem omnibus exsistentibus tribuit amiciti-
Ephes. II, 14; Joann. XIV, 27. am, et laudatur a sanctis theologis ut per se pax et pacis donator. Propter quod omnia bona amica sunt et sibi convenientia, et unius vitæ germina et ad unum bonum coordinata, et mansueta, et similia, et se invicem adjuvantia. Quare malum non est in Deo nec res mota a Deo. Sed nec omnino a Deo est malum. Aut enim Deus non est pure bonus, aut sola bona facit et producit. Et non aliquando facit bona, aliquando non, sed semper facit bona; nec aliqua facit bona, et aliqua non bona, sed omnia facit bona: alioqui pateretur transmutationem et variationem circa se

A ipsum ipse qui est divinissimus secundum causam. Quum autem essentia Dei bonitas sit, si ipse transit de bono transit et de essentia: et ita aliquando erit exsistens et aliquando non exsistens. Si autem Deus non propria essentia sed participatione habet bonitatem, ergo ab alio eam accipit qui plenius habet: ergo quantum in se est, potest habere vel non habere; vel aliquando habere, aliquando non habere. Propter hæc ergo inconvenientia directe convincitur quod malum non est ex Deo, nec in Deo, nec æternaliter, nec temporaliter.

B Sed nec in angelis bonis est malum. Quod enim angelus boniformis enuntiat divinam bonitatem, hoc exsistens est secundum quod angelus ipse participat bono quasi secundario, scilicet post Deum, et principaliter enuntiat. Primum quidem angelus [est] imago Dei, manifestatio occulti luminis, speculum purum, clarissimum et incontaminatum, incoinquinatum, immaculatum, suscipiens plenitudinem pulchritudinis, quantum fas est: qua Deo et bono conformatur, et facit in se munde splendere, quantum possibile est, incognitam bonitatem quæ latet in occulto. Unde in angelis
C non est malum. Sed neque ideo malum in eis est quia puniunt delinquentes. Secundum hoc enim sacerdotes mali essent, ideo quod castigant peccantes et perversos, et separant eos a sacramentis. Puniri siquidem non est malum, sed facere unde aliquis dignus sit pœna. Neque malum est propter merita separari a sacramentis; sed malum est inquinare se, et recedere a sanctitate, et facere se indignum sacramentis.

Sed neque dæmones mali sunt per naturam. Si enim natura mali essent non essent ex bono, neque essent de numero exsisten-
D tium; neque essent transmutati ex bonis ad mala, si naturaliter et semper mali fuissent. Item, si natura mali sunt, aut sibi aut aliis mali sunt. Si sibi, corrumpunt se ipsos. Si aliis, corrumpunt ergo in aliis aut substantiam, aut virtutem, aut operationem. Si substantiam, in primis hoc non est secundum naturam. Sed et quædam sunt naturaliter incorruptibilia, et illa non corrumpunt. Dices forte quod corrumpunt susceptibilia corruptionis. Sed talium corruptio neque omnibus est malum, neque omnino est malum, ut in cibis hominum et animalium et aliis. Præterea nihil exsistentium corrumpitur secundum quod

est substantia et natura, sed ex defectu naturalis ordinationis infirmatur ratione harmoniæ et commensurationis, quæ requirit naturarum permanentiam. Infirmitas autem ista imperfecta est. Infirmitas enim perfecta subjectum destrueret, et talis corruptio se ipsam corrumpit et destruit. Unde hæc infirmitas imperfecta non est malum, sed bonum deficiens. Quidquid enim est omnino expers boni, non est existens. De corruptione autem virtutis et operationis eadem est ratio quæ de corruptione substantiæ.

Præterea, si dæmones secundum naturam mali sunt, a Deo non sunt : bonum enim solum bona producit et subsistere facit. Dicet fortasse aliquis, quod dæmones mali sunt, non secundum quod sunt, quum ex bono sint et bonam substantiam obtinuerint, sed mali sunt secundum quod non sunt, et secundum quod non servaverunt suum principatum, et dereliquerunt suum domicilium, sicut dicit Scriptura in Canonica Judæ. (Judæ 6.) In quo enim malos dicimus fieri dæmones, nisi in carentia habitus et operationis divinorum bonorum? Item si dæmones per naturam mali sunt, ergo semper mali sunt : sed malum instabile est. Ergo secundum quod semper et uniformiter et eodem modo se habent, mali non sunt : proprium enim boni est semper esse idem. Si autem dæmones non sunt semper mali, ergo non sunt mali per naturam, sed per defectum angelicorum bonorum. Sed nec omnino dæmones expertes sunt boni, sed participant bono in quantum sunt et vivunt et intelligunt, et omnino in eis est quidam motus desiderii. Mali autem esse dicuntur, quia infirmantur circa operationem quæ congruit naturæ ipsorum. Ergo malum in ipsis est aversio sua a bono, et excessus congruentium sibi et non conservatio, et imperfectio, et impotentia, et infirmitas virtutis salvantis ipsorum perfectionem, et fuga et casus ab eadem virtute. Præterea quid est malum in dæmonibus? Videlicet furor irrationabilis, amens concupiscentia, et phantasia proterva. Sed licet ista mala in dæmonibus, ipsa tamen quæ numerata sunt, neque omnino neque in omnibus in quibus sunt, secundum se ipsa mala sunt. Etenim in animalibus multis non talium habitus, sed ablatio seu carentia corruptio esset ipsis animalibus et malum. Habitus autem eorum salvat et esse facit naturam ipsorum animalium talia continentium. Colligitur ergo ex prædictis, quod tribus dæmonum non est mala secundum quod est per naturam, sed secundum quod non est. Et totum bonum et perpetuum est quod a bono acceperunt per naturam, sed ipsi desiderant ab integritate boni dati. Et data ipsis a bono naturalia angelica non dicimus mutata, sed sunt integra et splendidissima, quamvis ipsi non contemplentur æternam claritatem naturalibus suis virtutibus et intellectualibus veri boni inspectivis : quod ideo est, quia ipsi peccando eas averterunt et clauserunt. Quod ergo sunt, ex bono sunt, et boni sunt, et in eo quod desiderant esse, vivere et intelligere, quæ tria de numero existentium sunt, pulchrum et bonum desiderant. Per privationem vero et recessum et casum a bonis sibi competentibus, mali dicuntur et sunt, secundum quod non sunt, et dum non existens desiderant, malum desiderant.

Sed forte dicet aliquis animas esse malas. Quæ quidem non ideo malæ sunt quia cum malis cohabitant ut eos a malis retrahant : hoc enim et bonum est, et a bono et malos quandoque facit bonos. In quo ergo malæ sunt animæ? nisi in defectu bonorum habituum et operationum, et quia per propriam infirmitatem non consequuntur virtutem, sed ab ea prolabuntur? Sic dicimus aerem propinquum nobis obtenebrari propter defectum et absentiam luminis. Ipsum autem lumen semper est, quod tenebras illuminat. Sic igitur nec in dæmonibus nec in nobis est aliquid malum, sed est sicut defectus et desertum et desolatio perfectionis propriorum bonorum, scilicet cujuslibet naturæ competentium.

Sed neque in animalibus brutis est malum. Si enim auferas ab eis furorem, concupiscentiam, et similia, natura quæ restat, non est in se mala, sed neque istæ affectiones in eis malæ sunt, quia sunt naturales eis. Si enim auferatur a leone animositas et superbia, non leo erit. Et si canis fiat omnibus mansuetus, non erit canis : natura enim canis est familiarem sibi custodire et ad eum accedere, alienos autem repellere. Hæc ergo quæ non corrumpunt naturam, sed salvant, non sunt mala. Corruptio autem naturæ est defectus et infirmitas naturalium virtutum et operationum. Et quum omnia quæ generantur, in tempore habeant perfici, esse imperfectum non est contra aut præter ipsorum naturam. Sunt ergo, quamvis imperfecta sint.

Sed neque in tota natura est malum. Omnes enim naturæ et naturales rationes, sunt a divina universali natura, cui nihil est contrarium. In particularibus autem naturis aliquid fit secundum naturam, aliquid contra naturam; et iterum, quod uni est naturale, alteri est innaturale. Malum autem est quod est præter et contra naturam, scilicet privatio ordinis naturalium. Nulla ergo natura mala est; sed naturæ malum est impotentem esse ad perficiendum ea quæ sunt propriæ naturæ. — Sed neque in corpore est malum. Turpitudo autem et infirmitas corporalis, est defectus formæ et privatio naturalis ordinis. Hoc autem non est omnino malum, sed minus bonum. Si enim perfecte destruatur pulchritudo et forma, et ordo naturæ, peribit ipsum corpus. Quod autem corpus non sit proprie causa malitiæ animæ, inde patet quia sine corpore est malitia, ut in dæmonibus. Siquidem et mentibus et animabus et corporibus hoc est malum, scilicet infirmitas virtutis, quæ est habitus bonorum sibi competentium, et casus ab illa virtute.

Sed neque materiæ etiam corporum, quæ dicitur ὕλη, multum impingi potest malum, secundum quod est materia. Ipsa enim suscipit participationem ornatus et pulchritudinis. His autem exclusis, materia secundum se ipsam sine qualitate exsistens et forma, quomodo est aut facit malum, quæ secundum se ipsam neque agit neque patitur? Item materia, quæ sine forma etiam non exsistit, quomodo facit aut est bonum aut malum? Si autem des quod materia exsistit, ergo quum omnia exsistentia ex bono sint, si materia malum est, aut bonum est effectivum mali; aut malum, eo quod exsistit ex bono, est bonum; aut juxta quod dictum est supra, duo erunt rerum principia, et ipsa ab uno alio principio segregative procedentia : quæ omnia sunt inconvenientia. Item, si materia necessaria est ad universitatis visibilis completionem, quomodo erit materia malum? Malum enim non est necessarium, sed nocivum. Quomodo autem bonus Deus ex malo deducet res ad generationem? Aut quomodo est malum, quod bono est necessarium? malum enim fugit naturam boni. Item, si materia est malum, quomodo procreat aut nutrit naturam? Malum siquidem secundum quod est malum, neque est generativum neque nutritivum, neque effectivum neque salvativum alicujus rei. Si quis autem dicat quod materia non efficit malitiam in animabus, sed trahit eas ad malitiam : quomodo hoc sustineri potest, quum multæ ex ipsis animabus ad bonum respiciant et convertantur? Quomodo autem ad bonum converterentur, si materia eas ad malum traheret? Non est ergo malum in animabus ex materia, sed ex inordinato motu peccati. Quod si materiæ impingitur, quum omne malum instabile sit, sequitur quod materia instabilis necessaria est stabilitati rerum quæ in se ipsis stabiliri non possunt : quod est omnino inconveniens. Præterea, quomodo potest fieri ut malum sit necessarium, vel necessarium sit malum? — Sed non in hoc adversatur materia bono, quod secundum se privatur omni bono. Perfecta enim formæ privatio penitus impotens est; particularis autem virtutem habet, non secundum quod est privatio, sed secundum quod non est perfecta privatio. Dum enim particularis est privatio, nondum est malum; penitus vero recedente particulari boni participatione quæ facit privationem imperfectam, etiam ipsum malum destruitur.

Ut autem breviter colligamus determinationem hujus tractatus de malo, dicimus quod bonum est ex una universali causa, malum autem ex multis et particularibus defectibus. Deus videt et bonum et malum, et apud ipsum causæ malorum sunt virtutes bonæ, in quantum deficiunt. Alioqui malum esset æternum. Quod si est, et creat, et potest, et est, et facit. Sed hæc unde habet? Aut enim ex bono, aut bonum hoc habet ex malo, aut ambo habent ex alia causa : quæ omnia destructa sunt superius. Quod autem diximus virtutes esse causas malorum, non est hoc secundum naturam, sed secundum defectum naturæ. Omne enim quod est secundum naturam, ex causa determinata est. Quum ergo malum non sit ex causa determinata, indefinitum est, et non secundum naturam; nec habet rationem idealem in Verbo Dei, quod est æterna ars omnium. Numquid ergo anima causa est malorum, sicut ignis causa est caloris, ut sicut ignis sibi appropinquantia replet calore, sic anima sibi appropinquantia repleat malitia? Absit : sed natura animæ semper est bona, operationes autem ejus quandoque bonæ quandoque malæ. Si enim natura ejus vel essentia mala est, unde eam habet nisi ex bona causa quæ creat omnia? Et si ex ista bona causa est, quomodo potest esse mala substantia? Omnia

ratione bona sunt quæ ex hac causa creata sunt. Si autem secundum operationes mala est anima, illa malitia purgari et cessare potest, sicut patet in multis qui post peccata replentur virtutibus et bonis operationibus. Relinquitur ergo quod malum sit infirmitas et defectus boni. Item bonorum causa una est, et malum est bono contrarium. Mali autem multæ sunt causæ, scilicet virtutes naturales, non secundum naturalem effectum, sed per impotentiam et infirmitatem, et incommensuratam dissimilium mixtionem, quando videlicet bona naturalia perverse et immoderate exercentur. Item mala non sunt stabilia, neque immobiliter eadem semper habentia, sed sunt infinita et indeterminata, et varie distrahuntur, et hic in se infinita.

Principium autem et finis omnium malorum aliquo modo est bonum: quia consideratione boni fiunt quæcumque fiunt, sive bona sive contraria. Facimus enim utraque, desiderantes bonum. Nullus enim ad malum respiciens, vel malum sibi desiderans facit quod facit. Propter quod neque subsistentiam habet malum, sed privationem substantiæ: fit enim non gratia sui ipsius, sed gratia boni. Malum ergo dicitur esse per accidens, et propter aliud, et non ex proprio principio. Quando enim fit malum, putatur bonum esse, quia amabile est propter concupiscentiam. Revera autem malum et non rectum est propter deformitatem. Quod ergo peccans opinatur esse bonum quod non est bonum ostendit quod ipse aliud desiderat et aliud facit. Malum ergo est præter intentionem, præter naturam, præter causam principalem, finem, definitionem, et voluntatem et substantiam. Privatio ergo est malum et defectus et infirmitas et incommensuratio et peccatum et sine intentione et sine pulchritudine, sine vita, sine mente, sine ratione, et est imperfectum, insolidatum, incausale, indefinitum, infecundum, vacuum, non operans, inordinatum, dissimile, infinitum, obscurum, insubstantiatum, et penitus nihil existens.

Et omnino quidquid potest malum, hoc potest ex commixtione ad bonum. Quidquid enim omnino expers est boni, nihil est et nihil potest. Quum enim bonum sit existens vere, et voluntate appetitivum, et potens, et activum: quomodo aliquid poterit id quod est ipsi bono contrarium, et est privatum substantia et voluntate et operatione? Item non

A omnia omnibus neque eadem secundum idem mala sunt. Dæmoni enim malum est, agere contra boniformem intellectum; animæ vero malum est agere contra rationem; corpori, contra naturam.

Quæritur etiam quomodo permittantur esse mala, existente divina providentia? Respondetur: Malum secundum quod est malum non est existens neque in existentibus, et nihil existentium est improvisum. Neque enim est malum existens incommixtum, non subsistens bono. Et si nullum subsistentium non particeps boni, malum autem defectus boni, B nihil autem existentium privatur totaliter bono: in omnibus existentibus divina providentia et nihil existentium est non provisum. Sed et factis malis benigne utitur divina providentia ad utilitatem facientium mala, aut aliorum, aut communem omnium, et unicuique existentium proprie providet. Unde varias et multorum rationes super hoc non recipimus, qui dicunt quod divina providentia debet nos etiam invitos facere bonos et virtuosos. Siquidem ad Providentiam non pertinet corrumpere naturam: unde neque cogere liberum arbitrium, imo neque auferre debet. C Providet ergo rationalibus, ut proprio arbitrio et non coacto moveantur, volendo et nolendo. Et per hoc salvat naturam singulorum, et distribuit provisivas bonitates universalis et largissimæ providentiæ et proportionaliter singulis attributas ut habentia liberum arbitrium, et omnia et singula, juxta omnium et singulorum proprietatem participent, in quantum suscipit natura uniuscujusque provisorum.

Malum ergo non exsistens, neque in exsistentibus. Omnino enim non est malum secundum quod est malum, et facere malum non est virtus sed infirmitas. Et in dæmonibus D quod quidem sunt, ex bono est et bonum est. Malum autem in illis est ex casu a propriis bonis, et ex mutabilitate quæ est circa pristinam identitatem, et ex infirmitate habituum suorum, et perfectionis convenientis ipsis quæ decet angelos. Et dæmones desiderant et esse et vivere et intelligere. In quantum vero desiderant non bonum in tantum desiderant non exsistens: et hoc non est proprie desiderium, sed peccatum desiderii exsistentis.

Scienter autem peccantes dicit Scriptura eos qui cognoscunt sine oblivione quid sit bonum, sed in operatione infirmantur, et sci-

Luc. xii, 47; Jacob. iv, 17. entes voluntatem Domini, non implent præcepta audita, sive circa fidem, sive circa operationem; et qui nolunt intelligere ut bene agant, Psal. xxxv, 4. per solam infirmitatem voluntatis et aversionem. Et ut dictum est sæpe, malum omnino est infirmitas et impotentia et defectus aut cognitionis, aut fidei, aut operationis, aut desiderii boni. Objicitur : infirmitas condonanda est, non punienda. Respondetur : utique condonanda est ubi deest posse; sed si Deus administrat ei posse (juxta quod dicit Scriptura, Dat omnibus affluenter; et, Fidelis Deus qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere) excusationem sibimet subtrahit, deficiendo ab habitu propriorum bonorum, et per voluntariam aversionem et fugam et casum a vero bono. De

Jacob. i, 5. I Cor. x, 13.

A his autem diligenter tractavimus in libro de Justitia et de observantia justitiæ divinæ, ubi per vera testimonia sacræ Scripturæ contrivimus sophisticas et insipientes eorum rationes qui injustitiam et mendacium Deo præsumunt impingere. — Ecce in hoc capitulo secundum nostram facultatem laudata est divina bonitas sicut vere amabilis, sicut principium et finis omnium, sicut circumiens continentia exsistentium, sicut informans etiam non exsistentia, sicut omnium causa bonorum, sicut non causa malorum, sicut providentia, perfecta datrix boni, et supergrediens exsistentia, et B non exsistentia, et redigens mala ad bonum per malitiæ privationem, sicut omnibus desiderabilis, amabilis, diligibilis : et quæcumque alia in hoc capitulo veraciter demonstravimus.

CAPITULUM V

DE ENTE : IN QUO ET DE PARADIGMATIBUS.

TRANSEUNDUM autem nunc in vere exsistentem vere entis theologicam essentiæ nominationem. Tantum autem admonebimus quia rationi intentio est, non superessentialem essentiam, quæ superessentialis est, manifestare (ineffabile enim hoc et incognoscibile est, et universaliter inexplanabile), et ipsam superexaltatam unitatem; sed substantificam in exsistentia omnia divinæ essentiæ principalis processionem laudare. Etenim optimi divina nominatio totas omnium causalis processiones manifestans, et in exsistentia et in non exsistentia extenditur, et super exsistentia et super non exsistentia est. Hæc vero entis, in omnia exsistentia extenditur, et super omnia est. Ast ipsa vitæ, in omnia viventia extenditur, et super viventia est. Ipsa dein sapientiæ, in omnia intellectualia et rationalia et sensualia extenditur, et super hæc omnia est. Has ergo ratio laudare desiderat providentiæ manifestativas divinas nominationes. Non enim exponere ejus superessentialem bonitatem, et essentiam et vitam et sapientiam per se superessentialis Deitatis, promittit, quæ est super omnem bonitatem et deitatem et essentiam et sapientiam et vitam, in occultis (ut Eloquia dicunt) supercollocata; sed exprimentem beneficam providentiam, supereminentem bonitatem, et omnium optimorum causam laudat, et ὄν, et vitam, et sapientiam substantificam et vivificam, et sapientiæ datricem, causam essentiæ et vitæ et intellectus et rationis et sensus percipientium. Non aliud autem esse optimum dicit, et aliud ὄν, et aliud vitam aut Ps. xvii, 12.

sapientiam; neque multa causalia, et aliorum alias creatrices deitates supereminentes et subditas; sed unius Dei totas optimas processiones, et a nobis laudatas divinas nominationes; et esse quidem universalis unius Dei providentiæ manifestativam, quasdam autem universaliorum ejusdem, et particulariorum.

Et quidem dixerit quis contra hoc: quidem exsistente excedente vitam, et vita sapientiam superexistente: exsistentia quidem, viventia; ea autem quæcumque vivunt, sensualia; et eadem, rationalia; et rationalia intellectus supereminent, et circa Deum sunt, et magis ei appropinquant. Et quidem oportebat maximarum ex Deo donationum participantia, et meliora esse, et cetera supereminere. Sed si quidem inessentialia et animalia quis substituat intellectualia, bene haberet ratio. Si autem et sunt divini animi super reliqua exsistentia, et vivunt super alia viventia, et intelligunt et cognoscunt super sensum et rationem, et ultra omnia exsistentia bonum et optimum appetunt et participant; ipsi magis sunt circa optimum, abundantius ipsius participantes, et plures et majores ex eo donationes accipientes: sicut et cetera sensualium superant, illa ex superabundantia rationis; et hæc sensu, et alia vita. Et est (ut arbitror) hoc verum, quia quæ magis unius et ejus qui infiniti est doni, Dei participant, magis sunt ipsi proximiora et diviniora reliquis.

Quoniam quidem et de his diximus, age, optimum ut vere est, ut exsistentium omnium substantificum, laudemus: qui totius esse, secundum virtutem superessentialem, est substituens causa, et creator exsistentis subsistentiæ; substantiæ, essentiæ, naturæ principium; mensura sæculorum, et temporum essentialitas, et æternitas exsistentium, tempus factorum esse, utcumque factorum ex ente; æternum, et essentia, et ens, et tempus, et generatio, et factum, in exsistenti exsistentia, et utcumque subsistentia et substantia. Etenim Deus nondum est ens, sed simpliciter
I Tim. i, 17. et incircumfinite totum in se ipso esse coambiens. Proinde et Rex dicitur sæculorum, tanquam in semetipso et circa se ipsum totius esse et entis substitutor. Et neque erat, neque erit; neque factus est, neque fit, neque fiet. Magis autem neque est, sed ipse est esse exsistentibus; et non exsistentia solum, sed ipsum esse exsistentium ex ante æternaliter ente. Ipse enim est sæculum sæculorum, subsistens ante sæcula. Reincipientes igitur dicamus, quia omnibus exsistentibus et sæculis esse ex providente, et omne quidem sæculum et tempus ex ipso; totius autem et sæculi et temporis, et omnis utcumque entis, quod est ante ens, principium et causa. Et omnia ipsum participant, et a nullo exsistentium recedit; et ipse est ante omnia, et omnia in ipso constant. Et simpliciter, si quid utcumque est, in ante ente et est et intelligitur et salvatur.

Et ante alia sui participantia esse præmittitur; et est ipsum per se esse maximum, per se vitam essendo, per se sapientiam essendo, et per se similitudinem divinam essendo, et alia quæcumque participantia, ante omnia esse participando. Magis autem et hoc per se ipsum omnia exsistentia participando, id ipsum per se esse participant. Et nihil est essentia cujus non sit essentia et sæculum, id ipsum per se esse omnium. Merito igitur aliis principalius, ut ὤν, Deus ex præstantia

aliorum sui donorum laudatur. Etenim præesse et superesse festinans, et superans esse omne (hoc dico per se esse, quod ante substitit, et ex ipso esse omnis) : quomodo ergo ens substitit ? Et quidem principia exsistentium omnia, ipsius esse participantia et sunt et principia sunt ; et primo sunt, deinde principia sunt. Et si velis viventium, ut viventium, principium dicere per se ipsam vitam ; et similium, ut similium, per se ipsam similitudinem ; et unitorum, ut unitorum, per se ipsam unitatem ; et ordinatorum, ut ordinatorum, per se ipsam ordinationem ; et aliorum quæcumque hujus sive hujus, sive amborum, aut multorum participantia hoc aut hoc, aut ambo, aut multa, sunt per se ipsa participia : invenies ipsius esse primum ea participantia, et eo esse primum quidem exsistentia ; deinde hujus aut hujus principia exsistentia, et participando eo, esse et exsistentia et participata. Si autem hæc participatione esse sunt, multo magis eorum participantia. Prima igitur ipsius per se ipsum esse donationum per se ipsam summa bonitate præmissa ; et maxima prima participantium laudant.

Et sunt ex ipsa et in ipsa, et ipsum esse, et exsistentium principia, et exsistentia omnia, et quæ utcumque ab esse continentur : et hoc immensurate, et convolute, et unite. Etenim in monade omnis numerus uniformiter ante subsistit, et habet omnem numerum monas in semetipsa singulariter : et omnis numerus unitur quidem in monade ; quantum autem a monade provenit, tantum discernitur et multiplicatur. Et in centro omnes circuli lineæ secundum primam unitatem consubstitutæ sunt, et omnes habet signum in semetipso simplas uniformiter unitas ad se invicem, et ad unum principium ex quo procedebant : et in ipso quidem centro universaliter adunantur ; breviter autem eo distantes, breviter et discernuntur ; magis autem recedentes, magis. Et simpliciter, quanto centro proximiores sunt, tantum et ipsi et sibi invicem adunantur ; et quantum eo, tantum et a se invicem distant. Sed et in tota omnium natura, omnes secundum singula naturæ rationes convolutæ sunt per unam inconfusam unitatem ; et in anima uniformiter secundum partes omnium providæ totius corporis virtutes. Nihil ergo inconsequens, ex obscuris imaginibus in omnium causale ascendentes, supermundanis oculis contemplari omnia in omnium causali, et sibi invicem opposita, uniformiter et unite. Principium enim est exsistentium, ex quo et ipsum esse, et omnia utcumque exsistentia : omne principium, omnis finis ; omnis vita, omnis immortalitas ; omnis sapientia, omnis ordo, omnis harmonia ; omnis virtus, omnis custodia, omnis collocatio, omnis distributio ; omnis intellectus, omnis ratio, omnis sensus, omnis habitus ; omnis status, omnis motus ; omnis unitas, omne judicium, omnis amicitia, omnis compactio ; omnis discretio, omnis terminus : et alia quæcumque ab esse exsistentia, exsistentia omnia characterizant.

Et ex ipsa omnium causa, invisibiles et intellectuales deiformium angelorum essentiæ, et animarum et totius mundi natura, et quæ utcumque aut in aliis subsistere aut secundum excogitationem esse dicuntur. Et quidem igitur sanctissimæ et præstantissimæ virtutes vere exsistentes, et velut in vestibulis superessentialis Trinitatis stabilitæ, ab ipsa et in ipsa et esse et deiformiter esse habent ; et post

illas subditas, subjectam; et novissimas, extremum quantum ad angelos, quantum vero ad nos, supermundanum. Et animae et alia omnia exsistentia, per eamdem rationem et esse et bene esse habent; et sunt et bene sunt, ex ante ente esse et bene esse habentia, et in ipso ente et exsistentia et bene exsistentia; et ex ipso inchoata, et in ipso custodita, et in ipsum consummata. Et quidem honorabilissima ipsius esse tribuunt melioribus essentiis, quas et aeternas vocant Eloquia; esse autem ipsum exsistentibus omnibus nunquam deseritur. Ipsum vero esse, ex ante ente; et ab ipso est esse, et non ipse esse; et in ipso est esse, et non ipse est in esse; et ipsum habet esse, et non ipse habet esse. Et ipse est exsistendi aevum et principium et mensura, ante essentias ens et entia et saecula et omnium substantificum principium et medietas et consummatio. Et propter hoc ab Eloquiis ipse vere ante ens, et juxta omnem exsistentium intelligentiam multiplicatur; et quod erat, in ipso, et quod est, et quod erit, et quod factum est, et fit, et fiet, proprie laudatur. Haec enim omnia, divina intelligentibus, secundum omnem excogitationem ipsum superessentialiter esse significant, et ubique exsistentium causalem. Etenim neque quidem est hoc, hoc autem non est; neque ibi quidem est, ibi autem non est : sed omnia est, ut omnium causalis, et in ipso omnia principia, omnes confines, omnes conclusiones, omnia exsistentia coambiens et praehabens. Et super omnia est, ut ante omnia superessentialiter superens. Proinde et omnia de eo et simul praedicantur, et nihil est exsistentium : formosissimum et speciosissimum, sine forma et sine specie; principia et media et fines exsistentium immensurate et remote in semetipso praeambiens, et omnibus esse juxta primam et superunitam causam incontaminate declarans. Si enim juxta nos sol sensibilium essentias et qualitates, et quidem multas et discretas exsistentes, tamen ipse unus ens et uniformis illuminans lux, renovat, et nutrit, et custodit, et perficit, et discernit, et unit, et refovet; et fecunda esse facit, et auget, et mutat, et collocat, et plantat, et removet, et vivificat omnia; et omnium unumquodque proprie sibi eumdem et unum solem participat, et multorum participantium unus sol causas in se ipso uniformiter praeambit : multo magis super terrae et ipsius solis et omnium causalis, praetexuisse omnium exsistentium paradigmata secundum unam superessentialem unitatem concedendum. Deinde et essentias adducit, juxta ab essentia egressionem.

Paradigmata autem dicimus esse ipsas in Deo exsistentium substantificas et uniformiter praetextas rationes : quas Theologia praedestinationes vocat, et divinas et optimas voluntates exsistentium discretivas et factivas, secundum quas ipse superessentialis exsistentia omnia praedestinavit et adduxit. Si autem philosophus dignum ducit Clemens et ad aliquid paradigmata dici in exsistentibus antiquiora, provenit quidem non per propria et perfecta et simpla nomina ratio ipsi. Concedentes autem et hoc recte dici, Theologiae memorandum, dicentis, Quia non ostendi tibi haec exire post ea, sed ut per hoc proportionali scientia, in omnium causam, quantum potentes sumus, ascendamus.

Omnia ergo huic exsistentia secundum unam omnium excelsam scientiam refe-

renda : quoniam quidem ex esse substantifica processione et bonitate inchoans, et per omnia veniens, et omnia ex se ipsa ut sint implens, et in omnibus exsistentibus exsultans ; omnia quidem in se ipsa superat secundum primam simplicitatis excellentiam omnem duplicitatem respuentem ; omnia autem simpliciter continet secundum suam supersimplificatam multitudinem, et ab omnibus singulariter participatur, sicut et vox una exsistens et eadem, a multis audientibus velut una percipitur. Omnium ergo principium et finis exsistentium ante ens : principium quidem, ut causalis ; finis vero, ut propter quem, et extremum omnium, et multitudo totius multitudinis et extremitatis supereminenter, ut oppositorum. In uno enim, ut sæpe dictum est, exsistentia omnia et superat et substituit, præsens omnibus et ubique et secundum unum et id ipsum et secundum id ipsum omne ; et in omnia proveniens, et manens in se ipso ; et stans et motus, et neque stans neque motus ; neque principium habens, aut medium, aut finem ; neque in quodam exsistentium, neque quid exsistentium ens. Et neque omnino ipsi appropinquat quid æternaliter exsistentium, aut temporaliter substitutorum ; sed et tempore et æterno, et quæ in æterno et quæ in tempore sunt, omnibus removetur. Proinde et ipsum æternum et exsistentia, et mensuræ exsistentium et mensurata, per ipsum et ab ipso.

ARTICULUS LXIV

EXPLANATIO INITII CAPITULI HUJUS QUINTI : QUÆ SIT INTENTIO PRÆSENTIS SERMONIS ; ET CUJUSDAM ERRORIS EXPULSIO.

FINITO capitulo quarto, in quo prolixe A tractatum est de bono, qualiter ipsum sit nomen Dei et qualiter ei conveniat, et quemadmodum malum nihil sit positive, et de ejus origine, et de malitia dæmonum, ac triplici motu angelorum ; in quinto isto capitulo tractat de alio ac secundo nomine Dei, quod est Esse seu Ens.

Transeundum autem nunc processu ordinatæ considerationis, *in vere exsistentem vere entis theologicam essentiæ nominationem*, id est, ad « nominationem theologicam vere exsistentem », id est, re- B aliter congruentem ac permanentem, « essentiæ vere entis », id est divinæ essentiæ, cui tam eminenter competit esse ac nomen essentiæ, quod ejus comparatione omne creatum est quasi non ens.

A *Tantum autem admonebimus*, id est, hoc in primis commemorabimus, *quia rationi intentio est*, id est, quod propositum rationis meæ nunc est, *non superessentialem essentiam, quæ superessentialis est, manifestare*, id est, non ostensive docere, definire aut declarare quid sit divina et increata essentia, « quæ » vere « superessentialis est », id est, supra omne genus et speciem, supra omnem ordinem et continentiam rerum, infinite et incomprehensibiliter est cuncta transcendens, B neque cum aliquo ente secundo quidquam univoce habens. Ideo subditur : *Ineffabile enim hoc et incognoscibile est* quid sit divina essentia in se ipsa, et sicuti est in propria puritate ac luce : quod in vita hac comprehendere non valemus ; *et uni-*

[illegible]. *Et quam super-* [illegible], id est, indeclarabilis quoque et incomprehensibilis est unitas ac simplicitas divinæ essentiæ. Quamvis enim ex naturali lumine et Scripturis ac fide sciamus quod Deus sit summe et incomparabiliter simplex et unus, quantum ad quia est, et a posteriori seu ex ejus effectibus ; attamen veritatem et modum ac excellentiam unitatis ac simplicitatis illius nec capere nec aliis sicuti est explanare valemus, neque scire quomodo realiter idem sit cum supergloriosissima Trinitate. *Sed substantificam* [illegible] *omnis divinæ essentiæ principalis processionem laudare*, id est emanationem summi entis ad extra laudando describere : quæ emanatio substantifica dicitur, id est causa substantiæ ac subsistentiæ creaturarum, et procedit in entia universa distincte ac ordinate, causando diversos gradus et species ac ordines rerum. Hanc processionem intendit describere, prout ex ea et ex effectibus ejus, puta naturis productis per eam, Deus altissimus omnipotens et æternus, cognoscibilis laudabilisque ostenditur.

Etenim optimi divina nominatio totius omnium causalis processiones manifestans, id est, « nominatio optimi » Dei « divina » et sancta, « manifestans processiones », id est influxiones et communicationes, « totius causalis omnium », id est Dei qui est omnium causa et causativus, qui ex suis processionibus et effectibus cognoscitur ac nominatur, *et in existentia et in non existentia extenditur*, id est, pertingit usque ad ea quæ jam producta sunt (illis providendo, et accidentales perfectiones adjiciendo : quia a Deo habent esse et bene esse, ac sibi necessaria sortiuntur), « et » usque « in non existentia », illa producendo immediate per se, vel mediate per causas secundas universales aut particulares ; *et super existentia et super non existentia est* per providentiam excellentiamque immensam.

Hæc vero entis, in omnia existentia extenditur, et super omnia est. Ad ipsa vitæ, in omnia viventia extenditur, et super omnia viventia est, id est, processio, derivatio et influentia primæ, incausatæ atque fontalis vitæ, descendit in universa quæ vivunt, cunctisque viventibus eminet infinite, non loco, sed dignitate.

Ipsa vero sapientiæ, in omnia intellectualia et rationalia et sensualia extenditur, et super hæc omnia est : id est, illuminatio sapientiæ æternalis expansa est super omnes mentes angelicas et humanas, quæ ab illa participant cognitionem intellectivam aut discursivam ; super vires quoque sensitivam cognitionem habentes : quæ cognitio est umbra et casus atque obscura participatio intellectivæ notitiæ ; « et super hæc omnia est ».

Nec ista ab invicem sunt diversa, sed primum ens, supremum vivens, fontale intelligens, sunt unum et idem universorum entium et viventium ac intelligentium causale et supersapientiale principium, quod unum ac simplex ac incommutabile in se permanens, diversos producit effectus et processiones : qui secundum quod active in ipso accipiuntur et sunt, idem realiter sunt ; sed prout passive ab ipso oriri, causari ac descendere perhibentur, diversificantur. Intellectualia demum et rationalia, a primo ente immediate creantur.

Has ergo ratio laudare desiderat providentiæ manifestativas divinas nominationes : id est, et hæc nomina Dei declarativa « providentiæ » et efficientiæ ac influentiæ ejus, intellectus meus cupit « laudare », et laudando describere : et non tantum nuda nomina nominantia, sed per respectum ad principaliter nominatum et significatum per ea, et ad ipsum finaliter laudandum, nominandum, cognoscendum et honorandum, prout in his nominibus et per ea et per designata eorum potest agnosci.

Non enim exponere ejus superessentialem bonitatem, et essentiam et vitam et sapientiam per se superessentialis Deitatis,

promittit, id est, ratio mea nequaquam præsumit nec pollicetur se expondituram et declaraturam quidditative « superessentialem bonitatem, sapientiam, vitam », et consimilia attributa divinæ naturæ ; *quæ* Deitas *est super omnem bonitatem et deitatem et essentiam et sapientiam et vitam* participatam, et a nobis comprehensibilem, et prout a nobis comprehendi nunc potest, *in occultis (ut reliqua dicunt) supercollocata*, id est, quæ Deitas in se ipsa et in propria incomprehensibilitate Col. II, 3. nobis occultissima est, in absconditis thesauris sapientiæ suæ superaltissimæ consistens, quiescens, residens ac præeminens, « ut reliqua », id est ut alia loca Scripturæ, « dicunt ». Hinc alia littera habet : Sicut Eloquia, etc.

Sed exprimentem beneficum providentiam, id est, ratio nostra promittit se declarare « providentiam » Dei, id est sapientiam Dei secundum quod est gubernativa et liberaliter provisiva creaturarum. Laudat quoque *supereminentem bonitatem, et omnium optimorum*, id est valde bonorum, præsertim bonorum gloriæ, *causam laudat*, quæ nec oculus vidit, nec I Cor. II, 9. auris audivit ; *et ὄν, et vitam, et sapientiam substantificam et vivificam*, quia substantiam et vitam aliis præstat, *et sapientiæ datricem, causam essentiæ et vitæ et intellectus et rationis et sensus percipientium*. Ipse namque est fons, causa et dator omnium horum, percipientium ista ab illo primo datore.

Consequenter excludit errorem quorumdam.

*Non aliud autem esse optimum dicit, et aliud ens**, *et aliud vitam aut sapientiam* : id est, ratio seu Scriptura non docet nec dicit quod aliud sit primum seu summum bonum, aliud primum ens, aliud primum vivens seu prima vita, aliud primum sapiens aut sapientia prima ; *neque multa causalia*, id est plures primos auctores et causas divinas, *et aliarum alias creatrices deitates supereminentes et subditas*, id est invicem subordinatas : sicut

* ὄν

A Platonicis imponitur quod posuerunt ordines plures deorum et separatas ideas, ita quod aliud esset per se bonum, aliud per se ens, aliud per se vivens, et ita deinceps. Et multa sunt theoremata in Elementatione Procli quæ hoc videntur prætendere. Quod qualiter ipsi intellexerunt, difficile apparet resolvere, quum et ex dictis eorumdem probetur ipsos non ita hoc sensisse sicut a quibusdam ipsis imponitur. Et utique vere est quod Theologus dicit hoc, et quod illorum positio stare B non queat secundum sensum aut modum quo hic recitatur.

Sed unius Dei totas optimas processiones, id est, cunctas emanationes et communicationes prætactas esse ab uno vero summo et solo Deo, *et a nobis laudatas divinas nominationes* convenire eidem altissimo Deo secundum diversas rationes.

Et esse quidem universalis unius Dei providentiæ manifestativam, id est, processionem et communicationem ipsius entis seu esse, quæ est communissima, quia C cunctis creatis impertita, « manifestativam » consistere « universalis providentiæ Dei unius », quia demonstrat quod causalitas, diffusio, providentia summi Dei, pertingit seque extendit ad universa et singula ; *quasdam autem universaliorum ejusdem, et particulariorum*, id est, aliquas processiones profluentes a Deo, esse declarativas generaliorum providentiarum ipsius, et aliquas esse declarativas magis particularium provisionum ipsius : sicut processio vitæ est latior ac communior D quam processio et communicatio sapientiæ Dei, sicque processio illa communior ostendit quod provisio Dei circa viventia est generalior et ad plures extendit se, quam provisio Dei ut primi intelligentis. Non quod in Deo sint diversæ provisiones seu providentiæ, sed quod providentia Dei sub una ratione plura concernit quam providentia ejus sub alia ratione : quemadmodum etiam providentia Dei circa electos, prædestinatio appellatur, et pauciores respicit quam quæ ceterorum.

ARTICULUS LXV

EA QUÆ DEUM MAGIS PARTICIPANT, EI SUNT PROPINQUIORA.

ET *quidem dixerit quis contra hoc*, id est, aliquis his possit objicere : *eadem superioritate excedentis vitam*, id est, ipso ente seu existente excedente vitam seu vivum, quia in plus est ens generalius ens quam vivens, *et vita sapientiam superexcedente*, id est, vivente communiori existente quam est sapientia ; *existentia quidem, viventia* transcendunt quantum ad communitatem ; *ea autem quæcumque vivunt, sensibilia*, id est, viva sunt communiora quam sensitiva, quum et vegetativa ac angeli vivant ; *et eadem, rationalia* excedunt in communitate, quemadmodum animal hominem ; *et rationalia intellectus superexcedunt*, id est, in plus sunt quam intellectuales substantiæ, secundum quod separatæ substantiæ etiam rationales vocantur. Vel sensus est, quod viventia excedunt ea qui solum exsistunt, et sensitiva transcendunt illa quæ solum vivunt vegetative, et rationalia præeminent sensitivis dumtaxat, intellectualia quoque rationalibus.

Et circa Deum sunt, et magis ei appropinquant, id est, angelicæ mentes Deo similiores ac propinquiores consistunt, juxta illud Augustini : Deus fecit angelum prope se, materiam prope nihil. *Et quidem oportebat maximorum ex Deo donationum participantia*, id est eis qui a Deo participant dona subliniora, *et meliora esse, et cætera superexcedere*, id est aliis in dignitate præferri.

Deinde respondet ad istud : *Sed si quidem inexsistentia et insensibilia quis substituat intellectualia*, id est, si aliquis statuat intellectuales creaturas sub eis quæ non exsistunt nec sentiunt, *hoc haberet ratio*, id est, recte concluderet. *Si autem et sunt divini animi super reliqua existentia*, id est, quia angelici spiritus excedunt reliqua creata, *et vivunt super alia viventia*, id est nobilius quam reliqua viva, *et intelligunt et cognoscunt super sensum et rationem*, id est eminentius quam bruta et homines, *et ultra omnia existentia bonum et optimum appetunt et participant*, id est, præ cunctis aliis optant et sortiuntur dona primi ac summi boni et pulchri ; *ipsi magis sunt circa optimum*, id est, Deo propinquiores sunt, *abundantius ipsius participantes*, id est, copiosius participationes divinæ perfectionis sumentes, *et plures et majores ex eo donationes accipientes : sicut et cætera sensualium superant ex* * *superabundantia rationis*, id est quemadmodum per eminentiam rationis alia sensitivæ naturæ ; *et hæc sensu, et alia vita*, id est, aliqua eminent sensu et sensitiva cognitione, ac appetitiva potentia, ut animalia vegetativis, vegetativa quoque elementis.

* *alia ex*

Et est (ut arbitror) hoc verum, quia quæ magis unius et ejus qui infiniti est doni, Dei participant, id est, hoc judico simpliciter verum, quod substantiæ participantes abundantius munera Dei, qui unus est in essentia, et infinitæ communicabilitatis, et indeficientissimæ communicationis, *magis sunt ipsi proximiora*, non loco, sed assimilatione, *et diviniora reliquis*.

ARTICULUS LXVI

QUOD ESSE DIVINUM SIT UNIVERSALIS CAUSA CUJUSLIBET ENTIS.

* et de

QUONIAM *quidem*, id est certe quia, *de** A *his diximus, age*, adverbialiter, estque vox exhortationis, *optimum ut vere est, ut exsistentium omnium substantificum, laudemus*, id est, Deum incomparabiliter bonum laudemus tanquam vere, perfecte, non dependenter aut participative exsistentem, sed « substantificum », id est causam et datorem totius subsistentis esse in aliis. Unde subjungitur :

Qui totius esse, secundum virtutem superessentialem, est substituens causa, id est, juxta omnipotentiam suam, quæ om- B nem creatam potestatem essentiamque transcendit, est causa constituens omne esse quod citra ipsum est, *et creator exsistentis subsistentiæ ; substantiæ, essentiæ, naturæ principium*, id est fons et prima causa totius « substantiæ » compositæ, atque « essentiæ » simplicis, ac « naturæ », quæ est principium motus et quietis, et a qua operatio nascitur.

Mensura sæculorum, id est, cunctis ætatibus, generationibus, durationibus, exordium ac terminum tribuens, *et temporum* C *essentialitas*, id est, temporibus sicut et ceteris successivis, hoc ipsum esse diminutum ac fluidum quod habent, donans : qui quatuor coæquæva, quorum unum est tempus, simul produxit in mundi initio,
Boetius, lib. III, metr. 9 juxta illud : Qui tempus ab ævo ire jubes. *Et æternitas exsistentium*, id est causa perpetuitatis perpetuorum, et æternitas ea præcedens, includens, conservans ; *tempus factorum esse*, id est causa temporis præteriti rerum gestarum, *utcumque factorum ex ente*, id est, quæ qualitercumque D processerunt ex causa aliqua exsistente.

Æternum, et essentia, et ens : ipse enim est ens prorsus et absolute « æternum, et essentia » quæ est suum esse, « et ens » quod est entitas sua : *et tempus, et generatio*, id est causa et institutor ac moderator ipsorum, *et factum*, id est causa facti ; *in exsistenti exsistentia :* quoniam sine virtute ipsius nihil fit positivum in quocumque effectu ; *et utcumque subsistentia et substantia*. Ista per causam et supereminentiam enuntiantur de Deo.

Etenim Deus nondum est ens, id est, non est profecturus ad esse perfectius, *sed simpliciter et incircumfinite*, id est incircumscripte, *totum in se ipso esse comambiens*, id est, in se comprehendens eminenter omnem perfectionem et differentiam essendi. *Proinde et Rex dicitur sæculorum*, juxta illud Apostoli : Regi sæculorum immortali, invisibili ; I Tim. I 17. *tanquam in semetipso et circa se ipsum totius esse et entis substitutor*, id est institutor per idealium intuitum rationum in propria mente, et consequenter in opere.

Et neque erat in tempore, ita quod desiit esse, *neque erit*, id est tanquam modo non ens ; *neque factus est*, quum sit æternus, nec priorem se habens, *neque fit, neque fiet*, quum invariabilis sit. *Magis autem neque est* eo modo quo nos concipere possumus ipsum esse, *sed ipse est esse exsistentibus*, id est causa essendi ; *et non exsistentia solum*, id est, non tantum est ea quæ sunt, non realiter sed causaliter, *sed ipsum esse exsistentium*, non formaliter et intrinsece, *ex ante æternaliter ente*, id est, quæ exsistentia sunt effective et exemplariter ex ipso Deo exsistente « æternaliter ante » universa creata. *Ipse enim est sæculum sæculorum*, id est causa omnium sæculorum, *subsistens ante sæcula*. Porro diversas acceptiones hujus nominis,

sæculum, ponit Damascenus in principio libri secundi.

*Sæculorum principium ergo** *dicamus, quod secundum existentibus et sæculis esse ad providentiam*, id est, communicatum esse esse ex Deo omnia providentialiter gubernante, *et omne quidem sæculum et tempus ex ipso; totius autem et sæculi et temporis, et omnis utcumque*, id est quomodocumque, *entis, quod est ante ipsa*, id est ipsum esse æternum, *est principium et causa.* * igitur

A *Et omnia ipsum participant, et a nullo existentium recedit* per motum; *et ipse est ante omnia, et omnia in ipso constant*, seu consistunt virtualiter seu idealiter. *Et simpliciter, si quid** *ubicumque est*, id est, si quid sit qualitercumque, *in ante ente et est et intelligitur et salvatur*, id est, præexistit in illo « ente » æterno idealiter, « et intelligitur » ab eodem infallibiliter, « et salvatur », id est, conservatur et manet in ipso invariabiliter. * quod

ARTICULUS LXVII

QUOD DEUS PRINCIPALIUS PER IPSUM ESSE NOMINETUR.

E*T ante alia sui participantia esse præmittitur*, id est in Deo præconcipitur ab æterno, antequam sint et in esse procedant quæ increatum esse participant. *Et est ipsum per se esse existens*, id est, Deus substantialiter « est ipsum esse » non participative, et « maximum » esse, id est excellentissimum esse, *per se vitam essendo, et per se sapientiam essendo, et per se similitudinem divinam essendo*, id est, per hoc quod ipse est essentialiter ipsa vita, et ipsa sapientia sempiterna, et idea increata. Omnia namque hæc ipse solus est in se excellentissime simplex et unus et invariatus : nec possibile est aliud per se ens, aliud per se vivens, aliud per se sapiens, aliud per se exemplar; sed ipse est omne istud. *Et alia quæcumque esse participantia, ante omnia esse participando*, id est, ipse est ante cetera cuncta quæ esse participant, « participando esse ante omnia », id est faciendo illa participare ipsum esse ante alia : quia esse est primum rerum creatarum, et non est aliud ante ipsum.

B C D

Magis autem et hoc per se ipsum omnia existentia participando, id ipsum per se esse participant, id est, ipse potius « per se ipsum » est « omnia exsistentia » causaliter, per « hoc » quod cuncta « participant ipsum ». *Et nihil est essentia cujus non sit essentia et sæculum* per se, nisi participatione illius, *id ipsum per se esse omnium* efficienter.

*Merito ergo** *aliis principalius*, id est cunctis recte et rationabiliter præstantius infinite, *ut non** *Deus ex præstantia aliorum sui bonorum** *laudatur*, id est, ita quod ipse Deus in se et per se et ex se omnino perfectus, « non laudatur ex præstantia aliorum bonorum sui », id est ex donis suis et participationibus, quasi illa sint aliquo modo præstantiora quam ipse. * igitur * ὤν. * donorum

Etenim præesse et superesse festinans, id est, Deus indilate et indesinenter volens universis « præesse » ac « superesse », tanquam æternus et supereminens, *et superans esse omne*, id est, alia cuncta excedens; *hoc dico per se esse, quod ante subsistit*, id est, quod æternaliter ita ante omnia fuit, *et ex ipso esse omnis*, id est, esse cujuslibet rei fluxit ab ipso; *quomodo ergo ens subsistit?* id est, qualiter ante omnia fuit et æternaliter præfluit? utique incomprehensibili modo.

Et quidem principia exsistentium omnia, ipsius esse participantia, id est universa effectiva principia extrinseca et creata, principia quoque formalia et intrinseca, ut sunt forma atque materia, divinum « esse » aliquo modo « participantia », et per quamdam assimilationem imitantia, *et sunt et principia sunt* participatione illius ; *et primo sunt, deinde principia sunt.*

Et si velis viventium, ut viventium, principium dicere per se ipsam vitam, id est, si quis velit illam « vitam » quæ est vita « per se » et ex se, appellare et affirmare « principium » primum causale « viventium, ut viventium », id est cunctorum vivorum qualitercunque viventium ; *et similium, ut similium, per se ipsam similitudinem*, id est, si quis velit primam illam increatam « similitudinem », seu ideam exemplaremque rationem, esse primam causam ac fontale principium universorum « similium » secundorum, in quantum similia sunt ; *et unitorum, ut unitorum, per se ipsam unitatem*, id est, primam simplicissimam « unitatem » divinam et æternalem, quæ ex se et « per se » unitas est, dicat causam omnium « unitorum », secundum quod unita sunt : quia ut Proclus ait, omne unitum, alterum est a per se uno, et participat monade, id est unitate ; et omne creatum subsistens, aliquo modo unitum est ex quo est et quod est, ex actu et potentia, ex esse et essentia, ex supposito et natura ; *et ordinatorum, ut ordinatorum, per se ipsam ordinationem*, id est, divinæ mentis dispositionem omnia in se præordinantem, dicat causam omnium « ordinatorum », secundum quod talia sunt. Rom. xiii, 1 Etenim quæ a Deo sunt, ordinata sunt ; et sapientis est ordinare ac effectus suos ordinate producere. *Et aliorum quæcumque hujus sive hujus, sive amborum, aut*

A *multorum participantia hoc aut hoc, aut ambo, aut multa, sunt per se ipsa participia*, id est, quæcunque aliarum rerum inveneris, sive hujus rei sive alterius rei, sive amborum, aut plurium participantia hoc aut hoc, id est hanc perfectionem aut aliam, seu plures participationes per se ipsas.

Invenies ipsius esse primum ea participantia, id est, videbis, si rite perpendas, quod « esse » Dei æternum et increatum, sit « primum ea participantia » id B est, sit causaliter et superexcedenter, non formaliter, illa quæ ipsum participant, *et eo esse primum quidem exsistentia*, id est, omnia quæ exsistunt, « esse » utique « primum », id est principaliter, « eo », id est efficienter exemplariterque per ipsum ; *deinde hujus aut hujus principia exsistentia*, id est, illa quæ sunt principia extrinseca sive intrinseca rei hujus sive illius, *et participando eo, esse et exsistentia et participata*, id est esse id quod sunt ex participatione divini esse.

C *Si autem hæc participatione esse sunt*, id est, si ista unita et participata « sunt participatione » divini « esse », et ex communione ac ex dono ipsius, *multo magis eorum participantia*, id est principia eorum intrinseca, quæ participant quod sunt, et quod toti participato influunt ac impendunt. *Prima ergo* * *ipsius per se ipsum esse donationum per se ipsam summa bonitate præmissa*, id est, « prima » donatio et participatio « ipsius » divini « esse », quod vere est « per se ipsum, D præmissa », id est primo effusa, « per se » immediate a « summa » increataque « bonitate » : quæ donatio est esse creatum, quod est prima rerum creatarum. *Et maxima prima participantium laudant*, id est, cetera præcipua dona inter participantia bonum summum, priora laudant primum fontem, sicut effectus suam causam.

* igitur

ARTICULUS LXVIII

IN DEO, TANQUAM CAUSA OMNIUM, OMNIA ETIAM CONTRARIA ESSE UNITA.

ET *sunt ex ipsa et in ipsa, et ipsum esse*, id est, ex summa bonitate procedunt per esse causatum, quod primum est secundum rationem inter causata, *et existentium principia, et existentia omnia, et quæ ubicumque ab esse continentur*, id est, tam omnia quæ sunt quam eorum causæ itemque principia, et cuncta quæ qualitercumque « continentur ab esse », id est, manutenentur in esse a primo ente; *et hoc incircumscripte*, id est indesinenter, *et convolute*, id est per replicationem et reductionem illorum in ipsum tanquam in causam incessabiliter conservativam, *et unite*, id est omnia illa uniendo et recolligendo in se, tanquam in primo principio et ultimo fine, et ordinatore omnia connectente: quemadmodum numeri colliguntur in unitate, et lineæ in puncto, ac radii in axe seu luce, rivulique in fonte. Unde subjungitur :

Etenim in monade omnis numerus uniformiter ante subsistit radicaliter, originaliter, virtualiter, sicut tota arboris moles in parvissimo semine; *et habet omnem numerum monas* inchoative, ut dictum est, quemadmodum in materia ponuntur rationes seminales, quæ dicuntur formarum inchoationes, *in semetipsa singulariter*, id est sine multiplicatione ac diversitate. *Et omnis numerus unitur quidem*, id est, simplificatur ac unum fit, *in monade; quantum autem a monade procedit*, id est, quantum recedit ab unitate, *tantum discernitur*, id est distinguitur, *et multiplicatur*.

Et in centro omnes circuli lineæ secundum primam unitatem consubstitutæ sunt, id est, simul originaliter præexsistunt quantum ad suam originalem identitatem; *et omnes habet signum in semetipso simplas uniformiter unitas*, id est, punctum habet universas lineas ex se protractas, in se simplificatas, indistinctas, collectas, *ad se invicem, et ad unum principium*, scilicet punctum, *ex quo procedebant*, id est protrahebantur. *Et in ipso quidem centro*, id est in puncto exsistente in medio circuli, *universaliter adunantur*, id est, omnes illæ lineæ generaliter uniuntur. *Breviter autem eo distantes, breviter et discernuntur*, id est, modice exeundo et parum distando a centro, parum ac modice ab invicem secernuntur; *magis autem recedentes, magis*, id est, lineæ illæ ab invicem discernuntur palam et certe, dum remotius recedunt a centro. *Et simpliciter, quanto centro proximiores sunt, tantum et ipsi et sibi invicem adunantur*, id est, tanto plus tam centro quam mutuo identificantur; *et quantum eo*, id est, quanto plus distant a centro, *tantum et a se invicem distant*.

Sed et in tota omnium natura, omnes secundum singula naturæ rationes convolutæ sunt per unam inconfusam unitatem : id est, « in tota » rerum « natura » et ordine toto universi, « rationes » specificæ et descriptiones naturalesque entium proprietates, sunt invicem connexæ et counitæ ac coordinatæ per unam generalem omnium habitudinem et relationem ad unum principium unumque finem, sicut et ipsæ rerum species instar numerorum se habent, secundum Philosophum : juxta quem etiam totum universum reducitur et ordinatur ad Deum, sicut exercitus ad principem suum. Propterea asserit Proclus : Omnis ordinis multitudo, ad unam reducitur unitatem. Unitas namque habet

rationem principii, et procedit in multitudinem sibi convenientem. Propter quod et una colligatio et unus ordo totus, ab unitate habet descensum in multitudinem; multitudo vero ad unam reducitur causam communem. In unoquoque demum ordine sunt quædam communio, continentia atque identitas.

Et in anima uniformiter secundum partes omnium providæ totius corporis virtutes, id est, cunctæ vires corporis et omnium partium ejus, sunt collectæ et adunatæ in anima tanquam in radice et causa. Unde et anima dicitur totum potestativum. Hinc alia littera continet clarius : Et in anima uniformiter virtutes partium omnium corporis totius gubernatrices, conglobatæ sunt.

Nihil ergo inconsequens, ex obscuris imaginibus in omnium causale ascendentes, supermundanis oculis contemplari, id est, indecens non est ut nos « ascendentes » in considerationem Dei, qui est « omnium causale » principium, « ex imaginibus obscuris », id est ex speculatione defectuosarum similitudinum prætactarum, contemplemur « supermundanis oculis » id est mentibus desuper illuminatis. Porro universæ similitudines sumptæ ex creaturis, deficiunt infinite a perfecta et plena repræsentantia divinorum.
Hebr. x, 1. Propter quod ad Hebræos dicitur : Umbram habens lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum. Contemplamur, inquam, *omnia in omnium causali, et sibi invicem opposita, uniformiter et unite,* id est in Deo omnium causa « uniformiter et unite », id est idealiter et collectim : quia in ipso omnia sunt vita et lux, unum cum ipso ac invicem, quæ inter se in propriis naturis et proprietatibus et qualitatibus sunt opposita, contraria et diversa.

Principium enim est exsistentium, ex quo et ipsum esse, et omnia utcumque exsistentia, id est, Deus « est » omnium fontale et creativum « principium, ex quo » est omnium « esse », et omne qualitercumque exsistens. Deinde specialiter multa exprimuntur substantialia et accidentalia entia et diversarum categoriarum, quæ omnia fontaliter, causaliter, idealiter, mediate et immediate profluxerunt a Deo : quorum expositioni non est necessarium immorari. *Omne principium, omnis finis ; omnis vita, omnis immortalitas ; omnis sapientia, omnis ordo, omnis harmonia ; omnis virtus, omnis custodia, omnis collocatio, omnis distributio ; omnis intellectus, omnis ratio, omnis sensus, omnis habitus ; omnis status, omnis motus ; omnis unitas, omne judicium, omnis amicitia, omnis compactio ; omnis discretio, omnis terminus : et alia quæcumque ab esse exsistentia,* id est quævis « alia exsistentia » actualis « ab esse » divino emanans, *exsistentia omnia characterizant,* id est, ista et alia quæcumque figurant, ornant, ac multipliciter formant sive informant, a Deo fluxerunt.

ARTICULUS LXIX

A DEO ESSE UNIVERSOS GRADUS ENTIUM, ET IN IPSO OMNIA PRÆEXSISTERE SECUNDUM VIRTUTEM SUPERSUBSTANTIALITER UNAM.

ET ex ipsa omnium causa, invisibiles et intellectuales deiformium angelorum essentiæ, et animarum et totius mundi natura, et quæ utcumque, id est quovis modo, *aut in aliis subsistere, aut secundum excogitationem,* id est secundum intelligentiam et cognitionem, *esse dicuntur,* id est, etiam illa quæ per abstractionem

vere considerantur, et sunt universalia seu naturæ communes, secundum id quod sunt in re: quia teste Philosopho, Abstrahentium non est mendacium. Atque ut ait Boetius: Scientia est eorum quæ immutabilem sui sortiuntur substantiam. Et rursus secundum Philosophum, Rerum aliæ sunt universales, aliæ particulares. Scientiæ quoque reales de realibus sunt objectis, quamvis objecta non subsistant realiter, nec actu existant nisi in particularibus. Potest namque natura secundum se ipsam pure et nude considerari, et quantum ad ea quæ sunt de ratione ipsius: quod negare, vel magnæ obtusitatis, vel contentiosæ perversitatis esse censetur; et ut sanctus fatetur Anselmus in epistola de Verbi incarnatione ad Papam Urbanum, dialecticæ hæresis id esse videtur.

* sanctæ *Et quidem ergo* * *sanctissimæ et præstantissimæ virtutes vere existentes*, id est mentes illæ supernæ, confirmatæ et immobilitatæ in Creatore, *et velut in vestibulis supersubstantialis Trinitatis stabilitæ*, id est Omnipotenti proximiores, tanquam in valvis ac atriis ejus locatæ, ut Sup. xx super Angelicam hierarchiam est explanatum, *ab ipsa et in ipsa* Trinitate *et esse habent et deiformiter esse*, id est esse gratiæ ac gloriæ, *habent; et post illas subditæ, subjectum; et novissimæ, extremum quantum ad angelos, quantum vero ad nos, supermundanum*: id est, « post » mentes « illas » supernas sublimiores supremæ hierarchiæ, sunt mentes illæ « subditæ », scilicet angeli secundæ ac mediæ hierarchiæ, « subjectum » et inferiorem locum tenentes; « et novissimæ », id est angeli infimæ hierarchiæ, habentes locum « extremum quantum ad angelos » superiores, « quantum vero ad nos », id est per respectum ad ecclesiasticam hierarchiam, habentes locum et ordinem « supermundanum » in cœlesti ac triumphanti Ecclesia, quæ est in cœlo empyreo.

Et omnia et alia omnia existentia, per eamdem rationem et esse et bene esse habent; et sunt et bene sunt, ex ante ente, id est ex ente æterno, *esse et bene esse habentia, et in ipso ente et esse habentia et bene existentia* exemplariter atque causaliter sunt; *et ex ipso inchoata*: ab eo namque est omnis boni inceptio; *et in ipso custodita, et in ipsum consummata*. Ex ipso namque tanquam ex causa efficiente, incipiuntur; in ipso sicut causa formali formante et exemplante, custodiuntur; in ipsum sicut in causam finalem, perficiuntur, ordinantur, complentur. Propter quod secundum Apostolum, Ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt Rom. xi, 36 omnia.

Et quidem honorabilissima ipsius, esse tribuunt melioribus essentiis, id est præcipua illa Deo * attributa, quæ sunt, potentia, sapientia, bonitas, conferunt esse sublimioribus essentiis, *quas et æternas vocant Eloquia*, id est, quas Scripturæ dicunt esse perpetuas. Frequenter enim in Scripturis æternum sumitur pro perpetuo, et econtra, ut in Psalmo: Illuminans tu Ps. lxxv, 5 mirabiliter a montibus æternis; in Ecclesiaste quoque: Terra in æternum stat. Eccle. i, 4 Porro alius habet textus: Quasdam quidem dignitates essendi tribuit Deus melioribus substantiis; alius vero: At munera quidem essentiæ melioribus substantiis dividit, quas et perpetuas vocat Scriptura. *Esse autem ipsum existentibus omnibus nunquam deseritur*, id est, nunquam in toto illis aufertur.

* Dei

Ipsum vero esse, ex ante ente, id est, « esse » rebus communicatum, est « ex ente » æterno omnia præcedente. *Et ab ipso est esse*, id est, « ab ipso » derivatur « esse » secundorum, *et non ipse esse*, id est, « ipse non » est ex « esse » secundorum; *et in ipso est esse*, id est, omne « esse » ab « ipso est », *et non ipse est in esse*, id est, Deus « non est » ipsius « esse », quasi ipse sit ab esse; *et ipsum habet esse*, id est, principium primum, videlicet Deus, « habet esse », quoniam esse significatur quasi actus essentiæ seu personæ sive suppositi, *et non ipse habet esse*,

id est, nihil habet seu recipit ab esse. Alia A littera melius ac clarius habet : In ipso essentia, non ipse in essentia ; et ipse essentiam habet, non ipsum essentia.

Et ipse est existendi ævum, id est causa ævi perpetuorum, *et principium et mensura, ante essentias ens et entis et sæculi et omnium substantificum principium*, id est origo faciens ea substare, *et medietas*, id est causa connectens prima et ultima, quemadmodum medium nectit extrema, *et consummatio*.

Et propter hoc ab Eloquiis ipse vere B *ante ens*, id est, veraciter perhibetur ante omne ens esse, *et juxta omnem existentium intelligentiam multiplicatur*, id est, diversimode et per diversa multipliciter designatur secundum omnem differentiam rerum per quas ipse notificatur, et de quibus ipse prædicatur, vel econverso illa de se ipso, per causam, seu metaphorice, aut Apoc. I, 8. alio modo ; *et quod erat, in ipso, et quod est, et quod erit, et quod factum est, et fit, et fiet, proprie laudatur*, id est, in Deo et de Deo « proprie laudatur » et dici- C tur, « quod erat, et est », aut « erit, et » item « quod factum est » in præterito, « et » præsentialiter « fit, et » etiam quod « fiet » in futuro.

Verum istud mirabiliter sonat, ut alibi sæpius dictum est. Et super primum Sententiarum scribunt doctores : De Deo invariabili et æterno, improprie dicitur, fuisse et futurum esse ; proprie autem, esse. Nequaquam autem convenit superperfectissimo Deo, qui est actus purus, factum esse, nec fieri, nec esse fiendum. Quod D etiam Plato in primo Timæi deprompsit : Dicimus (inquiens) de Deo : fuit et erit ; ast illi esse solum competit juxta veram sinceramque rationem. Fuisse vero et fore deinceps, illi non competit : hæc quippe geniture temporis propria. Sed ad hæc poterit aliqualiter trahi solutio ex eo quod subditur.

Hæc enim omnia, divina intelligentibus, secundum omnem excogitationem ipsum superessentialiter esse significant : id est, ista et consimilia insinuant sapientibus in Scripturis rite imbutis aut desuper illustratis, quod Deus prorsus incomprehensibilis, est incomprehensibiliter nobis super omnem essentiam, ita quod nil convenit ei, quantumcumque perfectionale ac nobile, secundum modum quo hoc concipere possumus, sed infinite sublimius : in tantum quod etiam [minus] digna et vilia aptius de eo interdum dicuntur secundum varios tropos, quam perfecta et eminentia, ne putemus perfectiora ei proprie convenire secundum quod nos ea capere possumus, cui constat imperfecta illa ac viliora nequaquam posse proprie competere : ut super Angelicam hierarchiam expressum est de angelis sanctis, quod aliquando aptius designantur per figuras et formas bestiarum, quam hominum, ne figuræ et formæ, natura et species hominum, ipsis angelis proprie convenire putentur, quibus certum est naturas et species, figuras formasque bestiarum, non convenire vere ac proprie. Hinc subditur : *et ubique existentium causalem*, id est, prætacta jam denotant quod Deus causativus est et causa omnium, in quocumque sint loco.

Etenim neque quidem est hoc, hoc autem non est, id est, non potius est hoc quam illud ; *neque ibi quidem est, ibi autem non est*, id est, non est in hoc loco, et non in illo ; *sed omnia est* per causam et supereminentiam : ideo subditur, *ut omnium causalis. Et in ipso omnia principia, omnes confines, omnes conclusiones*. Omnia quippe in Deo sunt exemplariter, causaliter, perfectionaliter, sicut mox additur ; *omnia existentia coambiens et præhabens*, id est, Deus est cuncta in se concludens, et perfectiones eorum idealesque rationes præcontinens.

*Et super omnia est, et * ante omnia superessentialiter super ens. Proinde et omnia de eo et simul prædicantur*. Ex quo posset quis inferre : Ergo Deus est lapis et brutum. Quem falsum intellectum excludit, subdendo : *et nihil est existen-*

* al.

tione. Ergo non prædicantur de Deo absolute seu quidditative aut proprie, sed causaliter. *Formosissimum et speciosissimum, sicut formam et totius speciei*, id est, Deus est ens pulcherrimum sine pulchritudine adventitia et distincta a sua essentia; *principia et media et fines existentium immensurabilia et remota in semetipso præhabens*, id est, omnium rerum exordia, « media », terminos, proprietates, vires, et quidquid in illis est, in se æternaliter, sine temporali mensura, « et remote », id est longe eminentius quam sint in rebus, includens. Hinc aliæ translationes habent: Præcipue et excellenter. *Et enim omnia juxta primam et superunitam causam incontinenter detinens*, id est, in fulgendo communicans esse entibus universis secundum quod decet ipsum, qui est prima et summe una ac simplicissima entium causa, videlicet « incontaminate », id est pure, separatim et irreprehensibiliter. Quod consequenter probatur per simile, et quasi per locum a majori.

Si enim juxta nos sol sensibilium essentias et qualitates, et quidem multas et differentes existentes, tamen ipse unus ens et uniformiter illuminans lucem, id est, quum « sol » iste sensibilis nobis conspicuus, quamvis sit « unus » in se uniformiterque dispositus, nec alteratus in se, « et lux », id est substantia lucida, « illuminans » undique, *renovat, et nutrit, et custodit, et perficit, et discernit, et unit, et refovet* « essentias et qualitates sensibilium », id est naturas ac species, qualitates et vires corruptibilium rerum mixtarum, « et quidem », id est certe, « multas » valde « et discretas », id est ab invicem differentes; *et fecunda esse facit, et auget, et mutat, et collocat, et plantat, et removet* (nam suo recessu in zodiaco, est causa corruptionis et arefactionis, juxta sensum inductum), *et vivificat omnia* sibi subjecta in activorum passivorumque sphæra; *et omnium unumquodque proprie sibi eumdem et unum solem participat*, id est, universa et singula illa participant atque suscipiunt influentiam, illuminationem, ac varias efficientias, vires et operationes unius et ejusdem solis; *et multorum participantium unus sol causas in se ipso uniformiter præaccepit*, id est, unicus sol in se continet vires et efficacias atque causalitates multarum particularium causarum « participantium » influxum et virtuositatem ipsius.

Multo magis super terræ et ipsius solis et omnium causalis, prætexuisse omnium existentium paradigmata secundum unam superessentialem unitatem concedendum: id est, « multo » plus debemus concedere quod ipse Deus « super », id est in summo existens, « causalis », id est causativus, « omnium », scilicet « terræ et ipsius solis », ab æterno in se ipso prætexuit, præconcepit ac habuit « paradigmata », id est exemplares rationes, « secundum unam unitatem superessentialem », id est simplicissime sine omni pluralitate reali ac diversitate, secundum quod ipse suam simplicissimam essentiam intelligit variis modis imitabilem a creaturis.

Deinde et essentias adducit, id est, naturas rerum producit, a non esse ad esse transferens eas, *juxta ab essentia egressionem*, id est secundum simplicem emanationem rerum a sua natura, et juxta quod congruit ei, qui est agens per essentiam, non per potentiam aut actionem ab essentia sua distinctam. Verumtamen sapientialiter ac libere omnia facit ad extra, et ut ait Apostolus, secundum propositum suæ voluntatis. (Rom. VIII, 28.) Alia littera continet, Secundum excessum a substantia, id est juxta omnipotentiam et excellentiam suam immensam, qua omnem transcendit substantiam.

ARTICULUS LXX

DE PARADIGMATIBUS SEU EXEMPLARIBUS.

P*ARADIGMATA autem dicimus esse* A *ipsas in Deo exsistentium substantificas et uniformiter prætextas rationes, quas Theologia prædestinationes vocat :* Rom. I, 4. id est, nos « dicimus » quod « paradigmata » seu ideæ mentis divinæ, sunt « rationes » exemplares seu intellectuales et intelligibiles similitudines ac species rerum, æternaliter consistentes « in Deo », dantes creaturis esse substantiale, imo et omne esse quod habent, quæ in Scripturis vocantur « prædestinationes », id est præmissiones seu præconceptiones ac præordinationes fiendorum a Deo. Hinc aliæ translationes habent, Prædefinitiones. De quibus ideis tractat Augustinus in libro LXXXIII Quæstionum : Ideas (inquiens) Plato primus dicitur posuisse. Est autem idea factivum principium ; non factum, sed æternum, non oriens neque occidens. Unde in Timæo loquitur Plato : Certe dubium non est ad cujusmodi exemplum animadverterit mundani operis fundamenda constituens Deus, utrum ad immutabile, an ad factum et elaboratum ; C estque perspicuum quod juxta sinceræ atque immutabilis proprietatis exemplum, mundi sit instituta molitio. Itaque prædestinatio sumitur hic extensius quam in communi modo loquendi, quo solos electos vocamus prædestinatos. Ipsaque prædestinatio describitur, quod sit propositum miserendi, et item quod sit præparatio gratiæ in præsenti et gloriæ in futuro.

Insuper paradigmata vocat Theologia *et* Ps. cx, 2 *divinas et optimas voluntates*, id est practicas divinæ mentis volitiones, aut jussio- D nes quantum ad præordinatorum exsecutiones imperiales, quum tamen ratio et præcognitio ac similitudo, seu exemplar et ars, magis proprie spectent ad intellectum. Voluntates dico, *exsistentium discretivas*, id est distinctivas et determinativas, *et factivas, secundum quas ipse superessentialis*, utpote Deus, *exsistentia omnia prædestinavit*, id est præordinavit, *et adduxit*, juxta illud Boetii : Boetius lib. III, metr. 9.

O qui perpetua mundum ratione gubernas.

Et Isaias : Cum quo, ait, iniit consilium, Is. xl, 14. et instruxit eum ?

Si autem philosophus dignum ducit B *Clemens et ad aliquid paradigmata dici in exsistentibus antiquiora.* Hic tangit modum loquendi cujusdam magni : quem modum non approbat, sed cum grandi reverentia atque modestia innuit non omnifarie convenire. « Si » (pro quia) « Clemens philosophus », id est S. Clemens, beatissimi Petri discipulus et in Papatu successor (de quo Clemente Vercellensis istud exponit), « dignum ducit », id est, conveniens arbitratur, « paradigmata dici in exsistentibus ad aliquid antiquiora », id est, quod paradigmata non solum dicantur rationes mentis divinæ, sed etiam naturæ creatæ antiquiores, id est superiores per respectum ad inferiora quæ in illorum umbra producta sunt. *Provenit quidem non per propria et perfecta et simpla nomina ratio ipsi :* id est, vera « ratio non provenit », id est, non convenit nec consonat, illi B. Clementi « per nomina propria et perfecta et simpla », id est per nomina quibus utitur ista dicendo, quorum significationem acutius potuit attendisse : quia exemplar est ad cujus similitudinem et imitationem fit aliud, et sic exemplar habet rationem causæ atque principii, nec convenit formæ aut naturæ

creatæ, quum ipsa sit quid exemplatum ad imitationem exemplaris mentis divinæ, et non causa naturæ creatæ inferioris.

Concedendum autem et hoc recte dici, id est, si quis velit concedere hoc recte dictum esse quod dixit Clemens in quantum philosophus. *Theologiæ memorandum dicentis*, id est, recolat quod ait Scriptura. *Quia non ostendi tibi hæc ut ires post ea*, id est, non te docui ista creata ut illis intendas principaliter, aut inniteris finaliter. Hoc sumptum videtur ex verbo Salomonis, qui loquitur in Proverbiis : B Non transgrediaris terminos antiquos quos posuerunt patres tui. *Sed ut per hæc proportionalem scientiam, in omnium causam, quemadmodum potentes sumus, ascendamus*, id est, per agnitionem creaturarum proficiamus in notitia et contemplatione Creatoris pro viribus, et a posteriori, ac imperfecta A notitia nostræ capacitati nunc proportionata, secundum quod ex effectibus cognoscitur causa, et ex creaturis Creator, quæ a plena repræsentatione et notificatione Creatoris deficiunt infinite. Hinc in Isaia scriptum est : Levate in excelsum oculos vestros, et videte quis creavit hæc. Nempe, ut Salomon fassus est : Cuncta creavit Deus ut timeatur. Qui per Jeremiam disseruit : Audi, popule stulte, qui non habes cor : Me non timebitis, qui posui arenam terminum mari ? Etenim ab excellentia operis, præeminentia et majestas causæ pensantur. Propter quod dicitur in libro Sapientiæ : A magnitudine speciei et creaturæ poterit creator horum cognoscibiliter videri. Ideo ad Romanos affirmat Apostolus inexcusabiles esse illos qui ex consideratione creaturarum inducti non sunt ad Creatoris debitam venerationem.

Prov. XXII, 28. — Is. XL, 26. — Eccle. III, 14. — Jer. V, 21, 22. — Sap. XIII, 5. — Rom. I, 20, 21.

ARTICULUS LXXI

EORUM QUÆ IN HOC CAPITULO DICTA SUNT EPILOGATIO.

OMNIA ergo huic existentiæ secundum unam omnium excelsam scientiam referenda, id est, cuncta creata Deo sunt adscribenda et ad ejus honorem referenda secundum unicam et excellentissimam scientiam qua ipse in se ipso universa cognoscit : quod ipsum colendo, fateri debemus, et juxta hoc agere. Idcirco subjungitur : *Quoniam quidem ex esse substantifica processione et bonitate inchoans :* id est, quia Deus omnipotens in rerum productione incipiens agere et creare « ex » suo « esse » increato, communicando hoc D ipsum creatis, non naturali necessitate, sed « processione substantifica », id est emanatione sapientiali et voluntaria quæ præstitit creaturis esse et subsistentiam, « et bonitate », id est ex benevolentia et liberalitate suæ naturæ, quæ est bonitas su- C perpurissima, suæ opulentiæ jugiter diffusiva ; *et per omnia veniens*, sua beneficia impertiendo, *et omnia ex se ipsa ut sint implens :* qui ait per Jeremiam, Nonne cœlum et terram ego impleo ? *Et in omnibus existentibus exsultans*, juxta illud Psalmi : Lætabitur Dominus in operibus suis. Qui per Jeremiam testatus est : Lætabor super eis quum benefecero ipsis. Hinc Augustinus libro de Civitate narrat, quod Plato dixit Deum gaudio elatum dum mundum creavit : non utique quod ex creaturis aliquid gaudii Deo accesserit, aut gloriæ quid accreverit ; sed in ipso et in universa sapientia ac omnipotentia sua, ut in rebus relucente ac resultante. Sic et per Salomonem deprompsit, Deliciæ meæ esse cum filiis hominum : non quod ex hominibus deliciatio sua nascatur ; sed

Jer. XXIII, 24. — Ps. CIII, 31. — Jer. XXXII, 41. — Prov. VIII, 31.

quia ex infinita et propria sua benignitate, caritate, dignatione, affluentia, deliciæ suæ sint cum hominibus esse.

Omnia quidem in se ipsa superat, id est, se ipsa excedit cuncta in omni perfectione, *secundum primam simplicitatis excellentiam*, id est secundum propriam suæ fontalis ac primævæ « simplicitatis » perfectionem : quæ simplicitas omnem additionem excludit, quoniam sibi in se, et ex se, et per se, omnino atque omnimode est sufficiens. Non enim ponenda est pluralitas sine necessitate. Porro ista simplicitas Dei est perfectissima ac pura unitas ejus ; estque simplicitas ista, simplicitas actualitatis omnem potentialitatem excludens, quemadmodum simplicitas materiæ est simplicitas potentialitatis expers totius actualitatis. Ideo Proclus testatur : Hæc quidem simplicitas est perfectionis, hæc imperfectionis. *Omnem duplicitatem respuentem*. Simplicitas ergo mentis divinæ « omnem duplicitatem », simulationem, calliditatem, hypocrisin, vehementer abhorret, detestatur, odit, condemnat. Similitudo quippe, dilectionis est ratio ; dissimilitudo autem, odii est origo. Hinc scriptum est in libro Job : Simulatores et callidi provocant iram Dei. Ecclesiasticus quoque ait : Ne accesseris ad Deum duplici corde, et non sis hypocrita in conspectu hominum. Hinc jussit Salvator : Estote simplices sicut columbæ.

Job xxxvi, 13. — *Eccli.* i, 36, 37. — *Matth.* x, 16.

Omnia autem simpliciter continet, id est, in se comprehendit et conservat, *secundum suam supersimplificatam multitudinem*, id est secundum idealium rationum suarum pluralitatem, imo et infinitatem, quæ omnes in ipso sunt una simplex essentia ; *et ab omnibus singulariter participatur*, id est, unicuique aliquod speciale donum largitur, juxta illud Apostoli : Unusquisque donum suum habet a Domino : *sicut et vox una existens et eadem, a multis audientibus velut una percipitur*. De hoc Origenes et Augustinus multa conscribunt, dicentes : quemadmodum verbum mentale in lumine mentis permanens, per verbum vocale quatenus sono incorporatum, ad universos et singulos quasi totum integrum pertingit ; sic Verbum æternum in corde remanens Patris, per assumptam humanitatem processit ad homines.

I Cor. vii, 7.

Omnium ergo principium et finis existentium ante eos : principium quidem, ut causalis ; finis vero, ut propter quem, et extremum omnium : nam cunctis subtractis ipse permanet invariatus ; *et multitudo totius multitudinis* per causam et exemplar, *et extremitatis supereminenter, ut oppositorum* : nam et oppositorum et contrariorum causa est ipse. *In uno enim, ut sæpe dictum est, sunt existentia omnia*, etc. *Et stans*, quasi paratus ad operandum et adjuvandum, *et motus*, id est, egressus ad actum. Cetera hujus capituli verba frequenter sunt introducta atque exposita.

At vero de hoc nomine Dei quod est Esse, seu Qui est, dicit Damascenus libri primi capitulo nono : Omnibus quæ de Deo dicuntur nominibus principalius esse videtur Esse, seu Qui est, quemadmodum ipse oraculo Moysis loquens in monte, ait : Dic filiis Israel, Qui est, misit me. Totum enim semetipso comprehendens, est velut pelagus quoddam substantiæ infinitum et indeterminatum. Vide ergo, hoc esse adeo esse certissimum, ut nequeat cogitari non esse : non enim occurrit menti hoc esse omnifarie purum, infinita actualitate perfectum, nisi in omnimoda fuga totius non esse.

Exod. iii, 14.

TRANSLATIO MARSILII FICINI

TRANSEUNDUM vero nunc est ad ipsam apud theologos entis ipsius vere exsistentium appellationem. Sed prius admoniturі sumus, non esse nostri sermonis propositum essentiam ipsam superessentialem, qua ratione superessentialis est, explicare (id enim est ineffabile, et cognitionem expositionemque antecellit, ipsamque exsuperat unionem), sed potius celebrare quemdam ab essentia divina supereminentem processum, omnibus quæ sunt essentiam largientem. Divina sane appellatio boni cunctas ipsius omnium causæ processiones explicans, per omnia et quæ sunt et quæ non sunt extenditur, et super ea quæ sunt ac super illa quæ non sunt exsistit. Ipsius vero entis appellatio per omnia quæ sunt porrigitur, atque super omnia quæcumque sunt eminet. Cognomentum enim vitæ per viventia cuncta diffunditur, ac super viventia viget. Sapientiæ tandem denominatio per omnia intellectualia rationaliaque et sensualia propagatur, et hæc omnia superat. Has itaque sermo noster divinas appellationes divinam providentiam explicantes, celebrare desiderat. Non enim superessentialem ipsam profitetur exprimere bonitatem essentiamque et vitam atque sapientiam superessentialis Deitatis ipsius super omnem bonitatem, deitatem, essentiam, vitam,
Ps. xvii, 12 sapientiam, in occultis (ut Eloquia tradunt) eminentissime consistentis ; sed beneficam providentiam foras jam prodeuntem eminentemque bonitatem omniumque bonorum causam, et ens et vitam et sapientiam, celebrat, videlicet tanquam essendi et vivendi sapiendique causam omnibus quæ essentiæ, vitæ, intelligentiæ, rationis, sensus quoquomodo participant. Non tamen aliud esse bonum ipsum asserimus, aliud ipsum ens, aliud vitam vel sapientiam ; neque multas esse causas, deitatesque alias opifices aliorum, superiores inter se atque inferiores : sed unius Dei bonos processus omnes divinasque appellationes celebratas a nobis ; et alia quidem appellatione universam unius Dei providentiam explicari, aliis vero universaliora deinceps minusve universalia Dei ejusdem munera designari.

Sed objecerit forte quispiam hunc in modum : Quum ens quidem vita sit amplius, vitaque latior quam sapientia, quidnam in causa est ut viventia rebus duntaxat exsistentibus præstantiora sint, sensualiaque solum viventibus, sensitivis autem rationalia, rationalibus vero ipsi similiter intellectus, qui et circa Deum versantur propinquioresque existunt, tametsi oportebat quæ bona majora divinitus acceperunt, præstantiora quoque esse, ceteraque superare ? Verum si quis intellectualia fingeret essentia vitaque carere, recte forsan fuisset objectum. Sin autem intellectus divini et sunt super cetera quæcumque sunt, et vivunt super viventia cetera, et intelligunt cognoscuntque super sensum atque rationem ac præ ceteris omnibus pulchrum bonumque desiderant atque participant ; nimirum ipsi magis versantur circa ipsum bonum, qui et hoc uberius perfruuntur, ac plura insuper et majora illinc munera perceperunt : quemadmodum et rationalia solo sensu utentibus eminent, quippe quum hæc, illa munera rationis excedant ; sensualia similiter facultate sensus excedunt viventia, atque hæc similiter per vitam sequentia superant. Idque (ut arbitror) verum est : quæ unius Dei infinitis muneribus abundantius magis participant, propinquiora quoque sunt ipsi diviniorаque illis quæ minus talia perceperunt.

Quoniam vero de his satis diximus, age, bonum ipsum ut vere ens, atque his quæ

sunt omnibus essentiam tribuens, jam laudemus. Ipse qui est, totius esse per potentiam essentia superiorem causa substantifica est, atque opifex entis, exsistentiæ, substantiæ, essentiæ, naturæ; item principium et mensura æternitatum, atque temporum entitas, et æternitas entium, tempusque eorum quæ fiunt; ipsum esse his quæ quomodolibet sunt, generatio his quæ quoquomodo gignuntur. Nempe ex ipso qui est, æternitas, et essentia atque ens, rursusque tempus et generatio, et quod gignitur; item quæ sunt in entibus, et quæ quomodolibet exsistunt atque subsistunt. Nam Deus non quodam modo est ens, sed simpliciter et incircumscripte, totum in se esse comprehendens, graduque superiori complectens. Quapropter et Rex dicitur saeculorum, quippe quum in ipso et circa ipsum, esse atque ens omne subsistat. Neque erat, neque erit; neque factus est, neque fit, neque fiet. Imo vero neque est quidem, sed ipse est ipsis entibus ipsum esse. Neque vero entia solum, sed ipsum etiam esse entium ex ipso pendet, qui ante æternitatem exstat. Ille enim est sæculum sæculorum, qui est ante sæcula. Resumentes itaque dicamus, omnibus entibus sæculisque, ut sint, competere ab eo quod est superius ente; atqui omne ævum tempusque pendet ex ipso. Ipsum namque omnis ævi temporisque et universi quomodolibet exsistentis, principium et causa est, quod excelsius ente. Omnia illius participia sunt; ipsum a nullo exsistentium abest; illud sane ante omnia exstat. Cuncta in ipso consistunt; et omnino quidquid quomodolibet exsistit, certe in illo, quod eminentius ente censetur, et est et excogitatur atque servatur. 1 Tim. I, 17.

Ante omnes ipsius Dei participationes, esse præfertur; ipsumque per se esse, antiquius est quam ipsa per se vita, quam ipsa per se sapientia, ipsa per se similitudo divina, ceteraque quorum quæ sunt participantia, ante hæc omnia ipsum esse participant. Imo vero et omnia quæ ipsa per se censentur, quorum quæ sunt participant, ipsius per se esse participia sunt; nullumque est ens cujus non sit essentia atque ævum, ipsum per se esse. Merito igitur Deus in primis tanquam ens, ex antiquiore bonorum suorum munere celebratur. Qua enim ratione anteest atque superest, eadem præhabens atque superhabens, quod simpliciter ens appellatur, nimirum universum ipsum per se esse, primo quidem instituit, deinde vero hoc ipso per se esse, consequenter quidquid quomodolibet est produxit. Atqui et ipsa rerum principia omnia, per communem ipsius esse participationem et sunt et principia sunt; atque primo quidem sunt, deinde vero principia sunt. Jam vero si velis viventium omnium, qua ratione vivunt, dicere ipsam per se vitam principium esse; et similium, ut similium, ipsam per se similitudinem; atque unitorum, quatenus sunt unita, ipsam per se unitatem; ordinatorum quoque, ut ordinatorum, ipsum per se ordinem; aliorumque similiter quæ hujus vel illius, vel amborum, vel multorum participatione evadunt hoc aut illud, vel ambo, vel multa: invenies profecto participationes ipsas primo quidem ipsius communiter esse participare, atque ipso simpliciter esse primum manere, deinde hujus vel illius esse principia, et omnino per ipsam essentiæ participationem exsistere atque participari. Si igitur hæc, essentiæ participatione exsistunt, multo magis et horum participia omnia, participatione entis exsistent. Quamobrem supereminens ipsa per se bonitas omnibus aliis muneribus suis præferens commune ipsius essentiæ donum, merito ex antiquissima suarum participationum ante omnia celebratur.

Est autem ex ipsa bonitate atque in ea ipsum simpliciter esse, entiumque principia, atque entia omnia, et quæ quomodolibet passim ipsa essentia continentur. Sunt, inquam, ibi hæc absolute, collectimque et unite. Nempe in unitate numerus omnis præest uniformiter, habetque unitas omnem in se numerum singulariter; omnisque

numerus unitus quidem est in unitate; quatenus vero inde progreditur, eatenus discernitur atque multiplicatur. In centro similiter omnes circuli lineæ simul conjunctæ consistunt, ipsumque punctum habet omnes in se rectas lineas simul unitas, tam invicem quam ad principium unum ex quo pariter processerunt. Jam vero in ipso centro penitus sunt conjunctæ; parum vero discedentes inde, parum quoque inter se discernuntur, longius autem inde distantes, latius et invicem distare coguntur. Atque simpliciter, quantum centro viciniores sunt, tantum et ipsi et invicem sunt conjunctæ; quantum rursus ab ipso discedunt, tantumdem discedere invicem compelluntur. Præterea in tota universorum natura sunt omnes particulares naturæ, uniuscujusque naturæ rationes secundum quamdam unionem non confusam collectæ sunt. In anima quoque vires corporis totius singulatim gubernatoriæ, uniformiter continentur. Non est igitur alienum, si per exiles imagines ad ipsam omnium causam ascendentes, oculis mundo sublimioribus contemplemur omnia in ipsa omnium causa, etiam quæ alioqui inter se contraria sunt, singulariter penitusque unite. Est enim rerum principium, a quo exsistit et ipsum esse et omnia quomodolibet exsistentia : omne principium, omnis terminus ; omnis vita, immortalitas omnis ; omnis sapientia, totus ordo, omnis harmonia ; universa potestas, omnis custodia et conservatio, firmitas omnis, universa distributio ; omnis intelligentia, omnis ratio, sensus omnis, omnis habitus ; totus status, universus motus ; omnis unio, temperies omnis, quælibet amicitia, quævis convenientia ; cuncta discretio, quilibet terminus, unaquæque definitio ; et reliqua quæcumque eo ipso quo ipsa sunt entia, omnia entia suis quæque characteribus imprimunt.

Ex eadem quoque omnium causa exsistunt divinorum angelorum intelligibiles et intellectuales essentiæ, animarum quoque substantiæ, ac totius mundi naturæ, et quæcumque quomodolibet esse dicuntur, sive tanquam aliis accidentia, sive tanquam excogitationes quædam intelligentiæ. Jam vero sanctissimæ antiquissimæque potestates angelicæ, quæ et verissime sunt et velut in vestibulis superessentialis Trinitatis collocatæ, ab ipsa simul atque in ipsa ut et sint et divinæ sint, acceperunt. Præterea quæ post illas secundo loco inferiores sunt, inferiori quoque conditione id ipsum habent ; extremæ denique, extrema quadam sorte : extrema, inquam, si cum angelis comparentur ; comparatæ vero ad nos, ratione quadam id habent mundo superiore. Proinde animæ et cetera omnia, eadem conditione et esse et bene esse habent ; suntque et bene sunt, ex ipso bono ens universum exsuperante. In ipso quoque et sunt et bene sunt : ab ipso quidem exoriuntur, in eodem et conservantur, in ipsum denique finiuntur. Præcipua quidem ipsius esse munera excellentioribus essentiis ille distribuit, quas etiam æternas sacra Eloquia vocant ; ipsum vero esse entium omnium nunquam omnino deseritur. Jam vero ipsum esse, ex Deo, qui est excelsior ente, creatur : illius quoque est ipsum esse, neque vicissim ; in illo rursum est ipsum esse, neque econverso ; item esse ipsum, participat illum, neque fit contra. Ille quin etiam, tanquam excelsior quam essentia, est ipsius esse æternitas et principium et mensura : imo entis et æternitatis omniumque principium efficax et medium atque finis. Sacra igitur Eloquia per omnem rerum intelligentiam, Dei superioris ente cognomenta multiplicant. De illo namque dicitur, et erat, et est, et erit ; item, factum est, fitque, et fiet. Hæc enim omnia apud eos qui divina ut decet intelligunt, Deum significant per omnem intelligentiam superessentialiter esse, et omnium, quomodolibet sint, principium. Jam vero Deus non hoc quidem est, illud vero non est ; neque hic quidem et ita est, ibi vero et aliter minime : sed est simpliciter omnia, ut omnium causa, omnia rursus in se principia, omnes conclusiones et terminos omnium rerum

continens et antehabens. Et super omnia est, ut qui ante omnia præest mirabili super essentiam ratione. Quamobrem de illo simul omnia prædicantur, neque est aliquid omnium : omnem figuram speciemque possidens, interim ab omni forma et pulchritudine segregatus ; principia, media et fines rerum absolute præcipueque anticipans in se ipso, omnibus essendi munus per unam supremeque simplicem causam sincerissime superlustrans. Sol quidem hic noster essentias qualitatesque sensibilium, quamvis permultas atque differentes, ipse tamen unus quum sit lumenque unicum superlustret, renovat, nutrit, servat, perficit, distinguit, colligit, refovet, fecundat, auget, permutat, firmat, producit, excitat, vivificat omnia ; rursusque unumquodque ex omnibus pro natura sua unius ejusdemque solis est particeps, atque ipse sol unus causas omnium ante hæc uniformiter in se ipso comprehendit. Multo sane magis oportet in ipsa solis omniumque causa prius exstitisse rerum omnium exemplaria secundum singularem superioremque essentia unitatem, quandoquidem et producit essentias per excessum essentias eminentem.

Exemplaria vero dicimus rationes in Deo substantificas rerum ante hæc omnia singulariter exsistentes : quas Theologia prædefinitiones sive prædestinationes vocat, *Rom. i, 4.*
et divinas bonasque voluntates rerum definitrices omnium atque effectrices, per quas *Ps. cx, 2.*
ipse super essentiam Deus quæ sunt omnia præscripsit atque produxit. Sin autem, ut Clemens philosophus censet, forte dicendum sit etiam ad aliquid exemplaria dici quæ in ordine rerum principaliora sunt, procedit quidem ejusmodi sermo non per propria et perfecta simpliciaque nomina. Ceterum ut concedamus hoc etiam recte dici, interim meminisse debemus quod Theologia moneat, videlicet, Non ea tibi ostendi ut post illa *Deut. iv, 15-20.*
incederes, verum ut per cognitionem horum proportionalem, ad ipsam omnium causam gradatim pro viribus provehamur.

Omnia igitur ipsi omnium causæ attribuenda sunt secundum singularem unitatem omnibus eminentem. Quandoquidem causa prima ab ipso essendi munere processum substantificum ac bonum inchoans, perque omnia pergens, et universum per virtutem suam essentia complens, et in omnibus quæ sunt exsultans ; omnia prorsus anticipat in se ipsa per unum simplicitatis excessum, omnem duplicitatem respuens ; cuncta vero eodem modo complectitur per infinitatem suam se super omnia dilatantem, et unice participatur ab omnibus, quemadmodum et vox quum una eademque sit, a multis interim tanquam una sentitur. Ipse igitur qui est excelsior ente, entium omnium principium est et finis : principium quidem, tanquam auctor ; finis autem, ut cujus gratia facta sunt, omniumque terminus. Infinitas quidem omnis infinitatis, et omnis termini terminus : et id quidem eminenter, tanquam oppositorum. In uno enim, ut sæpe jam dictum est, res omnes anticipat atque efficit. Præsens quidem omnibus ubique per unum atque idem : per idem, inquam, omne et ad omnia prodiens, interea permanens in se ipso ; et consistens atque se movens, rursus neque stans neque motus ; neque principium habens, neque medium, neque finem. Neque est in aliquo exsistentium, neque aliquid eorum. Nec omnino sibi quidquam competit eorum quæ æterne sunt, vel eorum quæ temporaliter ; sed et tempore et æternitate, atque his omnibus quæ in tempore æternitateve sunt, excellenter absolvitur. Quamobrem æternitas ipsa resque omnes, rerumque mensuræ et quæ sub mensuras cadunt, per ipsum ab ipsoque sunt.

PARAPHRASIS ABBATIS VERCELLENSIS

IN hoc quinto capitulo ostendit quare Deus dicitur ens vel exsistens. Neque intendit manifestare divinam supersubstantialitatem secundum quod est supersubstantialis. Hoc enim ineffabile est et ignotum, et penitus non manifestabile, et excedens ipsam unitionem quæ excedit intellectualem manifestationem et cognitionem. Sed intendit laudare processum divinæ essentiæ quæ substantiam dat rebus. Sicut enim divina bonitas ad exsistentia procedens et se ipsam manifestans et ad exsistentia et ad non exsistentia extenditur, et etiam super exsistentia et non exsistentia est: sic et essentia divina in omnia exsistentia extenditur, et super omnia est, vita autem divina ad omnia viventia participatione sui extenditur, et est super viventia; sapientia vero Dei extenditur ad omnia intellectualia, rationalia et sensibilia, et est super omnia illa. Hujusmodi ergo processus divinæ providentiæ intendit Dionysius tractare: non promittens enarrare per se supersubstantialem bonitatem et divinam substantiam aut vitam aut sapientiam Dei per se quæ de occultis tractatur, et est abscondita ab oculis omnium viventium (nec est ut ait Propheta, qui possit scire vias ejus), sed laudare manifestum processum bonitatis et providentiam quæ extenditur ad bonifica et omnium bonorum causa, et essentiam divinam et vitam et sapientiam, secundum quod facit substantiam, vivificat et donat sapientiam causaliter his quæ scientia et vita et ratione et sensu participant. Nec propter has nominum diversitates credendum est quod aliud sit bonitas et aliud essentia, et aliud vita, et aliud sapientia, aut quod sint diversæ causalitates aut divinitates excedentes et excessæ, et aliæ alias producant: sed unius simplicis essentiæ omnes processus et dicta divina nomina, et hanc esse manifestativam totius providentiæ unius Dei, sub hac vero quasdam esse causas universaliores, quasdam inferiores.

Job xxviii, 21.

Baruch iii, 31.

Sed objicitur: quum naturaliter et causaliter prius sit esse quam vivere, et vivere prius quam sapere, quomodo fit ut viventia sint digniora exsistentibus, et sensibilia digniora his quæ vivunt et non sentiunt et rationalia sublimiora sensibilibus et intelligentiæ sublimiores rationalibus et Deo magis appropinquantes, quum ea quæ in melioribus Dei donis participant, meliora sunt? Respondetur, quod objectio locum haberet, si intellectualia non haberent esse et vivere, etc. Sed intelligentiæ habent esse melius et superius quam cetera exsistentia, et vitam superiorem quam cetera viventia, et intelligunt et cognoscunt superiori cognitione quam sit sensibilis vel rationalis, et plus quam cetera exsistentia pulchrum et bonum desiderant et eo participant: et ideo plus ceteris ei appropinquant per abundantiorem participationem, et quia plura et majora dona ab ipso percipiunt: sicut rationalia excellunt sensibilibus, quia præter sensualitatem additur eis rationalitas; item sensibilia sentiunt et vivunt, sed plantæ vivunt, nec sentiunt, sic plantæ sunt et vivunt, inanimata vero sunt tantum, et non vivunt. Et revera, quia intelligentiæ cœlestes abundantius participant uno Deo, qui in infinitum est munificus, ideo ipsæ sunt ei propinquiores et Deo conformiores quam cetera inferiora.

Et quoniam de hac præeminentia angelorum tractavimus in Angelica hierarchia, deinceps ad propositum redeamus, et laudemus divinam bonitatem sicut exsistentem et omnibus exsistentibus præbentem substantiam. Ipsa siquidem est substantificatrix causa totius esse secundum suam virtutem supersubstantialem, et creatrix omnis exsistentis, substantiæ, personæ, naturæ, principium et mensura sæculorum, et quæ facit esse tempora et ævum exsistentium, et tempus eorum quæ fiunt, esse quocumque modo exsistentibus. Ex exsistente generatio quocumque modo generatis, et ævum, et substantia, et exsistens, et tempus, et generatio et generatum; et ea quæ sunt in exsistentibus, et quæ quocumque modo insunt vel substant. Deus enim non dicitur aliquo particulari modo exsistendi exsistens, sed simpliciter, generaliter, indefinite, incircumscripte exsistens, eo quod essendi vel

cap. iv.

essentiæ plenitudinem in se ipso accepit et præaccepit. Propter quod et dicitur Rex sæculorum, tanquam ille qui in se ipso et circa se ipsum factor est et substitutor cujuslibet particularis esse et ipsius entis, et qui neque erat, neque erit, neque factus est, neque gignitur, neque gignetur. Imo neque est, sed ipse est esse exsistentibus. Neque solum causaliter est exsistentia omnia, sed ipsum esse exsistentium, et exsistens ante sæcula. Ipse enim est ævum ævorum, qui est ante sæcula. (Ævum dicitur quieta et tota simul vita.) Resumentes igitur dicimus, quod omnibus exsistentibus et sæculis esse terminetur a Deo, qui præexsistit, et omne ævum et tempus ex ipso est, et ipse est præexsistens principium omnis sæculi et omnis temporis et cujuslibet rei quocumque modo exsistentis. Et hæc quæ dicta sunt et omnia Deo participant, et ipse a nullo exsistentium recedit; et ipse est ante omnia, et omnia in ipso consistunt. Et universaliter, si aliquid aliquo modo est, ipsum in ipso præexsistente et est et intelligitur et salvatur.

1 Tim. 1,17.

Et ante alias omnes Dei participationes, esse propositum est; et ipsum esse secundum se, anterius est eo quod est esse per se vitam, et eo quod est esse per se sapientiam, et eo quod est esse per se divinam similitudinem; et quæcumque aliquo modo participant essentia particulariter, naturaliter prius participant ipso esse universali. Prius est enim esse, quam esse vitam vel sapientiam. Et est ipsa secundum quæ omnia participant exsistentiam, ut vita, sensus, ratio, intelligentia, et ipsa omnia eadem secundum se participant ipso esse; et nihil est exsistens cujus non sit Deus substantia, et ævum, et ipsum esse. Convenienter ergo aliis principalius laudatur Deus sicut exsistens, tanquam ex illo bono Dei quod est inter alia ejus bona principalius et dignius. Et ipse in se supersubstantialiter præhabens et præesse et superesse ex eo ipso quod est fecit præexsistere ipsum esse secundum se et deinde per ipsum esse, fecit subsistere esse omne quod aliquo modo exsistit. Et quidem omnia principia exsistentium participant esse, et per esse sunt et principia sunt; et prius naturaliter sunt, postea principia sunt. Et si vis ut dicatur per se vita, esse principium viventium, et similitudo per se, dicatur principium similium, secundum quod sunt similia, et per se unitio, principium unitorum, secundum quod sunt unita, et per se

A ordinatio, principium ordinatorum secundum quod sunt ordinata. Et quod de his dixi de aliis ideis sive archetypis, scilicet æternis rationibus Verbi, sentiendum est: verbi gratia, per se bonitas, per se veritas, per se æternitas, per se ipsa virtus et similia quæ simpliciter et æternaliter consistunt in Verbo Dei, et primordialiter causant omnia exsistentia. Inter antiquas autem causas primordialior est ipsum esse per se. Quæcumque ergo exsistentium participant aut una istarum causarum, aut duabus, ut vita et sensu, aut pluribus, ut vita, sensu, ratione et intellectu, bonitate gratuita,

B etc. Et invenies ipsas participationes primordialius fundari in ipso esse. Prius enim est naturaliter esse, quam esse vitam, vel esse sensum, aut sapientiam, etc. Unde ceteræ causæ primordiales sive ideales, primo fundantur in ipso esse; postea principia et causæ sunt particularium exsistentium, vel viventium vel sentientium, etc. Et ita tam exsistentia quam exsistentium causæ primordiales, participant esse. Quum ergo causæ exsistentium participent esse, multo magis oportet quod earum causata, ad hoc quod sint, aut vivant, aut sentiant, aut intelligant, ipso esse participent. Di-

C vina ergo bonitas, quæ est proprie et naturaliter et per se bonitas, primum inter omnia dona sua proponens esse, laudatur inde tanquam ex digniori sui participatione.

Et ex ipsa bonitate et in ipsa est per ipsum esse, et sunt exsistentium principia, et omnia quæ sunt exsistentium et quocumque modo ab esse continentur. Et quamvis hæc in se ipsis sint comprehensibiliter et divisim et multipliciter, tamen omnia in ipsa bonitate sunt incomprehensibiliter et conjunctim et singulariter. Cujus qualecumque exemplum patet in creaturis. In unitate siquidem omnis

D numerus præexsistit simpliciter et inconfuse, et unitas, quum sit impertibilis et simplex, omnem numerum in se ipsa singulariter continet: et omnes numeri in unitate uniuntur; et in quantum ab unitate procedendo recedunt, in tantum discernuntur et in multitudinem aguntur. Ita et in centro circuli omnes lineæ ipsius circuli secundum primam unitionem coexstiterunt, et ipsum centrum omnes lineas a se ad circumferentiam totius circuli per totum circulum procedentes, habet simpliciter in se ipso unitas et sibi invicem et ipsi centro, a quo tanquam principio ipsæ lineæ fluunt, et omnes illæ lineæ in simplici

centro perfecte uniuntur. Et ipsæ lineæ quanto minus a centro distant, tanto minus a se invicem distant, et quanto magis sibi et generaliter, quanto sunt centro propinquiores, tanto ipsi centro et sibi invicem uniuntur, quanto vero plus a centro distant tanto et a se invicem. Sed et in generali omnium natura, omnes rationes uniuscujusque particularis naturæ congregantur unitive ad unum quasi ad unicum principium, indistincte. Item in animæ simplici virtute congregantur et uniuntur omnes virtutes quibus corpus varie vegetatur, sensificatur et vivificatur in variis membris et partibus. Non est ergo inconveniens si ex collatione creaturarum quæ imagines sunt invisibilium divinorum, quasi vestigiis et similitudinibus ad Deum omnium causam ascendentes intellectualibus oculis et uniformiter et unitive contemplemur omnia in omnium causa, etiam ea quæ sibi invicem sunt contraria. Omnia siquidem exsistentia significant Deum, qui est principium exsistentium, a quo est et ipsum esse et omnis exsistentia; omne principium, omnis sapientia, omnis ordo, omnis harmonia, omnis virtus, omnis custodia, omnis collocatio, omnis distributio, omnis intellectus, omnis sermo, omnis habitus, omnis sensus; omnis status, omnis motus; omnis unitio, omnis concretio, omnis amicitia, omnis concordatio, omnis discretio, omnis definitio; et alia quæcumque sunt per esse exsistentia, omnia figurans.

Et ex eadem omnium causa sunt intelligibiles et intellectuales substantiæ deiformium angelorum et animarum, et naturæ totius mundi quæ per se subsistunt aut quæ quocumque modo in aliis sunt et subsistunt, sive dona naturæ, sive dona gratiæ et quæcumque etiam per exemplationem attribuuntur, ut deificatio et quælibet sublimis æternorum participatio. In hac autem omnium causa exsistunt summæ et sanctissimæ substantiæ summæ hierarchiæ, quæ collocantur in vestibulis supersubstantialis Trinitatis, ut dictum est in Angelica hierarchia, et ab ipsa et in ipsa habent esse et bene esse. Et substantiæ secundæ hierarchiæ minus excellenter quam illæ primæ, et substantiæ infimæ hierarchiæ, scilicet Principatus, Archangeli, Angeli, minus excellenter quam mediæ, ab eadem omnium causa habent esse et bene esse. Istæ autem cœlestes substantiæ, quamvis quoad angelos sunt extremæ, tamen superiores nobis sunt. Et supermundanæ ab eadem omnium causa et animæ et omnia exsistentia similiter et esse et bene esse habent, et sunt et bene sunt et in ipsa præexsistunt, habentia esse et bene esse, et exsistentia et bene exsistentia, et ex ipsa incipiunt, et in ipsa custodiuntur, et in ipsa terminantur. Quum autem hæc omnium causa cunctis exsistentibus esse conferat, sublimioribus tamen substantiis, quas Scriptura æternas vocat, quia indissolubiles sunt, vel quia æternitati penitus inhærent et uniuntur, his, inquam, substantiis distribuit quasdam speciales essendi dignitates, etiam in bonis naturalibus. Hoc autem ipsum esse, generaliter omnibus exsistentibus distribuitur. Et ipsum esse est ex præexsistente causa omnium; et esse est ipsius et non ipsa esse; et esse est in ipsa, et ipsa non est in eo quod est esse; et habet ipsam et participat ipsa, et non habet ipsa esse neque participat. Et ipsa est ævum et principium et mensura essendi, et ipsa est exsistens ante substantiam et ante id quod exsistit esse, et ante ævum; et ipsa est substantificatrix et principium et medietas et finis omnium. Et ideo ipsa vere exsistens, secundum omnium exsistentium intelligentiam in Scripturis multipliciter nominatur, et attribuuntur ei recte, et erat, et est, et erit, et factum est et fit et fiet. Hæc enim et hujusmodi vocabula de Deo dicta, his qui recte divina intelligunt, significant quod ipsa omnium causa secundum omnem intentionem exsistentium supersubstantialiter sit, et sit omnium exsistentium causa semper et ubique. Ipsa enim non est ita hoc ut non sit illud, neque ita est alicubi ut non sit alibi: sed generaliter est omnia, ut omnium causa; et in ipsa sunt omnia rerum principia et terminationes; et ipsa omnia comprehendit et præhabet. Et super omnia est, sicut substantialiter superexsistens ante omnia. Propter quod et omnia de ipsa et simul prædicantur et tamen nihil est omnium: et est omnis figuræ et omnis formæ, et sine forma et sine pulchritudine, principia et media et fines exsistentium in se ipsa incomprehensibiliter et excellenter præaccipiens, et immaculate lucendo omnibus superfundens esse secundum unam et superunitam causam. Quum enim sol iste qui singulariter unus est, lumen suum uniforme superfundens, sensibilium substantias et qualitates tam multas, tam ab invicem differentes, sua operatione et cooperatione renovet, et nutriat, et

Ps. LXXVI, 6.

Apoc. I, 8.

cap. IV

custodiat, et perficiat et discernat, et uniat et reflorere faciat et germinare, et augeat, et commutet et collocet et ex planta vel radice plantæ prodire faciat, et sursum moveat, et vivificet omnia terræ nascentia, et unumquodque sensibilium omnium juxta singulorum proprietatem uno et eodem sole participantium et singulariter unus sol omnium sui participantium causas in se ipso simpliciter præacceperit : multo magis concedendum est exemplaria esse in causa ipsius solis et omnium exsistentium secundum substantialem unitionem, quum ipsa causa omnium producat substantias secundum excessum a substantia.

Exemplaria autem in Deo dicimus substantificas rationes exsistentium simpliciter et singulariter, et in simplici Verbo Dei æternaliter præexsistentes. Quas Apostolus innuit dici debere prædestinationes, ubi dicit, Quos prædestinavit hos et vocavit ; et voluntates divinas, ut in Exodo. Quæ distinguunt exsistentia et efficiunt ; secundum quas divina supersubstantialis essentia omnia prædefinivit et ad esse deduxit et perduxit. Licet autem B. Clemens, in quantum fuit philosophus, opinatus fuerit quod principales causæ quæ in ipsis rebus sunt et creatæ sunt, aliqua ratione dicantur rerum exemplaria, illæ tamen causæ non proprie dicuntur exemplaria, neque per se ; sed et ipsæ causaliter sunt ab æternis exemplaribus Verbi quæ proprie et perfecte causant omnia ut merito Deus tanquam causa omnium adoretur, et non aliquod creatum. Quod innuitur Deuteronomii quarto : Non vidistis aliquam similitudinem, etc. Creaturæ siquidem Dei, quamvis sint nobis utiles, non

Rom. VIII, 30.

Exod. XXV, 40, XXVI, 30.

Deut. IV, 15-20.

[A] sunt tamen adorandæ ; sed per eas manuducendi et provocandi sumus ad causæ primæ cognitionem et venerationem.

Omnium enim exsistentium creatio ipsi singulariter est attribuenda. Processus siquidem substantificans omnia exsistentia ab essentia bonitatis originem habens et per omnia fluens et ex ipsa bonitatis essentia omnia implens, et in omnibus exsistentibus exuberans : omnia quidem in se ipsa præhabet secundum excessum divinæ simplicitatis omnem duplicitatem respuens, et eodem modo omnia continens secundum supersimplicem suam infinita-
[B] tem ; et ab omnibus singulariter participatur. Deus ergo omnium exsistentium præexsistit principium et finis : principium quidem, sicut causa ; finis vero, ut cujus gratia sunt, et qui est terminus omnium, et infinitas omnem infinitatem continens et excedens per excessum, extremitas etiam oppositorum vel quasi oppositorum. Ut enim sæpe prædictum est, in simplici Verbo omnia exsistentia et præhabet et præexsistere facit : præsens omnibus et ubique et secundum unum et idem et secundum idem omne esse ; et ad omnia procedens et manens in se ipso ; et status * et motus, et ne-
[C] que stans neque motus. Neque habet principium, neque medium, neque finem ; neque est in aliquo exsistentium neque est aliquod exsistentium ; neque omnino ipsi convenit aliquod æternaliter exsistens aut temporaliter subsistens sed segregatur ab æterno et tempore, et ab omnibus quæ sunt in tempore. Unde et ipsum ævum et exsistentia omnia, et mensuræ exsistentium et mensurata, per ipsum et ab ipso sunt.

* stans

CAPITULUM VI

DE VITA.

SED de his quidem in aliis opportuniori tempore dicetur. Nunc autem laudanda est laudabilis vita æterna, ex qua per se ipsam vita et omnis vita, et a qua in omnia utcumque vitam participantia, vivere proprie unicuique exseminatur. Igitur et immortalium angelorum vita et immortalitas, et imperdibile ipsum angelicæ sempermotionis, ex ipsa et per ipsam est et subsistit. Idcirco et viventes

semper et immortales dicuntur; et non immortales iterum, quia non a se ipsis
habent immortaliter esse et æternaliter vivere, sed ex vivifica et totius vitæ factrice
et continuatrice causa. Et sicut in ente diximus quia et ejusdem esse est causalis,
sic et hic iterum, quia et per se ipsam vitæ est divina vita causalis et substantialis;
et omnis vita et vitalis motus, ex vita ipsa quæ est super omnem vitam et omne
principium totius vitæ. Ex ipsa et animæ imperdibile habent, et animalia omnia, et
Ps. ciii, 29-30 germina secundum novissimam consonantiam animæ, habent vivere. Qua sublata,
juxta Eloquium, deficit vita omnis et ad terram; et deficientia ad participandum
eam, infirmitate iterum conversa, iterum animalia fiunt.

Et donatur quidem primo per se ipsam vitæ esse vitam, et omni vitæ, et ab ea
per singula esse proprie quæ singula æstimatur natura subsistere: et quidem super-
cælestibus animis immaterialem et deiformem, et immutabilem immortalitatem, et
inflexibilem et irreprehensibilem sempermotionem; superextenta per magnitudinem
bonitatis et in dæmonum vitam: neque enim illa esse ab alia causa, sed ex ipsa et
esse et vitam et permanentiam habet. Donans autem et viris, ut commixtis, accepta-
bilem eamdem angelicam vitam; et superinundanti humanitate, et redeuntes nos
in se ipsam convertens et revocans. Et hoc autem divinius, quia et totos nos (ani-
mas dico et conjugata corpora) ad perfectissimam vitam et immortalitatem promittit
transmutaturam; rem vetustati quidem æque contra naturam visam, mihi autem et
tibi et veritati, et divinam et super naturam. Super naturam autem ei quæ secun-
dum nos est, dico visibilem, non fortissimam divinæ vitæ: ipsi enim velut om-
nium existenti vitarum naturæ, et maxime divinorum, nulla vita contra naturam
aut super naturam. Itaque ipsa de hoc insaniæ Simonis contradictoria verba, longe
divino loco et tua sacra anima abigantur. Latuit enim eum, ut arbitror, hæc sapien-
tem æstimatum esse, non oportere bene sapientem prædicationi sensus ratione auxi-
* 856 liante uti contra omnium occultam causam. Et hoc ipsum est dicendum: hic* contra
naturam dicere. Ipsi enim nihil contrarium. Ex ipsa vivificantur et circumfoventur
animalia omnia et germina. Et sive intellectualem dixeris, sive rationalem, sive
sensualem, sive nutritivam et auctivam, sive qualemcumque vitam, aut vitæ princi-
pium aut vitæ essentiam, ex ipsa vivit et vivunt quæ est super omnem vitam, et in
ipsa secundum causam uniformiter ante substitit. Si enim plus quam vita, et vita-
rum principalis vita, et omnis vitæ est causa, et vitæ genitrix, et repletiva et
discretiva vita; ex omni vita laudatur secundum multiplicem generationem omnium
vitarum, ut largissima, et omnis vita contemplativa, et laudata, et ut non indigens:
magis autem plusquam plena vita, per se ipsam vivens, et super omnem vitam
vivificans, et plusquam vivens. Aut quoquomodo quis vitam ineffabilem humanitus
laudabit?

ARTICULUS LXXII

ELUCIDATIO PRIMÆ PARTIS CAPITULI HUJUS SEXTI : QUOD VITA DIVINA SIT CAUSA OMNIS VITÆ.

OSTENSO qualiter competat Deo hoc nomen, Qui est, seu Esse ; nunc declaratur qualiter congruat Deo quod dicitur vivens, seu vita, et vivere.

Sed de his quidem in aliis opportuniori tempore dicetur, id est, de prædictis in quinto capitulo, tractabo diffusius loco ad hoc pertinentiori.

Nunc autem laudanda est laudabilis vita *, id est vita æterna, *ex qua per se ipsam vita et omnis vita*, id est, quæ ex propria plenitudine, exuberantia et perfectione, exserit, effluit et producit omnem vitam creatam, *et a qua in omnia utcumque vitam participantia, vivere proprie unicuique exseminatur*, id est, « a qua » tanquam ex splendidissimo ac viventissimo fonte, ceteris cunctis qualitercumque viventibus, « vivere » profluit et communicatur.

* vita æterna

Igitur et immortalium angelorum vita et immortalitas, et imperdibile ipsum angelicæ sempermotionis, id est inamissibilitas seu incessabilitas actionis angelicæ et elevationis ac tendentiæ eorum in Deum : de quorum triplici motione ac triformi contemplatione dictum est quarto capitulo (art. xxxiv) ; *ex ipsa et per ipsam est*, id est ex vita illa, in qua realiter idem sunt, vivens, et vita ac vivere, virtus vitalis et actio viva, quæ est vita mundissima, intellectualis, prorsus ac penitus imo et infinite immaterialis, *et substitit*, id est, subsistens fuit. *Idcirco et viventes semper et immortales dicuntur*, quum sint immateriales simplicesque essentiæ, quarum actio intellectiva, liberum velle, sancta dilectio, non interrumpitur nec lassatur ; *et non immortales iterum*, id est, etiam

A dicuntur « non immortales », sed mortales, *quia non a se ipsis habent immortaliter esse et æternaliter*, id est perpetue, *vivere, sed ex vivifica et totius vitæ factrice et continuatrice causa*, id est ex Deo essentialiter vivente, conservante indesinenter vitam ipsorum, sine qua conservatione nec ad momentum vivere possent.

Et sicut in ente dicimus quia et ejusdem esse est causalis, id est, quod esse divinum et increatum est causa omnis esse et ejus

B mensura, *sic et ibi iterum*, id est, sic denuo affirmamus in vita, *quia et per se ipsam vitæ est divina vita causalis et substantialis*, id est, quod vita Dei est causativa et substantificativa vitæ secundæ ; *et omnis vita et vitalis motus, ex vita ipsa quæ est super omnem vitam* aliam a se, *et omne principium totius vitæ*, id est omnis causa creata exsistens principium intrinsecum extrinsecumve vivendi in genere aut ambitu suo.

Ex ipsa, puta a prima vita, quæ est

C vivere separatum, plenum, exuberantissimum, in se subsistens, *et animæ imperdibile habent*, id est, animæ rationales habent esse immortale et inamissibile vivere ex supersincerissimo illo fonte vitæ ; *et animalia omnia, et germina* quæ nascuntur ex terra, *secundum novissimam consonantiam animæ*, id est quantum ad vitam animæ vegetativæ (unde alia littera habet : Juxta extremum genus vitæ), *habent vivere*, id est, sortita sunt vivere perobscurum, defectuosum, prorsus im-

D mersum materiæ, et, Secundum ultimam resonantiam vitæ, secundum alium textum. *Qua sublata*, id est qua vita destru-

ens in materialibus atque mortalibus istis, A *juxta Eloquium*, id est secundum Scripturam, *deficit vita animæ* in istiusmodi rebus, *et ad terram*, id est etiam usque ad conversionem in pulverem terræ; *et deficientia ad participandum eam*, id est viva talia facta invalida « ad participandum » et permanendum in vita diutius, *infirmitate iterum conversa*, id est instaurata seu renovata, *iterum animalia fiunt*, id est reiterantur ac renascuntur, et etiam terræ nascentia, non eadem numero, sed specie. Hoc totum sumptum est ex psalmo illo in quo legitur : Dante te illis, colligent ; aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate ; avertente autem te faciem, turbabuntur. Auferes spiritum eorum, et deficient, et in pulverem suum revertentur ; emittes spiritum tuum, et creabuntur, et renovabis faciem terræ. *Ps. CIII, 28.*

ARTICULUS LXXIII

DEUM VIVENTI NATURÆ CUILIBET VITAM CONGRUAM IMPERTIRI, ET DIVINAM VITAM EX OMNI VITA RITE LAUDARI.

E*T donatur quidem primo per se ipsam vitæ esse vitam*, id est, prima illa vita primitus confert « vitæ » creatæ, quæcumque sit illa, « esse vitam per se » in suo gradu seu specie, *et omni vitæ* hoc datur a summa vita mediate aut immediate ; *et ab ea per singula esse proprie quo singula existimatur natura subsistere*, id est, ab illa præstatur cunctis et singulis « esse » aut vita qua unaquæque natura subsistit.

Et quidem supercælestibus animis, id est, angelicis ac supernis spiritibus influit C vita illa increata vitam *immaterialem et deiformem, et immutabilem immortalitatem, et inflexibilem et irreprehensibilem sempermotionem*. Sunt enim confirmati in bono invertibilesque a Deo : in quem indesinenter moventur, tendunt, ascendunt, non quasi in nondum adeptum, habitum ac præsentem, sed tanquam in eum quem desiderant indefesse prospicere, et a cujus visionis continuatione nunquam desistunt, *I Petr. I, 12.* a quo item novas frequenter illuminationes, quantum ad divinorum cognitionem D et affectuum, sortiuntur.

Superexcedenti desuper *per magnitudinem bonitatis et in dæmonum vitam*, id B est, vita illa increata quæ Deus est, per infinitam abundantiam suæ benignitatis desuper se extendit ad bene agendum dæmonibus, in quibus dona naturæ conservavit, et quos citra condignum est puniens. *Neque enim illa esse ab alia causa, sed ex ipsa et esse et vitam et permanentiam habet*, id est, dæmonum natura non aliunde quam a vita increata sortita est vitam, et conservatur ab illa.

Donans autem et viris, ut commixtis, acceptabilem subeuntem angelicam vitam, id est, « viris » spiritualibus admixtis ac junctis exercitiis virtuosis ac divinis substantiis, « vitam angelicam » sibi acceptam, « subeuntem » libenter adversa propter summæ vitæ amorem. In quorum persona dixit Apostolus : Nostra conversatio in cœlis est ; itemque, Vobis datum est pro Christo, non solum ut credatis in eum, sed etiam ut patiamini pro illo. Vel, « vitam subeuntem », id est conversationem obedientem et humilem, jugo Dei subjectam, juxta illud : Tollite jugum meum super vos. *Et supermananti humanitate*, id est supereffluenti pietate, *et redeuntes nos in se ipsam convertens*, id est, aversos nos ac retro cedentes ad se *Philipp. III, 20.* *Ibid. I, 29.* *Matth. XI, 29.*

reducens, retrahens, *et revocans* per Prophetam : Revertere ad me, ait Dominus, et non avertam faciem meam. Hinc dicit Apostolus : Obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo.

Jer. III, 12.

II Cor. V, 20.

Et hoc autem divinius, id est, istud divissimum benignissimumque consistit, *quia et totos nos (animas dico et conjugata corpora)*, id est nos integros quantum ad animam rationalem et corpus ei socialiter junctum sicut conjux unitur marito, *ad perfectissimam vitam et immortalitatem promittit transmutaturam*, id est, spondet se perducturam ad vitam beatam et gloriosam, in qua animæ Deo altissimo perfruentur, corpora quoque electorum erunt impassibilia, clara, agilia atque subtilia, prout in prima ad Corinthios legitur. Et ipse Salvator ait : In resurrectione non nubent, neque nubentur, sed sunt sicut angeli Dei ; et alibi : Fulgebunt justi sicut sol in regno Patris sui.

I Cor. XV, 42-44.

Matth. XXII, 30.

Ibid. XIII, 43.

Rem vetustati quidem æque contra naturam visam, id est, quæ vita immortalis beata, est res visa, id est apparens, « vetustati », id est veteri homini et carnali ac perfido (de quo hortatur Apostolus : Exuamus veterem hominem cum actibus suis), « contra naturam », id est impossibilis, nec credenda : quia carnalis homo non sapit ea quæ Dei sunt. Denique verum est quod impossibilis sit per naturam, non Omnipotenti, cui non est impossibile omne verbum, ut cujus et testis ille cœlestis S. Gabriel deprompsit, atque Jeremias asserit : Domine Deus, non erit tibi difficile omne verbum. Infinitæ namque potentiæ omnia sunt æque facilia, quæ nec potest in tot et tanta, quin possit in infinities plura et majora : quod perfidus impiissimusque Averroes non attendit. *Mihi autem et tibi et veritati, et divinam et super naturam*, id est, res illa tam mihi quam tibi, quam omni vere catholico veræque fidei, videtur divina et supernaturalis.

Coloss. III, 9.

I Cor. II, 14.

Luc. I, 37.

Jer. XXXII, 17.

Super naturam autem ei quæ secundum nos est, dico visibilem, id est, vitam

A illam dico supernaturalem huic vitæ nostræ corruptibili visibili, *non fortissimam divinæ vitæ*, id est, omnipotenti vitæ Dei non dico illam supernaturalem seu arduam. *Ipsi enim velut omnium exsistenti vitarum naturæ, et maxime divinorum, nulla vita contra naturam aut super naturam*, id est, « vita nulla », quantumcumque alta, est supernaturalis « ipsi » vitæ divinæ et increatæ, utpote « exsistenti » causaliter vitæ « omnium » naturarum, « et maxime divinorum », id est Beatorum,

B qui ab illa vitam gloriæ sortiuntur, ut Moyses ait : Ipse est vita tua et longitudo dierum.

Deut. XXX, 20.

Itaque ipsa de hoc insaniæ Simonis contradictoria verba, id est, « verba insaniæ », id est blasphemiæ ac infidelitatis, « Simonis » magi « contradictoria de hoc », id est, contradicentia præfatæ veritati fidei, *longe divino loco et tua sacra anima abigantur*, id est, abjiciantur procul a sancta mente tua, et ab omni templo ac corde fidelium. *Latuit enim eum, ut arbitror, hic* * *sapientem æstimatum*

C

* hæc

esse, id est, Simon ille æstimatus « hic », scilicet inter homines, sapiens, ignoravit, ut reor, *non oportere bene sapientem prædicationi sensus ratione auxiliante uti contra omnium occultam causam*, id est, non convenire nec licitum esse quod veraciter sapiens utatur « ratione auxiliante prædicationi » doctrinæ « contra causam omnium occultam », id est contra Deum incomprehensibilem, innitendo propriæ rationi magis quam divinæ auctoritati.

D Quæ ratio debet servire ac subjici prædicationi verbi cœlestis, juxta illud Apostoli : In captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi. Etenim fides non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum.

II Cor. X, 5.

Et hoc ipsum est dicendum : hic contra naturam dicere : id est, huic Simoni est respondendum quod ipse « hic » loquitur « contra naturam », tam insipienter loquendo de Deo. *Ipsi enim nihil contrarium*. Hinc dicitur quod nihil opponitur

Deo, nec contrarie, nec contradictorie, nec A privative, nec negative, quum sit supra et extra omne genus, et sua æternitas omne esse et non esse præveniat, nec in eo possit aliquid esse quod actu in eo non est. Veruntamen vitia, vanitates, falsitates ei contrariari dicuntur, id est displicere, juxta illud libri Sapientiæ : Odio sunt Deo impius et impietas ejus ; et alibi : Aversatur Dominus omnem injustitiam. Porro quod nihil positivum sit Deo contrarium, consequenter probatur.

Sap. xiv, 9.

Ex ipsa, videlicet vita increata, *vivificantur et circumfoventur animalia omnia et germina terræ. Et sive intellectualem dixeris, sive rationalem, sive sensualem, sive nutritivam et auctivam, sive qualemcumque vitam, aut vitæ principium aut vitæ essentiam, ex ipsa vivit et vivunt quæ est super omnem vitam, et in ipsa secundum causam uniformiter* ante subsistit*, id est, universa ista viventia et unumquodque eorum, originaliter « vivunt » seu « vivit » ex vita ista fontali, æternaliter quoque fuit in ea secundum C proprietatem primæ causæ et « uniformiter », id est exemplarium rationum ipsius ; vel, Uniformiter, ut alia habet translatio, id est idealiter et immutabiliter.

* uniformiter.

Si enim plus quam vita, et vitarum principalis vita, id est, quum vita increata sit vita eminentius quam exprimi queat aut concipi (nec solum comprehendens in se perfectionem vitæ, imo etiam universaliter et interminabiliter omnem perfectionem), « et principalis vita « cunctarum » vitarum », *et omnis vitæ causa**, D *et vitæ genitrix, et repletiva et discretiva vitæ*, quia instituit et distinxit diversa genera vitæ ; *ex omni vita laudatur*, tanquam ex suo effectu, *secundum multiplicem generationem omnium vitarum, ut largissima, et omnis vita contemplanda :* ipsa enim supereminentissime est vivens vita sapientiali contemplativa, se ipsam æternaliter ac deliciosissime intuendo : *et laudata ab omnibus, et ut non indigens laudibus creaturæ.*

* vel causa.

Magis autem plusquam plena vita, per se ipsam vivens, et super omnem vitam vivificans, et plusquam vivens. Ista ex dictis suo modo liquescunt. Nempe ex abundantia cordis loquens hic Sanctus, et nesciens qualiter dignius et plenius superviventem Deum laudaret, frequenter eumdem sensum sub aliis et aliis repetit verbis, sciens se in infinitum deficere a completa laude illius, juxta illud Ecclesiastici : Be- B nedicentes Dominum, exaltate eum quantum potestis : major enim est omni laude. Exaltantes illum, replemini virtute. Ne laboretis : non enim pervenietis. Quis videbit eum, et enarrabit, et magnificabit eum sicuti est ab initio ? Propterea subditur : *Aut quoquomodo quis vitam ineffabilem humanitus laudabit ?* Utique non potest condigne nec plene. Nihilo minus agere debet quod potest, totis viribus reverenter, ardenter, indesinenter vitam illam laudando, quæ vitam naturæ vivificat C vita gratiæ, atque utramque vita gloriæ.

Matth. xii, 34.

Eccli. xliii, 32-35.

Præterea advertendum, quod interdum distinguitur duplex vita, utpote vita prima, et vita secunda, ita quod vita prima vocatur esse vitale, juxta quod ait Philosophus : Vivere viventibus est esse. Vita autem secunda dicitur actio ipsa vitalis. Interdum etiam anima nuncupatur corporis vita, hoc est vita substantialis, formalis, intrinseca. Insuper vita in inferioribus primo patet ac patuit per motum : unde et anima fertur principium vitæ et motus. D Attamen quo vita plus elevatur super corpus atque materiam, eo liberior perfectiorque consistit. Hinc superbeatissimi Dei vita, qui manens immobilis dat cuncta moveri, est summe et incomparabilissime liberrima, nobilissima, perfectissima, actualissima, quum ipse sit incircumscriptibilis, superpurissimus actus, in quo prorsus sunt idem, esse, vivere, intelligere, velle, diligere.

TRANSLATIO MARSILII FICINI

SED de his quidem et in aliis diximus opportunius. Nunc autem vita æterna laudibus celebranda, ex qua ipsa vita omnisque vita, et sub qua per omnia quomodolibet viventia, vivere pro modo cujusque diffunditur. Jam vero immortalium angelorum vita immortalitasque, et perseverantia illa sempiternæ motionis angelicæ, ex ipsa perque ipsam est atque subsistit. Quamobrem viventes semper immortalesque dicuntur; ac rursus non immortales, quoniam non ex se ipsis habent ut sint immortales et æterne vivant, sed ex causa illa vivifica, universam vitam efficiente atque continente. Et quemadmodum in ente dicebamus, ipsum quod est ente superius appellantes ipsius entis æternitatem, ita nunc iterum ipsum quod est vita superius, ipsam videlicet divinam vitam, esse* ipsius vitæ causam vivificantem atque firmantem. Omnis sane vita motusque vitalis ex illa vita procedit, quæ superat omnem vitam et omne omnis vitæ principium. Ex illa præterea immortalitatem habent animæ; ex illa animalia omnia vivunt; ex illa plantæ per extremum vestigium vitæ vivunt. Illius vitæ munere sublato, juxta divinum Eloquium, deficit omnis vita; sed quæ participando ipsius infirmitate jam defecerant, illuc conversa, iterum reviviscunt.

* esse dicimus

Ps. ciii, 29-30.

Ipsa vita dat quidem primum universæ vitæ hoc ipsum ut sit vita; ac rursus unicuique vitæ, ut sit proprie quælibet quod naturaliter esse debuit; atque supercœlestibus vitis immaterialem et divinam immutabilemque immortalitatem, sempiternum quoque motum, nusquam vergentem vel inclinantem; præterea propter copiam bonitatis, usque ad dæmoniacam vitam sua munera porrigens: nec enim ab alia causa provenit, sed ex ipsa, et quod sit vita et quod permaneat, habet. Hominibus insuper velut compositis, quantum accipere licuit, vitam condonavit angelicam; atque excessu clementiæ, nos etiam illinc aversos ad se convertit et revocat. Quod autem longe divinius est, Deus ipse nos integros (animas, inquam, et socia corpora) ad perfectam immortalemque vitam traducere pollicetur: mysterium profecto quod veteribus quidem præter naturam forte videri possit, mihi autem et tibi ipsique veritati, divinum atque super naturam. Super naturam, inquam, apud nos visibilem, non supra naturam illam omnipotentem vitæ divinæ: apud quam sane, tanquam vitarum omnium naturam, præsertim diviniorum, nulla vita præter naturam est aut supra naturam. Quamobrem dementis Simonis libri mysterio huic adversantes, a choro divino tuaque sancta anima longius arceantur. Latuit enim illum, ut arbitror, quamvis se sapientem existimaret, non oportere sanæ mentis virum, ratione quadam ex sensibus palam deducta niti contra occultam illam omnium causam. Et hoc ei dicendum est: esse præter naturam dicere. Illi enim nihil est contrarium. Ex prima enim vita vivificantur atque foventur animalia omnia atque plantæ. Jam vero sive intellectualem vitam dixeris, seu rationalem, sive sensualem, sive nutritoriam, seu auctricem, sive qualemcumque vitam, vel vitæ principium, vel essentiam vitæ, ex ipsa vivit atque vivificat, quæ omnem supereminet vitam. In ipsa quin etiam secundum causam singulariter ante subsistit. Vita enim illa omni vita superior omnisque vitæ principium, non solum vitam universam procreat, sed fecundat etiam et implet atque distribuit. Quamobrem ex omni vita celebranda est propter fecunditatem suam vitas omnes mirifice propagantem.

Unde tanquam omniformis omnisque vita cogitatur atque laudatur, et tanquam nullius indiga, imo vero superexuberans omni vita. Ipsa quidem vita dicitur et super omnem vitam, vitæ auctor excelsiorque vita, sive quomodocumque ineffabilem illam vitam humano quodam more laudare quis velit.

PARAPHRASIS ABBATIS VERCELLENSIS

DEINDE tractandum est quomodo Deus dicitur esse vita æterna ex qua est per se vita et omnis vita, et a qua omnia quocumque modo viventia disseminantur juxta proprietatem uniuscujusque. Ex ipsa siquidem et propter ipsam sunt et subsistunt vita immortalium angelorum et immortalitas eorum, et indestructibilitas semper mobilis motus angelici. Propter quod ipsi et viventes sunt, et dicuntur immortales per naturam simpliciter, et iterum dicuntur non immortales quia non a se ipsis habent quod immortales sunt et æternaliter vivunt, sed ex Deo qui est causa vivifica, effectiva et contentiva omnis vitæ. Et sicut diximus in existente quod causale est ipsius esse per se, ita dicimus quod divina vita supervivens vivificativa est et substantificativa ipsius per se vitæ. Et omnis vita et omnis vivificativus motus ex ipsa est et causa est super omnem vitam et omne principium cujuslibet vitæ. Et ex ipsa habent animæ naturalem indestructibilitatem, et ex ipsa habent vitam omnia animalia et plantæ secundum ultimam vitæ resonantiam. Qua sublata, deficit omnis vita, juxta illud : Auferes spiritum eorum et deficient etc. (Ps. CIII, 29.) Et quum illa quæ defectu participationis suæ fuerint infirmata, ad illam convertuntur iterum animantur ut patet in arboribus et plantis. Unde sequitur in Psalmo : Emittes spiritum tuum et creabuntur. (Ibid. 30.)

Et ipsa dat prius per se vitæ esse per se vitam. Deinde omni vitæ particulari dat esse vitam secundum singularum naturam propriam. Animis quidem cœlestibus dat Deus conformem et invariabilem sempiternum motum, ut supra in Angelica hierarchia. ([illegible]) Extenditur autem per bonitatis abundantiam ad dandam dæmonibus vitam : vita enim illorum ab alia causa esse non habet, neque esse vitam neque permanere sed ex illa sola. Dat etiam hominibus, qui compositi sunt ex natura rationali et corpore, vitam angelicæ vitæ conformem, et per superabundantem bonitatem nos a se recedentes ad se ipsam convertit et revocat. Et quod benignius est, nos totos, id est animas et corpora, se promittit translaturam ad vitam perfectam et immortalitatem : quod generaliter omnibus philosophis gentium visum est esse contra naturam, mihi autem et tibi et ipsi veritati dignoscitur esse divinum et super naturam. Super naturam autem dico quantum ad nos non quantum ad Deum, qui est vita omnipotens. Quum enim ipse sit natura omnium vitarum, maxime divinarum, ipsi nulla vita est præter vel contra naturam, vel supra naturam. Unde longe expellantur a choro ecclesiæ et specialiter ab anima tua assertiones et stultitiæ Simonis de resurrectione corporum quibus contradicit resurrectioni corporum dicens quod sit contra naturam. Contra quod multi sancti Patres scripserunt. Et licet Simon ab aliquibus putatus fuerit in hoc sapiens esse, sed latuit eum quod bene sapientem non oportet propter judicium sensuum exteriorum contradicere his quæ de occulta omnium causa recte sentiuntur, dicendo quod ei aliquid sit præter naturam cui scilicet nihil est contrarium. Ex ipsa autem omnium causa et vivificantur et florent omnia animalia et plantæ. Et sive dicas vitam intellectualem, sive rationalem, sive sensibilem, aut augmentabilem, aut qualemcumque aliam, aut vitæ principium aut substantiam, omnia ex ipsa et vivunt et vivificantur quæ est super omnem vitam, et hæc omnia in ipsa secundum causam uniformiter præexstiterunt. Ipsa ergo quæ est supervivens et princeps vitæ, et omnis vitæ causa et generativa et impletiva et discretiva omnis vitæ, ex omni vita lau-

danda est secundum copiosam fecunditatem omnium vitarum, sicut largissima et omnis vitæ contemplatione comprehensa et laudata et sicut non indigens vita, sed potius super- A plena vita, per se vivens et sicut super omnem vitam vivificans et supervivens et quomodo aliquis vitam superviventem et ineffabilem humanis verbis laudare poterit.

CAPITULUM VII

DE SAPIENTIA, INTELLECTU, RATIONE, VERITATE, FIDE.

FER autem, si videtur, optimam et æternam vitam, et ut sapientem et ut per se ipsam sapientiam laudemus : magis autem iterum omnis sapientiæ substantialem, et super omnem sapientiam et intellectum superexsistentem. Non enim solummodo Deus plus quam plenitudo est sapientiæ, et intelligentiæ ejus non *Ps.* CXLVI, 5. est numerus, sed et omni rationi et intellectui et sapientiæ supercollocatur. Et hoc excellenter intelligens divinus vere vir, communis noster et magistri nostri lætitia et sol, Stultum Dei sapientius est hominibus, inquit : non solum quia omnis hu- I *Cor.* I, 25. mana deliberatio error quidam est, judicata ad pondus et manentiam divinarum et perfectissimarum intelligentiarum ; sed quia et consuetudo est theologis, contraria * [* contrario] mentis affectu in Deo quæ sunt privatione depellere : sicut et invisibilem aiunt I *Tim.* I, 17. Eloquia claram lucem ; et multum laudabilem et multivocum, ineffabilem et inno- *Job* XXXVII, 21 ; *Prov.* XXX, 4. minabilem ; et omnibus præsentem et ex omnibus inventum, incomprehensibilem et non investigabilem. Eodem modo et nunc divinus Apostolus laudasse dicitur stulti- *Job* XI, 7 ; *Rom.* XI, 33. tiam Dei, quod apparet in ea contra rationem et inconsequens, ineffabilem * [* in ineffabilem] et ante omnem rationem referens veritatem. Sed (quod quidem in aliis diximus) proprie nobis quæ sunt super nos accipientes, et cum nutrimento sensuum adunati, et his quæ sunt secundum nos divina conferentes, seducimur, secundum quod videre * [* videtur] divinam et ineffabilem rationem persequentes. Oportet scire nostrum animum habere quidem virtutem ad intelligendum per quam invisibilia videt unitatemque superexaltatam, naturamque per quam connectitur ad summa sui. Juxta hanc igitur divina intelligendum, non secundum nos, sed totos nos totis ipsis excedentes, et totos Deo factos. Melius enim est esse Dei et membra eorum : sic enim erunt divina data cum Deo futuris.

Hanc igitur irrationalem et mente carentem et stultam sapientiam supereminenter laudantes, dicimus quia totius est animi et rationis et totius sapientiæ et intellectus causa ; et ipsa est omne consilium, et ab ipsa omnis scientia et intelligentia, et in ipsa omnes thesauri sapientiæ et scientiæ sunt absconditi. Etenim *Col.* II, 3. consequenter hic jam prædictis, plusquam sapiens et sapientissima causa, et per se ipsam sapientiæ totius * [* et totius] et ejus quæ per singula est, substantia. — Ex ipsa invisibiles et intellectuales angelicorum animorum virtutes, simplas et beatas habent

intelligentiæ: non in partitis aut a partitis, aut sensibus, aut rationibus artificialibus, colligentes divinam scientiam, neque a quodam communi ad hæc comprehensæ, omni autem materiali et multitudine purgatæ, pure, immaterialiter, uniformiter invisibilia divinorum intelligunt. Et est in eis intellectualis virtus et operatio, clara et incontaminata puritate splendida, sciens et conspiciens divinarum intelligentiarum impartibiles et immateriales, et conformiter uni ad intellectualem supersapientem et animum et rationem, quantum possibile est, reformatæ per divinam sapientiam. Et animæ rationale habent, late, artificiose quidem et circulariter circa exsistentium veritatem deambulantes; et partibili et copiosæ varietatis, relictæ uniformibus animis; multorum autem in unum convolutione, et in angelorum intellectibus, in quantum animabus aptum et possibile est, dignæ factæ. Sed et sensus ipsos non forsitan quis peccat, visionis sapientiæ consonantiam dicens. At vero et dæmonius animus, si animus, ex ipsa est; in quantum autem animus est, si ratione quidem sic consequi non appetit, non videns, neque volens, casum sapientiæ potius eum asserendum.

Sed quia quidem sapientiæ ipsius, et totius, et omnis animi et rationis, et sensus omnis, divina sapientia et principium et causa et substantia, et consummatio et custodia et finis dicitur: quomodo ipse Deus, qui est plusquam sapiens, sapientia et animus et ratio et cognitor laudatur? Quomodo enim intelliget quid invisibilium, non habens intellectuales operationes? Aut quomodo agnoscet sensibilia, omni sensui supercollocatus? Atqui omnia eum scire aiunt Eloquia, et nihil effugere divinam scientiam. Sed (quod quidem diximus sæpe) divina divinitus intelligendum. Non intellectuale enim et non sensuale, per excellentiam, non per defectum, in Deo ordinandum; sicut et irrationale reposuimus ei qui est super rationem; et imperfectionem, plusquam perfecto et anteperfecto; et intactam et invisibilem caliginem luci inaccessibili, per excellentiam invisibilis luminis. Itaque divinus animus omnia continet omnibus remota scientia, juxta omnium causam in se ipso omnium scientiam præambiens, priusquam angeli fierent, sciens et adducens angelos, et omnia alia ab intus et ab eo (ut sic dicam) principio sciens, et in essentiam ducens. Et hoc arbitror tradere Eloquium, quum ait: Sciens omnia ante generationem eorum. Non enim ex exsistentibus exsistentia discens novit divinus animus, sed ex se et in se secundum causam, omnium scientiam et cognitionem et essentiam præfert et ante coacervavit: non secundum speciem singula contemplans, sed secundum unam causæ circumstantiam omnia sciens et continens, sicut et lux secundum causam in se ipsa cognitionem tenebrarum præambivit, non aliunde videns tenebras quam a lumine. Semet igitur divina sapientia cognoscens, cognoscit omnia, immaterialiter materialia, et non partite partita, et multa universaliter, ipso uno omnia et adducens et cognoscens. Etenim si secundum unam causam Deus omnibus exsistentibus esse tradit, secundum eamdem unicam causam scivit omnia ut ex ipso exsistentia, et in ipso ante substituta; et non exsistentibus accipiet eorum scientiam, sed et ipsis singulis eorum scientiæ erit largitor. Non igitur Deus propriam habet sui

Hebr. iv, 13. — Dan. xiii, 42.

scientiam, alteram autem communem, exsistentia omnia comprehendens*. Ipsa enim se ipsam omnium causa cognoscens, collocatio* ubi eorum quæ ab ipsa sunt et quorum est causa, ignorantiæ? Hæc igitur Deus exsistentia cognoscit, non scientia exsistentium, sed ipsa sua. Etenim et angelos scire aiunt Eloquia quæ sunt super terram, non sensibus hæc cognoscentes sensibilia et terrena, per propriam vero deiformis animi virtutem et naturam. * compre-hend[illegible] * vacatio

In his autem quærere oportet quomodo nos Deum cognoscimus, neque intelligibilem, neque sensibilem, neque quid universaliter exsistentium exsistentem. Numquid aliquando igitur verum est dicere quia Deum cognoscimus? Non ex sua natura (incognoscibile enim hoc, et omnem rationem et intellectum superans); sed ex omnium exsistentium ordinatione, ut ex ipso prætenta, et imagines quasdam et similitudines divinorum ejus paradigmatum habente, in summum omnium via et ordine secundum virtutem redeundum, omnium ablatione et eminentia, et omnium causa. Proinde et in omnibus Deus agnoscitur, et sine omnibus; et per scientiam Deus cognoscitur, et per inscientiam. Et est ejus et intelligentia et ratio et scientia, et tactus et sensus, et opinio et phantasia, et nomen, et alia omnia; et neque intelligitur, neque dicitur, neque nominatur. Et non est quid exsistentium, neque in quodam exsistentium cognoscitur; et in omnibus omnia est, et in nullo nullum, et ex omnibus in omnibus cognoscitur, et ex nullo in nullo. Et hæc recte de Deo dicimus, et ex exsistentibus omnibus laudatur secundum omnium analogiam, quorum est causalis. Et est iterum divinissima Dei scientia per incognitionem cognoscens secundum super animum unitatem, quum animus exsistentibus omnibus recedens, deinde et se ipsum relinquens, unitur superapparentibus radiis, inde et ibi inscrutabilis profundo sapientiæ illuminatus. Et quidem et ex omnibus (quod quidem dixi) ipsa cognoscenda. Ipsa enim est, secundum Eloquium, omnium factrix, et semper omnia compaginans, et insolubilis omnium congruentiæ et ordinationis causa, et semper fines priorum connectens principiis secundorum, et unam universitatis conspirantiam et harmoniam pulchram faciens. Sap. vii, 21; Prov. viii, 30.

Ratio vero Deus laudatur a sacris Eloquiis, non solum quia et rationis et intellectus et sapientiæ est largitor, sed quia et omnium causas in se ipso uniformiter præambivit, et quia per omnia implens pervenit (ut Eloquia aiunt) usque ad omnium finem. Et ante quidem hæc, in omni simplicitate divina supersimplificatur ratio, et ab omnibus est super omnia, secundum superessentiale, absoluta. Ipsa ratio est simpla et vere exsistens veritas, circa quam ut puram et non errantem omnium scientiam, divina fides est, unicum credentium fundamentum, eos collocans veritati, et eis veritatem, incredibili incommutabilitate simplam veritatis scientiam habentibus credulis. Ipsa enim est scientia adunatrix cognoscentium et cognitorum; ignorantia vero transmutabilis semper, et ex se ipso ignoranti separationis causa. In veritate credentem, juxta sacrum verbum, nihil removebit ea quæ est secundum veram fidem lætitia, in qua mansionem habebit stabili et intransmutabili uniformitate. Etenim scit ad veritatem unitus ubi bene habet, etsi multi corripiant eum tan- Sap. viii, 1 Rom. xv, 13.

quam mente excedentem. Latet quidem velut imago esse erroris a veritate per veram fidem mente excedens. Ipse autem vere scit se ipsum non (quod aiunt illi) insanientem, sed instabilitate et mutabilitate circa largissimum erroris varium ambitum, per immobilem et semper secundum eadem et sic se habentem veritatem, liberatum. Sic igitur secundum nos divinæ sapientiæ principales duces, pro veritate moriuntur omni die, testimonium perhibentes, ut est consequens, et verbo omnino et opere, unicæ propter Christianos veræ scientiæ, hoc est, omnium ipsam esse et simpliciorem et diviniorem, magis autem ipsam esse solam, veram, et unam, et simplam divinam scientiam.

Ps. XLIII, 22; Rom. VIII, 36.

ARTICULUS LXXIV

EXPOSITIO INITII HUJUS SEPTIMI CAPITULI : QUALITER SAPIENTIA IN DEO ACCIPIATUR.

PAULATIM descendit hic auctor ad tractandum de particularibus, ostendendo qualiter competant Deo.

Nunc autem, id est nunc vero, *si videtur*, una quia merito bonum videri sic debet, *optimam et æternam vitam, et ut sapientem et ut per se ipsam sapientiam laudemus*, id est describamus et commendemus Deum, qui est vita æterna et optima, « ut » est « per se ipsam », non per participationem, videlicet ut est substantialiter sapiens, et ipsa per se et in se subsistens sapientia, juxta illud ad Romanos : Soli sapienti Deo honor et gloria. Qui tam sapiens est, ut ejus respectu sapientia humana insipientia reputetur, juxta illud Jeremiæ : Stultus factus est omnis homo a scientia sua. Apostolus quoque : Stultam, inquit, fecit Deus sapientiam hujus mundi.

Rom. XVI, 27. — Jer. X, 14. — I Cor. I, 20.

Magis autem iterum omnis sapientiæ substantialem, id est, potius Deum laudemus tanquam dantem omni sapientiæ creatæ id quod est de ratione et essentia ejus, quoniam sapientia et scientia omnis creata non est nisi radiolus ac rivulus illius sapientiæ infinitæ. Omnis enim sapientia a Domino Deo est. *Et super omnem sapientiam et intellectum supersubsistentem*, id est, incomparabiliter et infinite exsistentem ultra et « super omnem intellectum et sapientiam » causatam. *Non enim solummodo Deus plus quam plenitudo est sapientiæ*, id est, magis quam intelligere valeamus, *et intelligentiæ ejus*, id est intellectionis suæ, *non est numerus*, id est mensura, nec finis, juxta illud Psalmi : Magnus Dominus noster, et magna virtus ejus, et sapientiæ ejus non est numerus. Nam et infinita cognoscit scientia simplicis intelligentiæ. *Sed et omni rationi et intellectui et sapientiæ supercollocatur.* Ideo præsumptuosi ac stulti sunt qui Deum et opera ejus, seu judicia ejus ac secreta, humana ratione volunt metiri et capere, nec ea credere acquiescunt, quæ ratione capere nequeunt. Ideo scriptum est in Job : Memento quod ignores opus ejus, de quo cecinere viri ; et alibi : Forsitan vestigia Dei comprehendes, et usque ad perfectum Omnipotentem reperies?

Eccli. I, 1. — Ps. CXLVI, 5. — Job XXXVI, 24. — Ibid. XI, 7.

Et hoc excellenter intelligens divinus vere vir, communis noster et magistri nostri lætitia, id est Paulus apostolus, præceptor et gloria, *et sol*, id est splendifluus doctor, tam mei quam Hierothei magistri mei : *Stultum Dei sapientius est hominibus, inquit*, in prima ad Corinthios : quod consequenter exponitur. *Non solum quia*

I Cor. I, 25.

omnis humana deliberatio, id est prudentia seu avisatio, *error quidam est, judicata ad pondus et manentiam divinarum et perfectissimarum intelligentiarum*, id est comparatione immobilis et pretiosissimæ sapientiæ atque scientiæ Dei : quæ quamvis sit una et simplex in se, tamen pluraliter designatur propter multitudinem cognitorum, quemadmodum et multæ ideæ ac miserationes ponuntur in Deo. *Sed quia et consuetudo est theologis, contraria mentis affectu in Deo quæ sunt privatione depellere* : id est, removere a Deo per privativa « affectu mentis », id est ex devotione et gratia Dei : removere, inquam, a Deo « contraria » eorum « quæ sunt in Deo », id est, illa quæ repugnant convenientibus et inexsistentibus ei.

Sicut et invisibilem aiunt Eloquia claram lucem, id est, superclarissimum Dei lumen increatum Scripturæ vocant invisibile (juxta illud ad Timotheum : Beatus et solus potens Rex regum, qui solus lucem habitat inaccessibilem), quia nos illud nunc clare inspicere non valemus, quum tamen ex sua natura sit summe visibile et intelligibile, tanquam actualissimum formalissimumque consistens; *et * multivocum, ineffabilem et innominabilem*, id est, Scripturæ dicunt Deum « multivocum », id est, qui per diversas voces et nominationes significatur, « ineffabilem et innominabilem », quia condignis nominibus et sicuti est, eumque ut est in se ipso, exprimere et significare non valent; *et omnibus præsentem et ex omnibus inventum*, id est Deum cunctis « præsentem » per essentiam, potentiam atque præsentiam sui, « ex omnibus » quoque, imo et ex quolibet ente, aliqualiter « inventum », id est cognitum, vocant *incomprehensibilem et non investigabilem*, id est imperscrutabilem. Unde in libro Job fertur : Digne eum invenire non possumus, et enarrari non potest.

I Tim. vi, 15, 16.

* et multivocabilem et

Job xxxvii, 23.

Eodem modo et nunc, id est in præsenti jam allegata auctoritate, *divinus Apostolus laudasse dicitur stultitiam Dei*, id est

A sapientiam ejus immensam, nobis incomprehensibilem, et quæ perfidis ac mundanis videtur esse stultitia, *quod apparet in ea contra rationem et inconsequens*, id est, id quod in ipsa et in mysteriis ac operibus ejus, in fide et lege ipsius, apparet proprii sensus hominibus esse irrationabile et impertinens, *ineffabilem et ante omnem rationem referens veritatem*, id est, affirmans illud esse veritatem indicibilem ac divinam, prævenientem et excedentem universam rationem humanam : ut quod B Deus factus est homo, suspensus in ligno. Hinc rursus dixit Apostolus : Quia in Dei sapientia non cognovit mundus per sapientiam Deum, placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes. Hinc et christianam sapientiam sanctus iste theologus vocat insensatam, irrationabilem et amentem.

I Cor. i, 21.

Sed, quod quidem in aliis diximus, id est in aliis libris ac locis, *proprie nobis quæ sunt super nos accipientes*, id est, altiora et incomprehensibilia nobis audientes et addiscentes proportionaliter intelle- C ctui nostro secundum capacitatem ipsius, *et cum nutrimento sensuum adunati*, id est conjuncti informatione humana, *et his quæ sunt secundum nos divina conferentes*, id est, supernaturalia et quæ sola fide tenentur, comparantes naturalibus et humanis rebus seu rationibus, *seducimur*, male judicando de illis, ut in hæreticis patuit. Hinc ad Colossenses monet Apostolus : Videte ne quis vos seducat per philosophiam et inanem fallaciam. *Secundum* D *quod videre divinam et ineffabilem rationem persequentes*, id est, « secundum quod » sumus « persequentes », seu perfecte sequentes, « videre », id est intelligere, « rationem divinam et ineffabilem », id est sapientiam fidei christianæ, nobis nunc incomprehensibilem, supple, ex naturalibus traditionibus et doctrinis humanis.

Coloss. ii, 8.

Oportet scire nostrum animum habere quidem virtutem ad intelligendum, id est spiritum nostrum seu animam rationalem

habere potentiam intellectivam inorganicam, a corpore liberam, *per quam incorporalia videt*, id est, immaterialia et insensibilia apprehendit ac novit, juxta illud ad Romanos (Rom. i, 20): Invisibilia Dei intellecta conspiciuntur; *unitatemque supercollocatam*, id est superaltissimam ac simplicissimam Deitatem, in qua non est diversitas ulla membrorum. De qua visione Salvator (Matth. v, 8): Beati, inquit, mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. *Naturamque per quam coexaltatur** *ad summum sui*, id est sui ipsius verticem mentalem ac apicem affectivæ, elevatam super tempus et omne continuum, per quam elevatur super se ipsam ad speculandum angelicos spiritus ac triumphantem Ecclesiam ac attributa et proprietates divinæ naturæ, juxta illud Apostoli (II Cor. iv, 18): Contemplantibus nobis quæ non videntur, quæ sunt æterna. Intellectus quippe per hanc suam portionem supremam, est reflexivus super se ipsum ac super proprios actus, et discursivus ac intuitivus ipsorum, et ad optima illa convertitur in quibus sua consistit salus. De quibus scriptum est (Is. lxiv, 4): Oculus non vidit, Deus, absque te, quæ præparasti exspectantibus te. Quod Paulus plenius allegans et exprimens, sicut id copiosius fuit expertus (I Cor. ii, 9): Oculus (ait) non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se.

*Juxta hanc ergo** *divina intelligendum*, id est, supernaturalia et credenda, ac ea quæ Dei sunt, accipere debemus et intelligere secundum supremum istud in mente nostra, et juxta unionem et illuminationem ejus ad Deum, *non secundum nos*, id est non secundum sensum proprium ac carnalem, nec more humano, *sed totos nos totis quæ excedentes*, id est excedendo nos ipsos totaliter, *et totos Deo factos*, id est, ita nos transcendendo ac hominem in homine exuendo, ut prorsus transformemur in Deum, et simus ejus totaliter, juxta illud (Galat. ii, 20): Vivo autem jam non ego, vivit vero in me Christus. Tales esse convenit contemplatores credendorum, in quibus donum intellectus abundare oportet, per quod ea quæ fidei sunt, limpide contemplentur per credibilium rationes, præsertim ex illustratione superna, juxta illud S. Joannis (I Joann. ii, 27): Unctio ejus docet vos de omnibus. Unde et S. Paulus (II Tim. ii, 7): Dabit tibi Dominus in omnibus intellectum.

Melius enim est esse Dei et membra eorum, id est, multo salubrius est ut ita pertineamus ad Deum, et simus commembra illorum qui ita effecti sunt ministri et membra illius, utpote vegetati Spiritu ejus. Hinc ad Corinthios dicitur (I Cor. vi, 19): An nescitis quoniam membra vestra templum sunt Spiritus Sancti, et non estis vestri? Hinc continet translatio alia: Sic oportet ut intelligamus divina, toti integre a nobis ipsis excedentes et toti in Deum transeuntes: præstantius enim est Dei esse, quam proprii juris. *Sic enim erunt divina data cum Deo futuris*, id est, hoc modo charismata gratiarum præstantur electis, qui erunt cum Christo in gloria: qui juxta Apostolum, pignus Spiritus acceperunt (II Cor. i, 22, v, 5). Quibus et scripsit (Coloss. iii, 2, 4): Quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram; quum enim Christus apparuerit vita vestra, tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria.

ARTICULUS LXXV

DE CAUSALITATE DIVINÆ SAPIENTIÆ SIVE IN GENERALI, SIVE IN SPECIALI QUANTUM AD ANGELOS, ANIMAM RATIONALEM ET DÆMONES.

* igitur

HANC *ergo* irrationalem et mente carentem et stultam sapientiam supereminenter laudantes*, id est, æternam et increatam Dei sapientiam præconizantes superexcellenter : quia vocamus eam « irrationalem », amentem « et stultam », non quod vere sit brutalis, furiosa et fatua ; sed quoniam omnem rationem et mentem creatam sapientiamque transcendit humanam, et quia, secundum prætacta verba Apostoli, quod stultum est Dei (id est, quod de sapientia Dei credimus, et stultum apparet obtenebratis hominibus, scilicet incarnari et crucifigi), sapientius est hominibus, id est, vere sapientialius est quam quæcumque humana sapientia. Insuper ea quæ veri et devotissimi famuli Dei docent, exercent et faciunt, videntur amatoribus hujus sæculi esse inania et deliramenta : ut terrena cuncta despicere, adversis gaudere, se ipsos aspernabiles exhibere. Unde principes decem tribuum dixerunt ad Jehu de discipulo Elisei : Quid venit insanus iste ad te ? Ad Ezechielem quoque Dominus dixit : Portentum te dedi domui Israel. Atque de Sanctis veteris Testamenti scriptum est ad Hebræos : Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus.

[I Cor. I, 25] [IV Reg. IX, 11] [Ezech. XII, 6] [Hebr. XI, 37, 38]

Dicimus quia totius est animi et rationis et totius sapientiæ et intellectus causa ; et ipsa est omne consilium, id est causa universi sani consilii ; *et ab ipsa omnis scientia et intelligentia*. Nam et de philosophis ait Apostolus : Deus illis revelavit. Etenim naturalis lumen ingenii a Deo est. In Proverbiis quoque asseritur : Dominus dat sapientiam, et ex ore ejus prudentia et scientia. *Et in ipsa omnes thesauri sapientiæ et scientiæ sunt absconditi*. Hoc in epistola ad Colossenses scripsit Apostolus. Qui thesauri sunt infinita plenitudo et opulentia ac perfectio sapientiæ atque scientiæ mentis divinæ. De quibus exclamat Apostolus : O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei ! *Etenim consequenter hic jam prædictis, plusquam sapiens et sapientissima causa*, id est, sicut in præinductis capitulis laudavimus Dei bonitatem et esse ipsius ac vitam et vivere, ita jam in isto capitulo correspondenter conformiterque ad illa, laudamus Deum ut sapientem ac sapientiam ejus, dicendo quod ipse est « plusquam sapiens », id est supersapiens, cujus sapientia in totius universi ordinatione ac gubernatione resplendet, *et per se ipsam sapientiæ totius et ejus quæ per singula est, substantia*, id est, causa essentiæ et exsistentiæ « totius sapientiæ » quæ in quibuscumque creaturis consistit.

[Rom. I, 19] [Prov. II, 6] [Coloss. II, 3] [Rom. XI, 33]

Ex ipsa invisibiles et intellectuales angelicorum animorum virtutes, id est virtuosæ mentes, *simplas et beatas habent intelligentias*, id est simplices et beatificas intuitiones, *non in partitis aut a partitis, aut sensibus, aut rationibus artificialibus, colligentes divinam scientiam*, id est, angelici spiritus non instar hominum colligunt aut acquirunt suam scientiam a rebus divisibilibus atque corporeis, aut a sensitivis potentiis, aut artificialibus formis seu considerationibus, *neque a quodam communi ad hæc comprehensæ*, id est non ab universali principio vel habitu, seu generali et confusa notitia, de-

terminali ad particularem notitiam. *Omni autem materiali et multitudine purgatæ*, id est mentes illæ angelicæ carentes omni corporali natura ac proprietate, *pure, immaterialiter, uniformiter intelligibilia divinorum intelligunt*, id est, sine phantasmatum involutione contemplantur invisibilia et divina certo ac simplici mentis intuitu, per concreatam eis scientiam, seu etiam per illuminationem hierarchicam.

Et est in eis intellectualis virtus et operatio, clara et incontaminata puritate splendida, videns et conspiciens, id est conspectiva, *divinarum intelligentiarum*, id est sacratissimarum theoriarum. Non enim in illis est pars sensitiva, passiones, seu vitia. *Impartibiles et immateriales, et conformiter uni ad intellectualem supersapientem et animam et rationem, quantum possibile est, reformatæ per divinam sapientiam*, id est, ab exordio suæ creationis mox ab increata sapientia assimilatæ Creatori et conformiter illi reductæ, ac suspensæ sunt ad supersapientissimam mentem divinam, « quantum » ipsis « possibile est », seu proportionatum et congruum fuit.

Et animæ rationale habent, late, artificose quidem et circulariter circa existentium veritatem deambulantes, id est, animæ humanæ habent vim rationalem discursivam, « deambulantes », id est, considerando procedentes, « late », id est ex omni parte, et certe artificialiter, seu magistraliter, « et circulariter », circa veritates rerum scrutandas, venandas ac cognoscendas, interdum quasi a priori, progrediendo a notitia causæ ad cognitionem effectus, quandoque velut a posteriori econtra ab effectu in causam.

Et partibili et copiosa varietate, relictæ uniformibus animis, id est, derelictæ ac deficientes a mentibus illis supernis quæ uniformes ac simplices sunt, per hoc quod ipsæ animæ circa divisibilia multa et distrahentia occupantur; *multorum autem in unum convolutione*, id est reductione ac ordinatione plurimorum ad unum simplicissimum quod summe necessarium est, *et in angelorum intellectibus, in quantum animabus optimum et possibile est, dignæ factæ*, id est, ipsæ animæ assurgunt et dignæ fiunt proficisci in consortium quoddam et conformitatem cum angelicis mentibus, quarum perfectionem et simplificationem conantur sic imitari, « quantum » ipsis in mortali ac gravi hoc corpore « est possibile » ac etiam « aptum »: quia si nimis vellent se abstrahere, et spiritualibus sine discretionis moderamine mancipare, citius sua dejicerent corpora debilitarentque capita, juxta illud Jeremiæ: Quia plus fecit quam potuit, idcirco periit.

Luc. x, 42.

Jer. xlviii, 36.

Sed et sensus ipsos non fortassis quis peccet, visionis sapientiæ consonantiam dicens, id est, si quis dicat sensitivam cognitionem esse aliqualem imitationem et participationem intellectivæ notitiæ, non errabit in hoc. Unde in brutis quibusdam videmus grandem industriam et miras calliditates; vis quoque æstimativa species insensatas ex sensatis elicit speciebus; visque cogitativa in hominibus ratio particularis vocatur.

At vero et dæmonius animus, si animus, ex ipsa est, id est, intellectus dæmoniacus, in quantum est intellectus, causatus est a mente divina; *in quantum autem amens est, si ratione quidem sic consequi non appetit*, id est, si non quærit nec cupit rationabiliter obtinere quod appetit, *non videns, neque volens*, id est, non intuens sapienter, nec volens rectitudinaliter, *casum sapientiæ potius cum asserendum*, id est, magis dicendum est quod ipse sit quidam lapsus et defectus a vera et summa sapientia, quam quod sit participator et effectus sapientiæ illius altissimæ: quia ut sic, non participat nec sequitur illam, sed recedit ac deviat ab eadem.

ARTICULUS LXXVI

QUOMODO DEUS PER DIVINAM SAPIENTIAM OMNIA COGNOSCAT.

SED *quia quidem sapientiæ ipsius, et totius, et omnis animi et rationis, et sensus omnis, divina sapientia et principium et causa et substantia, et consummatio et custodia et finis dicitur :* id est, ex quo increata Dei « sapientia » vere appellatur « principium » effectivum, « et causa » prima exemplaris, « et substantia », id est dator essentiæ ac exsistentiæ omnis sapientiæ, « et consummatio », id est causa perfectiva, « et custodia », id est causa conservativa, « et finis sapientiæ ipsius » dæmonis, quoad id quod sapientiæ est in illa, « et totius » sapientiæ, « et omnis animi et rationis, et sensus omnis » ; *quomodo ipse Deus, qui est plusquam sapiens, sapientia et animus et ratio et cognitor laudatur,* id est, per modum præconii dicitur esse « sapientia, et animus », id est mens, « et ratio » irreprehensibiliter operans? Quod tamen de ipso sentire oportet, sicut subjungitur.

Quomodo enim intelliget quid invisibilium, non habens intellectuales operationes? id est, qualiter dicimus Deum intelligere invisibilia, si non habet in se actum intelligendi? qui tamen actus non est quid ab essentia sua realiter differens. *Aut quomodo cognoscet * sensibilia, omni sensui supercollocatus,* id est supereminens ac superior omni sensu? *Atqui,* id est pro certo, *omnia eum scire aiunt Eloquia, et nihil effugere divinam scientiam.* In Ecclesiastico enim dicitur : Domino Deo, antequam crearentur, omnia sunt cognita ; et ad Hebræos : Non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus ; omnia autem nuda et aperta sunt oculis ejus.

* agnoscet

Eccli. xxiii, 29

Hebr. iv, 13

Sed (quod quidem diximus sæpe) divina A *divinitus intelligendum,* id est, ea quæ Deo adscribuntur, et de ipso in Scripturis dicuntur, sumenda et intelligenda sunt reverenter et condigne, secundum quod decet majestatem illius. *Non intellectuale enim et non sensuale, per excellentiam, non per defectum, in Deo ordinandum :* id est, in Deo ponimus, et de ipso interdum asserimus, quod non sit intellectivus nec sensitivus, non quod a perfectione intellectuali ac spiritualiter sensitiva deficiat, quum et in Genesi recitetur : B Odoratus est Dominus odorem suavitatis.

Gen. viii, 21.

Sicut et irrationale reposuimus, id est adscripsimus, *ei qui est super rationem :* quia jam diximus quod divina sapientia est irrationalis ; *et imperfectionem, plusquam perfecto et anteperfecto,* id est, imperfectionem attribuimus ei qui est plusquam perfectus prout nos intelligere possumus, et ab æterno perfectus, quemadmodum vicesima secunda propositione libri de Causis inducitur : Causa prima est superior omni nomine quo nominatur, C quoniam non pertinet ei diminutio, neque complementum solum : quoniam ipsa super omne complementum et super omnem perfectionem, quia ipsa est bonitas, cui non est finis. *Et intactam et invisibilem caliginem luci inaccessibili, per excellentiam invisibilis luminis,* id est, Deum claritatis immensæ nominavimus « invisibilem caliginem », propter infinitam superabundantiam suæ lucis, ob quam invisibilis et incomprehensibilis nobis est, ut infra libro de Mystica theologia D plenius exprimetur.

Itaque divinus animus, id est intellectus Dei æternus, *omnia continet,* id est, in se comprehendit ac intuetur, *omnibus*

remota scientia, id est per scientiam suam æternam, quæ est sua essentia universis incomprehensibilis, superexcellens, et in infinitum transcendens; *juxta omnium causam*, id est, secundum quod docet causam universorum, *in se ipsa omnium scientiam præhabens*, id est, universorum notitiam præcognitionemque habens; *priusquam angeli fierent, sciens et adducens angelos, et omnia alia ab intus et ab ipso (ut ita dicam) principio*, id est, cuncta ex fonte sapientiæ ac omnipotentiæ suæ idealibus formis producens, hoc est a se ipso cunctorum principio *sciens, et in substantiam ducens*, id est, ad naturas quas habent, cuncta perducens.

Et hoc arbitror tradere Eloquium, id est divinam Scripturam, *quum ait* in Ecclesiastico, et alibi sæpe: *Sciens omnia ante generationem eorum*, id est, antequam facta sunt. Divina namque scientia non causatur a rebus, sed est causa earum, sicut ait per Isaiam: Antequam fierent eram, et futura prædixi. Nempe in divina essentia relucent cuncta et singula causaliter, virtualiter, exemplariter, etiam infinita quæ nunquam fient. Hinc subditur:

Eccli. XXIII, 29.

Is. XLVIII, 5.

Non enim ex existentibus existentia discens novit divina mens, id est, mens divina nil scit addiscendo quidquam ex rebus, quum sit invariabilis penitusque perfecta; *sed ex se et in se secundum causam, omnium scientiam et cognitionem et substantiam præfert et ante combibit*; id est, nullatenus aliunde, prout convenit divinæ causalitati, habet et præhabet æternaliterque in se comprehendit omnium notitiam et naturam causaliter; cognoscendo quoque perfecte suam omnipotentiam, scit et inspicit universa et singula quæ potestative continentur in ea, et in quæ ipsa potest.

Non secundum speciem singula contemplans, id est, unumquodque cognoscens non per similitudinem a rebus acceptam. Unde alia habet translatio: Non ex his quæ sunt, ea percepta novit; alia vero: Non secundum visionem singulis se immittens. *Sed secundum unam causæ circumtentionem*, id est secundum suæ causalitatis dispositionem et proprietatem (vel ut aliæ translationes clarius habent, Secundum unam causæ continentiam), *omnia sciens et continens sicut et lux secundum causam in se ipsa cognitionem tenebrarum præhabuit*, id est, lux creata si esset essentialiter intellectiva, se ipsam cognoscendo nosceret caliginem sibi contrariam, tanquam suæ claritatis privationem. Propter quod dicitur eadem esse scientia contrariorum. *Non aliunde videns tenebras quam a lumine*, id est, ex consideratione luminis, quid sit ejus privatio pensans.

*Semel ergo** *divina sapientia cognoscens, cognoscit omnia, immaterialiter materialia, et non partite partita*, id est, corporalia, « materialia », sensibilia, divisibilia et divisa, cognoscit mens divina intuendo se ipsam, « immaterialiter », insensibiliter, indivisibiliter. Cognitio namque quum sit actio cognoscentis, est et fit secundum modum atque naturam cognoscentis, non cogniti: sicut eamdem rem aliter apprehendit sensus exterior, aliter imaginatio, aliter intellectus. Nihilo minus mens divina scit materialia et alia, talia esse qualia sunt. Istud quoque Proclus et auctor libri de Causis, Avicenna et alii probant. *Et multa universaliter*, id est unitive ac unico medio, ut alii transtulerunt; *ipso uno omnia et adducens et cognoscens*, id est, per propriam essentiam ut est omnipotens et cuncta præsentans, cuncta inspiciens atque efficiens.

* igitur

Etenim si secundum unam causam Deus omnibus existentibus esse tradit, id est, sicut et quia Deus largitur omnibus « esse » per suam independentem, fontalem et fecundissimam causalitatem, *secundum eamdem unicam causam*, id est per eamdem suam productivam virtutem, *scivit omnia ut ex ipso existentia*, præsertim quia producit res ex prævia cognitione et libere, *et in ipso ante substituta*, id

est idealiter atque causaliter præexsistentia; *et non exsistentibus accipiet eorum scientiam*, id est, Deus non sumet rerum scientiam ex rebus, *sed et ipsis singulis eorum scientiæ erit largitor*, id est, conferet unicuique eam quam habet scientiam, quibusdam per infusionem, aliis per studium et naturalis luminis investigationem, aliis per angelorum vel hominum informationem. Veritatis quippe cognitio qualitercumque habeatur, a Deo primæve principaliterque donatur ac derivatur, quamvis per media pauciora aut plura.

* igitur *Non videns* Deus propriam habet sui scientiam, alteram autem communem, exsistentia omnia comprehendens*: id est, Deus se ipsum intelligens et cuncta quoque « exsistentia comprehendens, non habet » in se diversam et distinctam « scientiam sui » ipsius ac aliorum, sed una et eadem scientia scit se et alia cuncta, quamvis scientia ista diversas habeat nominationes, et secundum rationis variam considerationem sortiatur distinctionem multiplicem. *Ipsa enim se ipsam omnium causa cognoscens, collocatio ubi eorum quæ ab ipsa sunt et quorum est causa, ignorantiæ?* id est, quum causa prima seu sapientia ejus se ipsam sciat esse omnium causam, « ubi » vel quomodo poterit in ea collocari aut esse ignorantia

* igitur suorum effectuum? *Hæc ergo* Deus exsistentia cognoscit*, id est, Deus cognoscit ea quæ sunt, scientia æternali, *non scientia exsistentium*, id est non scientia a rebus accepta, *sed ipsa sua*, id est sua scientia seu cognitione increata, quæ est sua substantia.

Etenim et angelos scire aiunt Eloquia quæ sunt super terram, id est, Scripturæ docent quod angeli noscunt ista inferiora, de quibus multoties instruunt homines, et futura prædicunt, ut in libris Moysis et Prophetarum et Evangeliis copiose docetur, *non sensibus hæc cognoscentes sensibilia et terrena*, id est non per corporeos sensus, quum sint incorporales ac simplices spiritus (propter quod etiam dum in corporibus sensibiliter apparent, in quibus corporibus organa sensuum foris monstrantur, ipsi per organa illa nil apprehendunt nec sentiunt : nec enim sunt substantiales illorum formæ, sed motores), *per propriam vero deiformis animi virtutem et naturam*, id est, per intellectualem suam potentiam et simplicem mentis suæ intuitum cognoscunt terrena ac cetera : et hoc, ex concreatis sibi scientiis, vel superiorum illuminationibus, seu aliis modis, prout super secundum Sententiarum diffuse tractatum est. Illuc remitto lectorem, hic dumtaxat simplici textus elucidationi insistens, ac verborum involutionem resolvens ac reserans.

ARTICULUS LXXVII

AN ET QUOMODO DEUM, ALIOQUI INCOMPREHENSIBILEM, NOSCAMUS.

IN *his autem quærere oportet quomodo nos Deum cognoscimus, neque intelligibilem*, id est non comprehensibilem, *neque sensibilem, neque quid universaliter exsistentium exsistentem*, id est, non entem aliquid ex his quæ communiter esse dicuntur.

Numquid aliquando ergo verum est dicere quia Deum cognoscimus*, id est, quod eum aliquo modo scimus? Et utique *non ex sua natura*, id est non a priori, quum scire sit rem per causam cognoscere, et primæ causæ non est causa, nec eum in se ipso clare inspiciendo, *in-* * igitur

cognoscibile enim hoc, scilicet quid sit Deus, *et omnem rationem et intellectum superans*, haud dubium quin infinite.

Sed ex omnium consideratione ordinatione, id est ipsa proposita, et imagines quasdam et similitudines divinorum ejus paradigmatum habente, in summum omnium via et ordine secundum virtutem ascendimus. Hoc est : « Redeundum » nobis est in ista peregrinatione, « secundum virtutem », id est, secundum quod valemus, « in summum omnium », id est in Dei altissimam cognitionem, « ex ordinatione », id est ex consideratione ordinatissimae dispositionis rerum universarum, « proposita », id est conservata in rebus, Sap. XI, 21. ex Deo, qui in numero, pondere et mensura constituit universa, et ipsa ordinatione « habente » et repraesentante « imagines quasdam et similitudines », id est imitationes, conformationes seu assimilationes, « paradigmatum divinorum », id est exemplarium rationum mentis divinae, juxta quarum praeconceptionem facta et ordinata sunt omnia : nam operi suo formam Deus opifex indidit, juxta Platonem ; et sicut in exordio Geneseos sanctus edocuit Moyses, Deus in exordio res ipsas creavit, deinde creatas distinxit, distinctas quoque deinceps ornavit. Idcirco secundum Platonem, incomparabili pulchritudine mundus est. Sic ergo redire debemus ex effectibus in causam supremam « via », id est processu considerativo ac medio quodam, « et ordine », id est habitudine et connexione plurimorum ad invicem.

Omnium ablatione, id est omnia abnegando de Deo, secundum quod nos ea capere possumus : quoniam in infinitum perfectius et excellentius competunt ei, quam intelligere valeamus. Idcirco et conveniunt ei excellentissime. Unde subjungitur : *et eminentia, et omnium causa*, id est summa et universali causalitate, per quam scimus et demonstramus a posteriori, quod omnium rerum perfectiones in Deo consistant. Hinc in Mystica fertur Cap. I. theologia : Oportebat in eo omnium A rerum perfectiones statuere, tanquam in prima et summa omnium causa.

In his verbis gloriosus Theologus triplicem tangit viam, medium ac ordinem ascendendi in Dei cognitionem ex creaturis : videlicet viam ablationis, et eminentiae, atque causalitatis. Alibi vero ponit et viam positionis seu affirmationis, prout istud super mysticam theologiam potius habet locum.

Insuper Joannes Damascenus in exordio libri sui testatur : Non reliquit nos Deus B in omnimoda ignorantia sui. Omnibus enim cognitio existendi Deum ab ipso naturaliter est inserta. Ipsa etiam creatio et permanentia ac gubernatio magnitudinem praedicat divinae naturae. Quibus verbis addit tertio primi libri capitulo : Qualiter contrariae naturae elementorum in unius mundi consistentiam ac consummationem convenissent, et indissolubiles permansissent, nisi aliqua virtus omnipotens ea congregasset, atque indissolubiliter conservaret ? Quid est aut quis est qui statuit C coelestia pariter et terrena, et omnia quae commorantur, vivunt ac moventur in elementis ? Quid est quod movet et regit providetque haec omnia incessabili motu, ordinate ac uniformiter ? nisi creator et artifex horum, qui rationem ac legem imposuit eis, secundum quam machina mundi subsistit, fertur, durat, atque deducitur. Non enim fortunae aut casui attribui potest talis virtus. Et dato quod generari sit casus, cujus erit ordinare ? — Praeterea quantitas creaturarum consistit in multi- D tudine et magnitudine ; multitudo in generibus, speciebus ac individuis, in similibus quoque et diversis ac permixtis ; magnitudo in mole et spatio ; moles in massa et pondere ; spatium vero consistit in longo et lato ac profundo ; decor creaturarum est in situ ac specie, motu et qualitate.

Proinde et in omnibus Deus agnoscitur, id est in universis et singulis, sicut causa in suis effectibus. Imo quaelibet creatura in aliquibus suum repraesentat fa-

ctorem, et quo plura simul pensantur cum sua coordinatione, proprietate, decore et efficientia, eo præclarius in illis potest cognosci potentia, sapientia bonitasque Creatoris. *Et sine omnibus :* quoniam per se solum potest se manifestare quibus vult, et supremæ hierarchiæ angelicæ sic aliqua pandit.

Et per scientiam Deus cognoscitur, qui Osee VI, 6. loquitur per Osee prophetam : Scientiam Dei volo plus quam holocausta. His consonat illud libri Sapientiæ : Sap. XIII, 1, 5. Vani sunt omnes homines in quibus non subest scientia Dei ; a magnitudine enim speciei et creaturæ, poterit cognoscibiliter horum creator videri. Unde in Ecclesiastico scriptum Eccli. XLIII, 12. est : Vide arcum, et benedic eum qui fecit illum ; valde speciosus est in splendore suo. *Et per justitiam* *, id est, per effectus et opera justitiæ suæ cognoscitur Exod. VII, X; Gen. VII; Josue VI et seq. Deus, ut patuit in plagatione Ægyptiorum, in generali diluvio, in destructione Chananæorum. Hinc Dominus dixit per Exod. IX, 16. Moysen Pharaoni : Ideirco posui te, ut ostendam in te fortitudinem meam, et narretur nomen meum in omni terra.

* insipientia

Et est ejus et intelligentia et ratio et scientia, id est, ista conveniunt Deo, et eminentissime sunt in eo. Mentes item creatæ, suo modo intelligunt Deum, et sciunt et ratiocinantur de ipso : et sic habent intelligentiam, rationem scientiamque de ipso.

Et tactus et sensus, et opinio et phantasia. Constat Deum tangi non posse tactu corporeo, sed spirituali, qui est realiter intellectus : nisi quod Verbum incarnatum per assumptam naturam palpabile fuit, Luc. XXIV, 39. Palpate, inquiens, et videte. Unde in prima sua Canonica sanctus dixit Joannes : I Joan. I, 1. Manus nostræ contrectaverunt de Verbo vitæ. Veruntamen Deus metaphorice et in suis effectibus dicitur aliquo modo attrectari seu palpari, juxta quod loquitur Act. XVII, 26, 27. Paulus : Deus definivit statuta tempora et terminos habitationis hominum, quærere Deum, si forte attrectent eum aut inveniant. Sic et sensus spiritualis est de Deo, juxta illud Joannis : I Joan. V, 20. Scimus quoniam Filius Dei venit, et dedit nobis sensum ut cognoscamus Deum verum. Porro diversæ opiniones fuerunt et sunt de Deo et attributis ipsius. Rursus, quamvis ipse non sit directe aut proprie subjectum aut objectum phantasiæ seu imaginativæ potentiæ, ut in libro Procli et de Causis ostenditur, attamen sensitivæ potentiæ interiores et exteriores concurrunt et cooperantur ad intellectuales actiones circa ipsum. Sed et aliqui rudiores qui se super omnia materialia nequeunt faciliter elevare, grosse et indecenter phantasiari solent et imaginari de Deo : inter quos fuerunt rudes et indoctissimi illi hæretici qui dixerunt Deum in deitatis natura esse corporeum, et humani corporis lineamenta habere, quod hucusque putant quidam perditissimi insipientissimique Judæi.

Et nomen, id est, appellatio etiam convenit Deo, qui Moysi sciscitanti, Quod est Exod. III, 13, 14. nomen tuum ? respondit : Ego sum qui sum. Hæc dices filiis Israel : Qui est, misit me ad vos. Et iterum : Ego Dominus qui Ibid. VI, 2, 3. apparui Abraham, Isaac et Jacob in Deo omnipotente, et nomen meum Adonai non indicavi eis. *Et alia omnia* sunt nomina ejus per causam, aut aliquo modo præfato.

Et neque intelligitur in hac vita sicuti est, et quantum ad quid est, *neque dicitur,* id est, non exprimitur per verba significantia plenarie quid sit, *neque nominatur* nomine notificante essentiam ejus, juxta illud Proverbiorum : Quod nomen est Prov. XXX, 4. ejus ? et quod nomen filii ejus, si nosti ?

Et non est quid existentium, id est, non est aliquid entium ordinis universi, *neque in quodam existentium cognoscitur,* id est, in nullo entium agnoscitur quid sit. *Et in omnibus omnia est,* id est, ipse « est omnia in omnibus », non essentialiter, sed causaliter, *et in nullo nullum,* id est, non est in aliquo nihil, aut non ens ; *et ex omnibus in omnibus cognoscitur :* in omnibus enim apparet et repræsentatur ; *et ex nullo in nullo,* id est, ex

nulla re creata cognoscitur in non ullo seu A nominatur.

Et hoc recte de Deo dicimus, et ex existentibus omnibus laudatur secundum omnium analogiam, id est, ex cunctis rebus hymnizatur et celebratur juxta earum proportionem et mensuram, videlicet prout magis et minus in eis relucet perfectio Dei, *quorum est causa*, id est causativus.

Et est rursus divinissima Dei cognitio, id est, est et alia cognitio seu contemplatio Dei sublimior, *per ignorantiam cognoscens*, id est, per ignorantiam cum intellectu, hoc est per omnimodam abnegationem ab eo, *secundum super mentem unitionem*, id est per unionem mentis cum eo supermentalem, secretissimam, communi generi hominum prorsus ignotam; *quando mens ab existentibus omnibus recedens*, id est, cuncta creata transcendens ac deserens, *deinde et se ipsam relinquens*, id est, contemplando ac diligendo Deum se prorsus transiliens, obliviscens, transgrediens, ita quod non attendit nec apprehendit se ipsam nec proprium actum, nec aliquid sui, transformatus et absorptus in superdilectissimum Deum, *unitur* (vel potius *unitur*) *superapparentibus radiis*, id est fulgoribus radiosis ac radiantibus splendoribus dein sapientiæ salutaris, flammigeræ, amorosæ ac gratiosissimæ illuminationis divinæ, *inde et ibi inscrutabili profundo sapientiæ illuminatus*, id est repletus, unctus et copiose perfusus altitudine incomprehensibili sapientiæ increatæ ac pelago Deitatis.

Ista Dei per ignorantiam cognitio, hæcque contemplatio mysticæ theologiæ, quæ est intimissima et abditissima mentis cum Deo locutio, est altissima Deitatis notitia quam de ea in hac vita habemus: qua Deo conjungimur prorsus ignoto. In qua contemplatione mens amorosa et pura, præ ingenti admiratione ac ardentissima dilectione, præcordialissima quoque complacentia superamabilissimi, supergratiosissimi ac superserenissimi Dei, a se ipsa deficit, alienatur ac defluit, et absorbetur in infinitas illas divitias gloriæ sui dilecti, obdormiens in eodem, juxta quod scriptum est: In pace in id ipsum dormiam et requiescam. *Ps. IV, 9.* De his in expositione Mysticæ theologiæ, prout ordinaverit et concesserit Dominus, diffusius est tractandum. Tantisper hic tactum sit, ut ad illud mens magis anhelet.

Et quidem et ex omnibus (quod quidem dixi) ipsa cognoscenda, id est, Deitas ex cunctis et singulis creaturis est aliquo mo- B do prætacto consideranda et agnoscenda, ut sæpius est expressum. Quæ quamvis magna et admiranda sit appareatque in magnis, mirabiliora tamen frequenter gloriosius operatur in minimis.

Ipsa enim est, secundum Eloquium, omnium factrix, id est creatrix, *et semper omnia compaginans*, id est, congruenter coaptans, *et insolubilis omnium congruentiæ et ordinationis causa*, id est effectrix indeficiens indeficientis convenientiæ coordinationisque omnium rerum, secundum C exigentiam finis universi. Hinc teste Apostolo, quæ a Deo sunt, ordinata sunt. *Rom. XIII, 1.* Qui etiam cohortatur: Omnia honeste et secundum ordinem fiant in vobis. *I Cor. XIV, 40.* Ordo quippe est optimum quid in rebus. Hinc in libro Sapientiæ legitur: Omnium artifex est sapientia, et attingit ubique propter suam munditiam. *Sap. VII, 21, 24.*

Et semper fines priorum, id est ultima superiorum, *connectens principiis secundorum*, id est altioribus sequentium, ita quod illa inter se habeant convenientiam D magnam atque præcipuam. Non tamen summum ordinis inferioris æquale est infimo ordinis superioris in dignitate et perfectione. Sic infimum animalium connexum est supremo tantum vegetativo. Ecclesiastica quoque hierarchia, quoad ordinem in ea supremum, connexa est et multum assimilata infimo choro hierarchiæ angelicæ, non tamen illi æqualis secundum hunc statum. Propter quod de beatissimo Joanne Baptista dicit Salvator: Qui minor est in regno cœlorum (id est *Matth. XI, 11.*

infimus angelorum), major est illo. Hinc in Elementatione sua theologica theoremate centesimo quadragesimo sexto, Proclus disseruit : Omnium divinorum processuum fines ad sua principia assimilantur. Et theoremate ibi immediate sequente : Omnium divinorum ornatuum summa assimilantur ultimis superpositorum. Et post pauca : Omnis, inquit, divinus ordo sibi ipsi conjunctus est tripliciter, hoc est a summitate sui et medietate ac fine. Consonat his illud libri Causarum : Creata se ad invicem sequuntur, et oportet quod continuatio et ligatio sit in eis.

Et unam universitatis conspirantiam et harmoniam pulchram faciens, id est, imprimens speciebus et entibus universi naturalem conformitatem, et quasi aequivalenter quemdam consensum unanimem ac fixam concordiam, ita quod omnia tendunt ad unum, et invicem sibi bona communicant, ac mutuo se constipant : quemadmodum in exercitu cernimus, atque in cantibus et musicis sonis, in quibus ex triplicibus sonis ac vocibus, pulchra, suavis ac jucunda surgit et confluit melodia, prout de hoc Plato, et ante eum Pythagoras, et post eos Cicero, subtiliter conscripserunt, sanctusque Augustinus libro de Civitate Dei. Gregorius quoque beatus hinc tangit super illud Job : Numquid nosti ordinem cœli, et pones rationem ejus in terra ? Unde et in libro Sapientiæ fertur quod sapientia illa omnium dispositiva, attingit a fine ad finem fortiter, et disponit cuncta suaviter. Hinc habet translatio alia : Unam mundi conspirationem et congruentiam decentissime faciens.

Job xxxviii, 33.

Sap. viii, 1.

ARTICULUS LXXVIII

QUALITER DEO ADSCRIBANTUR RATIO, VERITAS, FIDES.

RATIO *vero Deus laudatur a sacris Eloquiis*, id est, « Deus » in Scripturis « laudatur » ut « ratio », id est mens rationabiliter et sapientissime operans, quamvis in nostra translatione raro aut nunquam sub hoc nomine ita laudetur : *non solum quia et rationis et intellectus et sapientiæ est largitor, sed quia et omnium causas in se ipso uniformiter præambivit*, id est, universorum causas et rationes in se ipso immutabiliter, idealiter, æternaliter comprehendit, prævidit, disposuit, *et quia per omnia implens pervenit (ut Eloquia aiunt) usque ad omnium finem*, id est, per bonitatis et lucis suæ influxum cuncta proportionabiliter « implens » (sicut ait per Jeremiam : Cœlum et terram ego impleo), per suas largitiones largissimas undique se diffundit, et ubique pertingit, ut jam ex Sapientiæ libro est allegatum.

Jer. xxiii, 24.

Sap. vii, 24; viii, 1.

Et ante quidem hæc, id est ab æterno ante hæc omnia, *in omni simplicitate divina supersimplificatur ratio*, id est, « ratio » secundum quod convenit Deo, non est discursiva et imperfecta, sicut in nobis, sed est incomparabiliter simplicissima mens « in omni », id est perfecta, « simplicitate » intuens simul unico actu cuncta et singula ; *et ab omnibus est super omnia, secundum superessentiale, absoluta*, id est elevata et libera, secundum suum supersubstantialem modum a nullo dependens cunctisque præeminens infinite. Propter quod subditur :

Ipsa ratio est simpla et vere existens veritas, id est, ratio Dei est sua æterna, simplicissima, atque per se subsistens invariabilis veritas.

Denique veritas duplex esse communiter dicitur, utpote veritas rei, et veritas propositionis seu veritas mentis. Et sicut

Deo excellentissime competit esse et ratio entis, essentia et natura ; ita et veritas rei, quæ est vera sua deitas conformissima intellectui suo et intellectum suæ de ea. Præterea, quum veritas appelletur adæquatio intellectus ad rem intellectam, ipse Deus dignissime nuncupatur verus et veritas prima perfecta, quoniam suæ naturæ ad suum intellectum est adæquatio plena et maxima. — In ipso est veritas vitæ, veritas sapientiæ seu doctrinæ, veritasque justitiæ. Ab ipso omnis veritas rerum causatur, et triplex veritas in creaturis intellectualibus fluit ac derivatur : veritas utique vitæ, veritasque doctrinæ, veritas quoque justitiæ. Hinc, sicut a facie una in diversis speculis plures resplendent imagines, sic a veritate increata æterna plures in creaturis originantur, imprimuntur resultantque veritates. Rursus, quemadmodum uno in speculo plurimorum vultuum similitudines quædam apparent, ita in ipsa una simplici veritate divina omnium creaturarum veritates exemplariter splendent.

Circa quam ut puram et non errantem omnium scientiam, divina fides est, unicum credentium fundamentum, eos collocans veritati, et eis veritatem.

Ista est definitio fidei quæ est theologica virtus. Quæ definitio, ut S. Thomas dicit in secunda secundæ, tractatu de fide, est eadem cum definitione fidei quam ad Hebræos ponit Apostolus : Fides est, inquiens, substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium. Quæ descriptio quamvis non ponatur sub forma definitionis, omnia tamen includit ex quibus fides potest congrue definiri, et possunt verba illa Apostoli ad formam definitionis sic redigi : Fides est habitus mentis seu intellectus quo inchoatur in nobis vita æterna, id est beatifica visio, faciens intellectum assentire non apparentibus. Porro definitiones fidei assignatæ ab aliis, sunt quædam explicationes et declarationes definitionis Apostoli, ut quum asserit Augustinus : Fides est virtus qua creduntur quæ non videntur ; et dum loquitur Damascenus : Fides est consensus non inquisitus* ; et rursus libri quarti capitulo decimo : Fides est eorum quæ sperantur hypostasis, id est subsistentia ; et quum Hugo affirmat : Fides est certitudo mentis de absentibus, supra opinionem et infra scientiam.

Hebr. xi, 1.

* Orthod. l. IV.

Itaque « fides divina », id est fides catholica, quæ est virtus, præsertim fides formata, « est fundamentum unicum », id est virtus cognitiva prima et fundamentalis, « credentium » Deo, cujus auctoritati credunt, et cujus veritati innituntur credendo. Ideo dicitur fides esse et versari « circa scientiam omnium puram et non errantem », id est circa increatam et infallibilem veritatem omnia cognoscentem, quæ est fidei hujus objectum, « collocans eos veritati », id est, coaptans et applicans ipsos veritati credendorum, « et veritatem » illam ipsis conniens. Etenim fides sua luce intellectum perfundit et inclinat ad consentiendum credendis. Hinc aliæ translationes clarius habent : Collocans eos in veritate, et veritatem in eis. Una etiam dicit : Fides est stabilis credentium sedes.

Incredibili incommutabilitate simplam veritatis scientiam habentibus credulis, id est, ipsis fidelibus « habentibus scientiam simplam », id est simplicem, incompletam seu inchoatam notitiam (nam et scientia interdum accipitur pro fidei cognitione, ut in libro Job : Scio quod Redemptor meus vivit, et in novissimo die de terra surrecturus sum ; apud Joannem quoque : Scio quia resurget in resurrectione in novissimo die), « incommutabilitate incredibili », id est firmissime, ita quod malint mori quam a fide recedere, sicque stabilitate et firmitate incredibili adhærent fidei veritati.

Job xix, 25.

Joan. xi, 24.

Ipsa enim est scientia adunatrix cognoscentium et cognitorum, id est, fides est quædam notitia conjungens ipsos qui credunt veritatibus divinorum quas credunt. *Ignorantia vero transmutabilis semper*, id est causa et meritoria ratio separationis,

quia per eam meretur homo separari a Deo, et separatur a veritate. Propter quod (I Cor. XIV, 38.) dixit Apostolus : Qui ignorat, ignorabitur. Quod de ignorantia juris et nescientia affectata potissime verum est. *Et ex se ipso ignoranti separationis causa*, id est ratio divisionis damnabilis nescienti quod tenetur scire : « causa », inquam, « ex se ipso », id est ex sui ipsius negligentia aut pravitate ; vel « causa separationis ex se », id est a se, quia per ignorantiam hujus(Ps. XXXIX, 5.)modi perdit se ipsum, et recedit a se ad vana et ad insanias falsas. Unde dixit Apo(II Cor. XIII, 5.)stolus : Annon cognoscitis vosmetipsos ? nisi forte reprobi sitis.

In veritate credentem, juxta sacrum verbum, nihil removebit ea quæ est secundum veram fidem lætitia, id est, eum qui vere credit, vel qui credit « in veritate » in Deum, nulla prosperitas, nulla adversitas avertet a gaudio spirituali quod habet credendo per fidem formatam. De quo ait (Rom. XV, 13.) Apostolus : Deus spei repleat vos omni gaudio et pace in credendo. *In qua mansionem habebit stabili et intransmutabili uniformitate*, id est, in fide et ejus cognitione ac consolatione fixus immobilisque manebit : sicut in electissimis innumerabilibusque martyribus utriusque sexus uberrime patuit, quorum fidem atque constantiam Deus per innumera et præclara approbavit miracula. Unde Corinthios hor(I Cor. XV, 58.)tatur Apostolus : Stabiles estote et immobiles, abundantes in opere Domini semper, scientes quod labor vester non est inanis in Domino. De hac fidei virtuositate, efficacia et consolatione diffuse scribit Apo(Hebr. XI.)stolus ad Hebræos.

Etenim scit ad veritatem unitus, id est Deo ac fidei veritati conjunctus, *ubi bene habet*, id est, qualiter stet, et ubi sit fixus, *etsi multi corripiant eum tanquam mente excedentem*, id est, quamvis perfidi et insensati redarguant, derideant, persequantur eum quasi delirum et amentem.

Latet quidem velut imago eos erroris a veritate per veram fidem mente excedens : id est, fidelis iste « mente excedens », id

A est, in divina transcendens et in Deum per raptum et ecstasim proficiscens, « per fidem » sanctam, « latet » illos iniquos et excæcatos quantum ad sua interiora, tanquam « imago erroris », id est sicut falsitati et erroribus totaliter deditus secundum eorum æstimationem, « a veritate », id est per recessum et alienationem a veritate. Hi tales in tormentis dicturi sunt illud libri Sapientiæ : Nos insensati vitam illo(Sap. V, 4.)rum æstimabamus insaniam. De quibus Apostolus : Ludibria, inquit, et verbera (Hebr. XI, 36.)

B experti.

Ipse autem vere scit se ipsum, id est, vere et humiliter se cognoscit christianum et in statu salutis, saltem scientia conjecturali atque probabili, *non (quod aiunt illi) insanientem*, id est, non cognoscit se esse amentem vel insanum, *sed instabilitate et mutabilitate circa largissimum erroris varium ambitum, per immobilem et semper secundum eadem et sic sic habentem veritatem, liberatum* : hoc est, ipse cognoscit se « liberatum » a laqueis dia-

C boli, ab « instabilitate et mutabilitate », id est a cordis fluctuatione et inconstantia, « circa ambitum », id est per vagationem, « erroris », variam, largissimam, id est multiplicem, copiosam (juxta illud, In cir(Ps. XI, 9.)cuitu impii ambulant : quia de uno errore labuntur in alium), « per veritatem immobilem, habentem » se « semper sic sic », id est eodem modo et secundum dispositionem eamdem : cui adhærendo stabilitur ac liberatur. Unde ait Salvator : Si man(Joan. VIII, 31, 32.)seritis in sermone meo, vere discipuli mei

D eritis, et cognoscetis veritatem, et veritas liberabit vos. Hinc Ephesios monet Apostolus : Jam non simus parvuli fluctuan(Ephes. IV, 14.)tes, et circumferamur omni vento doctrinæ. Et alibi : Teneamus, inquit, spei nostræ (Hebr. X, 23.) confessionem indeclinabilem.

Sic ergo secundum nos divina sapientiæ principales duces*, id est majores prælati, ut sancti episcopi et perfectiores doctioresque viri, christianæ theoriæ magistri, *pro veritate morientes omni die*. Quibus Christus prædixit : Trademini a (Luc. XXI, 16.)

(* sapien-)

parentibus et cognatis et fratribus et amicis, et morte afficient ex vobis. *Testimonium perhibentes, ut est consequens, et verbo omnino et opere, omnes propter Christianam veræ scientiæ*: id est, protestantes « omnino », id est perfecte, « verbo » prædicationis « et opere » conversationis atque constantiæ ac proprii sanguinis effusione, « propter Christianos », id est ad fidelium ædificationem, « scientiæ unicæ veræ », id est doctrinæ fidei orthodoxæ catholicæ, « ut consequens » et decens « est ».

Hoc est, omnium ipsam esse et simpliciorem et diviniorem, magis autem ipsam esse solam, veram, et unam, et simplam divinam scientiam, id est, hanc doctrinam et fidem ac legem Christianorum, inter omnes sectas « esse » nunc « solam scientiam » salutarem, « unam, veram » ac simplicem, sine omni plica falsitatis, duplicitatis et simulationis. Hinc in Actibus princeps ait Apostolorum : Jesus Christus lapis est qui factus est in caput anguli, et non est in aliquo alio salus ; nec enim aliud nomen sub cælo datum est hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri. Qui et in epistola sua fatetur : Prophetæ contestati sunt hanc esse veram gratiam, in qua statis. Hoc est quod Christus asseruit : Ego sum via, veritas et vita, nemo venit ad Patrem nisi per me. Et rursus : Qui non credit, jam judicatus est, quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei.

Act. IV, 11, 12. — *I Petr. V, 12.* — *Joan. XIV, 6.* — *Ibid. III, 18.*

TRANSLATIO MARSILII FICINI

AGE vero, bonam illam æternamque vitam, si placet, tanquam sapientem atque ut ipsam sapientiam celebremus : imo vero et omnem sapientiam procreantem, et super omnem sapientiam intelligentiamque eminentem. Deus enim non solum exuberat sapientia, sapientiæque ejus non est numerus ; sed omnem rationem et intellectum sapientiamque excedit. Itaque * mirabiliter intelligens vir ille revera divinus, communisque noster nostrique præceptoris sol, ait, Quod stultum est Dei, sapientius est hominibus : non solum quia omnis humana cogitatio ad firmitatem stabilitatemque divinarum perfectissimarumque intelligentiarum comparata, error quidam est ; verum etiam quia theologorum mos est, quæ ad privationem pertinent, de Deo conditione quadam opposita prædicare. Sic igitur sacræ Litteræ invisibile dicunt lumen omnium fulgentissimum ; eumque qui laudes omnes et nomina jure sibi vindicat, ineffabilem et absque nomine nuncupant ; præterea, præsentem omnibus ex omnibusque compertum, incomprehensibilem et nusquam investigabilem asserunt. Hac utique ratione divinus Apostolus in præsentia stultitiam Dei dicitur celebrare, quod videlicet in ea præter rationem modumque apparet, ad ineffabilem omnique ratione superiorem referens veritatem. Verum (quod alibi dixi) quando more nostro quæ supra nos sunt accipimus, atque ea virtute confidimus quæ una cum sensibus alitur, divina nostris conferens, fallimur : quippe quum divinum illud arcanum juxta apparentem nobis speciem persequamur. Operæ pretium fuerat animadvertere nostrum intellectum partim quidem habere intelligendi virtutem, per quam intelligibilia cernit ; partim vero unionem quamdam excelsiorem intelligentia, per quam his quæ super intellectum sunt conjungitur. Ejusmodi igitur unione cognoscenda sunt divina, non humano quodam more, sed quatenus ipsi toti nos totos excedimus, nosque integros Deo dedimus. Præstat enim esse Dei, quam nostri juris. Ita demum divina nobis tradi poterunt, si cum ipso Deo fuerimus.

Psal. CXLVI, 5. — * *Hierotheus.* — *I Cor. I, 25.* — *I Tim. VI, 16.* — *Job XXVIII, 21; Prov. XXX, 4.* — *Job IX, 10; Rom. XI, 33.*

Hanc igitur irrationalem et amentem stultamque sapientiam eminenter celebrantes, dicamus omnis intellectus, rationis, omnisque sapientiæ et intelligentiæ, causam esse, ipsamque esse omne consilium, ab ipsa cognitionem intelligentiamque omnem exsistere, in ea omnes cognitionis sapientiæque thesauros absconditos esse. Atque ut *Coloss.* II, 3. consequenter ex illis quæ jam diximus, prosequamur, causa illa super sapientiam universam consistens omnemque comprehendens, ipsam sapientiam et totam universaliter et quamlibet procreat singulatim. — Ex ipsa profecto intelligibiles intellectualesque angelicarum mentium vires, simplices ac beatas intelligentias habent : nec in aliquibus divisibilibus nec a divisibilibus sive sensibus sive rationibus discurrentibus cognitionem divinam colligunt, nec ab aliquo communi ad ista simul comprehenduntur ; sed ab omni materiali conditione multitudineque absolutæ, intellectualiter, immaterialiter, uniformiter intelligibilia intelligunt divinorum. Est sane in ipsis intellectualis virtus et actio per impermixtam incommutabilemque puritatem desuper illustrata, propterea compos ad divinas intelligentias contuendas, dum partim quidem per naturam impartibilem immaterialemque, partim etiam per unionem quamdam (ut ita dixerimus) deiformem ad divinam et plusquam sapientem mentem rationemque pro viribus conformatur. Animæ quoque facultatem rationalem per divinam sapientiam habent, rerum veritatem circulari quodam discursu quærentes : atque in eo quidem unitis mentibus illis inferiores, quod partibili variaque conditione speculando procedunt ; in eo vero quod multa in unum colligunt, intelligentias angelicas, quantum animabus conveniunt, assequuntur. Si quis præterea sensus etiam ipsos esse vestigium aliquod sapientiæ dixerit, non aberrabit. Dæmoniaca quoque mens, qua ratione mens est, ex illa dependet ; quatenus vero mens est quodammodo demens, neque sciens videlicet, neque volens eo ipso quod naturaliter appetit, perfrui, proprie utique defectionem quamdam a sapientia nominare decet.

Divinam quidem sapientiam esse ipsius universæque sapientiæ, et intelligentiæ omnis, rationisque et sensus cujuslibet, principium et causam, institutoremque et perfectionem, et conservationem atque terminum, supra diximus. Verum quonam pacto Deus ipsa sapientia universa superior, celebratur tanquam sapientia et intellectus et ratio atque cognitor? Quo enim modo intelligibile quidquam intelliget, quum intellectuales non habeat actiones? aut quomodo percipiet sensibilia, qui sensus universi fines excedit? Scire tamen illum omnia, nihilque divinam cognitionem effugere, sacra *Hebr.* IV, testantur Eloquia. Ceterum (quod sæpe jam monui) divina mysteria ut Deum decet 13. accipienda sunt. Sic itaque intelligentiæ sensusque vacatio, non defectum in Deo significat, sed excessum : quemadmodum et irrationale ipsi quod super rationem est adhibemus, et imperfectionem ei quod supra partes et ante perfectionem exstat, et intangibilem invisibilemque caliginem inaccessibili luci, qua videlicet ratione visibile lumen exsuperat. Divinus igitur intellectus omnia continet cunctis eminente cognitione, per ipsam omnium causam in se ipso intelligentiam omnium anticipans, priusquam angeli fierent, cognoscens angelos atque producens, ceteraque omnia ex intimis suis ab ipso (ut ita loquar) exordio noscens ad essentiamque perducens. Idque arbitror sacrum Eloquium significare, dicens : Qui omnia novit antequam fierent. Intellectus *Dan.* XIII, enim divinus non res ipsas novit ex ipsis, sed ex se ipso atque in se per causam, 42. omnium notitiam, cognitionem essentiamque anticipat et excellenti ratione comprehendit : non distractus in singula, sed per unam causæ comprehensionem omnia sciens atque continens, quemadmodum et lumen per causam in ipso notitiam tenebrarum anticipat, non aliunde tenebras præterquam ex propria claritate cognoscens. Divina igitur sapientia se ipsam cognoscens, cuncta cognoscit : materialia quidem immateria-

liter, impartibiliter partibilia, unice multa, intuitu videlicet uno cuncta cognoscens atque producens. Nempe si per unam causam Deus essentiam omnibus impertit, per eamdem quoque causam unicam scit insuper omnia, quippe quum in ipso sint, et in ipso ante subsistant. Neque igitur ex rebus rerum accipiet notionem, sed ipse singulis id præstabit ut et se et alia noscant. Deus igitur non aliam quidem sui, aliam vero aliorum scientiam habet. Ipsa namque omnium causa se cernens, quonam pacto cogitari potest quæ ab ipsa sunt quorumve ipsa causa est, ignorare? Hac igitur ratione Deus cuncta cognoscit, non quidem illa rerum sed ipsa sui ipsius scientia noscens. Jam vero et angelos sacra Eloquia tradunt terrena cognoscere, non quia per sensus sensibilia discant, sed quoniam per propriam intellectus sui quodammodo jam divini virtutem naturamque contemplentur.

Inter hæc quærendum est quomodo nos cognoscamus Deum, quum neque intelligibilis sit, neque sensibilis, neque omnino aliquid exsistentium. Forte vero id revera dicemus: nos Deum non ex ipsius natura cognoscere (hoc enim est ignotum, omnemque rationem intelligentiamque excedit), sed ex ipsa rerum omnium ordinatissima dispositione, ut ab ipso producta, et imagines quasdam similitudinesque divinorum ipsius exemplarium præ se ferente, ad illud quod omnia supereminet, via ordineque pro viribus nos ascendere, dum videlicet omnia de illo negamus, singulaque transcendimus, causam duntaxat omnium asserentes. Quamobrem et in omnibus Deus agnoscitur, seorsumque ab omnibus; et per cognitionem et per ignorationem Deus ipse percipitur. Atque est ipsius intelligentia, ratio, scientia, tactus, sensus, opinio, imaginatio, nomen, ceteraque omnia; rursus nec intelligitur, neque dicitur, nec nominatur. Nec est aliquid eorum quæ sunt, neque apprehenditur in aliquo exsistentium; item in omnibus omnia est, et in nullo nullum, præterea ex omnibus cognoscitur ab omnibus, et ex nullo nulli. Etenim ista quoque recte de Deo dicimus. Deusque rite ex omnibus celebratur per quamdam omnium (quorum ipse causa est) comparationem atque proportionem. Est item divinissima Dei cognitio, quæ per ignorationem quamdam provenit secundum unionem intellectu sublimiorem, quando mens, rebus omnibus posthabitis, se ipsam quoque dimittit, atque ita radiis superlucidis copulatur, et illinc et ibi inscrutabili sapientiæ profundo penitus illustratur. Jam et ex omnibus etiam, sicut [illegible] dixi, Deum investigare fas est. Ipse enim, juxta sacrum Eloquium, efficit omnia, et harmonice cuncta componit, contextumque et ordinem rerum invicem indissolubilem ubique conservat, quatenus superiorum fines sequentium principiis ubique coarctat, atque ita unam harmonicamque universi conspirationem pulcherrime fabricat.

Ratio vero Deus a sacris Eloquiis nominatur, non solum quia rationis et mentis sapientiæque auctor est, sed etiam quia causas omnium uniformiter in se anticipat; et [illegible] quoniam per singula discurrendo dispensat usque ad omnium finem, ut sacra tradunt Eloquia; atque præterea, quoniam divina ratio super omnem simplicitatem se protendit, et ab omnibus, secundum superessentiale munus, eminenter absolvitur. Hæc itaque ratio est simplex vereque exsistens veritas, circa quam ut puram et nusquam aberrantem universorum cognitionem, fides divina consistit, stabile credentium firmamentum; quæ quidem hos in veritate collocat, atque in ipsis collocat veritatem identitate quadam nunquam dissuasibili simplicem veritatis cognitionem habentibus qui jam crediderunt. Proinde, si cognitio cognoscentes invicem cognitaque conjungit, ignorantia vero permutat semper ignorantemque a se ipso sejungit; nimirum eum qui [illegible] in veritate credit, ut sacer tradit sermo, nihil ab ipso veræ fidei firmamento vel causa dimovet, in qua sane constantiam immobilis immutabilisque identitatis habebit. Qui enim veritati conjunctus est, quam bene se habeat profecto novit, etiam si multi eum

corripiant velut amentem. Latet enim eos, ut par est, hunc ipsum ex errore jam erutum, per intemeratam fidem excedere veritati conjunctum. Ipse vero revera se ipsum novit non (ut ferunt illi) furentem, sed ab instabili omnifariamque variabili errore semotum propter ipsam veritatem simplicem semperque secundum eadem et eodem modo sese habentem. Hac itaque ratione, divinæ sapientiæ nostræ præcipui duces pro veritate quotidie mortem obeunt, testificantes, ut decet, omni sermone simul et opere, (Ps. xliii, 22; Rom. viii, 36.) pro singulari Christianorum veritatis cognitione, hanc videlicet esse omnium scientiarum simplicissimam atque divinissimam, imo hanc esse solam veram, unicamque hanc simplicem divinorum cognitionem.

PARAPHRASIS ABBATIS VERCELLENSIS

LAUDEMUS deinde Deum sicut sapientem, A et sicut per se sapientiam, vel potius sicut omnis sapientiæ substantificatorem et superexsistentem super omnem sapientiam et prudentiam : quia Deus non tantum est superplenus sapientia, (Ps. cxlvi, 5.) et sapientiæ ejus non est numerus, sed collocatur super omnem rationem et mentem et sapientiam. Et hoc supernaturaliter intendens B. Paulus, qui est sol communis Hierotheo et mihi, dicit stultum (I Cor. i, 25.) Dei sapientius esse hominibus. Quod non tantum ideo dicit quia omnis humana deliberatio error quidam esse invenitur, si stabilitati divinorum et perfectissimorum intellectuum comparetur; sed et quia consuetum est profundioribus theologis attribuere Deo congruentes ipsi privationes per positionem contrariorum, ut efficacior sit privatio et sublimior insinuatio. Hac consideratione dicunt Scripturæ clarissimum lumen esse invisibile; (I Tim. i, 17.) et multum laudabilem et multipliciter nominabilem, esse ineffabilem et innominabilem; (Job xxxvi, 23; Prov. xxx, 4.) et omnibus præsentem et ab omnibus inventum, dicunt esse incomprehensibilem et investigabilem. (Job xi, 7; Rom. xi, 33.) Hoc igitur modo Apostolus sapientiam Dei vocat stultitiam, quia continet ea quæ præter rationem videntur, et secundum intellectum humanum inconvenientia. Et hoc facit Apostolus, ut mentes transferat ad cognitionem ineffabilis veritatis quæ est ante omnem rationem. Sed ut alibi diximus nos accipientes ea quæ supra nos sunt, secundum naturæ nostræ corruptæ proprietatem, et secundum æstimationem sensuum nostrorum quibus connutriti fallimur, divina comparantes decipimur in eo quod secundum sensibilium apparentiam, exsequimur divinam et ineffabilem rationem. Sciendum est autem, quod mens nostra habet virtutem ad intelligendum (quam dicere possumus theoricum intellectum), per quam mens intelligibilia inspicit. Habet præterea mens unitionem (quam intelligimus summum affectionis apicem quem proprie perficit dilectio Dei) extendentem per exercitium naturam mentis per quam mens conjungitur theoriis tam naturam suam quam exercitia sua excedentibus. Per hanc ergo unitionem oportet nos cognoscere divina, non secundum sobrietatem intelligentiæ nostræ, B sed statuendo nos supra nos ipsos tota virtute Deo unitos, juxta illud, Levabit se supra se; (Thren. iii, 28.) et, Qui adhæret Deo, unus spiritus est cum eo. (I Cor. vi, 17.) Melior siquidem status est, esse Dei per hanc gratiæ unitionem, quam esse nostri ipsorum per solam naturæ conditionem : quia tunc tandem divinis muneribus copiose ditamur, quando Deo unimur.

Hujus superintellectualis unitionis æternam sapientiam, irrationalem et amentem et stultam excedenter laudantes, dicimus quod ipsa est causa omnis mentis et rationis, et omnis sapientiæ et omnis providentiæ; et ipsa est C omne consilium et ab ipsa est omnis cognitio et prudentia et in ipsa sunt omnes thesauri (Col. ii, 3.) sapientiæ et cognitionis absconditi. Etenim juxta consequentiam prædictorum supersapiens et omnisapiens causa, scilicet divina sapientia quæ omnem superat et continet sapientiam, est substantificatrix et ipsius per se sapientiæ et universalis et cujuslibet particularis. — Et ex ipsa angelicæ mentes, quæ intelliguntur et intelligunt, habent simplices

et beatos intellectus: non congregantes divinam cognitionem in rebus divisibilibus vel ab ipsis, aut a sensibus corporeis aut a sermonibus corporeis, neque ab aliquo communi ex istis collecta; sed exsistentes mundæ ab omni materiali multitudine, intellectualiter, immaterialiter et uniformiter intelligunt ea quæ in Deo sunt intelligibilia. Habent etiam virtutem intellectualem et operationem resplendentem puritate munda in se, neque aliunde maculata, et conspicientem divinorum intelligibilium simpliciter et immaterialiter. Et dictæ mentes sunt divinitus unitæ et juxta angelicam possibilitatem conformiter referuntur ad divinam et resplendentem et mentem et rationem. Hinc propter divinam sapientiam habent et animæ rationalitatem, per quam diffuse et circulariter exsistentium veritatem circumquaque inquirunt; et per divisibilem et largissimam varietatem inquisitionum deficiunt ab uniformibus mentibus angelicis; per multorum tamen sensibilium collationem ad simplicem contemplationem manuductæ intellectibus angelicis juxta possibilitatem suam comparantur. Si autem aliquis dixerit et sensitivam cognitionem esse qualemcumque resonantiam et imaginem divinæ sapientiæ, in hoc non errat. Et quidem dæmonum mens secundum quod est mens, est ab æterna sapientia Dei, tanquam a prima causa; in quantum autem est mens depravata, nec desiderans veram sapientiam, neque sciens, neque volens, in tantum non est dicenda sapientia, sed casus a sapientia.

Quod autem divina sapientia principium est, et causa substantificatrix et perfecta, et custodiens et finis, dictum est. Quomodo ergo ipse Deus, qui est supersapiens sapientia, excedens omnium sapientiam et mentem et rationem et cognitionem, dicitur esse mens aut ratio aut cognitor? Aut quomodo intelligit Deus aliquid intelligibilium, quum non habeat intellectuales operationes? aut quomodo cognoscit sensibilia, quum ipse sit collocatus super omnem sensum? Patet autem quod Hebr. iv, 13 Scripturæ asserunt ipsum scire omnia, et nihil effugere divinam cognitionem. Sed ut sæpe dixi, divina intelligi debent ut deceat Deum, scilicet non per defectum, sed per excessum: ut dicatur esse sine mente et sine sensu, quia est et cognoscit super omnem mentem et sensum; sicut attribuimus irrationabilitatem ei qui est super omnem rationem, et imperfectionem ei, qui est super et ante omnem perfectionem, et lumen inaccessibile secundum excessum. Omnis etiam invisibilis luminis divinam esse caliginem impalpabilem rationi et invisibilem menti. Unde divina mens omnia contiens, et ab omnibus segregata cognitione præaccipiens se ipsam scientiam omnium secundum quod ipsa est causa omnium, sciens et in esse producens angelos causaliter, antequam ipsi angeli fierent. Similiter et intra se præaccepit antequam ipsa fierent, et a se ipsa tanquam principio et ea sciens et ad esse producens. Quod innuit Scriptura, dicens: Qui Dan. XIII, 42 scit omnia antequam fiant. Divina etenim mens non novit exsistentia tanquam discens ea ex collatione exsistentium, sed in se ipsa et ex se ipsa causaliter præhabet et præaccepit omnium scientiam et cognitionem et substantiam, et singula (non novit singulatim inspiciens, quasi ex causis variis ea cognoscens, sed secundum simplicis causæ continentiam in se ipsa est omnia sciens et continens; sicut lux visionem tenebrarum in se ipsa causaliter præaccepit, et videt tenebras non ex alia causa quam ex lumine. Divina ergo sapientia in quantum se ipsam cognoscit, cognoscit omnia: materialia quidem immaterialiter, et divisibilia indivisibiliter, et multa unitive, et in propria simplicitate omnia æternaliter cognoscit, et omnia ad esse producit. Quum enim Deus secundum unam simplicem causam omnibus exsistentibus esse tradidit, consequitur ut secundum eamdem causam causaliter sciat omnia, tanquam ex ipsa causa exsistentia et in ipsa præexsistentia, neque percipit exsistentium cognitionem ex ipsis exsistentibus, sed singulis exsistentibus se et alia cognoscentibus et sui et aliorum cognitionem largitur. Non enim Deus habet unam propriam sui ipsius cognitionem, et aliam communem exsistentium omnia comprehendentem, sed cognitione sui cognoscit omnia. Ipse enim cognoscens se ipsum causam omnium, extra se non videtur alicui intendere; nec ignorat ea quæ a se sunt, et quorum ipse est causa. Deus igitur cognoscit exsistentia, non scientia exsistentium, sed scientia sui ipsius. Sed et angeli dicuntur scire omnia quæ sunt in terra: non quod cognoscant sensibilia per sensus corporeos, sed secundum propriam virtutem et naturam mentis suæ Deo conformis.

Præterea inquirendum est quomodo nos

cognoscimus Deum, quum ipse nec intelligibilis sit, neque sensibilis sit, neque omnino sit aliquid exsistentium. Cui veraciter respondetur, quod nos Deum cognoscimus non ex natura ipsius (secundum naturam enim suam ipse ignotus est, et omnem rationem et mentem excellit), sed ex consideratione ordinationis universitatis rerum, tanquam ab ipso nobis proposita, et habente in se quasdam imagines et assimilationes divinorum exemplarium, recte et gradatim juxta nostram virtutem ascendimus in Deum, qui est super omnia exsistens, et ab eo tanquam omnia excedente, omnia auferimus, et ipsum omnium esse causam attendimus. Unde et in omnibus cognoscitur Deus, et sine omnibus; et per cognitionem Deus cognoscitur, et per ignorantiam. Et de illo est et intellectus et sermo et scientia, et tactus et sensus, et opinio et phantasia et nomen, et alia omnia; et iterum neque intelligitur, neque dicitur. Et ipse non est aliquid exsistentium, neque in aliquo exsistentium cognoscitur; et in omnibus omnia est, et in nullo aliquid, et ex omnibus cognoscitur cunctis, et ex nullo alicui. Recte quidem Deo omnium nomina attribuimus, et tanquam omnium causam, ex omnibus exsistentibus laudamus secundum singulorum proportionem. Et est iterum divinissima cognitio Dei, qua ipse cognoscitur per ignorantiam secundum unitionem super mentem, quando scilicet mens ab omnibus intellectualibus et intelligibilibus recedens, et tandem se ipsam excedens, unitur radiis æternæ sapientiæ super capacitatem intellectuum splendentibus, inde illuminata inscrutabili profunditate sapientiæ. Deus siquidem recte laudatur ab omnibus, qui teste Scriptura, causa est effectiva omnium, semper omnia concordans, et est causa indissolubilis concordationis et ordinis omnium, et semper conjungens fines priorum principiis secundorum, et pulchre operans universitatis conspirationem et harmoniam. *Sap.* VII, 21; *Prov.* VIII, 30.

Laudatur etiam Deus a sacris Scripturis ut

A ratio, id est, attribuitur ei rationis officium: et hoc non tantum ideo quia ipse est largitor rationis et mentis et sapientiæ, sed quoniam ipse omnium causas in se ipso uniformiter præaccepit; et quia teste Scriptura, per omnia vadens pertingit a fine usque ad finem omnium; et ante hæc quoniam divina ratio ante omnem simplicitatem simplificatur, et secundum suam supersubstantialitatem quæ omnibus supereminet, ab omnibus est absoluta. Hæc est ratio exsistens simplex, et veritas exsistentis, circa quam tanquam mundam et non erroneam omnium cognitionem, versatur B fides divina, quæ est stabilis collocatio credentium, collocans illos in veritate, et confirmans simplicem veritatem intransmutabili identitate in ipsis credentibus habentibus cognitionem veritatis. Quum enim cognitio unitiva sit eorum qui cognoscunt, ad cognitiva, ignorantia autem ex se ipso ignoranti semper est causa transmutationis et divisionis; sed credentem in veritate, teste Scriptura, nihil movebit a lætitia quæ secundum veram est fidem, sed habebit in ea permanentiam immobilis et intransmutabilis identitatis. Qui enim veritati unitus est, ex ipsa unitione bene novit C quam bene sentit, quamvis multi corripiant ipsum tanquam mentis excessum passum. Qui enim ex veritate per veram fidem ecstasim patitur, illos (ut dignum est) latet ex ipsorum errore. Ipse autem se ipsum novit non furentem, ut errantes ei imponunt, sed per simplicem veritatem semper secundum eadem et eodem modo se habentem, liberatum ab instabili et variabili divisione circa largissimam varietatem erroris. Ita igitur principes et duces nostræ sapientiæ, scilicet Apostoli et eorum discipuli, pro veritate quotidie moriuntur, testificantes omnibus, sicut conveniens D est, et verbo et opere et unitiva Christianorum vera Dei cognitione, ipsam sapientiam esse omni alia simpliciorem aut diviniorem, imo ipsam esse solam et veram et unam et simplicem Dei cognitionem.

Sap. VIII, 1. *Rom.* XV, 13. *Ps.* XLIII, 22; *Rom.* VIII, 36.

CAPITULUM VIII

DE VIRTUTE, JUSTITIA, SALUTE, REDEMPTIONE : IN QUO ET DE INAEQUALITATE.

SED quoniam divinam veritatem et plusquam sapientem sapientiam, et ut virtutem laudant et ut justitiam theologi, et salutem ipsam vocant et redemptionem ; age, et haec (quantum possibile nobis) divina vocabula repliceamus. Et quia quidem Thearchia omnem excellit et superat utcumque exsistentem et excogitatam virtutem, non arbitror quemquam in divinis Eloquiis possidentium intellectum ignorare. Ubique enim Theologia et dominium ipsam et ipsis supercoelestibus virtutibus segregans tradit. Quomodo ergo eam theologi ut virtutem laudant, omni remotam virtute? Aut quomodo in ipsa virtutis vocabulum accipimus? Dicamus igitur quia virtus est Deus : ut omnem virtutem in se ipso prohabens et superhabens ; et ut omnis virtutis causa, et ut omnia per virtutem inflexibilem et incircumfinitam producens ; et ut a se essendi virtutem, sive totam, sive singulas quasque, causalis ens ; et multipotens, non solum omnem virtutem producendo, sed et super omnem per se ipsam virtutem essendo et superando, et multipliciter multis exsistentibus virtutibus alias adducendo, et non etiam aliquando valendo multas et in multum productas virtutes super multam suae potentificae virtutis infirmare facturam, et ineffabilium et incognitorum et superinvisibilium, omnia superante ejus virtute. Infinita autem essentia potentis, et infirmitatem virtute et novissima consonantium sibi comprehendit et superat. Sic et in his quae secundum sensum potentia sunt, videmus quia superlucentia lumina et usque infirmos visiones anticipant ; et magnitudines dicunt sonituum, in non valde facile sonorum recipientes auditus subire. Omnino enim non audiens, non est auditus ; et universaliter non videns, non visio. Ipsa igitur multipotens Dei distributio omnia exsistentia implet, et nihil est exsistentium quod omnino privetur habere quamdam virtutem, sed aut intellectualem, aut rationalem, aut sensualem, aut vitalem, aut essentialem virtutem habet ; et ipsum (si justum dicere) esse, virtutem in esse habet a superessentiali virtute.

Ex ipsa sunt deiformes angelicarum dispositionum virtutes ; ex ipsa et esse incessabiliter habent, et omnes suos intellectuales et immortales semper motus, et fortitudinem ipsam, et indiminutum desiderium boni, ex multum optima virtute acceperunt, ipsa permittente eis posse, et esse haec, et appetere, semper esse, et hoc posse, appetere posse semper. Proveniunt autem haec inflexibili virtute et in homines, et animalia, et germina, et totam universitatis naturam ; et virtute unita sunt ad inter se invicem amicitiam et societatem, et discreta ad esse, secundum pro-

priam singula quæque rationem et terminum inconfusa et imperturbata; et universitatis ordines et cumulationes in propriorum optimum persalvat. Et immortales angelicarum unitatum vitas immaculatas custodit, et cœlestes et illuminatrices et sidereas essentias, et ordinationes immutabiles; et sæculum post se esse* facit, *posse esse
et temporis ambitus discernit quidem processionibus, colligit vero reversionibus; et ignis virtutes inexstinguibiles facit, et aquæ fluenta non deficientia; et aeriam effusionem terminat; et terram in nihilo collocat, fecundos ejus partus incorruptibiles custodit; et in se invicem elementorum harmoniam et temperantiam inconfusam et inseparabilem salvat; et animi et corporis copulam continet; et germinum nutritivas et auctivas virtutes movet; et superat essentiales omnium virtutes, et universitatis insolubilem mansionem munit; et deificationem ipsam donat, virtutem in hoc deificandis præstans. Et omnino nullum est universaliter exsistentium, omnipotenti munimine et circumstantia divinæ virtutis privatum. Quod enim universaliter nullam virtutem habet, neque est, neque quid est, et neque est aliqua ejus omnimode positio.

Et quidem ait Elymas magus: Si omnipotens est Deus, quomodo dicitur aliquid non posse? A quo, nostro theologo maledicitur divino Paulo, dicenti non II Tim. II, 13.
posse Deum se ipsum negare. Addens autem hoc, valde expavesco. Nunquid et insipientiæ debeo? Rideo puerorum ludentium ædificia super arenam, et infirmum solvere tentans, et veluti quadam incomprehensibili visione considerare festinus de hoc theologicam virtutem. Suimet enim negatio, casus veritatis est. Veritas autem ens est, et veritatis casus, ab exsistente lapsus. Si igitur veritas ens est, negatio autem veritatis est casus ab exsistente; ex ente cadere Deus non potest, et non esse non est. Tanquam si quis dixerit: non posse non potest, et nescire (secundum privationem) nescit. Quod quidem sophos non intelligens, imitatur certantium imperitos luctatores qui sæpe infirmos esse contracertantes opinando, secundum quod ipsis videtur, et ad omnes eos viriliter umbratim pugnantes, et aera vanis ictibus fiducialiter percutientes, æstimant contraluctantium suorum dominari, et se ipsos prædicant, nescientes illorum virtutes. Nos autem theologum (secundum quod possibile) considerantes, plusquam potentem Deum laudamus ut omnipotentem, ut beatum, ut solum potentem, et dominantem in potentia sua sæculi, ut secundum nullum exsistentium cadentem, magis autem et superantem omnia exsistentia per virtutem superessentialem; et omnibus exsistentibus posse esse, et esse, secundum magnitudinem superantis virtutis, copiosa effusione donantem.

Justitia autem iterum Deus, velut omnibus quæ sunt secundum dignitatem distribuens, laudatur, et mensurationem et formam et ordinationem et dispositionem et omnes virtutes et ordines segregans unicuique juxta vere exsistentem justissimum terminum, et omnibus eorum singulorum per se ipsam actionis causalis ens. Omnia enim divina justitia ordinat et terminat; et omnia ab omnibus clara et inconfusa salvans, unicuique cognata omnibus exsistentibus donat secundum unicuique exsistentium insitam dignitatem.

Et si hoc recte dicimus, quicumque divinis maledicunt, justitia eos latet, suam injustitiam in aperto condemnantes. Aiunt enim debere inesse mortalibus immortalitatem, et imperfectis perfectum, et per se ipsos motis alterum moventem necessitatem, et mutabilibus immutabilitatem, et perfecte potentiam infirmis ; et æterna esse temporalia, et intransmutabilia natura mobilia, et temporales delicias, æternas ; et omnino quæ sunt aliorum, aliis porrigunt. Oportet scire, divinam justitiam in hoc vere existentem veram justitiam, quia omnibus retribuit propria secundum uniuscujusque existentium dignitatem, et uniuscujusque naturam in propria salvat ordinatione et virtute. — Sed quis dixerit : Non est justitiæ forsan, agentes sanctos inter non adjutos a deludentibus extorquendos. Ad quem dicendum sic : Si quidem diligunt, quos dicis sanctos, in terra a materialibus zelanda, divino penitus ceciderunt amore. Et nescio quomodo sancti vocarentur injuste agentes, vere amabilia et divina non zelantibus, et non amantibus ab ipsis non sancte appetita. Si autem vere existentia amant, lætari oportet horum appetitores quando appetita assequuntur. Vel non tunc magis appropinquant angelicis virtutibus, quum (ut possibile est) desiderio divinorum recedunt, materialium perpessione exercitati ? Ad hoc valde viriliter pro bono instant. Itaque verum est dicere quia hoc magis est divinæ justitiæ proprium, nolle perdere potenter agentium fortitudinem materialium vinculis. Numquid vero, si quis conatus fuerit hoc facere, inter non adjuvantes relinquere, et non potius collocare eos in bono et irreprehensibili statione, et retribuere his talibus existentibus quæ secundum dignitatem sunt ?

Hæc igitur divina justitia et salus omnium laudatur, propriam uniuscujusque et puram ab aliis essentiam et ordinem salvans et custodiens, et fœtida purgans in omnibus propriæ actionis. Si quis autem salutem laudaverit, et sic ex malis omnibus omnes velut parturientem eripientem omnino ibi ; et hanc laudabilem laudatorem largissimæ salutis recipiemus. Et hanc autem etiam primam salutem omnium dignam judicabimus eam definisse : omnia in se ipsis intransmutabilia et stabilia et inflexibilia ad subjecta salvantem ; et omnia custodientem non pugnantia et non bellantia, suisque singula quæque rationibus disposita ; et omnem inæqualitatem et extraneam actionem ex omnibus exterminantem ; et corrationalitate uniuscujusque constituentem irrationalitates extra cadentes in contraria, et non transgredientes. — Deinde et hanc salutem non ab respectu quis laudarit sacræ Theologiæ, velut omnia existentia, salutari omnium bonitate, propriorum optimorum casu redimentem, quantum uniuscujusque salvandorum recipit natura. Proinde et redemptionem ipsam nominant theologi : quantum non sinit vere exsistentia ad non esse cadere ; et quantum si quid ad delictum aut inordinatum deceptum sit, et diminutionem quamdam patiatur propriorum bonorum perfectionis, et hoc passione et inertia et privatione, redimit, implens indigentiam, et paterne infirmitatem despiciens, et restituens a malo ; magis autem statuens in bono supertimidum, bonum replens, et ordinans et ornans inordinatum ejus et inornatum, et integritatem perficiens, et omnium solvens maculas. — Sed de his quidem et de justitia dictum est : secundum

quam omnium æquitas mensuratur et terminatur; et omnis iniquitas, quæ est per privationem in ipsis singulis æquitatis, exterminatur. Æquitatem enim si quis auferret in toto, totorum ad tota differentias, et ejus quæ est justitia custodem, quæ non concedit commixta tota in totis facta perturbari, custodiens vero omnia quæ sunt, omnia per species singulas in quibus et unumquodque esse substituit.

ARTICULUS LXXIX

ELUCIDATIO HUJUS CAPITULI OCTAVI : ET PRIMO DE VIRTUTE, QUOMODO ATTRIBUATUR DEO.

HIC declarat Theologus qualiter Deo conveniant nomina jam expressa.

Sed quoniam divinam veritatem et plusquam sapientem sapientiam, et ut virtutem laudant et ut justitiam theologi, et salutem ipsam vocant et redemptionem : id est, « quoniam » auctores Scripturæ « laudant » ac nominant Deum « veritatem divinam et sapientiam » supersapientem, qui est essentialiter sapientia ipsa, et « virtutem » atque « justitiam, salutem » quoque et « redemptionem » : *age,* exhortativum adverbium, *et hæc (quantum possibile nobis) divina vocabula replicemus,* id est, hæc Dei nomina pro viribus referemus et exponamus.

Et quia quidem copia, id est certo quod divina potestas seu Deitas, (vel *Thearchia,* id est principatus divinus, a Θεός, quod est Deus, et ἀρχή, id est, principatus), *omnem excellit et superat utcumque,* id est qualitercumque, *exsistentem et excogitatam virtutem, non arbitror quemquam in divinis Eloquiis possidentium,* id est habentium, *intellectum ignorare.* Nam et naturalis ratio dictat quod solus Deus omnipotens sit, cujus comparatione omnis creatura imbecillis est, et quasi infirmitas quædam. *Ubique enim Theologia et divinam* [* dominam] *ipsam et ipsis supercœlestibus virtutibus segregans tradit,* id est, Scriptura omni loco opportuno « tradit », id est docet, « ipsam » esse « divinam », æternam et increatam, « segregans », id est, discernens ac dividens eam, a « virtutibus supercœlestibus », id est angelicis potestatibus, quæ omnes sunt creaturæ et ministri ipsius, in infinitum [Hebr. I, 14.] illa inferiores, nec per momentum absque illius conservatione durare valentes, de quo in Job : Columnæ cœli contremiscunt [Job XXVI, 11.] et pavent ad nutum ipsius. Quem teste Porphyrio, cœlum et tellus ac maria contremunt, ipsaque numina perhorrescunt. De quo secundo Machabæorum libro habetur : Nos in omnipotente Deo confidimus, qui potest nos et universum mundum uno nutu delere. [II Mach. VIII, 18.]

Quomodo ergo eam theologi ut virtutem laudant, id est, qualiter auctores et tractatores Scripturæ « laudant » veritatem sapientiamque divinam etiam « ut virtutem », *omni remotam virtute,* id est superexaltatam et superiorem omni virtute? *Aut quomodo in ipsa virtutis vocabulum accipimus?* id est, quo sensu et sub qua significatione debemus in ea accipere nomen virtutis?

Dicamus ergo [* igitur] *quia virtus est Deus,* id est summa potestas, imo et caritas, juxta illud : Deus caritas est ; et illud Psalmi : [I Joann. IV, 8.] Diligam te, Domine, virtus mea ; primo [Ps. XVII, 2.] quoque libro Paralipomenon : Tua est, Domine, magnificentia et potestas et gloria. [I Par. XXIX, 11.] *Ut omnem virtutem in se ipso præhabens et superhabens,* id est, tanquam æterna-

liter in se ipso simplicissime comprehendens universam virtutem ac potestatem cum infinito excessu, utpote vere omnipotens, qui est id quod habet, cui idem est esse, et virtuosum omnipotentemque esse. De quo scriptum est in libro Sapientiæ: Subest tibi, quum volueris, posse; itemque: Virtus tua justitiæ initium est. Ideo subditur: *et ut omnis virtutis causa, et ut omnia per virtutem inflexibilem et incircumfinitam producens*, id est, tanquam indeclinabili sua potentia faciens omnia; *et ut a se essendi virtutem, sive totam, sive singulam quamque, causalis ens*, id est, ut causa efficiens ex se ipso exsistendi virtutem, id est, quod aliqua seu aliquid sit virtus tota, id est generalis, aut singula, id est particularis. Sap. xii, 18. Ibid. 16.

Et multipotens, non solum omnem virtutem extra se *producendo*, *sed et super omnem per se ipsam virtutem essendo et superando*; quæ namque est virtus prima, independens, imparticipata; *et multipliciter multis exsistentibus virtutibus alias adducendo*, id est virtutes a se productas corroborando; *et non etiam aliquando valendo multas et in multum productas virtutes*, id est, ipse sic virtus est, « non » quod « aliquando » valeat producere « multas virtutes », et exire in eas per operationem, aliquando vero non possit sic, *super multam suæ potentificæ virtutis infirmari facturam*, id est super copiosam creaturam suæ potentiæ, quæ est potenter factiva universorum quæ vult, *et ineffabilium et incognitorum et superintelligibilium*, id est tam rerum nobis indicibilium et penitus ignotarum, quam incomprehensibilium: quia non potest in tot et tanta, quin possit infinities in plura et grandiora, quantum ex parte ipsius, quamvis non subsit capacitas nec ad multitudinem penitus infinitam, neque ad magnitudinem prorsus immensam. Ideo tale infinitum est partim in potentia, nunquam ad actum plenarie perducibile. *Omnia superante ejus virtute*, id est, omnipotentia Dei omnia excedente atque vincente, quæ potest incomparabiliter plura et mirabiliora peragere, quam mens humana aut etiam angelica comprehendere, quum sit penitus infinita. Idcirco stultissimi fuerunt et sunt, qui præsumpserunt suo ingenio omnipotentiam Dei includere, mensurare, arctare, quasi determinata sit ad istum ordinem rerum.

Infinita autem essentia potentis, et infirmitatem virtute et ad ultima communitum sibi comprehendit et superat: id est, substantia Omnipotentis immensa omnem « superat », vincit et ad placitum suum confortat imbecillitatem (juxta id Isaiæ: Qui dat lasso virtutem, et fortitudinem his qui non sunt, multiplicat); ultima quoque et extrema entium universi sibi invicem correspondentium et coordinatorum cognoscit, non solum superiora, ut quidam errantium putaverunt, secundum illud in Job: An cogitas quod Deus excelsior cœlo sit, nec nostra considerat? Is. xl, 29. Job xxii, 12, 14.

Sic et in his quæ secundum sensum potentia sunt, id est, in his qui bene dispositi sunt et valentes in usu et actu virium sensitivarum, *videmus quia superlucentia lumina et usque infirmas visiones anticipant*, id est, quod hi qui sunt acutissimi visus, lumina intuentur valde radiosa celerrime, et penetrant usque intuitum debilium objectorum. *Et magnitudines dicunt sonituum*, id est ingentes fragores sonorum, *in non valde facile sonorum recipientes auditus subire*, id est, tales sonos dicunt intrare aures difficulter atque debiliter audientes. Quo constat, quod potentiæ quanto in se validiores sunt ad agendum, tanto expeditius operantur. *Omnino enim non audiens*, id est, quod omnino caret facultate audiendi, *non est auditus*, id est auditiva potentia; *et universaliter non videns*, id est, omni videndi officio carens, *non visio*, id est, non est vis visiva nec visio actualis.

*Ipsa ergo** *multipotens Dei distributio*, id est activa Dei donatio multipliciter efficax, *omnia exsistentia implet, et nihil est exsistentium quod omnino privetur habe-*

* igitur

re quamdam virtutem, id est aliquam participationem virtutis divinæ. Nam in omni creatura inveniuntur essentia, potentia, actio. Nempe quum nihil sit frustra, oportet rem omnem per aliquam vim et operationem posse suo fini conjungi : ideo nihil est expers naturali operatione. *Sed aut intellectualem, aut rationalem, aut sensualem, aut vitalem, aut essentialem*, id est natu- A ralem, *virtutem habet ; et ipsum (si justum dicere) esse, virtutem in esse habet*, id est, « ipsum esse habet virtutem » ad hoc quod sit, *a superessentiali virtute*. Non est tamen in viribus istis processus in infinitum, quia non omne tale posse, est seu potest per virtutem a se distinctam, sicut nec omnis differentia differt ab alia per differentiam aliam.

ARTICULUS LXXX

DE PROCESSU DIVINÆ VIRTUTIS AD ANGELOS CETERASQUE CREATURAS.

EX *qua sunt deiformes angelicarum dispositionum virtutes ; ex ipsa et esse incasualiter*, id est indestructibiliter, *habent :* quia non habent in se principium corruptionis, quod est materia privationi annexa ; *et omnes suos intellectuales et immortales supermotus**, id est universas suas actiones intellectivas et sanctas affectiones ac tendentias in summum bonum, *et fortitudinem ipsam, et indiminutum desiderium boni*, id est indefessum et imminorabilem affectum ad Deum, *ex multum optima virtute acceperunt*, id C est ab omnipotentia Creatoris, *ipsa permittente eis posse, et esse hæc, et appetere*. Divina quippe potestas conservat in ipsis « esse, posse », agere, « appetere », et vult quod libere agant ac appetant, quamvis sint confirmatæ in bono, sicut et ipse immutabilis Deus liberrime operatur. *Semper esse, et hoc posse, appetere posse semper*, id est, Deus concedit et permittit illis jugiter « esse, et » indesinenter « posse appetere hoc » ipsum « posse » quod habent, quia reflexivæ sunt super se D ipsas et super proprias vires et actiones, easque cupiunt incessabiliter retinere, et certæ sunt quod retinebunt. Sumitur autem hic « semper », pro ævo seu tempore discreto, quod ponunt quidam in angelis.

* *semper motus*

B *Proveniunt autem hæc inflexibili virtute et in homines, et animalia, et germina, et totam universitatis naturam*, id est, esse et posse ac agere, et ipsa appetere, proportionabiliter derivantur ad sphæram hanc activorum et passivorum, et in cuncta creata, ab invariabili Dei virtute. *Et virtute unita sunt ad inter se invicem amicitiam et societatem*, id est ad conservandam mutuo naturalem colligationem ac coordinationis communionem, *et discreta ad esse*, id est distincta ab invicem in suis naturis, *secundum propriam singula quæque rationem et terminum inconfusa et imperturbata*, id est, quamvis ita ab invicem sunt distincta, nihilo minus « singula quæque » in suis ordinibus permanent indistorta, juxta habitudinem et exigentiam suæ naturæ et quantum ad species suas. *Et universitatis ordines et cumulationes*, id est incrementa, *in propriorum optimum persalvat*, id est, « ordines » rerum mundi conservat ac perducit ad « optimum » bonum finium singulorum.

Et immortales angelicarum unitatum vitas, id est conversationes angelicarum personarum, *immaculatas custodit*, quum sint immobiliter fixæ in summo bono, *et cœlestes et illuminatrices et sidereas e-*

motus, id est orbes cœlorum, planetas ac sidera illuminantia; et ordinationes immutabiles causarum essentialiter subordinatarum, quæ a causa secunda naturali virtute nequeunt immutari. Et sæculum post se esse facit, id est, rerum periodos, durationes et tempora, secundum suam præordinationem esse disponit. Et temporis ambitus discernit quidem processionibus, id est, temporum vices, circuitiones, revolutiones, distinguit a processionibus horarum, dierum, hebdomadarum, mensium et annorum, sicut ex Genesi aliisque Scripturis est allegatum; colligit vero reversionibus, id est, unum ex eis tempus totale constituit per renovationes et reditus eorumdem in specie.

Gen. I, 14.

Et ignis virtutes inexstinguibiles facit, id est, calorem ignis elementaris quoad se totum facit incorruptibilem, quamvis quoad aliquas suas partes possit exstingui, secundum quod elementa in se invicem agunt, et aquæ fluenta indeficientia *, id est, aquarum fluenta conformiter ad se tota facit incorruptibilia: quamvis in Apocalypsi dicatur, Mare jam non est, id est, post diem judicii innovationemque mundi, non erit secundum statum præsentis transmutationis et motus, quemadmodum in eodem legitur libro: Vidi cœlum novum et terram novam; primum enim cœlum et prima terra abiit.

* aquæ indeficientia

Apoc. XXI, 1.

Ibidem.

Et aeriam effusionem terminat. Aer enim quamvis sit humidissimus, tamen juxta ordinationem Sapientiæ creatricis, suis terminatur limitibus inter ignem elementarem et aquam Oceani, ac partim ad terram et concava ejus. Et terram in nihilo collocat. Hoc fidelissimus iste theologus loquitur, non juxta philosophicam subtilitatem, qua scivit quod natura abhorret vacuum, et elementum terræ in medio mundi sit constitutum; sed conformando se Scripturæ, quæ in libro Job ait de Deo: Qui extendit aquilonem super vacuum, et appendit terram super nihilum. Hinc in eodem libro Dominus ait: Super quo bases ejus solidatæ sunt? Porro de toto universo mirabilius ac verius dici posse videtur, quod sit collocatum in nihilo. *Fecundas ejus partes incorruptibiles custodit*, id est terræ nascentia et quæ generantur in terra, quæ non corrumpuntur (quantum ad totam speciem) sicut nunc individua mixtorum ante sæculi finem.

Job XXVI, 7.

Job XXXVIII, 6.

Et in se invicem elementorum harmoniam et temperationem inconfusam et inseparabilem salvat, quemadmodum jam frequenter fuit expositum: estque hoc ipsum evidens signum gubernationis ac providentiæ Dei. *Et animi et corporis copulam continet* secundum temporalem decursum in omnibus animalibus mixtis. *Et germinum nutritivas et auctivas virtutes movet.* Ista facit per causas secundas, per motus ac lumina et influentias cœlestium corporum. *Et superat essentiales omnium virtutes*, id est naturales rerum vires, *et universitatis insolubilem mansionem munit*, id est, tuetur ac manutenet, ne redigantur in pristinum chaos.

Et deificationem ipsa * *donat*, id est divini esse participatam perpetuationem, divinæ quoque causalitatis communicationem, et providentiæ divinæ imitationem. Causare enim, gubernare et providere, sunt proprietates et actiones divinæ, quas Deus communicavit creaturis eminentioribus. Unde et philosophi illas appellaverunt divinas. Idcirco in libro de Causis inducitur: Omnis anima nobilis habet tres operationes, utpote animalem, et intellectualem, et divinam; itemque propositione vicesima tertia: Omnis intelligentia divina scit res per hoc quod est intelligentia, et regit eas per hoc quod est divina. Quibus causis cœlestibus Plato in Timæo introducit patrem loquentem: O dii deorum! horum sementem ego faciam, vobisque tradam; vestrum autem par exsequi erit. De his plenius scribit Proclus, et corpora cœlestia vocat divina et deificata, quia inferiorum sunt causæ. Denique in Scripturis homines sancti et angeli provisores, dii dicuntur. *Virtutem in hoc deificandis præstans*, id est, vim causa-

* ipsam

lem et provisivam ac gubernativam ipsis distribuens.

Et omnino nullum est universaliter exsistentium, id est, generaliter verum est quod nulla res subsistens, *omnipotenti munimine et circumstantia divinæ virtutis privatum*, id est, totaliter destituta A est custoditione et participatione potestatis supremæ. *Quod enim universaliter nullam virtutem habet, neque est, neque quid est*, id est, nec est, nec aliquid est, *et neque est aliqua ejus omnimode positio*, id est, non est aliquid positivum, sed privativum aut negativum.

ARTICULUS LXXXI

DE RIDICULA ET CALUMNIOSA ELYMÆ MAGI CONTRA OMNIPOTENTIAM DEI OBJECTIONE.

ET *quidem ait Elymas magus*. Ad quem
Act xiii,10. in Actibus Vas ait electionis : O plene omni dolo et omni fallacia, fili diaboli, inimice omnis justitiæ, non desinis subvertere vias Domini rectas. *Si omnipotens est Deus, quomodo dicitur aliquid non posse? A quo, nostro theologo maledicitur*, id est, magus ille beatissimo Paulo « nostro theologo » contradixit ac maledixit, *divino Paulo, dicenti non posse Deum se ipsum negare*. Hoc quippe ad
II Tim. ii, 12, 13. Timotheum scripsit Apostolus : Si (inquiens) negaverimus Deum, ille fidelis permanet, negare se ipsum non potest.

Addens autem hoc, valde expavesco, id est, huic stultæ et infirmissimæ objectioni magi illius ista objiciens, vereor multum. *Numquid et insipientiæ debeo?* id est, tam insipienti instantiæ respondere non teneor. *Rideo puerorum ludentium ædificia super arenam*, id est, structuras infantulorum in arena ædificantium derideo, *et infirmum solvere tentans*, id est, tam debile argumentum dissolvere nitens, *et veluti quadam incomprehensibili visione*, id est profundissima et difficillima speculatione, *considerare festinus de hoc*, id est de hujus objectionis solutione, *theologicam virtutem*, id est vim ac intellectum Scripturæ. Loquitur autem ironice, quum argumentum istud nullius sit apparentiæ, et solvatur facillime.

B *Suimet enim negatio*, id est negare se esse id quod est, *casus veritatis est*, id est recessus et lapsus a veritate, præsertim in Deo, qui est essentialiter ipsum esse ac veritas. *Veritas autem ens est, et veritatis casus, ab exsistente lapsus*, id est, a veritate deficere et abire, est exsistentem relinquere. *Si ergo* veritas ens est*, * igitur *negatio autem veritatis est casus ab exsistente ; ex ente cadere Deus non potest, et non esse non est*, id est, Deus a se ipso non potest deficere, sicut « et non esse C non est ». *Tanquam si quis dixerit : non posse non potest, et nescire (secundum privationem) nescit*, id est, non novit ignorare privative : quoniam tale nescire non est nescire.

Quod quidem sophos, id est magus ille sapientem se reputans, *non intelligens, imitatur certantium imperitos luctatores*, id est pugiles inexpertos, *qui sæpe infirmos esse contracertantes opinando*, id est, qui putando quod alii contra se præliaturi, sint imbecilles, *secundum quod ipsis* D *videtur, et ad omnes eos viriliter umbratim pugnantes*, id est, contra illos imaginarie fortiter dimicantes, *et aera vanis*, id est phantasticis, *ictibus fiducialiter*, id est audacter, *percutientes* in sua imaginatione, *æstimant contraluctantium suorum dominari*, id est, putant se dominari luctantium contra se, *et se ipsos prædicant*,

id est, laudant se ipsos quasi victores, *nescientes illorum virtutes*, id est, quum adhuc ignorent robur adversariorum suorum.

Nos autem theologum, secundum quod possibile, considerantes, id est, nos attendentes verba Pauli pro viribus nostris, *principaliter potentem Deum laudamus ut omnipotentem, ut beatum, ut solum potentem ex se ipso, et dominantem in potentia sua saeculi*, id est, principantem toti mundo propria potestate, juxta illud
Ps. lxv, 7. Psalmi : Qui dominatur in virtute sua in aeternum. *Ut secundum nullum existentem victum existentem*, id est, tanquam non corruentem sub aliquo exsistente ; *magis autem et superantem omnia existentia per virtutem superexsistentialem, et omnibus existentibus posse esse, et esse, secundum magnitudinem superantis virtutis, copiosa effusione donantem* : id est, laudamus Deum potius ut fortiorem et superiorem entibus universis sua superessentiali omnipotentia, atque « donantem exsistentibus omnibus posse » essendi, « et » ipsum « esse, effusione copiosa » et liberali, juxta illud Jacobi : Qui dat omnibus affluenter. Jacob. i, 5.

ARTICULUS LXXXII

DE JUSTITIA : QUALITER DEO TRIBUATUR.

JUSTITIA *autem laudatur Deus, velut omnibus quae sunt secundum dignitatem distribuens, laudatur*, id est, Deus omnipotens etiam commendatur ut justus, et ipsa justitia (sicut fertur in Psalmo :
Ps. x, 8. Quoniam justus Dominus et justitias dilexit, aequitatem vidit vultus ejus), tanquam conferens cunctis « quae sunt », juxta dignitatem eorum et merita, seu dispositionem et capacitatem, quemadmodum in
Ps. lxi, 13; Prov. xxiv, 12; Eccli. xvi, 15; Jer. xvii, 10; Ezech. vii, 27; Matth. xvi, 27; Rom. ii, 6; Apoc. xxii, 12. Scripturis saepissime protestatur se daturum cuilibet secundum opera sua. *Et mensurationem et formam et ordinationem et dispositionem et omnes virtutes et ordines segregans*, id est, seorsum seu sigillatim impendens, *unicuique juxta vere existentem justissimum terminum*, id est secundum decentissimum finem propter
Sap. xi, 21. quem condita sunt. Omnia namque in numero, pondere ac mensura constituit, ordinavit, decoravit, confortavit et stabi-
Act. xvii, 26. livit : definiens statuta tempora et terminos habitationis eorum, ut in Actibus disseruit S. Paulus.

Denique in hoc quod Deus dat unicuique secundum merita sua, ponitur in eo quasi distributiva justitia. Rursus, quia retribuit sicut praedixit et promisit, justus et verus vocatur. Atque ut ait Anselmus, justitia interdum in Deo vocatur condecentia qua agit prout suam majestatem, bonitatem pietatemque decet, et ita tam bonus et pius est Deus, ut justum sit eum aliquibus misereri, imo et omnibus, saltem in hoc quod reprobos citra condignum relinquit et punit, et electos ultra condignum remunerat.

Et omnibus eorum singulorum per se ipsam actionis causalis ens, id est, exsistens causa actionis omnibus illis ac singulis, sicut ait Apostolus : Deus est qui operatur in nobis velle et perficere ; et Philipp. ii, 13.
Isaias : Domine, dabis pacem nobis ; omnia enim opera nostra operatus es nobis. Is. xxvi, 12.

Omnia enim divina justitia ordinat et terminat. Sic etiam dici potest, quod divina sapientia omnia ordinat et terminat. Verum sapientia agit hoc quasi praedisponendo, justitia veluti exsequendo. *Et omnia ab omnibus clara et inconfusa*

salvans, id est, distinguens et discernens A unumquodque ab aliis clare et ordinate per formas et species singulorum : nam forma est quæ distinguit et separat ; *unicuique cognata omnibus exsistentibus donat*, id est, universis generaliter quædam generalia influit et largitur, donans Act. xvii, 25. omnibus motum, inspirationem et vitam, secundum Paulum in Actibus. Propter Ibid. 28. quod addit ibidem : Et in ipso vivimus, movemur, et sumus. Singulis vero seu unicuique confert « cognata », id est connaturalia et specialia quædam dona, secundum exigentiam propriæ speciei aut conditionis, dicente Apostolo : Unusquisque I Cor. vii, 7. proprium donum habet ex Deo. *Secundum unicuique exsistentium insitam dignitatem*, id est juxta speciem, naturam seu perfectionem rebus innatam aut convenientem. Verumtamen etiam dignitas, natura et species rerum ista, a Deo est exemplariter præconcepta et efficienter collata.

ARTICULUS LXXXIII

DUARUM OBJECTIONUM CONTRA DIVINAM JUSTITIAM SOLUTIO.

ET *si hæc recte dicimus*, id est utique B recte, *quicumque divinis maledicunt*, id est, operibus Dei injuriantur, et sapientiam Dei blasphemant, ac ordinem rerum pervertere moliuntur, *justitia eos latet*, id est, divinam justitiam non attendunt, *suam injustitiam in aperto condemnantes*, id est, manifeste ostendentes quam irrationabilis condemnabilisque sit ipsorum injustitia, error, blasphemia.

Aiunt enim debere inesse mortalibus immortalitatem, et imperfectis perfectum, id est perfectionem, *et per se ipsos motis*, C id est, his quæ a se ipsis moventur, *alteram moventem necessitatem*, id est necessitudinem movendi ab alio, *et mutabilibus immutabilitatem*, *et perfecte potentia*, id est vires completas, debere inesse *infirmis*; *et æterna esse temporalia*, id est temporalia debere esse æterna, *et intransmutabilia, natura mobilia*, id est, ea quæ ex sua natura sunt mobilia, debere esse intransmutabilia, *et temporales delicias, æternas*, id est transitoria oblectamenta esse debere perpetua; *et omnino quæ sunt aliorum, aliis porrigunt*, id est, perfectiones, proprietates, naturas quæ aliquibus speciebus ac eminentioribus rebus vere et ordinate conveniunt, aliis convenire affirmant : quod est destruere ordinem rerum, Cf. p. 272 : Oportet scire, etc. et confundere earum naturas.

Præterea, in his partim deviavit Pythagoras, dicens omnium materialium formas substantiales esse speciei ejusdem, nec eas differre, nisi secundum majorem aut minorem immersionem in materia. Origenes quoque in libris περὶ ἀρχῶν, interdum aliquid tale opinatus putatur, quod scilicet Creator justus omnipotens in exordio fecit omnes creaturas ejusdem speciei ac dignitatis, utpote spiritus rationales : eo quod sicut injustum est æqualibus inæqualia dare, ita injustum videtur, non inæqualibus inæqualia dare ; sed ante primam rerum creationem non fuit ex parte rerum inæqualitas aliqua : ergo injustum fuisset eis tunc inæqualia condonare. Verum ista persuasio parvi exsistit vigoris, et quamvis teneat in donationibus debitis, quæ ex debito seu juxta merita fiunt, non tamen in dationibus mere liberalibus, quæ ex sola dantis liberalitate procedunt, qualis fuit communicatio divinorum donorum D in primæva rerum conditione.

Sed quis dixerit, objiciendo jam dictis : *Non est justitiæ forsan, agentes sanctos inter non adjutos a deludentibus extor-*

parandos, id est, quod non sit bonum aut justum, eos qui sancte agunt et optime vivunt, relinquere non adjutos, et « inter non adjutos, exturparandos a deludentibus », id est cruciandos ab illusoribus (juxta illud in Isaia : A facie iniquitatis ablatus est justus), quum et in Proverbiis dicatur : Erue eos qui ducuntur ad mortem. Is. LVII, 1. Prov. XXIV, 11.

Ad quem dicendum etc., id est, ita respondendum est sic objicienti : *Si quidem diligunt, quos dicis sanctos, in terra et materialibus zelanda*, id est, si isti quos asseris sanctos, diligunt carnalia et terrena, quæ a materialibus, id est carnalibus, zelantur, id est immoderate amantur, *divino penitus ceciderunt amore*, id est, a spirituali dilectione penitus corruerunt, juxta illud Apostoli : Qui in carne sunt, Deo placere non possunt. Rom. VIII, 8. *Et nescio quomodo sancti vocarentur injuste agentes*, nisi forsan ratione officii aut sacramentorum, sicut interdum etiam Pontifex summus injuste conversans, vocatur sanctissimus, *vere amabilia et divina non zelantibus*, id est, ipsis qui tales sunt « non zelantibus », id est, non intense amantibus, bona honesta ac virtuosa, *et non amantibus ab ipsis non sancte approbata*, id est, talibus « non amantibus approbata ab ipsis non sancte », scilicet dona gratiæ ac virtutum et bona futura regni cœlestis, quæ approbaverunt et laudaverunt ficte, non sincere.

Si autem vere existentia amant, id est, Deum et bona cœlestia, de quibus ait vir vere fidelis : Credo videre bona Domini in terra viventium ; *lætari oportet harum appetitores quando appetita assequuntur*, id est, dum sustinendo persecutiones merentur protinus consequi gaudia felicitatis plenissimæ ac æternæ. Ps. XXVI, 13. Propter quod dixit Salvator : Gaudete in illa hora et exsultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis. Matth. V, 12; Luc. VI, 23. Unde et Jacobus hortatur apostolus : Omne gaudium existimate, fratres mei, quum in varias tentationes (id est tribulationes et persecutiones) incideritis, etc. Jac. I, 2.

Vel non tunc magis appropinquant angelicis virtutibus, id est, nonne tunc amplius appropinquant cœlestibus civibus, *quam (ut possibile est) desideria divinorum redeunt*, id est, ad Deum convertuntur ac revertuntur (juxta illud Ecclesiastæ : Revertatur pulvis in terram suam unde erat, et spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum), *materialium perpessione exercitati*, id est corporalium tormentorum et damnorum afflictione probati ? juxta illud libri Sapientiæ : Tanquam aurum in fornace probavit illos ; et rursus : Deus tentavit eos, et invenit illos dignos se. Denique non solum angeli sancti, sed et ipsemet Christus Dominus plurimos utriusque sexus sacratissimos martyres in ipsorum martyriis atque carceribus visitavit, confortavit, exhilaravit suavissime ac gratiosissime valde. *Ad hoc valde viriliter pro bono instant*, id est, veraciter et perfecte catholici strenuissime insistunt et conantur ad hoc obtinendum « pro bono » eorum certamine, de quo deprompsit Apostolus : Bonum certamen certavi, superest mihi corona justitiæ. Eccle. XII, 7. Sap. III, 6. Ibid. 5. II Tim. IV, 7, 8.

Itaque verum est dicere quia hoc magis est divinæ justitiæ proprium, nolle perdere potenter agentium fortitudinem, id est, vere dicitur quod hoc potius competat divinæ justitiæ, quod non vult neque permittit efficacem laborem et conflictum militum martyrumque suorum, vinci aut frustrari præmio suo, *materialium vinculis*, id est quibuscumque captivitatibus et pressuris corporalium persecutorum. *Numquid vero, si quis conatus fuerit hoc facere*, id est, si quis conetur ipsos fideles per tormenta dejicere, numquid conveniet Deo ipsos *inter non adjuvantes relinquere*, id est non adjutos deserere, *et non potius collocare eos in bono et irreprehensibili statione*, id est in statu securo, *et retribuere his talibus existentibus quæ secundum dignitatem sunt*, id est præmia gloriosa ? juxta id libri Sapientiæ : Bonorum laborum gloriosus est fructus ; et ad Romanos : His qui secun- Sap. III, 15. Rom. II, 7.

dum patientiam boni operis, gloriam et honorem et incorruptionem quærunt. De hac dignitate Judex in Apocalypsi pollicetur : Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo, sicut et ego vici, et sedi cum Patre meo in throno ejus. Apoc III, 21.

ARTICULUS LXXXIV

DE DEI TANQUAM SALUTIS AC REDEMPTIONIS LAUDE ; ET DE INÆQUALITATE.

* igitur

HÆC ergo* *divina justitia et salus omnium laudatur,* id est increata hæc æquitas, quæ vere est omnium salus objective, et effective *propriam uniuscujusque et puram ab aliis essentiam et ordinem salvans et custodiens,* id est, naturam et habitudinem cujuslibet rei conservans sua specie et collocatione aliis impermixtam, *et fœtida purgans in omnibus propriæ actionis,* id est, mundans ipsam naturam ab impertinentiis et incongruentiis operum suorum, sic quod una non exercet actus alterius.

Si quis autem salutem laudaverit, id est, si aliquis Deum commendet ut salutem et omnium salvatorem, *et sic ex malis omnibus omnes velut parturientem eripientem omnino ibi,* id est, universos eruentem ac producentem ex malis contrariis ac corruptivis omnino in sua natura et collocatione ; *et hunc laudabilem laudatorem largissimæ salutis recipiemus,* id est, eum qui ita laudat increatam salutem liberalissimam, approbabimus.

Et hanc autem etiam primam salutem omnium, id est salutem istam primam fontalem, *dignum judicabimus eum definisse,* id est, fatebimur eum dignum fuisse præconio, sic describendo salutem hanc æternalem : *omnia in se ipsis intransmutabilia et stabilia et inflexibilia ad subjecta salvantem,* id est, conservantem in suis proprietatibus ac speciebus ea quæ ex propriis naturis intransmutabilia sunt et fixa et ad inferiorum naturam ac proprietatem indeclinabilia ; *et omnia custodientem non pugnantia et non bellantia,* id est, non corrumpentia se invicem, quamvis quædam particularia invicem contrarientur et corrumpant se mutuo ; elementa tamen quoad se tota permanent incorrupta ; *suisque singula quæque rationibus disposita,* id est distincta, locata et ordinata secundum exigentiam rationum suarum ; *et omnem inæqualitatem,* id est superfluitatem, distortionem, *et extraneam actionem,* id est innaturalem ac nocivam impressionem, *ex omnibus exterminantem :* unumquodque enim resistit suo contrario ; *et coæqualitate uniuscujusque constituentem irrationalitates extra cadentes in contraria, et non transgredientes :* id est, dando unicuique quod ei connaturale ac proprium est, facit quod oppositæ proprietates sunt cuique convenientes et accidentales et extra rationem ipsius, ita quod cadunt sibi in contrarium, « et non transgredientes », id est, transire nequeuntes in alias naturas, quibus essent irrationales et irrationabiliter inexsistentes.

Deinde et hanc salutem non ab respectu quis laudaverit sacræ Theologiæ, id est, divinam et increatam salutem, quicunque voluerit, laudabit non absque intentione et speculatione Scripturæ, *velut omnia exsistentia, salutari omnium bonitate, propriorum optimorum casu redimentem,* id est, tanquam liberantem omnia exsistentia a defectu et casu a propriis perfectionibus et finibus suis, dando singulis bonitates et perfectiones con-

naturales, quibus formaliter salvantur et A conservantur in suis ordinibus ac natura, *quantum uniuscujusque salvandorum recipit natura*, id est, quantum capax est naturaliter natura cujuslibet rei sic conservandæ.

Proinde et redemptionem ipsam nominant theologi : quatenus non sinit vere existentia ad non esse cadere, id est, secundum quod entia non permittit labi in non esse, in quod protinus laberentur nisi ab ipso conservarentur; *et quatenus si quid ad delictum aut inordinationem deceptum sit, et diminutionem quamdam patitur propriorum bonorum perfectionis, et hoc passione et inertia et privatione, redimit* : id est, in « quantum » salus ista quæ Deus est, « redimit », id est, eruit ab incommodis et nocivis, si quis ex deceptione quacumque devolutus sit ad culpam et inordinationem, « et patiatur diminutionem » seu minorationem aliquam « perfectionis propriorum bonorum », id est naturalium suorum, quæ data sunt sibi, aut gratuitorum, ad quæ potest pertingere, « et hoc » contigerit ex aliqua sensitivi appetitus « passione » aut afflictione, seu ex propria sua ignavia, vel « privatione » gratiæ Dei : *implens indigentiam*, id est, Deus relevans supplensque penuriam creaturæ, *et paterne infirmitatem despiciens*, id est, oculo paternæ pietatis attendens creaturæ imbecillitatem, vel « infirmitatem » illam « despiciens », id est parvi pendens, in quantum est quædam infirmitas, seu culpa ex infirmitate procedens, non ex malitia neque proposito, *et restituens a malo*, id est, a peccato reducens ad gratiam.

Magis autem statuens in bono supertimidum, id est, eum qui vehementer anxius est ac timidus, in gratia ac omni virtute stabiliens. Qui enim sollicitus est et timoratus ne Deum offendat, meretur sic roborari ac præservari a Domino. Propter quod ait Scriptura : Beatus homo qui semper est pavidus; et rursus : Sapiens in omnibus metuit. Paulus quoque : Cum metu,

Prov. xxviii, 14.
Eccli. xviii, 27.
Hebr. xii, 28.

inquit, et reverentia serviamus. *Bonum replens*, id est, bonitatem ipsius perficiens, juxta illud Apostoli : Qui cœpit in vobis opus bonum, ipse perficiet. *Et ordinans et ornans inordinatum ejus et informatum*, id est, deordinationem ipsius ac deformitatem peccati expellens, et ad ordinationem gratiæ ac decorem virtutum reformans, recuperans ac reportans, *et integritatem*, id est incorruptionem, *perficiens, et omnium abluens maculas*, nitore gratiæ ac splendore virtutum. Philipp. i, 6.

B

Sed de his quidem et de justitia dictum est, id est, et hic et alibi « dictum est » de istis, « et de justitia » Dei. *Secundum quam omnium æquitas mensuratur ac terminatur*. Divina namque justitia verissime regula est et mensura, causa et judex omnis creatæ justitiæ. Propter quod ait : Quum accepero tempus, ego justitias judicabo. Hinc vere sapientes jugiter trepidant, paventes ne eorum justitia a summa justitia dissonet et reprobetur, præsertim quoniam teste Isaia, quasi pannus menstruatæ sunt universæ justitiæ nostræ. Hinc abbas Agathon : Alia (inquit) sunt judicia Dei, alia hominum. Abbas quoque Arsenius in extremis valde formidans, disseruit : Timor qui nunc in me est, semper fuit in me. Idcirco testatus est magnus ille patriarcha atque propheta Job : Considerans Deum, timore sollicitor; et item : Semper quasi tumentes super me fluctus timui Deum, et pondus ejus ferre non potui.

Psal. lxxiv, 3.
Is. lxiv, 6.
Job xxiii, 15.
Ibid. xxxi, 23.

Et omnis iniquitas, quæ est per privationem in ipsis singulis æquitatis, exterminatur, id est, omne peccatum, quod in hominibus « est per æquitatis privationem », exstirpatur ab ipsis a Deo et gratia ejus, juxta illud beati Job : Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? nonne tu qui solus es? Virtutes quippe naturales et acquisitæ non sufficiunt ad salutem, nec absolute justificant, nec cuncta mortalia expellunt peccata.

Ibid. xiv, 4.

Æquitatem enim si quis auferret in toto, id est, si quis tollat totaliter « æqui-

tatem » seu æqualitatem et commensura- A tionem seu proportionem a rebus, *totorum ad tota differentias*, id est, auferret etiam omnium ab invicem seu ab omnibus « differentias », quæ semper præsupponunt convenientiam eorum quæ per differentias distinguuntur in genere, *et ejus quæ est justitia custodem*, id est, tolleret item « custodem » rerum, « quæ est justitia ».

Quæ non concedit commixta tota in totis facta perturbari, id est, non permittit ea quæ « in totis » et compositis rebus « commixta » et conjuncta sunt, totaliter B esse aut fieri confusa et perturbata, ut patet in mixtis, in quibus elementa ad quamdam contemperantiam et æqualitatem rediguntur ; *custodiens vero omnia quæ sunt, omnia per species singulas*, id est, unumquodque ens conservans in sua specie ac specifica perfectione, quamdiu durat et permanet, *in quibus et unumquodque esse substituit*, id est, in qua specie Deus disposuit unumquodque subsistere.

Ex his error insipientium illorum, ordinem rerum confundentium, subtilissime ac evidentissime reprobatur.

TRANSLATIO MARSILII FICINI

VERUM quoniam divinam veritatem ipsamque supra modum sapientiæ sapientiam, theologi etiam ut potentiam et justitiam [celebrant], salutemque et redemptionem appellant ; age, ista quoque cognomenta pro viribus explicemus. Summam quidem Deitatem omnipotentia, quomodolibet vel sit, vel cogitetur, eminentissime superiorem esse, neminem reor qui in divinis Litteris versatus fuerit, ignorare. Pluribus enim locis Theologia divinæ potentiæ dominationem potestatem quoque supercœlestium palam assignat. Quo igitur pacto theologi illam celebrant ut potentiam, quæ universa potentia est eminentior ? Aut qua ratione in ipsa hoc ipsum potentiæ virtutisve nomen accipimus ? Dicamus igitur Deum esse potentiam, quoniam omnem in se ipso potentiam anticipat et comprehendit, omnisque virtutis est causa, omniaque per virtutem nusquam inclinantem incircumscriptamque producit, causaque est et ipsius virtutis, sive universaliter sive particulariter exsistat. Dei virtus dicitur infinita, non solum quoniam virtutes omnes producit, sed etiam quoniam ipsam virtutem universam eminenter excedit, potestque super ipsum potentiæ modum infinite infinitas, præter eas quæ sunt, alias proferre potentias. Ipsæque vires inde productæ, etiam si in infinitum prodeant infinitæ, nequeunt effectionem plusquam infinitam virtutis ejus virtutem omnem efficientis, obtundere. Denique, quoniam virtus ejus omnia superans, nec exprimi neque cognosci neque excogitari potest, divina virtus propter exuberantiam potestatis, infirmitatem quoque corroborat, extremaque vestigiorum suorum præpotenti continet potestate : quemadmodum cernimus et in rebus quæ ad movendum sensum valentissimæ sunt. Nempe splendidissima lumina ad hebetiores quoque acies penetrant ; ferunt etiam ingentes sonitus in aures quoque ad audiendum minus idoneas pervenire. Quod enim audiendi munere penitus vacat, nec est auditus ; quodve nihil videt, non est visus. Illa igitur infinite potens divina distributio, per se omnia porrigit ; neque quidquam est in rebus quod non aliquam sortiri potentiam valeat, sed vel intellectualem, vel rationalem, aut sensualem, aut vitalem, aut essentialem potentiam habet. Ipsum quoque esse, si dictu fas est, potentiam ad essendum habet ab illa quæ super essentiam est potestate.

Ex ipsa sunt divinæ angelicorum ordinum potestates. Nam ex illa et esse habent

procul a lapsu, omnesque suas intellectuales et immortales sempiternasque motiones, indeclinabilemque constantiam et incontaminabilem voluntatem boni, ab ipsa infinitæ bonitatis potentia conceperunt : ipsa videlicet illis largiente ut et possint, et sint hæc ipsa, et semper esse desiderent, ipsumque posse desiderare semper posse *. Munera * possunt
præterea indeficientis virtutis illius ad homines quoque procedunt, animaliaque, et arbores, et totam universam * naturam. Quæ quidem munera, quæcumque in unionem * universum
conveniunt corroborant ad mutuam amicitiam atque societatem ; rursum quæ discreta sunt, virtute donant per quam ut unaquæque secundum rationem propriam sint atque terminum, neque confusa prorsus neque commixta ; denique mundi ordines directionesque ad proprium bonum ubique conservant. Divina potestas immortales angelicarum unitatum vitas conservat inviolabiles ; cœlorumque et luminum et siderum substantias et ordines efficit immutabiles ; auctor est æternitatis et temporis ; temporales quoque circuitus progressionibus quidem distinguit, restitutionibus vero colligit ; vires ignis reddit inexstinguibiles, et aquarum fluenta perennia ; aeriam quoque fusionem terminat ; super nihil firmat terram ; vivificos terræ partus custodit incorruptibiles ; mutuam elementorum harmoniam mixturamque inconfusam atque individuam servat. Animæ præterea corporisque nexum continet ; vires arborum quibus nutriuntur et crescunt, movet et suscitat. Essentiales denique vires omnium roborat ; universum conservat indissolutum ; deificum largitur munus, dum his qui divini redduntur, ad hoc ipsum suppeditat facultatem. Denique nulla res est usquam, quam omnipotens virtus et conservatio Dei non ubique contineat. Quod enim nullam prorsus potentiam habet, neque est quidem, neque est aliquid, neque prorsus est ejus ulla positio.

Atqui (inquit Elymas magus) si est omnium potens Deus, quonam modo a theologo vestro aliquid non posse dicitur ? Divinum hic insimulat Paulum, dicentem Deum
II Tim. II, 13
negare se ipsum non posse. Ego vero vehementer timeo ne ut amens ridear, qui puerorum ludentium structuras in arena fabricatas infirmasque evertere moliar, atque hujus rei veram theologi mentem, velut imperscrutabile aliquid, intentius conjectare studeam. Nempe enim se ipsum negare, est a veritate decidere. Veritas autem, ens ipsum est ; casusque a veritate, est ab ipso ente ruina. Si igitur veritas ens est, veritatisque negatio est ab ente prolapsio : certe Deus ab ente cadere nequit ; neque est in eo non esse, ut ita dixerim, et non posse non potest, et non cognoscere (secundum privationem) non novit. Quod quidem sapiens ille non animadvertens, athletas imitatur imperitos qui sæpe adversarios suos imbecilles esse sibi persuadentes, atque contra absentes ipsos fortiter velut adumbrata pugna dimicantes, et aerem cassis ictibus audacter ferientes, superavisse adversarios opinantur, seque victores jactant, quum neque illorum vires noverint. Nos autem divinum theologi sensum pro viribus conjectantes, Deum præpotentem celebramus tanquam omnipotentem, tanquam beatum solumque potentem, ut dominantem ævo in potestate sua, ut qui nulla rerum essentia exciderit, imo vero excedat anticipetque entia omnia per virtutem essentia longe superiorem, qui his quæ sunt omnibus, ut esse possint et ut sint, propter excellentis virtutis copiam exuberanti profusione largitur.

Deus præterea justitia nominatur, ut sua cuique pro dignitate distribuens, modumque et pulchritudinem, et ordinem et ornatum, omnes præterea distributiones dispositionesque definiens unicuique secundum ipsum terminum revera justissimum, singulis quoque ut suum quæque opus agant, auctor exsistens. Omnia enim divina justitia ordine certo disponit atque determinat. Custodit præterea singula seorsum a singulis non confusa. Singulis denique, quod cuique convenit, pro dignitate largitur.

Si hæc recte dicimus, quicumque divinam justitiam incusant, inscii suam injusti-

tiam procul dubio damnant. Aiunt enim immortalitatem mortalibus adesse debere, imperfectis perfectionem, rebus naturaliter ab alio mobilibus, sui ipsorum movendi potentiam, mutabilibus identitatem, debilibus vim adultam : item quæ temporalia sunt, esse sempiterna debere; quæ natura moventur, penitus immobilia; temporaneas voluptates, æternas : et omnino attribuunt aliis, quæ sunt aliorum. Quum alioqui considerandum sit divinam justitiam ex hoc maxime veram esse justitiam, quod omnibus quæ sua sunt, pro dignitate cujusque tribuit, singulorumque naturam in ordine proprio suaque facultate conservat. — At vero dixerit quispiam, non esse justitiæ, permittere viros sanctos ab improbis sine præsidio conteri. Huic igitur respondendum est, eos qui appellantur sancti, si terrena diligunt, quibus homines terreni student, a divino amore penitus excidisse. Nescio equidem quo pacto sancti appellari debeant qui revera amabilia divinaque injuriis afficiunt, quatenus his illa quæ neque amanda sunt neque digna studio, indigne comparant. Sin autem quæ vere sunt amant, gratulari oportet eos qui aliqua cupiunt, quando potiuntur optatis. Nonne tunc magis virtutibus propinquant angelicis, quando divinorum desiderio, pro viribus ab omni terrenorum affectione discedunt? Jam vero ad hoc admodum viriliter exercentur, dum angustias honesti gratia tolerant. Quamobrem hoc dictu verius, hoc potius esse divinæ justitiæ proprium, nequaquam mulcere atque enervare virilem optimorum quorumque animum largitionibus terrenorum, neque si quis id tentet efficere, eos absque auxilio linquere, sed illos in statu potius honesto et inflexibili solidare, eisque, quum sint tales, secundum merita reddere.

Hæc igitur divina justitia, salus quoque omnium prædicatur, propriam cujusque segregatamque ab alienis essentiam et ordinem servans atque custodiens, causaque pure exsistens ut actionem propriam quælibet prosequantur. Si quis præterea salutem laudet, quatenus a deterioribus singula eripit conservando, hunc ipsi laudatorem universæ salutis libenter recipiemus. Jam vero et hanc primam omnium salutem ipsum definiturum existimamus : quæ omnia in se ipsis immutabilia neque dissidentia et nusquam ad deterius deflectentia servet; custodiatque omnia procul a pugna et bello, singula suis distincta rationibus exornata; omnem quoque inæqualitatem et actionem se circa aliena versantem, ex cunctis eliminet; proportionesque cujusque ita confirmet ut in contraria neque ruant neque pertranseant. — Hanc quoque salutem non præter intentionem sacræ Theologiæ quispiam celebrabit tanquam omnia redimentem, utpote quæ res omnes, bonitate sua omnium servatrice, a bonorum suorum casu redimat, quatenus videlicet uniuscujusque rei servandæ natura capit. Quamobrem theologi ipsam etiam redemptionem nominant : quoniam non permittit quæ vere sunt, ad id cadere ut ultra non sint; rursus, ex eo quod etiam si quid deliquerit, atque extra ordinem prævaricatum fuerit, perfectionisque propriorum bonorum passum fuerit detrimentum, hoc insuper a passione et imbecillitate privationeque redimit, indigentiam implens, affectuque paterno firmans infirmitatem, erigensque a malo : imo vero in bono pulchrove sistens; et quod effluxerat boni, supplens; redigens in ordinem, dum quod præter ordinem ibi est, exornat, perficitque ad integrum, detrimentisque omnibus prorsus absolvit. — Cæterum de his quidem et de justitia dictum est, quæ omnem æqualitatem metitur et terminat, omnemque inæqualitatem privatione quadam oppositam æqualitati singulis competenti, foris expellit. Si quis enim inæqualitatem illam consideret quæ significat differentias in universo totius cujuslibet ad totum quodlibet, hanc quoque ipsa justitia servat, quatenus non permittit res totas totis commixtas turbari, sed custodit omnia secundum unamquamque speciem in qua esse proprium singula naturaliter susceperunt.

PARAPHRASIS ABBATIS VERCELLENSIS

QUONIAM autem divinam virtutem et superpotentem sapientiam theologi laudant sicut virtutem et sicut justitiam, et sicut salvationem et sicut liberationem; prosequamur et ipsas Dei nominationes prout est possibile. Quod autem principalis Deitas per excessum segregata sit ab omni virtute quocunque modo existente aut cogitabili non ignorant exercitati in sacris Scripturis. Theologia enim sæpe attribuit Deo dominationem cœlestium etiam virtutum. Quomodo ergo Divinitas segregata sit ab omni virtute, quomodo ipsam laudant theologi tanquam virtutem? Aut omnino quomodo accipiemus nominationem virtutis secundum quod Deo attribuitur? Dicamus ergo quod Deus est virtus: sicut præhabens et superhabens in se omnem virtutem, et sicut causa omnis virtutis, et producens omnia per virtutem suam, in se tamen manentem et inflexibilem et immobilem et omnino infinitam; et sicut existens causa ipsius quod est esse virtutem sive universalem sive particularem, et sicut existens infinitæ virtutis non tantum ex eo quod producit omnem virtutem sed ex eo quod est super omnem etiam per se ipsam virtutem excedendo et superando, et multipliciter addendo existentibus virtutibus alias virtutes multas; et quantumlibet provectæ virtutes nunquam tamen possunt hebetare superinfinitam actionem virtutis divinæ, quæ est virtutifica, id est faciens virtutem. Dicitur etiam Deus virtus eo quod virtus ipsius cuncta excedens, ineffabilis sit, ignota et incogitabilis; quæ propter abundantiam potentiæ confirmat infirmitatem, et continet et fortiter tenet infimas ipsius divinæ virtutis resonantias, quæ videlicet in cetera existentia minorem et minimam habent virtutem, secundum quod apparet in potentiis rerum sensibilium. Verbi gratia: splendidissimi radii solis perveniunt ad conspectum oculorum pene excæcatorum, et sonitus tonitrui percipitur auribus pene surdis. Oculus enim omnino cæcus, neque obscurum lumen videt neque clarissimum, et auris omnino surda, neque leves sonos audit, neque maximos. Ipsa siquidem distributio infinitæ virtutis Dei ad omnia ex- A sistentia pervenit, et nihil est existentium quod perfecte privetur qualibet virtute, sed omne existens habet virtutem aut intellectualem pure, ut angeli; aut rationalem, ut homines mortales; aut sensibilem, ut bruta animalia; aut vegetabilem, ut plantæ; aut substantialem saltem, ut inanimata. Et si licet dicere, ipsum esse habet virtutem a supersubstantiali virtute ad hoc quod sit.

Et ex ipsa divina virtute sunt deiformes virtutes ornatuum angelicorum, qui ex ipsa habent quod sunt intransmutabiliter, et ab ipsa acceperunt omnes motus suos intellectuales B et immortales, et ipsam suam fortitudinem et non minorabile desiderium boni, ipsa virtute divina immittente ipsis angelis posse quod possunt et esse quod sunt secundum prædicta, et desiderare semper esse, et ipsum posse quod possunt semper desiderare. Processus autem indeficientis virtutis, post angelos pervenit et ad homines, et ad animalia, et ad plantas, et ad naturam inanimatorum. Et unita confirmat ad mutuam amicitiam et communionem, discreta vero confirmat ad hoc quod sint singula secundum propriam rationem et definitionem, sicut inconfusa et C incommixta; et salvat ordines et directiones cujuslibet rei ad proprium bonum. Et immortales vitas angelicarum simplicitatum immaculatas custodit; et cœlestium luminarium substantias et ordines facit secundum naturam certos et invariabiles. Et ævum posse esse facit. Dat enim temporis circumvolutionibus posse esse, et discernit eas per processus, et congregat per restitutiones ad puncta ex quibus processerant. Ipsa etiam divina virtus operatur inexstinguibiles virtutes ignis, et indeficientes aquæ influxiones; et terminat aeriam fluiditatem, et terram firmiter stabilit D sine exteriori corporeo fulcimento, et terræ nascentium propagationes uniformes naturaliter custodit, et salvat mutuam elementorum harmoniam et inconfusam et indivisibilem concretionem, et continet communionem animæ et corporis, et sursum movet plantarum virtutes nutritivas et augmentativas; et inanimatorum omnium substantiales virtutes sua

fortitudine retinet, et indissolubilem universitatis permanentiam firmat; et naturæ rationali ipsam deificationem donat, præbens virtutes his qui deificantur. Et omnino nihil est exsistentium segregatum a firmitate aut exclusum ab ambitu divinæ virtutis. Quod enim nullam penitus habet virtutem, nulla omnino est vel erit ipsius positio.

Quod autem dicit Elymas magus, objiciens S. Paulo dicenti quod Deus negare se ipsum non potest (II *Tim.* II, 13) : Si Deus omnipotens est, quomodo aliquid non posse dicitur? Si hanc ejus objectionem impugno, timeo ne ridear tanquam puer, in eo quod studeam dissolvere æditicia infirma super arenam fundata, et per theologicam deliberationem impugnare intentionem omnino impossibilem. Quum enim Deus veritas sit, negatio Dei est casus a veritate : veritas autem, exsistens. Unde casus a veritate, est casus ab exsistente. Si ergo Deus exsistens veritas, negat se ipsum, cadit ab exsistente : quod est manifeste impossibile. Hoc est ergo dicere, Deum non posse se negare, quod est dicere, ipsum non posse cadere ab esse, vel a posse, vel a scire. Quod Elymas non intelligens, imitatur inexpertos certaminum qui adversarios suos infirmos esse supponunt, secundum suam opinionem, et quasi contra illos adhuc absentes pugnam audacter simulant, et vanis plagis aerem percutientes, confidenter arbitrantur se jam ipsos adversarios expugnasse, et propriam virtutem jactant, adhuc ignorantes virtutes adversariorum. Nos autem dicta verba B. Pauli secundum nostram possibilitatem conjectantes, laudamus Deum sicut potentem, sicut omnipotentem, sicut beatum et solum potentem, sicut dominantem in sua potestate æterna, sicut ab excedentibus * excedentem, vel potius superhabentem et præhabentem omnia exsistentia secundum suam virtutem supersubstantialem, et copiosa effusione largientem omnibus exsistentibus posse esse, et esse, secundum abundantiam suæ virtutis omnia excedentis.

* exsistentibus

Deus etiam dicitur justitia tanquam distribuens omnibus, secundum singulorum congruentiam, et commensurationem et pulchritudinem et bonam ordinationem et singulorum ordinum specialem ornatum, et sicut segregans unicuique distributiones gratiarum cœlestium et gradus ordinationis secundum justissimam Dei definitionem vere exsistentem, et sicut exsistens causa omnibus propriæ coope- A rationis qua cooperatur Deo ad propriam perfectionem. Justitia siquidem divina omnia ordinat et terminat, et singula a singulis incommixta et inconfusa salvat, etiam omnibus exsistentibus singulis quæ sibi congruunt donat, secundum dignitatem a Deo supervenientem singulis exsistentium.

Et quum ista recte dicta sint, quicumque divinæ justitiæ detrahunt, propriam insipientiam ignorant, et propriam injustitiam manifeste condemnant. Quales sunt qui dicunt Deum debuisse eos qui mortales sunt, fecisse immortales; et eos qui imperfecti, fecisse per- B fectos; et his qui habent liberum arbitrium eligendi bonum et malum, sic induxisse necessitatem faciendi bonum, sicut lapis violenter sursum fertur; et variabilibus contulisse invariabilitatem, et infirmis perfectam potentiam, et temporalibus æternitatem, et naturaliter mobilibus immobilitatem, et deliciis temporalibus delectationem æternam : et omnino qui sic decipiuntur, singulis attribuenda arbitrantur, quæ non ipsis, sed aliis conveniunt. Justitia autem divina in hoc declaratur esse vera justitia, quod ipsa singulis omnibus propria distribuit, et cujusque rei naturam salvat C in proprio ordine et virtute. — Si quis autem dictis objiciat, quod justitiæ non est homines sanctos dimittere non adjutos quando a pravis hominibus cruciantur : respondemus, quod si illi qui dicuntur sancti, terrena diligunt, quæ ab hominibus carnalibus desiderantur, omnino deciderunt a divino amore, nec digne vocantur sancti, qui divinis bonis et vere amabilibus injuriam facientes, eadem irreligiose reprobant propter temporalia, quæ non sunt vere amabilia, in eo quod nolunt ab istis separari ut illa æterna possideant. Quod si vera bona amant, de ista separatione lætari debent, sicut D lætari solent qui consequuntur ea quæ desiderant. Electi siquidem tunc magis appropinquant virtutibus, quando secundum quod eis possibile est, propter desiderium divinorum bonorum recedunt a passibili affectione temporalium, valde fortiter certantes in adversitatibus temporalibus pro bono æterno consequendo. Unde divinæ justitiæ proprie convenit, virorum sanctorum constantiam non enervare vel destruere per commoda temporalia neque eis subtrahere gratiam adjuvantem quando aliquis reprobus ipsos ad peccatum trahere conatur, sed potius corroborare ipsos in pulchra et inflexibili statione sui certaminis, et

completis certaminibus, retribuens eis bona æterna secundum merita singulorum.

Ipsa ergo divina justitia recte etiam dicitur omnium salvatio, in quantum salvat et custodit unumquodque propriam naturam * mundo segregatam ab aliis, omnibus et cujuslibet rei ordinem; et in singulis rebus munde existit causa propriæ operationis. Si autem Deitas vocatur salvatio, tanquam ex statu pejori ad meliorem cuncta salvatoris quæcunque mundo deducens, nos hanc laudem largissimæ salvationis hanc recipimus, et rogabimus ipsum ut definiat hanc potentiam salvationum omnium; quæ omnia in se ipsis intransmutabilia et fortia contra pejora salvat, et universitatem custodit sine pugna, et singula bellantia ornata propriis rationibus et exterminat ab universitate omnem inæqualitatem et alienam operationem, et ordinat proportiones uniuscujusque rei, ne excidant a proprio ordine naturæ, nec transeant ad alienum. Neque longe recedet ab intentione Theologiæ qui ita laudaverit salvationem, sicut liberantem omnia existentia a casu propriorum bonorum per bonitatem salvatoriam omnium, secundum quod natura cujuslibet rei quæ salvatur, capax fuerit. Propter quod theologi vocant ipsam liberationem, in quantum non sinit vere existentia cadere ad non esse, et in quantum peccantes et seductos et perfectionis bonorum suorum spiritualium detrimentum passos, a passione pœnæ et infirmitate et bonorum privatione liberat, minus habentes implens, et infirmitatem paterna pietate supportans, et lapsos suscitans a malo, imo statuens in bono, et bonum diminutione læsum adimplens et ordinans et statuens, et inordinationem vel inornatum reformando ornans et ordinans, et integritatem perficiens, et ab omnibus maculatis solvens. — Sed de istis et de justitia dicta sufficiant, secundum quam omnium æqualitas mensuratur et definitur, et omnis inæqualitas quæ privat dictam æqualitatem, a singulis exterminatur. Si enim dicatur inæqualitas differentia unius totius ad aliud totum, quando unum est majus altero, aut quia totum est majus sua parte, hanc inæqualitatem salvat justitia non permittens turbari universitatem commixtione et unitæ mensuræ participatione, et custodiens omnia existentia secundum speciem in qua unumquodque habet naturaliter esse.

* [illegible]

CAPITULUM IX

DE MAGNO, PARVO, EODEM, ALTERO, SIMILI, DISSIMILI, STATU, MOTU, ÆQUALITATE.

QUONIAM autem et magnum et parvum ponitur in omnium causali, et id ipsum et alterum, et simile et dissimile, et status et motus; da, et his divinis nominativis agalmatis quæcumque nobis manifesta sunt, contemplabimur. Magnus igitur Deus in Eloquiis laudatur et in magnitudine, et in aura levi divinam manifestante parvitatem; et idem ipse (quum aiunt Eloquia : Tu autem idem ipse es), et alter, quando ut multum figuratus et multiformis ab ipsis Eloquiis plasmatur; et similis, ut similium et similitudinis substitutor, et dissimilis omnibus, ut non ente ei simili; et stans, et movens; et ut sedens in æternum, et motus, ut in omnia vadens : et quæcumque aliæ eisdem æquipotentes divinæ nominationes ab Eloquiis laudantur.

Ps. [illegible] III Reg. [illegible] Ps. [illegible]

Magnus igitur Deus nominatur, secundum quod scit suum magnum omnibus

magnis suis tradens, et omnem magnitudinem extrinsecus superexcellens, et superextentum universalissimum locum continens, omnem superans numerum, omnem multitudinem transgrediens, et secundum superplenitudinem suam, et magnam operationem, et manantes suas donationes, et quantum ipsæ ab omnibus participatæ secundum multam et largam effusionem, indiminutæ omnino sunt, et eamdem habent superplenitudinem, et non minuuntur participationibus, sed et magis supermanant. Magnitudo hæc et multa est, et informabilis, et innumerabilis; et hæc est superexcellentia secundum absolutam et superordinatam inacceptabilis magnitudinis effusionem. — Parvum autem sive minutum in ipso dicitur, omni finito spatio emunitus, et per omnia consequenter locatus. Et quidem omnium causale est parvum : nusquam enim invenies parvi formam non participans. Sic igitur in Deo parvum accipiendum est velut in omnia et per omnia firmiter locatum et operans, et pervestigans usque ad divisionem animæ et corporis, compagumque et medullarum, et notionum cordis, magis autem exsistentium omnium : non enim est creatura non apparens in conspectu ejus. Parvum tantum est et quantum, incomprehensibile, multum, infinitum, comprehendens omnia, ipsum autem incomprehensibile. *Hebr. IV, 12.* *Ibid. 13*

Id ipsum vero, superessentialiter æternum, inconversibile, in se ipso manens, semper secundum eadem et similiter habens, omnibus similiter præsens; et id ipsum per se ipsum a se ipso firmiter et incontaminate in formosissimis summis magna immutabilitate et naturali collocatum societate; intransmutabile, incasuale, inflexibile, inalienatum, purum, immateriale, simplicissimum, non indigens, non crescens, non diminutum; non genitum, non sicut quomodo aut factum aut imperfectum, aut ab hoc aut hoc non factum, nullo modo, nunquam, nusquam, sed sicut omne ingenitum et absolute ingenitum, et semper ens, et ipsum perfectum ens, et id ipsum ens per se ipsum, et a se ipso uniformiter et æquiformiter segregatum; et id ipsum ex se ipso omnibus participare opportunis superillucens, et altera alteris componens, magnitudo et causa naturalis immutabilis societatis, in se ipso et contraria similiter supereminens secundum unam et singularem totius naturalis immutabilis societatis supereminentem causam. — Alterum autem, quoniam omnibus provide Deus adest, et omnia in omnibus propter omnium salutem fit, quoddam ens ex se ipso, et propria naturali immutabilitate inconversibiliter per operationem unam et incessabilem stans, et se ipsum porrigens inflexibili virtute, ad deificationem conversorum et alteritatem variarum Dei per multiformes visiones figurarum. Altera quædam visibilibus perlucens significare æstimandum. Quomodo enim si animam ipsam corporali specie ratio effingeret, et partes corporales impartibili circumplasmaret, aliter intelligeremus in ipsa circumpositas partes impartibilitati quæ est secundum animam proprie; et caput quidem animum, cervicem autem opinionem (ut in medio rationis et irrationabilitatis), pectus vero furorem, ventrem autem concupiscentiam, crura quoque et pedes naturam diceremus, partium nominibus virtutum symbolis utentes : multo magis in omnium summa, alteritatem formarum et figurarum sacris et divinis et mysticis replicationibus solvere oportet.

Consilium tria corporum schemata infacto et non figurato Deo circumligavit : latitudinem quidem divinam dicendo superlatissimam in omnia Dei processionem ; longitudinem vero, superextentam in omnia virtutem ; profundum autem, omnibus existentibus incomprehensibilem obscuritatem et ignorantiam. Sed ut nihil lateat nos ipsos ex alterarum figurarum et informium replicatione, eas quidem incorporales divinas nominationes his quæ sunt per symbola sensibilia commiscentes ; propterea de his quidem in Symbolica theologia. Nunc vero hic divinam alteritatem, non alienationem quamdam superinconvertibilis immutabilisque naturalis societatis suspicabimur, sed singulare ipsius multiplex, et uniformes in omnia multæ fecunditatis processus.

Similem autem Deum si quidem unum et id ipsum dixerit quis, sicut totum per totum in se ipso singulariter et impartite exsistentem similem, non spernendum nobis simile divinum vocabulum. Theologi autem super omnia Deum, ut ipse est, nulli aiunt esse similem, ipsum vero similitudinem venatricem donare ad se conversis, ea secundum virtutem mediam eorum quæ sunt super omnem et visionem et rationem. Et est divinæ similitudinis virtus, advenientia omnia ad causale convertens. Hæc igitur dicendum similia Deo, et secundum divinam imaginem et similitudinem. Non enim ipsis Deum similem, quia neque homo propriæ imagini similis. In æque potentibus enim possibile esse similia, hæc inter se esse et converti in alterutra similitudine, et esse ambo sibi invicem similia secundum præcedentem similis speciem. In causali enim et causativis non recipimus reciprocationem. Non enim solum his aut his simile esse donatur ; omnibus autem similitudine participantibus, essendi similia Deus causa fit, et est et ipsa per se ipsam similitudinis substitutrix, et in omnibus simile vestigio quodam divinæ similitudinis simile est, et unitatem eorum complet. — Et quid oportet de hoc dicere ? Ipsa enim Theologia dissimilem eum esse præcipit et omnibus incompactum, ut omnibus alterum : et quod est mirabilius, quia nihil esse simile ei dicit. Et quidem non est contraria ratio ad ipsam similitudini. Eadem enim et similia Deo, et dissimilia : illud quidem, secundum acceptam ipsius inimitabilis imitationem ; hoc vero, secundum distantiam causativorum a causali mensuris multis et incomparabilibus.

Reliquum autem et de divino statu sive sede dicamus. Quid autem aliud, præter manere ipsum in se ipso Deum, et immobili naturali immutabilitate omnimode fixum esse, et supercollocari secundum eadem, et circa id ipsum et similiter operari, et secundum stabilissimum ipsum ex se ipso omnino subsistere, et secundum id ipsum intransmutabilem et universaliter immutabilem, et hoc superessentialiter ? Etenim ipse est omnium stationis et ædificationis causalis, qui est super omnem ædificationem et stationem, et in se ipso omnia constituit ex propriorum bonorum statione immobilia et custodita. — Quid autem et quum iterum theologi et in omnia provenientem et mutabilem dicunt immutabilem ? nonne divinitus et hoc intelligendum ? Moveri enim ipsum pie arbitrandum, non secundum delationem, aut alienationem, aut alternationem, aut conversionem ; aut localem motum, non rectum,

non circulariter ferentem, non ex ambobus ; non intelligibilem, non animalem, non naturalem : sed in essentiam ducere Deum et continere omnia, et universaliter omnibus providere, et adesse omnibus omnium immensurabili circumstantia, et in exsistentia omnia providis processionibus et operationibus. Sed et motus Dei immutabilis, divinitus ratione laudare concedendum : et rectus quidem, inflexibilis intelligendus et irrevocabilis processio operationum, et ex ipso omnium generatio ; helicoeides vero, id est obliquus motus, stateralis processio et fertilis status ; quod autem secundum cyclum, id ipsum et media et extrema continens, et continenda continere, et in id ipsum ab ipso provenientium conversio. — Si quis autem similiter in Eloquiis ipsam justitiæ divinam nominationem in æquo accipiat, dicendum æquum Deum, non solum ut non partitum et irreprehensibilem : sed etiam ut in omnia et per omnia ex æquitate pervenientem, et ut per se ipsam æqualitatis substitutorem, juxta quam æque operatur per se invicem omnium similem capacitatem, et accipientium ex æquitate participationem secundum singulorum opportunitatem et æquitatem, secundum dignitatem in omnia distributum donum ; et per omnia æqualitatem, invisibilem, intellectualem, rationalem, sensualem, essentialem, naturalem, voluntariam, excellenter et universaliter in se ipso anticipando, secundum super omnia totius æqualitatis factricem virtutem.

ARTICULUS LXXXV

ELUCIDATIO INITII CAPITULI HUJUS NONI : DEUM IN SCRIPTURIS VOCARI MAGNUM, PARVUM, EUMDEM, ALIUM, ETC.

DECLARATUR in isto capitulo, quomodo simplici et invariabili Deo in Scripturis attribuantur hæc nomina.

Quoniam autem et magnum et parvum ponitur in omnium causali, id est, quia in Deo omnium causa, dicitur esse magnum et etiam parvum, *et id ipsum*, id est idem, *et alterum, et simile et dissimile, et status et motus ; da*, id est age, seu eia, *et his divinis nominativis agalmatis*, id est de his signis et quasi simulacris ac « divinis » appellationibus Dei « nominativis », *quæcumque nobis manifesta sunt, contemplabimur*, id est, clare considerabimus, et hic redigemus in scriptis.

Magnus ergo * *Deus in Eloquiis laudatur et in magnitudine*, id est, Deus in A Scripturis perhibetur magnus, et in nomine magnitudinis hymnizatur, juxta illud in Psalmo : Magnus Dominus et laudabilis nimis, et magnitudinis ejus non est finis ; *et in aura levi divinam manifestante parvitatem*, id est, Deus insinuatur per tenuem auram sibilumque subtilem, juxta quod dicitur ad Eliam : Non in spiritu Dominus ; et post spiritum commotio, non in commotione Dominus ; et post commotionem ignis, non in igne Dominus ; et post ignem sibilus auræ tenuis, ibi Dominus. B Per quod designatur, quod in quiete et silentio ac humilitate Dominus invenitur ; et parvitas Domini, id est subtilitas, significatur : quia nec corporalis magnitudo nec parvitas materialis convenit ei.

* igitur

Ps. cxliv, 3

III Reg. xix, 11, 12.

Et idem ipse, id est, etiam Dominus « idem » vocatur, *quem aiunt Eloquia*, id est sacra Scriptura, quæ per excellentiam nominatur Eloquium et Scriptura. *Tu autem idem ipse es*; *et alter, quando ut multum figuratus et multiformis ab ipsis Eloquiis pronuntiatur*, id est, « alter » vocatur, dum in Scripturis sub diversis figuris et formis describitur : sicut in Daniele vocatur Antiquus dierum, et alibi leo, aquila, et columba.

Et similis, id est, etiam dicitur « similis », *ut similium et dissimilium* * *substitutor*, id est primus omnium talium institutor; *et dissimilis omnibus, ut non ente et simili*, id est « dissimilis » aliis perhibetur, quoniam nullum ens est simile ei, id est æquale, juxta illud in Jeremia : Quis similis mei? Et in Job : Nullus ei similis in legislatoribus. Nihilo minus ipse locutus est : Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram; itemque : Sancti estote, quoniam ego sanctus sum.

Et stans, ut in Psalmo : Deus stetit in synagoga deorum; *et movens*, ut in Apocalypsi, Movebo candelabrum tuum de loco suo; atque alibi, Movebo cœlum et terram. *Et ut sedens in æternum*, ut in Psalmo : Qui sedes super Cherubim; *et motus, ut in omnia vadens* *, id est, cuncta inspiciens, et ut in opus procedens. *Et quæcumque alia eisdem æquipotentes divinæ nominationes ab Eloquiis laudantur*, id est, ceteræ appellationes istis æquivalentes, quæ a Scripturis Deo cum laudibus adscribuntur.

ARTICULUS LXXXVI

QUO SENSU DEUS DICATUR MAGNUS ET PARVUS.

MAGNUS *ergo* * *Deus nominatur, secundum quod est omni magnum omnibus magnis suis tradens*, id est, prout cognoscit quod perfectionis suæ infinitas communicat se cunctis « magnis suis » effectibus. Etenim in spiritualibus idem est esse magnum et bonitate præclarum. Hinc sanctitate et sapientia præcipui, vocantur viri illustres et magni. *Et omnem magnitudinem extrinsecus superexcellens* : nam omnia intra se claudit et continet, et infinite supereminet universis.

Et supereffusum universalissimum locum continens. Nam et cœlum empyreum, quod est invisibilium et visibilium contentivum, circuit et includit, juxta quod Sapientia in Ecclesiastico fatetur : Gyrum cœli circuivi sola, et profundum abyssi penetravi. In Job quoque legitur : Excelsior cœlo est et profundior abysso. Quod si extra cœlum imaginemur locum undique infinitum, etiam illum taliter implet sine omni extensione, ita quod si ibi essent innumerabiles infinitique mundi, universos impleret. Ideo ejus respectu totum universum est quasi arena perminima, et velut imperceptibile punctum. *Omnem superans numerum* : nam infinita cognoscit simplici visione, et sapientiæ ejus numerus non est; *omnem multitudinem transgrediens* potestate et dignitate.

Et secundum superplenitudinem suam, et magnam operationem, et manantes suas donationes, et quantum ipsæ ab omnibus participatæ secundum multam et largam effusionem, indiminutæ omnino sunt, et eamdem habent superplenitudinem, et non minuuntur participationibus, sed et magis supermanant. Id est : Deus gloriosus magnus est « secundum superplenitudinem suam », quia incomprehensibiliter, incomparabiliter et interminabiliter plenus est

omni perfectione, opulentia, felicitate et gloria, et ipse est supersimplicissima plenitudo omnium horum; est etiam magnus secundum magnas et excellentissimas suas operationes in operibus naturæ et gratiæ ac gloriæ, et in multis et magnis miraculis, quibus partim auditis, Jethro in Exodo testatus est : Nunc cognovi quoniam magnus Dominus super omnes deos. (Exod. xviii, 11.) Magnus est itidem secundum « donationes » ab ipso jugiter emanantes, « et quantum » ad hoc quod suæ donationes a cunctis creatis « participatæ » secundum multiplicem ac liberam Dei « effusionem, indiminutæ sunt » ex parte fontis, et indeficientes ac perfectæ in genere suo, « et eamdem habent superplenitudinem », non æqualem ut fons, imo infinite minorem, sed repræsentative, et prout ad earum gradum ac speciem spectat; nec minuitur participationibus ab hujuscemodi plenitudine participata, et quantum ad continuationem suam cum suo superexuberantissimo, indeficientissimo infinitoque fonte. Juxta quem modum gratia animæ Christi dicitur infinita, ut scriptum est apud Joannem : Non ad mensuram dat Deus Spiritum, (Joann. iii, 34.) haud dubie quin Christo.

Magnitudo hæc et multa est : est quidem in essentia simplex, in potestate autem et efficacia multa; *et informabilis*, id est non formabilis nec perfectibilis ab aliquo, quum sit prorsus impassibilis et superpurissimus actus, *et innumerabilis ; et hæc est superexcellentia secundum absolutam et superinordinatam* * *inacceptabilis magnitudinis effusionem*, id est, ista est supereminentia Dei « secundum effusionem », id est communicationem suam, « absolutam », independentem ac liberam A in se ipsa, non ab extrinseco directore superordinatam, et sapientissimam, suæ « magnitudinis inacceptabilis », id est nequaquam aliunde acceptæ.

(* superordinatam)

Deinde exponit quomodo parvum et minutum dicantur de Deo.

Parvum autem sive minutum in ipso dicitur, non utique quantitative aut minoratione facta in Deo, sed *omni finito spatio emunitus*, id est excedens et incomprehensus, *et per omnia consequenter locatus*, B id est convenienter præsens ubique per transcendentiam et incircumscriptionem. *Et quidem omnium causale est parvum*, id est, ad omnium productionem concurrit et cooperatur subtile seu tenue; *nusquam enim invenies parvi formam non participans*, id est, nullibi poteris invenire rem non participantem « formam parvi », id est alicujus rei subtilis seu tenuis.

Sic ergo * *in Deo parvum accipiendum est velut in omnia et per omnia firmiter locatum*, C id est efficaciter præsens, *et operans*, quia causa prima plus influit, et tenacius vehementiusque adhæret causalitas ejus; *et pervestigans*, id est, pertingens, perscrutans ac penetrans, *usque ad divisionem animæ et corporis, compagumque et medullarum, et notionum cordis, magis autem exsistentium omnium : non enim est creatura non apparens in conspectu ejus*. Ista sunt verba Apostoli ad Hebræos. (Hebr. iv, 12, 13.)

(* igitur)

Parvum tantum est, id est, hoc parvum D est tam magnum, *et quantum* spiritualiter, *incomprehensibile, multum* virtute, *infinitum, comprehendens omnia, ipsum autem incomprehensibile*.

ARTICULUS LXXXVII

QUA RATIONE IDEM ET ALTERUM DEO ATTRIBUANTUR.

ID quidem vere supersubstantialiter æternum; imo secundum Proclum et auctorem libri de Causis supra et ante æternitatem illam, videlicet de qua ipsi loquuntur, putantes et mundum et intelligentias ab æterno fuisse. *Incommutabile, in se ipso manens, semper secundum eadem et similiter habens.* Est enim invariabilis, et æternaliter in una supersimplici et superoptima sui dispositione consistens et permanens, et secundum eadem attributa sua penitus immutabilis. Verumtamen quantum ad suos effectus, fertur converti et mutare sententiam, et nunc mitius, nunc districtius agere, imo et pœnitere, secundum quod ait per Zachariam : Convertimini ad me, et convertar ad vos; et iterum in eodem : Sicut cogitavi ut affligerem vos, sic conversus nunc cogitavi ut benefaciam vobis, etc.

Zach. I, 3.

Ibid. VIII, 14, 15.

Omnibus similiter præsens, quantum est ex parte ipsius, utputa incommutabiliter, sed non similiter per effectus; *et id ipsum per se ipsum a se ipso*, id est independenter, non ab alio (tales namque propositiones affirmativæ, exponendæ sunt negative, ut quum dicimus : Deus habet esse a se ipso, id est non ab alio). *firmiter et incontaminate in formosissimis summis*, id est in suis altissimis superpulcherrimis attributis perfectionibusque immensis, *magna immutabilitate et naturali collocatum societate* : id est, Deus cum beatis supercœlestibus civibus, imo et cum omnibus sibi caritate conjunctis, ac ipsi contemplative, amorose dulciterque vacantibus, quamdam habet societatem, juxta illud Joannis : Societas vestra sit cum Patre et Filio ejus Jesu Christo. Porro divinæ, æternæ, increatæ, adorandæ Personæ tres, Deus unus, habent ineffabiliter excellentius et deliciosius et inseparabilius superbeatissimam societatem æternam ad invicem.

I Joann. I, 3.

Et est hoc ens divinum *intransmutabile, immutabile, inflexibile* quoad suam naturam ; frequenter tamen per modum flexibilis habet se, precibus et satisfactionibus quasi flexus et emollitus ; *inalienatum, purum, immateriale, simplicissimum, non indigens, non crescens, non diminutum, non genitum, non sicut quo modo aut factum aut imperfectum*, id est, nullo modo est factum aut incompletum, *aut ab hoc aut hoc non factum*, id est, non solum « non factum ab » isto vel illo causante, vel non factum dumtaxat « hoc », imo *nullo modo* factum, et *nunquam* et *nusquam*, id est nullo loco nulloque tempore, *sed sicut omne ingenitum*, id est perfectum incausatum, *et absolute ingenitum, et semper ens, et ipsum perfectum ens, et id ipsum ens per se ipsum, et a se ipso uniformiter et æquiformiter segregatum*, id est æqualiter ab omnibus distinctum ac separatum, *et id ipsum ex se ipso omnibus participare opportunis superillucens*, id est, desuper infulgens, et radios suæ lucis ac bonitatis infundens seu influens, his quæ opportuna (id est apta) sunt ipsum sic participare.

Et altera alteris componens : ut elementa in mixto, formam materiamque in composito ; *magnitudo et causa naturalis immutabilis societatis* entium ordinis universi ac civium supernorum, faciens concordiam in sublimibus suis ; *in se ipso et contraria*, id est, opposita in se causaliter continens, *similiter supereminens secundum unam et singularem totius natura-*

Job XXV, 2.

lis immutabilis societatis supereminentem causam, id est, cunctis et singulis dignior, ratione hac generali, quia universorum est causa.

Alterum autem, quoniam omnibus provide Deus adest, id est, Deus item designatur hoc nomine, alter, seu « alterum », quia « omnibus » providentialiter « adest », *et omnia in omnibus propter omnium salutem fit*, id est, propter universorum conservationem ipse « in omnibus » est « omnia » causaliter, cuncta causando, B manutenendo et includendo, *quoddam ens ex se ipso*, non participatum, nec causatum ab alio, *et propria naturali immutabilitate inconversibiliter per operationem unam et incessabilem stans*. Quæ operatio activa in Deo, est ipsemet Deus operans. Veruntamen multæ operationes in Deo esse dicuntur per comparationem ad diversos terminos et effectus, puta creatio, gubernatio, providentia, conservatio : quæ omnes in Deo sunt una essentia ejus.

Et se ipsum porrigens creaturis ad benefaciendum et auxiliandum (juxta illud C *Job xiv, 15* Job : Operi manuum tuarum porriges dexteram), *inflexibili virtute, ad deificationem conversorum*, id est ad assimilandum sibi eos qui convertuntur ad ipsum, *et alteritatem variarum Dei figurarum*, id est ad ostendendum multiplicem repræsentationem Dei in suis effectibus, *per multiformes visiones* in quibus apparuit, qui et in specie angelorum ac virorum quibusdam apparuit.

**visibilibus* D *Altera quædam visibilis* perlucens significare æstimandum*, id est, putandum est quod apparitio clara sensibilis qua Deus quandoque apparuit, designavit alia invisibilia mystica quædam : sicut in monte Sinai apparuit, populo circumstante. *Exod xix, 11 et seq*

Quomodo enim si animam ipsam corporali specie ratio effingeret, et partes corporales impartibili circumplasmaret : sicut videmus angelos et animas rationales, specie corporali sub lineamentis membrorum depingi, quum tamen sint spiritus incorporales, ac simplices et impartibiles quædam essentiæ; *aliter intelligeremus in ipsa circumpositas partes impartibilitati*, id est, membra illa circumposita impartibili animæ exponeremus spiritualiter, *quæ est secundum animam proprie*, id est, quæ indivisibilitas proprie convenit animæ; *et caput quidem animum, cervicem autem opinionem, ut in medio rationis et irrationabilitatis* : id est, per « caput » animæ intelligeremus vim ejus supremam, videlicet mentem seu intellectum, porro per « cervicem », quæ inter caput et pectus mediat, acciperemus « opinionem », quæ inter scientiam et solam credulitatem est media, vel inter rationem et irrationabilitatem; *pectus vero furorem*, quia in pectore fervet sanguis, *ventrem autem concupiscentiam* (unde Ecclesiasticus ait : Aufer *Eccli xxiii, 6.* a me ventris concupiscentias), *crura quoque et pedes naturam diceremus*, id est naturales vires motivas et progressivas, *partium nominibus virtutum symbolis utentes*, id est, per nomina corporalium partium seu membrorum, designantes animarum potentias, sicque « utentes nominibus partium » pro « symbolis », id est signis seu significantiis, virium.

Multo magis in omnium summa, alteritatem formarum et figurarum sacris et divinis et mysticis replicationibus solvere oportet, id est, multo plus opus est in divina natura « solvere », id est exponere, varietatem sensibilium « figurarum » atque « formarum », per replicationes, id est repetitiones et elucidationes, sacras et spirituales ac abditas.

Consilium tria corporum schemata intacto et non figurato Deo circumligavit, id est, ars pictorum Deum intangibilem et infigurabilem depinxit sub corporali et trina quantitatis continuæ dimensione. *Latitudinem quidem divinam dicendo superlatissimam in omnia Dei processionem*, id est per latitudinem illam corpoream intelligendo processionem Dei valde diffusam in omnes suos effectus; *longitudinem vero, superextentam in omnia virtutem*,

id est per longitudinem illam corporalem intelligendo omnipotentiam Dei æternam, omnibus quasi expansam et superinductam; *profunditatem autem, omnibus cognoscentibus incomprehensibilem obscuritatem*, id est per corporalem illam profunditatem seu altitudinem, intelligimus divinæ naturæ incomprehensibilitatem quæ vocatur divina caligo, imo et supereminentiam ejus supersublimem, *et ignorationem*, id est mysticam intuitionem quæ est per omnium ablationem et abnegationem de Deo; de qua plenius infra, et aliqualiter supra.

Ephes. III, 18. Denique tria hæc tangit Apostolus: Ut possitis, inquiens, cum omnibus sanctis comprehendere quæ sit longitudo et latitudo et profundum. Ubi per longitudinem etiam intelligitur exspectatio longanimis futurorum; per latitudinem, caritatis diffusio in exhibitione beneficiorum; per profunditatem, imperscrutabilitas divinorum judiciorum.

Sed ut nihil lateat nos ipsos ex alterarum figurarum et informium replicatione, id est, non ignoremus significationem sensibilium « figurarum » et replicationem « informium », id est expositionem illarum per spirituales et mysticos intellectus, *eas quidem incorporales divinas manifestationes*, id est spiritualia nomina Dei, quæ proprie ei conveniunt, *his quæ sunt per symbola sensibilia commiscentes*, id est intermiscendo nominibus istis dictis de Deo metaphorice, id est per similitudinem quamdam, non per proprietatem et veritatem; *propterea de his quidem*, scilicet symbolicis et metaphoricis Dei nominibus, *in Symbolica theologia dicetur**, id est in tractatu et libro sic intitulato, quem non habemus translatum. Juxta quem modum Deus vocatur agnus, leo, vitis, unicornis, etc.

* alias est dictum

Nunc vero hic divinam alteritatem, non alienationem quamdam superinconversibilis immutabilisque naturalis societatis suspicabimur, id est, hoc loco putabimus quod alteritas illa divina et significatio Dei per figurationes corporeas, non designet aliquam « alienationem » aut recessum a sua inconversibili et invariabili identitate et societate supersanctæ Trinitatis ad invicem et cum Sanctis, *sed singulare ipsius multiplex*, id est simplicem et unicam ejus naturam in efficacia multiformem et in operibus variam, *et uniformes in omnia multæ fecunditatis processus*, id est progressiones valde fecundas, ex parte Dei « uniformes », in universos ipsius effectus.

ARTICULUS LXXXVIII

QUOMODO SIMILIS AUT DISSIMILIS NOMINETUR DEUS.

DEINDE prosequitur quomodo Deus nominetur similis.

Similem autem Deum si quidem unum et id ipsum dixerit quis, id est, « si » aliquis vocet « Deum similem » tanquam quid « unum », simplex et invariabile, *sicut totum per totum in se ipso singulariter et impartibile existentem similem*, id est, tanquam in omni sua dispositione, proprietate et habitudine, eodem modo se habentem indivisibiliter ac unice, et in nullo diversificatum aut mutatum a se ipso; *non spernendum nobilissimis** *divinum vocabulum*, id est, nomen istud sic sumptum et Deo sic attributum, non est indignum « nobilissimis » Dei nominibus sociari.

* nobis similis

Theologi autem super omnia Deum, ut

ipse est, nulli aiunt esse similem, id est, « Deum super omnia » exsistentem, affirmant non « esse » alicui « similem » creaturæ, quamvis quædam creata dicantur ei similia : quia ut habitum est, inter causam et effectum, præsertim inter Creatorem et creaturam, non admittitur correlatio talis utrinque ; *ipsum vero similitudinem venatricem donare ad se conversis*, id est, dicunt quod Deus dat conversis ad se similitudinem imitativam et coaptativam ad ipsum, qua gratiam ejus adipiscuntur et gloriam, *ea secundum virtutem mediam eorum quæ sunt super omnem et visionem et rationem*, id est, illa convertendo ad se « secundum virtutem » intellectualem, quæ media est inter ipsos et inter divina, quæ omnem contemplationem et rationem transcendunt. Aliæ translationes planius habent : Ipsum vero divinam similitudinem largiri dicunt his qui ad ipsum convertuntur, eum imitando pro viribus, qui est super omnem definitionem ac rationem.

Et est divinæ similitudinis virtus, id est, hæc est potestas, proprietas seu actus « similitudinis » quam habet rationalis creatura ad Deum, *advenientia omnia ad causale convertens*, id est, omnia quæ creata sunt, et quæ rationali accidunt creaturæ, ad Deum reducens, atque ad ejus honorem et gloriam referens. *Hæc ergo** *dicendum similia Deo*, id est, ista ad Deum sic conversiva, potissime per divinorum notitiam et amorem, censenda sunt Deo esse similia, *et secundum divinam imaginem et similitudinem* producta, juxta illud : Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram. Quæ verba a Magistro Sententiarum, libro secundo, optime exponuntur. *Non enim ipsum Deum similem*, id est, non dicimus quod Deus sit similis ipsis, *quia neque homo propriæ imagini similis*, id est, homo non perhibetur similis imagini ipsum imitanti.

* igitur

Gen. i, 26.

*Quæ** *æque potentibus enim possibile esse similia*, id est, illa quæ in coordinatis et æqualibus queunt sibi invicem esse similia, quæ scilicet coordinata et æqualia sunt, *hæc inter se esse et converti in alterutra similitudine, et esse ambo sibi invicem similia secundum præcedentem similis speciem*, id est, mutua similitudine possunt invicem referri, « et esse » vere « similia » secundum formam similitudinis alicujus præcellentis ac præcedentis. *In causali enim et causativis*, id est inter causas et causata, *non recipimus reciprocationem*, id est, non admittimus talem correlationem et reconversionem. *Non enim solum his aut his simile esse donatur*, id est, Deus non solum præstat quibusdam simile esse ; *omnibus autem similitudine participantibus, essendi similia Deus causa fit*, id est, universis similitudinem admittentibus Deus est « causa » et auctor quod similia sunt, *et est et ipsa per se ipsam similitudinis substitutrix, et in omnibus simile vestigio quodam divinæ similitudinis simile est*, id est, quod in omnibus invenitur aliqua similitudo, « est vestigio quodam divinæ similitudinis simile », id est, ex quadam obscura et imperfecta participatione contingit, qua omnia in aliquo imitantur et repræsentant primæ causæ perfectionem seu bonitatem ; *et unitatem eorum complet*, id est, Deus complet unionem et imitationem ipsorum, in qua ipsorum similitudo fundatur.

* In

Et quid oportet de hoc dicere? id est, quid opus est ista diffusius humana argumentatione probare ? *Ipsa enim Theologia*, id est sacra Scriptura, cujus auctoritas major est omni naturali et humana ratione, quum innitatur et fulciatur revelatione divina, *dissimilem eum esse præcipit*, id est, docet ac jubet ut Deum dicamus cunctis dissimilem, *et omnibus incompactum*, id est improportionatum et incoordinatum, *ut omnibus alterum*, id est tanquam a cunctis diversum ; *et quod est mirabilius, quia nihil esse simile ei dicit*. Unde apud Isaiam dicitur : Cui similem fecistis Deum ? aut quam imaginem Is. xl, 18

Is. XL, 25. potentia ei? Et rursus: Cui adæquastis et A similem me fecistis? dicit Dominus?

Et quidem non est contraria ratio ad ipsam similitudinem, id est, non est rationabilis causa cur creatura non possit dici similis Deo, nisi simile capiatur pro Ps. LXXXV, 8. æquali, ut in Psalmo: Non est similis tui in diis, Domine. Et in Jeremia dicitur: Jer. XLIX, 19. Quis similis mei? et quis sustinebit me? Exod. XV, 11. Et in Exodo: Quis similis tui in fortibus, Domine? quis similis tui? *Eadem enim et similia Deo, et dissimilia*: quia partim sunt ei similia, et partim (imo multo B plus) dissimilia. Nam et communiter dicitur, quod omne simile est dissimile. Si namque esset alicui in omnibus simile, esset potius idem quam simile, sumendo simile satis extense. *Illud quidem, secundum acceptam ipsius inimitabilis imitationem*, id est, aliquid dicitur simile inimitabili Deo, in quantum unitatur atque participat aliquid divinæ perfectionis seu bonitatis; *hoc vero, secundum distantiam causatorum a causali*, id est, dissimile Deo est per « distantiam » et defectum quibus causata distant et deficiunt a propriis causis, et maxime a prima causa, a qua distant *mensuris multis et incomparabilibus*, id est per gradus innumeros.

ARTICULUS LXXXIX

DE DIVINA STATIONE, MOTIONE, ET ÆQUALITATE.

* est R*ELIQUUM autem est* de divino statu* C *seu sede dicamus*, id est, superest nunc aliquid dicere, qualiter Deo conveniat stare, sedere, quiescere.

Quid autem aliud, præter manere ipsum in se ipso Deum, id est, « quid aliud » designat sessio Dei, quam « ipsum Deum in se ipso » persistere ac « manere », *et immobili naturali immutabilitate omnimode fixum esse*, id est stabilem invariabilemque consistere, *et supercollocari secundum eadem*, id est per eamdem suam invariabilitatem cunctis esse eminentio- D rem ac præsidentem, *et circa id ipsum et similiter operari*, id est agere uniformiter, quantum est ex parte ipsius, et circa se ipsum, id est per indistantiam a se ipso, ita quod objecta seu termini ad quos et circa quos operationes suæ extenduntur et versantur, infra et intra suam immensitatem continentur, *et secundum stabilitatem ipsum ex se ipso omnino subsistere*, id est Deum ipsum juxta suam quietissimam invariabilitatem, « ex se », id est non ab aliquo alio, esse ac permanere, *et secundum id ipsum intransmutabilem et universaliter immutabilem, et hoc superessentialiter*, id est super omnem naturam ac ordinem rerum?

Etenim ipse est omnium stationis et ædificationis causalis, id est, Deus est causale principium stationis et fixionis atque profectus « omnium » entium, *qui est super omnem ædificationem et stationem, et in se ipso omnia constituit*, id est, in sua infinitate cuncta locavit et comprehendit creata, « in se » quoque, tanquam in omnium summo ac ultimo fine, et item in sua potestate ac ditione, *et* propriorum bonorum statione, immobilia et custodita*, id est, omnipotenti quiete possessionis suarum æternalium divitiarum, concessit quibusdam creatis habere « immobilia » et secura dona ab ipso. * ex

Quid autem, supple, designat, *et quum iterum theologi et in omnia provenientem et mutabilem dicunt immutabilem*, id est,

quum Sancti in Scripturis affirmant Deum A ad cuncta procedere, et illa ei adscribunt quæ motum et mutationem includunt, ut irasci, furere, pœnitere, placari? *Nonne divinitus et hoc intelligendum?* id est, utique hoc intelligendum est pie et sobrie, prout congruit Deitati.

Moveri enim ipsum pie arbitrandum, non secundum delationem, id est non per deportationem de loco ad locum, *aut alienationem, aut alternationem*, id est alterationem aut agitationem, *aut conversionem*, alicujus in ipsum, vel econtra; *aut* B *localem motum, non rectum, non circulariter ferentem, non ex ambobus*, id est non secundum aliquam speciem motus localis, nec motu vertiginis; nec etiam motu spirituali, ut subditur: *non intelligibilem, non animalem, non naturalem*, sicut gravia et levia. *Sed in essentiam ducere Deum*, id est, per motum Dei significant, quod ipse alia producit ad esse, *et* ipsum *continere omnia, et universaliter omnibus providere, et adesse omnibus omnium immensurabili circumstantia*, id C est circumitione cunctis hominibus imperscrutabili, *et in existentia omnia providis processionibus et operationibus* proficisci.

Sed et motus Dei immutabilis, divinitus ratione laudare concedendum, id est, permittendum, imo et instigandum est « laudare motus » ipsos invariabilis « Dei, divinitus », id est, prout decet hoc fieri circa Deum, « ratione », id est rationabili ac devota consideratione. *Et rectus quidem, inflexibilis intelligendus et irrevo-* D *cabilis processio operationum, et ex ipso omnium generatio*: id est, motus « rectus » in Deo « intelligendus » est esse « processio » seu derivatio omnium rerum « inflexibilis », et in directum quasi linealiter transiens, ex ipso, « irrevocabilis », id est a nullo impedibilis, et ab ipso irrevocabiliter præordinata; « generatio » quoque, id est productio, universorum ab « ipso », juxta illud in Genesi: Istæ sunt
Gen. II, 4. generationes cœli et terræ.

Helicoides vero, id est obliquus motus, stateralis processio et fertilis status, id est progressio flexuosa et stabilis fecundusque status, secundum quod procedit per multiplicationem individuorum ex se invicem et permanentiam eorumdem quantum ad esse perpetuum in perduratione specifica.

Quod autem secundum cyclum, id est motum orbicularem seu circularem, *id ipsum et media et extrema continens*, id est, dico divinam identitatem, quæ continet et conservat « media et extrema », id est causas et causata, *quæ continent continenda* *, id est, se invicem ambiunt et ambiuntur, et circumdant et circumdantur, secundum quod habent aliæ translationes: nam causæ ambiunt causata, sua virtute hæc conservando, et sic ambiuntur et circumdantur ipsa causata; *et in id ipsum ab ipso provenientium conversio*, id est, reductio qua primum principium convertit et reducit ad se ea quæ ab ipso procedunt. Hinc in Elementatione theologica, theoremate vicesimo tertio, ait Proclus: Omne procedens ab aliquo et conversum in illud, circularem habet operationem.

* *et continenda continere*

Deinde tangitur quomodo Deus significatur isto nomine, æquale.

Si quis autem similiter in Eloquiis ipsam justitiæ divinam nominationem in æquo accipiat, id est, si aliquis significet in Scripturis justitiam Dei nomine æquitatis, *dicendum æquum Deum*, id est Deum esse justum sive æqualem, *non solum ut non partitum et irreprehensibilem*, id est, non tantum per hoc quod non est divisus, nec in aliquo reprehensibiliter agens, sed unus et simplex, recteque agens. Unde subjungitur:

Sed etiam ut in omnia et per omnia ex æquitate pervenientem, id est, cunctis ut decet vel justitia exigit, influentem et bona præstantem, *et ut per se ipsam æqualitatis substitutorem*, id est, æquum et justum dicendum eum etiam

ut primam causam institutricem æquitatis totius, *justa quasi justitiæ causam, æque*, id est juste seu condecenter, *operatur per se ipsam omnium similem capacitatem, et accipientium ex æquitate participationem*; id est, æquitas Dei « per se » ipsam instituit et donavit « capacitatem » universorum in genere « similem », quoniam unicuique impressit naturalem capacitatem secundum suam specificam dignitatem; sic quoque operatus est et donavit « participationem », id est munera participata, recipientium illa a superioribus « ex æquitate », *secundum singulorum opportunitatem et æqualitatem*, id est dispositionem, aptitudinem, seu merita eorumdem, *secundum dignitatem in omnia distributum donum*, id est, participantium « donum » superioris « distributum » et effusum « in omnia » inferiora secundum dignitatem ipsorum.

Et per omnia æqualitatem, invisibilem, intellectualem, rationalem, sensualem, essentialem, naturalem, voluntariam, excellenter et universaliter in se ipso anticipando, id est, « in se ipso » æternaliter præhabendo et virtualiter ac idealiter includendo omnino omnem « æqualitatem » creatam, spiritualem, « intellectualem, rationalem », sensitivam, « voluntariam », etc., *secundum super omnia totius æqualitatis factricem virtutem*, id est suam fontalem omnipotentiam, qua causavit, instituit et distinxit universorum æqualitates, æquitates, justitias, dignitates et capacitates.

TRANSLATIO MARSILII FICINI

QUONIAM vero magnum et parvum causæ omnium attribuitur, idem quoque et alterum, simile rursus atque dissimile, status quin etiam atque motus; age, et hæc divinarum appellationum signa, quotcumque nobis perspicua fuerint, contemplemur. Deus igitur magnus in sacris Eloquiis celebratur atque in magnitudine, et in aura tenui divinam parvitatem significante. Dicitur quoque idem, quando sacræ Scripturæ dicunt, Tu autem idem ipse es; prædicatur item ut alter, quando a Scripturis sacris multis figuris formisque fingitur. Præterea celebratur ut similis, tanquam similium et similitudinis auctor, rursus ut dissimilis omnibus, quippe quum nullus sit illi similis; denique ut stans et immobilis atque sedens in æternum, vicissimque mobilis, ut qui per omnia sese conferat: et quotcumque aliæ divinæ appellationes tantumdem valentes a sacris Eloquiis celebrantur.

Psalm. 1 — III Reg. xix, 12 — Ps. ci, 28

Deus itaque magnus appellatur juxta propriam ipsius magnitudinem, quæ magnis omnibus participationem sui tribuit, et extrinsecus super omnem magnitudinem se diffundit atque protendit, locum omnem complectitur, omnem numerum superat, omnem transcendit infinitatem. Magnus quoque dicitur per virtutem suam exuberantem atque magnificam, perque ipsius dona velut e fonte manantia, quatenus hæc ab omnibus sumpta per infinitam munerum profusionem, prorsus absque diminutione perdurant, eamdemque servant plenitudinis exuberantiam, neque largitionibus minuuntur, sed magis etiam atque magis exundant. Magnitudo hæc et infinita est, atque quantitate caret et numero; atque hoc est excessus ipse juxta absolutam superneque se protendentem incomprehensibilis amplitudinis ipsius naturam. — Parvum vero vel tenue in Deo dicitur, quod universam molem atque distantiam supergreditur, quodve

nullo impediente per omnia transit. Jam vero quod parvum est, elementalem habet ad omnia rationem : nusquam enim invenies non participatam ideam parvi. Sic igitur penes Deum accipiendum est quod appellatur parvum, tanquam in omnia et per omnia, nullo resistente, pergens atque agens, atque profecto pertingens usque ad divisionem animæ et corporis, compagum quoque et medullarum, discretor intentionum et cogitationum cordis, imo vero discretor omnium : non enim est creatura invisibilis in conspectu ejus. Hoc utique parvum sine quantitate et numerali qualitate est, nusquam etiam cohibetur, infinitum interminatumque est, comprehendens omnia, ipsum vero prorsus incomprehensibile.

Hebr. IV, 12.

Ibid. 13

Dicitur præterea Deus idem, quoniam super essentiæ modum est sempiternus, inconversibilis, in se ipso manens, semper secundum eadem et eodem modo se habens, omnibus eodem modo præsens, ipse secundum se ipsum et in se ipso firmiter et intemerate in pulcherrimis superessentialis identitatis finibus collocatus ; immutabilis, casui nusquam obnoxius, indeclinabilis, invariabilis, impermixtus, immaterialis, simplicissimus, nullius indigus ; et quoniam augeri minuique non potest ; et quoniam est ingenitus : non quasi nondum genitus, vel quasi nondum absolutus, seu quasi ab hoc quidem non genitus, sed ab ævo, sive quasi non sit genitus secundum hoc, sed secundum aliquid aliud, seu quasi nullo modo sit quidquam ; sed ingenitum appellatur tanquam super omne quod ingenitum dici potest, et tanquam ingenitum absolute semperque exsistens, et ex se ipso perfectum, idemque exsistens per se ipsum, et ex se ipso uniformiter eademque ratione determinatum ; omnibus participare potentibus ipsum idem ex se ipso tradens, et alia connectens aliis, copia identitatis et causa : in se ipso quin etiam contraria eodem modo anticipans per unam unificamque totius identitatis causam eminentem. — Alterum vero Deus dicitur, quoniam Deus providenter omnibus adest, omniaque propter omnium salutem evadit, in omnibus manens, interim in se ipso et in sua identitate firmus per actionem unam indeficientemque consistens, atque se ipsum indeclinabili potestate tradens, ad eos qui in se ipsum conversi sunt, divinitate donandos. Præterea putandum est alteritatem variarum Dei per multiformes visiones figurarum, alia quædam per ea quæ videntur, præter id quod apparet, significare. Profecto, si animam corporali specie vellemus effingere, membraque corporea animæ individuæ adhibere, alia certe ratione cogitaremus in ea partes obductas, quatenus videlicet naturæ ipsius individuæ competit ; et caput quidem intellectum, cervicem vero opinionem, tanquam rationalis et irrationalis potentiæ mediam, pectus autem iram, ventrem vero concupiscentiam, crura denique pedesque naturam nominaremus, nominibus partium pro quibusdam virium signis utentes. Simili ratione multoque magis in eo qui omnia supereminet, formarum figurarumque diversitatem piis Deoque dignis mysticisque interpretationibus purgare debemus. Præterea, si velis triplices corporum figuras, ei qui tactum figuramque refugit, Deo accommodare : latitudo quidem divina dicenda est, amplissima per omnia processio Dei ; longitudo vero, potestas desuper tota quælibet penetrans ; profundum denique, incomprehensibile secretum illud ac prorsus ignotum. Verum ne forte dum variis figuris formisque explicandis insistimus, imprudentes interim incorporeas divinorum appellationes, signorum sensibilium appellationibus confundamus, de his in Theologia significativa jam diximus. Nunc autem divinam alteritatem, non mutationem aliquam identitatis illius inconversibilis suspicemur, sed singularem ipsius multiplicationem, atque uniformes per omnia fecunditatis divinæ processus.

Si quis Deum ita similem dixerit ut idem, tanquam totum per omnia sibi firmiter et individue similem ; spernenda non erit ejusmodi in Deo ipsius similis appellatio.

Theologi vero eum qui est super omnia, Deum (qua ratione est ipse) nulli similem esse aiunt, sed divinam largiri similitudinem omnibus ad ipsum conversis divina pro viribus imitatione; ad ipsum, inquam, omni termino rationeque superiorem. Est autem similitudinis divinæ virtus, quæ cuncta producta divinitus convertit ad causam. Hæc igitur dicenda sunt similia Deo atque ad divinam imaginem similitudinemque expressa. Neque tamen illis similem fas est Deum dicere, quia nec homo quidem est imagini sui similis. Ea sane quæ eadem in ordine congruunt, possunt invicem similia dici, ut similitudo vicissim convertatur utrinque, ut sint invicem ambo similia secundum principalem similis ipsius speciem; ubi vero hoc quidem est causa, illa vero hinc effecta sunt, conversionem nullam admittimus. Deus enim non his solis aut illis proprie ut sint similia donat; sed omnibus similitudinem participantibus causa Deus ipse est ut invicem sint similia, imo et ipse est ipsius per se similitudinis auctor; quodve in quibuslibet simile est, vestigio quodam similitudinis divinæ fit simile, unionemque eorum ipse complet. — Sed quidnam ultra loqui de hoc oportet? Ipsa nempe Theologia Deum esse ipsum dissimilem prædicat, neque ordinem ullum cum ullis habere, ut ab omnibus alterum. Et quod est profecto mirabilius, nihil Deo simile esse ait. Neque sermo hic adversatur similitudini rerum ad Deum jam prædictæ. Eadem enim Deo similia sunt atque dissimilia: similia quidem, quoniam Deum imparticipabilem pro modo suo percipiunt, et illum qui omnem imitationem refugit, pro viribus imitantur; dissimilia rursus, quoniam tanquam inde creata deficiunt, intervallisque infinitis incomparabilibusque inde distant.

Quid autem de statu divino vel sede dicemus? quid ergo? nisi quod Deus in se ipso permanet in sua immobili identitate firmiter et accommodatissime collocatus, et quoniam secundum eadem et circa idem eodemque modo semper agit, nunquam ex se ipso migrans vel quomodocunque motus; atque hæc quidem ratione quadam habet super essentiam. Ipse enim est omnium status et firmitatis auctor, qui super omnem sedem statumque exsistit; atque in ipso consistunt omnia, et inde a bonorum suorum statu inconmota servantur. — Quid autem quando rursus hunc ad omnia procedere theologi tradunt, et moveri eum qui est immobilis? Nonne et hoc qua ratione Deo dignum est interpretari decet? Moveri enim Deum pie judicandum est, non per corruptionem, aut alterationem, aut variationem, aut versionem modumve aliquem; vel localem motum, non rectum, non circularem, non ex utrisque commixtum; non intelligibilem, non animalem, non naturalem: sed quia Deus ad essentiam cuncta perducit et continet, omnibus modis providet omnibus, cunctis adest, comprehendens omnia, ab omnibus interim penitus absolutus, providentissimis per omnia processibus actionibusque cuncta ubique dispensans. Sed et immobilis Dei motus, ut Deum decet, permittendum est celebrare; et rectum quidem motum intelligere decet in Deo indeclinabilem potestatem, processumque actionum nusquam deflexum, omniumque generationem ex eo constanter effectam; obliquum vero vel flexuosum, stabilem inde processum statumque fecundum; circularem denique motum, identitatem ipsam, et quia media atque extrema, quæ continent et quæ continentur, ipse complectitur, et quoniam quæcunque ab ipso processerunt, ad se convertit. — Si quis autem identitatis (in divinis Eloquiis) vel justitiæ divinam appellationem accipiat pro æquali, dicendum est æqualem esse Deum, non modo tanquam individuum et nusquam declinantem, sed quoniam ad omnia atque per omnia æque pergit. Ipsius per se æqualitatis est auctor, per quam Deus æqualiter efficit ut cuncta simili quadam vicissitudine in se commigrent, et quæ participant, æqua conditione participent, pro cujusque videlicet facultate, et æque pro dignitate ad omnia distributio fiat. Denique ipsum æquale Deus dicitur, quoniam om-

nium æqualitatem, intelligibilem, intellectualem, rationalem, sensualem, essentialem, naturalem, voluntariam, eminenter et unice in se ipso prorsus anticipavit per virtutem omnis æqualitatis effectricem omnibus eminentem.

PARAPHRASIS ABBATIS VERCELLENSIS

TRACTEMUS deinceps quare attribuitur A Deo esse magnum aut parvum, eumdem et alterum, similem et dissimilem, stantem et motum, et æqualem. Magnitudo siquidem Deo *Ps.* XLVII, 2, XCV, 4, CXLIV, 3 attribuitur, ut in Psalmo, Magnus Dominus et laudabilis nimis; et parvitas, ut in libro Re- *III Reg.* XIX, 12 gum, ubi dicitur apparere in sibilo auræ tenuis: identitas, ut in Psalmo, Tu autem idem *Ps.* CI, 28 ipse es; alteritas, quum variis figuris descri- *Malach.* IV, 2; *Apoc.* XXII, 16; V, 5 bitur, ut solis justitiæ, stellæ, leonis, et similium: similitudo, eo quod similia omnia et omnem similitudinem operetur; dissimilitudo, eo quod nihil in creaturis sit ei simile: statio, immobilitas, sessio in sæcula; motus, in eo quod ad omnia procedat sui participa- *Sap.* VII, 24 tione, ut ibi: Omnibus mobilibus mobilior est sapientia. Et sic de aliis nominibus quæ æquipollent istis et attribuuntur Deo in Scripturis.

Magnus ergo dicitur Deus, quia magnitudinem suam omnibus tradit participatione, et est æternaliter magnus; et ejus magnitudo extra et supra omnem magnitudinem est superfusa et superextenta, continens omnem locum, et supergrediens omnem numerum, transiens omnem infinitatem; et superplenitudo ipsius et magnificentia et fontana dona, C in quantum ipse ab omnibus participatur, secundum effusionem omnino sunt non minorata, et habent eamdem superplenitudinem, et non minorantur participationibus sed potius supereffluunt. Hæc autem magnitudo infinita est, et sine quantitate continua et discreta; et hic est excessus secundum absolutam et superextentam effusionem infinitæ magnitudinis acceptæ. — Parvitas autem, id est subtilitas, Deo attribuitur, quia ipse excedit omne pondus, et sine prohibitione per omnia vadit: sed et parvitas causa est omnium, quia nihil est quod ea non participet aliquo modo. Ita D ergo accipienda est in Deo parvitas ut significetur Deus per omnia sine impedimento vadens et operans, et pertingens usque ad di- *Hebr.* IV, 12 visionem animæ et corporis compagumque et medullarum, et intentionum cordis: magis autem et inter omnia exsistentia non est ali- *Ibid.* 13 qua creatura occulta in conspectu ejus. Hæc parvitas caret quantitate tam continua quam discreta, neque valet teneri, et est sine termino et sine definitione, omnium comprehensiva et ipsa omnibus est incomprehensibilis.

Deo autem attribuitur identitas supersubstantialis, æterna et inconversibilis, in se ipsa manens, semper autem secundum eadem et eodem modo se habens, omnibus eodem modo B præsens, et ipsa secundum se ipsam in se ipsa firmiter incontaminate collocata in optimis summitatibus abundantis identitatis; intransmutabilis, in oppositum non valens cadere, fortis, invariabilis, munda, immaterialis, simplicissima, nullius indigens, non augmentabilis, non minorabilis; ingenita, non quasi adhuc generanda vel perficienda, sed simpliciter non aliunde causata, et absolute ingenita, et superexsistens, et semper per se perfecta, et eadem exsistens secundum se ipsam, et a se ipsa uniformiter et intransformabiliter determinata et eadem ex eodem supersplendens omnibus convenientibus ad participandum ipsa; et est abundantia a variis coordinatis varie communicata ipsis omnibus tamen causa est identitatis in se ipsam, et contraria eodem modo præhabet secundum unam et singularem totius identitatis excedentem causam. — Alteritas autem Deo attribuitur, quia ipse per provisionem adest omnibus, et est omnia in omnibus propter omnium salvationem, manens tamen in se ipso propria identitate et inegressibiliter stans secundum unum et incessabilem operationem et se ipsum donans inflexibili virtute ad deificationem ad se conversorum. Alteritas autem variarum figurarum quæ secundum multiformes visiones in Scripturis Deo attribuitur, et alia signat

quam litteræ forma prætendat. Sicut si aliquis vellet attribuere animæ compositionem partium vel quasi compositionem, per quam naturæ suæ simplicis proprietatem verbis humanis declararet, longe aliter oporteret intelligere nomina partium animæ, quam partium corporis: verbi gratia, caput animæ intellectum, collum opinionem, quæ collocatur inter rationem et irrationabilitatem, pectus autem furorem, ventrem concupiscentiam, crura et pedes, quibus totum corpus innititur, ipsam animæ naturam. Quanto ergo per nomina partium corporis in anima designamus varias suæ potentias, multo magis convenit purgare mentem a formis creatis et compositis in mundis et mysteriis supermundanis et Deo convenientibus, quando in Scripturis attribuitur alteritas formarum et figurarum Deo, qui est super omnia. Quum autem Apostolus attribuit Deo impassibili * et infigurabili triplicem corporis dimensionem, scilicet latitudinem, longitudinem et profunditatem: latitudo divina intelligenda est superlatus Dei processus ad omnia; longitudo vero virtus ejus extenta super omnia; profunditas autem incomprehensibilitas ejus omnibus existentibus occulta et ignota. Sed ut clarius pateat reseratio figurarum et formarum, quando in Scripturis incorporales alteritates et Dei nominationes designantur per signa sensibilia, ideo de talibus latius tractavimus in libro de Symbolica theologia. Nunc autem in divina alteritate nemo suspicetur variationem aliquam suæ superinconvertibilis identitatis, sed intelligat unitivam ipsius multiplicem formationem, et multos divinæ fecunditatis uniformes processus ad omnia.

Ephes. III, 18. * impalpabili

Si quis autem attribuat Deo similitudinem in eo quod ipse idem secundum omnia sua invisibilia sibi ipsi singulariter et indivisibiliter similis est, id est in eo quod omnia invisibilia sua similia sunt et conformia, imo vere et summe unum et idem sunt, nos hanc rationem non reprobamus. Theologi autem dicunt Deum, qui est super omnia, nulli esse similem, sed dare similitudinem suam his qui secundum imitationem virtutis, pro posse convertuntur ad ipsum existentem super omnem definitionem et rationem. Virtus autem divinæ similitudinis est, quæ omnia ad ipsum tendentia ad primam causam convertit. Talia ergo dicenda sunt Deo esse similia secundum divinam imaginem et assimilationem. Neque enim dicimus Deum esse ipsius esse similem, sicut usque proprie dicitur quod homo sit similis suæ imagini. Siquidem coordinata possunt esse et dici sibi invicem similia, et convertere se ad mutuam similitudinem, et esse utraque sibi invicem similia secundum speciem præcedentem. In causa autem et suis causatis non recipitur ista conversio. Divina enim similitudo non tantum istis aut illis aut aliquibus personaliter vel præcise conceditur, sed omnibus divinam similitudinem participantibus Deus causa est ut ipsa sint ei similia, et est substantificator ipsius similitudinis et quidquid est alii simile, hoc est ex quodam vestigio similitudinis divinæ, et ipsa complet ipsorum conjunctionem. — Et quid necesse est hæc omnia prædicta discutere? Ipsa enim Theologia prædicat Deum esse dissimilem omnibus et nulli coordinatum, sicut ab omnibus alterum; et quod inopinabilius videtur, nihil Deo esse simile dicit. Sed hoc non est contrarium ei quod diximus aliqua Deo assimilari. Eadem enim uno modo Deo sunt similia secundum qualemcumque ipsius imitationem, et dissimilia secundum quod ipse causa est et illa sunt causata, et in infinitum et incomparabiliter ab eo differentia.

Statio autem vel sessio divina, signat quod Deus in se ipso manet singulariter fixus immobili identitate et supercollocatur, et quod secundum eadem et circa idem et eodem modo operatur: et secundum quod ipse omnino intransmutabilis est ex se ipso, et quod non potest moveri in contrarium, et omnino est immobilis (et hoc totum supersubstantialiter), hac prædicta statione et sessione designatur, quia stans vel sedens in eodem loco uniformiter manet. Deus etiam est causa stationis et sessionis omnium quæ est super omnem stationem et sessionem, et in ipsa cuncta consistunt ex statione et immota custodia propriorum bonorum. — Quod autem rursus theologi Deum immobilem dicunt ad omnia procedere et moveri, hoc ut Deum decet intelligendum est. Non enim movetur Deus per portationem, aut immutationem, aut alterationem formalem; aut localem motum, rectum vel circularem, aut mixtum ex ambobus, aut per motum intelligibilem, aut animalem aut naturalem: sed moveri dicitur eo quod omnia ad esse deducat et contineat, et universaliter omnibus omnia provideat, et eo quod adsit omnibus, omnia circumeundo, et ad omnia existen-

tia provisivis operationibus procedendo. Motus A etiam immobilis Dei, secundum quod Deum decet, sermone laudari permittitur : et attribuitur ei motus rectus, secundum indeclinabilem et inflexibilem processum operationum ejus, et generationem omnium ex ipso ; obliquus autem, secundum stabilem processum et generativum omnium ; circularis vero, secundum identitatem media et extrema circumdantia et circumdata continentem, et secundum conversionem ad ipsum eorum quæ ab ipso processerunt. — Quum autem in Scripturis Deo vel justitiæ attribuitur æqualitas, intelligendum est Deum dici æqualem vel æquum, B non solum sicut simplicem et inflexibilem, sed sicut ad omnia et per omnia æqualiter procedentem, et ipsius per se æqualitatis substantificatorem, secundum quam operatur per omnia similem illorum ad invicem promotionem et suscipientium æqualem participationem secundum singulorum opportunitatem, et æqualem secundum quod dignum est omnibus distributam donationem. Dicitur etiam Deus æqualis, secundum quod ipse omnem æqualitatem, intelligibilem, et intellectualem, et rationalem, et sensibilem, et substantialem, et naturalem, et voluntariam, in se ipso præaccepit segregative et unitive, secundum virtutem effectivam omnis æqualitatis et super omnia exsistentem.

CAPITULUM X

DE OMNIPOTENTE, ANTIQUO DIERUM : IN QUO ET DE ÆTERNO ET TEMPORE.

HORA autem est sermone multivocum Deum ut omnipotentem et ut antiquum dierum laudare. Hoc quidem enim dicitur, propter quod omnium ipse sit omnipotens ædificatio continens et ambiens tota, et collocans et fundans et constringens, et infirmum in se omne perficiens, et ex se ipso omnia sicut ex radice omnia tenenti ducens, et in se ipsam omnia velut in consultum omnipotentissimum convertens ; et continens omnia, ut omnium ædificatio omnipotens, comprehensa omnia secundum unam superantem omnia continentiam muniens, et non sinens ea cadentia se ipsa, ut ex perfectissima refectione mutata, perire. Dicitur autem omnipotens Thearchia, et ut omnium potens, et pure ministrantibus præstans ; et ut omnibus præcepit, amabilis est, immittens omnibus voluntarias copulationes, et dulces partus divini et omnipotentis et innumerabilis * bonitatis ipsius amoris. — Dierum autem antiquus laudatur Deus, propter hoc quod omnium ipse sit et æternum et tempus, et ante dies, et ante æternum, et ante tempus. Et quidem tempus, et diem, et spatium temporis, et æternum, divinitus eum esse dicendum, ut exsistentem secundum omnem motum intransmutabilem et immobilem, et in semper movendo manentem ex se ipso, et ut æterni et temporis et dierum causalem. Proinde et in sacris mysticarum visionum theophaniis, et vetus et novus formatur : seniore quidem, antiquum et exsistentem a principio ; juniore vero, non senescentem significante, clarissime a principio per omnia usque ad finem eum provenire docente. Aut ut divinus noster sacer perfector

* immaterialis

Dan. VII, 9.

sit, utroque antiquitatem divinam declarante : seniore quidem, quod primum in tempore ; juniore vero, quod secundum numerum est antiquius, habente, quoniam unitas et ea quæ sunt circa unitatem, in multum progredientium numerorum antiquior.

Oportet autem, ut arbitror, et temporis et æterni naturam ex Eloquiis scire. Etenim non quæ sunt omnino et absolute ingenita et vere æterna, ubique aiunt æterna, et incorruptibilia, et immortalia, et immobilia, et exsistentia similiter, et habentia se eodem modo ; quomodo exsistentia dicta sunt portæ æternales, et similia. Sæpe autem et antiquissima, æterni cognominatione characterizant. Et totum iterum est quando secundum nos temporis statum, æternum appellant, quantum proprietas æterni est, antiquum et immutabile et universale esse metiendo. Tempus autem vocant, in generatione et corruptione et mutabilitate, et aliud aliter habens. Proinde et nos hic secundum tempus terminatos, æterni participationem Theologia dicit, quum incorruptibile et semper sic se habens æternum intelligemus. Eloquiis vero est quando et in temporibus æternum glorificatur, et tempus æternum : etsi magis in ipsis quidem et potentius exsistentia ævo, et quæ in generatione sunt, tempore dicta et declarata sunt. Oportet itaque non simpliciter coæterna Deo, qui est ante æternum, æstimari quæ æterna dicta sunt : pretiosissima autem Eloquia inconvertibilia sequentes, æterna quidem et temporalia, secundum cognitos ipsos ad obaudiendum modos ; media vero, exsistentium et factorum quæcumque alibi quidem æternum, alibi vero tempus participant ; Deum autem et ut æternum et ut tempus laudare, et ut temporis totius et æterni causalem, et antiquum dierum, et ut ante tempus, et plus quam tempus, et moventem spatia temporum et tempora ; et iterum ante æterna subsistentem, quantum et ante æternum est et plusquam æternum, et regnum ejus regnum omnium sæculorum.

Ps. xxiii, 7, 9. — Ps. cxliv, 13.

ARTICULUS XC

EXPOSITIO INITII CAPITULI HUJUS DECIMI : UNDE DEUS DICATUR OMNIPOTENS ET ANTIQUUS DIERUM.

HORA *autem est sermone multivocum Deum ut omnipotentem et ut antiquum dierum laudare :* id est, tempus jam est post præinducta « laudare Deum multivocum », id est per multas et diversas voces ac nominationes designatum, « sermone » præsentis capituli, « ut omnipotentem » et æternum.

Hæc quidem enim dicitur, id est, Deus A certe vocatur omnipotens, *propter quod*, id est ob hoc quod, *omnium ipse sit omnipotens ædificatio*, id est ædificator, quem et Plato mundi fabricatorem appellat. De quo in Genesi legitur : Ædificavit Dominus costam quam tulerat de Adam, in mulierem. Gen. II, 22 *Continens et ambiens tota*, id est, cuncta conservans et potestative circumdans, *et collocans et fundens* *, id est,

* fundans

ex opulentiæ suæ thesauro omne creatum effundens, sicut fons rivulos, *et constringens*, id est, certis limitibus arctans ac terminans, *et infirmum in se omne perficiens*, id est, debilia roborans, *et ex se ipso omnia sicut ex radice omnia tenenti ducens*, id est, ex propria potestate, veluti « ex radice » omnia virtualiter continenti, universa producens, *et in se ipsam omnia velut in consultum omnipotentissimum convertens*, id est, in se cuncta causata reducens sicut in causale principium ac ultimum finem summe omnipotentem, securum, in quem redire consultissimum saluberrimumque consistit.

Et continens omnia, ut omnium ædificatio omnipotens, sicut expositum est, *comprehensa omnia secundum unam superantem omnia continentiam muniens*, id est, defendens et roborans « comprehensa » et producta a se, conservatione una activa efficacissima, omnibus præminente ac dominante, *et non sinens ea cadentia se ipsa, ut ex perfectissima refectione mutata, perire*, id est, non permittens illa « perire », id est annihilari, « cadentia », id est, deficientia a propriis suis subsistentiis et naturis, tanquam « mutata », id est veluti seu utpote convenienter immutata et roborata, « ex refectione perfectissima », quæ est conservatio, sustentatio et visitatio congrua Creatoris.

Dicitur autem omnipotens Thearchia, id est, potestas principalissima et divina vocatur « omnipotens », *et ut omnium potens, et pure ministrantibus præbens* *, id est, tribuens servientibus sibi sincere omne bonum quod habent, et hoc ipsum quod taliter ei obsequuntur : quia et nostra merita, ejus sunt effectus ac munera, qui operatur in nobis velle et perficere. Idcirco orat Ecclesia : Deus, de cujus munere venit ut tibi a fidelibus tuis digne et laudabiliter serviatur.

* præstans

Philipp. II, 13

Et ut omnibus præcepit, amabilis est, id est summe et incomparabiliter diligenda, secundum quod jussit se a cunctis summe amari, *immittens omnibus voluntarias copulationes*, id est spontaneas uniones, leges, communiones ac vincula diversa dilectionum, juxta illud in Osee : In funiculis Adam traham eos, in vinculis caritatis ; *et dulces partus divini et omnipotentis et innumerabilis bonitatis ipsius amoris*, id est, fructus valde suaves « amoris divini bonitatis » suæ « omnipotentis et innumerabilis », id est immensurabilis, quæ et in effectibus suis innumerabilis est, sicut et sapientiæ ejus non est finis. De hoc amore ait per Jeremiam : In caritate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miserans. De cujus fructibus ait Apostolus ad Galatas : Fructus Spiritus est caritas, gaudium, pax, etc.

Osee XI, 4

Ps. CXLVI, 5

Jer. XXXI, 3.

Galat. V, 22, 23

Deinceps tractat de æternitate. *Dierum autem antiquus laudatur Deus*, Danielis septimo, ubi narratur : Adspiciebam donec throni positi sunt, et Antiquus dierum sedit, *propter hoc quod omnium ipse sit* (vel *propter hoc quod omni tempore sit*) *et æternum et tempus, et ante dies, et ante æternum* : æternitas namque omne tempus includit et excedit ; Deus quoque est « ante æternum » participatum, id est ante ævum, *et ante tempus*.

Dan. VII, 9

Et quidem tempus, et diem, et spatium temporis, et æternum, divinitus eum esse dicendum est, juxta illud Psalmi : Priusquam montes fierent et formaretur terra et orbis, a sæculo et in sæculum tu es Deus ; *ut existentem secundum omnem motum intransmutabilem et immobilem*, ita quod nulla specie mutationis seu motionis possit moveri, loquendo de mutatione et motu proprie sumptis, ut sæpe expressum est, *et in semper movendo manentem*, id est in eadem et optima dispositione, *ex se ipso*, id est propria potestate ; *et ut æterni et temporis et dierum causalem*, id est causam.

Ps. LXXXIX, 2

Proinde et in sacris mysticarum visionum theophaniis, id est divinis apparitionibus, *et vetus et novus formatur* : id est, interdum ut antiquus (juxta illud in Daniele : Capilli ejus ut lana alba) ; novus,

Dan. VII, 9

ut quum in specie angeli apparuit atque locutus est Abrahæ in Genesi, Moysi quoque in Exodo. *Senem quidem, antiquum et veterem, a principio; juvenem vero, non senescentem significante*; id est, forma illa senili signante quod ipse Deus fuit et est ab exordio, juvenili vero similitudine designante quod nunquam senescat; *clarissime a principio per omnia usque ad finem eum procedere docente*, id est, forma illa juniori notante lucidissime, quod Deus ab initio usque in finem per suum procedit effectus.

Aut ut divinus noster sacer perfector est, videlicet Paulus aut Hierotheus, *utrumque antiquitatem divinam declarante*, id est, tam similitudine illa senili quam juvenili figurante « antiquitatem divinam », puta æternitatem : *senem quidem, quod primum in tempore*, id est, vetusta forma insinuante quod Deus alia cuncta præcessit; *juniorem vero, quod secundum numerum est antiquius, habente*, id est, apparatu juvenili monstrante quod Deus habet principalitatem et perfectionis eminentiam, *quoniam unitas et ea quæ sunt circa unitatem, in multum progredientium numerum** *antiquior*, id est principalior his quæ progressa sunt « in numerum » majorem. Hinc alia littera habet : Unum et quod uni vicinius, in longum progressis numeris et principalius et vetustius est. * numerorum

ARTICULUS XCI

DE ÆVO SEU ÆTERNITATE, ET TEMPORE.

OPORTET *autem, ut arbitror, et temporis et æterni naturam*, id est proprietatem et rationem, *ex Eloquiis scire*, id est ex Scripturis cognoscere.

Etenim non quæ sunt omnino et absolute ingenita et vere æterna, ubique aiunt æterna; id est, Scripturæ multipliciter nominant aliqua « æterna »; non enim in omni loco dicunt et vocant illa esse æterna, quæ sunt omni modo « ingenita », id est non facta et non producta, « et vere æterna », utpote *et incorruptibilia, et immortalia, et immutabilia, et existentia similiter, et habentia se indesinenter eodem modo*, *quemadmodum existentia dicta sunt*
Ps. XXIII, 7, 9. *portæ æternales*, id est, sicut quædam res exsistentes vocatæ sunt « portæ æternales » quæ non sunt incausatæ, *et similia* quædam vocantur æterna, per participationem proprietatum æternitatis : quemadmodum primo Regum fertur de David,
I Reg. XXVII, 12. Erit mihi servus in æternum; et in Psalmo, Illuminans tu mirabiliter a montibus
Ps. LXXV, 5. æternis.

Sæpe autem et antiquissima, æterni cognominatione characterizant, id est, nomine æternitatis designant : sicut in Deuteronomio, de fructibus collium æternorum; Deut. XXXIII, 15.
et in Psalmo : Cogitavi dies antiquos, et Ps. LXXVI,
annos æternos in mente habui. *Et totum* 6.
iterum est quando secundum nos temporis statum, æternum appellant, id est, rursus contingit quod universum « temporis » decursum ac fluxum vocant quid « æternum » : qui fluxus est « secundum nos », id est secundum successionem vitæ præsentis; *quantum proprietas æterni est, antiquum et immutabile et universale esse metiendo*, id est, mensurando ac reputando ea quæ sunt valde antiqua aut diuturna, seu non aut difficulter mobilia, quasi æterna et universaliter esse et semper, « quantum proprietas » veræ æternitatis permittit, id est, secundum quod magis aut minus sortita sunt proprietates veræ æternitatis, ad quam spectat sine principio durationis et absque fine ejusdem stabiliter et immutabiliter esse.

A *Tempus autem vocant, in generatione et corruptione et mutabilitate*, id est, tempus proprie sumptum dicunt locum habere in successionibus et motionibus generationis et corruptionis et alterationum. Attamen introductio atque expulsio formæ substantialis, instantaneæ asseruntur. *Et aliud aliter habens*, id est, « aliud » quodcumque, nunc et nunc « aliter » se « habens », dicunt tempori esse subjectum. *Proinde et nos hic secundum tempus terminatos, æterni participationem Theologia dicit*, id est, Scriptura dicit nos in hoc B sæculo brevi tempore victuros, participationem æternitatis habituros, *quum incorruptibile et semper sic sic se habens æternum intelligemus*, id est, quum ad claram visionem venerimus æterni et sic sic se habentis, videlicet Dei.

Eloquiis vero est quando et in temporibus æternum glorificatur, id est, in Scripturis aliquando fit quod temporale vocatur æternum, sicut jam patuit, *et* ipsum *tempus* nominatur *æternum*, dicente Baruch : Qui fundavit terram in sempiterno C tempore. (Baruch III, 32.) *Etsi magis in ipsis quidem et potentius exsistentia ævo, et quæ in generatione sunt, tempore dicta et declarata sunt*, id est, quamvis potiora et potentiora entia, quæ proprie in ævo sunt, mensurentur ævo, et quæ generationi corruptionique subjacent, magis proprie declarentur et mensurentur hoc ævo quod inter æternitatem et tempus habet se medio modo.

Oportet itaque non simpliciter coæterna Deo, qui est ante æternum, æstimari quæ æterna dicta sunt, id est, ea « quæ » D in Scriptura vocantur « æterna », participando aliqualiter proprietates veræ æternitatis, non expedit reputare « Deo coæterna, qui » Deus « est ante æternum », prout æternum pro ævo accipitur. *Pretiosissima autem Eloquia inconversibilia*, id est Scripturas dignissimas, immutabilem veritatem continentes, *sequentes, æterna quidem et temporalia, secundum cognitos ipsos ad obaudiendum modos*, id est, quædam « æterna », quædam « temporalia » nuncupamus, « secundum modos ipsos » jam declaratos, et juxta proprietates et rationes cognatas, id est connaturales eisdem; *media vero, exsistentium et factorum quæcumque*, id est, entia quæ inter æternalia et temporalia medium locum tenent, et « quæcumque » talia opera Dei, quæ *alibi quidem æternum, alibi vero tempus participant*, id est, aliquid participant de proprietatibus æternorum, et aliquid de proprietatibus temporalium rerum : ista, inquam, inter æternitatem et tempus sunt media.

Deum autem et ut æternum et ut tempus laudare, id est, ipsum universorum Creatorem oportet « laudare » tam « ut » vere ac proprie solum « æternum », secundum perfectam æternitatis rationem, tam « ut tempus » per causam, *et ut temporis totius et æterni causalem, et antiquum dierum*, de quo in Psalmo : Et anni tui non deficient; (Ps. CI, 28.) *et ut ante tempus*, juxta illud : Priusquam montes fierent et formaretur terra et orbis, a sæculo et in sæculum tu es Deus; (Ps. LXXXIX, 2.) atque in libro Job : Numerus annorum ejus inæstimabilis; (Job XXXVI, 26.) *et plus quam tempus*, id est supra tempus, *et moventem spatia temporum et tempora*, id est, distinguentem ac moderantem temporum vices, horas ac partes; *et iterum ante æterna subsistentem*, id est ante ævum ac æviternum, *quantum et ante æternum est et plusquam æternum, et regnum ejus regnum omnium sæculorum*. (Ps. CXLIV, 13.) Ista exposita sunt. De regno autem ipsius infra duodecimo capitulo mentio erit.

TRANSLATIO MARSILII FICINI

TEMPUS jam admonet ut Deum multis laudatum nominibus, ut omnipotentem atque ut antiquum dierum celebremus. Omnipotens quidem dicitur, quoniam ipse sit omnitenens omnium sedes, omnia tota continens et complectens, et cuncta collocans et fundans atque constringens, universumque infractum in se ipsa perficiens. Hæc rursus ex se ipsa universa tanquam ex radice omnitenenti producit, et in se ipsam velut ad profundum omnitenens, cuncta reflectit continetque, et tanquam omnium firmamentum omnitenens quæ continentur omnia una connexione interim omnia superante communit; neque sinit illa hæc se ipsa cadere, ne forte tanquam perfectissimo firmamento mota dispereant. Appellatur quin etiam summa illa Divinitas omnipotens, tanquam omnibus imperans, et propria sinceritate servata dominans gubernatis; rursus tanquam desiderabilis omnibus et amabilis, jugum annectens omnibus voluntarium, stimulosque dulces divini et omnitenentis insolubilisque erga
Dan. VII, 9. bonitatem suam amoris incutiens. — Antiquus vero dierum Deus prædicatur, quoniam ipse sit ævum omnium atque tempus, et ante dies et ævum atque tempus. Tametsi tempus quoque et diem, opportunitatemque et ævum, qua ratione Deum decet, eum appellare licet, ut qui omni motu sit immutabilis penitus et immobilis, atque in eo ipso quod est semper moveri permaneat in se ipso; rursus tanquam ævi et temporis, dierum causa. Quamobrem et in sacris mysticarum visionum apparitionibus, antiquus novusque effingitur. Ubi antiquior quidem, priorem illum et a principio exsistentem significat; junior autem insenibilem præfert. Forte vero ambo nos docent Deum ab initio usque ad finem per cuncta procedere. Forte etiam, ut divinus noster in sacris institutor ait, ambo designant antiquitatem omnia præcedentem. Senior quidem priorem in tempore docet; junior autem principaliorem prioremve in numero profert, quandoquidem unitas ipsa et quæ circa unitatem sunt, numeris longius progressis principaliora antiquiorave sunt.

Operæ pretium est, ut arbitror, temporis quoque et ævi naturam ex sacris Litteris discere. Non solum enim æterna dicuntur illa quæ omnino absoluteque ingenita sunt reveraque sempiterna; sed etiam quæ incorruptibilia immortaliaque et immutabi-
Ps. XXIII, 7, 9. lia, eodemque modo se semper habentia: ut quum dicitur, Elevamini, portæ æternales; atque similia. Sæpe etiam antiquissima, æternitatis appellatione signantur. Nonnunquam vero totum nostri temporis ductum, sacræ Litteræ vocant ævum; quatenus etiam proprietas ævi est antiquum et immutabile atque secundum totum ipsum quod dicitur esse metiri. Tempus autem Scriptura in generatione corruptioneque et mutatione ponit, aliasque se aliter habens. Quamobrem nos quoque in hac vita tempore definitos, ævi quoque fore participes Theologia promittit, quando incorruptibile eodemque modo se semper habens attigerimus ævum. Interdum vero et temporale ævum Scriptura prædicat, et æternum tempus: etsi scimus apud eam magis accommodatiusque illa quidem quæ vere sunt, ævo; illa vero quæ in generatione versantur, tempore designari atque declarari. Quamobrem non simpliciter coæterna Deo, qui est ante ævum, censenda sunt quæ nominantur æterna: sed a sacratissimis Eloquiis nusquam discedentes, æterna et temporalia juxta cognatos suosque modos debemus accipere; media vero inter illa quæ vere sunt et ista quæ fluunt,

quæcumque partim quidem æternitatis, partim vero temporis participia sunt. Deum vero et tanquam ævum et tanquam tempus laudare fas est, ut universi temporis ævique causam : item antiquum dierum, tanquam ante tempus et super tempus, permutantemque opportunitates tempestatesve et tempora ; rursusque ante æternitates exsistentem, quoniam et ante ævum est et super ævum, regnumque ejus est regnum omnium sæculorum. *Ps. CXLIV, 13.*

PARAPHRASIS ABBATIS VERCELLENSIS

Dan. VII, 9. DEUS in Scripturis dicitur Antiquus dierum sedens. Omnipotens autem dicitur, eo quod ipse sit sessio omnia continens et circumiens et collocans et fundans et circumstringens, omnia firma in se ipso perficiens, et in se ipso tanquam ex radice omnitenente omnia producens, et omnia ad se ipsum tanquam plantationem omnitenentem convertens, et continens omnia sicut omnitenens omnium sessio, et firmans omnia contenta secundum unam continentiam omnia excedentem, et non dimittens ipse decidentia a se ipso, sicut ex essentia perfecta mota, penitus cadere et destrui. Dicitur autem Divinitas omnia tenens, et sola gubernatrix omnium, omnibus principans, et sicut exsistens omnibus media et desiderabilis et omnino interminabilis, et desuper immittens omnibus voluntarias leges, et dulces partus divini et omnipotentis et indissolubilis amoris bonitatis suæ. — Antiquus autem dierum dicitur Deus eo quod ipse est ævum omnium, et ante tempus, et ante dies, et ante ævum et tempora. Dicitur etiam Deus, prout hoc eum decet, et tempus, et dies, et quarta pars anni, et ævum, sicut exsistens per omnem motum intransmutabilis et immobilis, et in eo quod semper movetur, manens tamen in se ipso, et sicut causa ævi et temporis et dierum. Unde in mysticis Dei apparitionibus, quandoque dicitur canus, quandoque novus. Canities autem ejus vel senectus, signat ipsum a principio exsistere, novitas autem vel juventus, signat ipsum non gravari vel deficere senectute. Senectutis vero vel juventutis conjunctio, signat ipsum a principio usque ad finem per omnia procedere juxta illud : Attingens a fine usque ad finem fortiter, disponit omnia suaviter. Vel secundum S. Hierotheum, utrumque dictorum signat di- *Sap. VIII, 1.*

vinam principalitatem : senectus quidem, quasi primum in tempore ; juventus vero, quasi primum in numero, scilicet monadem : quia sicut juventus est principium ætatis, ita unitas est principium numeri ; et numeri qui sunt propinquiores unitati, sunt principaliores magis distantibus.

Consideranda autem est natura temporis et ævi ex testimoniis sacræ Scripturæ, in quibus æterna dicuntur non solum illa quæ penitus et simpliciter et per naturam ingenita sunt et æterna, sed etiam incorruptibilia et immortalia et invariabilia, et uniformiter exsistentia : ut quum dicitur angelis, Elevamini, portæ æternales ; et alia similia. *Ps. XXIII, 7, 9.* Quandoque etiam antiquissima, ævi nominatione designantur, ut est illud : Cogitavi dies antiquos, et annos æternos in mente habui. *Ps. LXXVI, 6.* Quandoque etiam tota temporis continentia secundum nos ævum appellatur, secundum quod ævo proprium est antiquum esse vel invariabile vel totum totaliter metiri. Tempus autem dicitur, quod est in generatione et corruptione et variatione. Quandoque tamen aliter accipitur. Unde et Scriptura nos in hoc sæculo temporaliter terminatos, dicit participaturos ævo, quando consequemur incorruptibilitatem semper eodem modo se habentem. Quandoque etiam dicitur in Scripturis et ævum esse temporale, et tempus esse æternum (ut ad Romanos : Temporibus æternis taciti) , quamvis in sacra Scriptura ostendatur ea quæ magis proprie sunt, ut mentes, esse in ævo, ea vero quæ in generatione, ut corpora, magis proprie dicantur esse in tempore. *Rom. XVI, 25.* Non ergo simpliciter dicenda sunt esse coæterna Deo qui est ante ævum quæcumque in Scriptura dicuntur esse æterna, sed secundum prædictos modos intelligentiæ quan-

de aliqua secula dicuntur æterna. Quæ vero media sunt quæ secundum aliquid participant aevo, secundum aliquid tempori. Deus autem laudandus est et sicut ævum et sicut tempus, tanquam causa omnis temporis et ævi, et Antiquus dierum, tanquam qui est ante tempus et super tempus, et varians quatuor partes anni et tempora, et rursus existens ante sæcula, in quantum ipse est ante ævum, et regnum ipsius regnum omnium sæculorum. Amen. *Ps.* CXLIV, 13.

CAPITULUM XI

DE PACE, ET QUID VULT SIBI HOC : PER SE IPSUM ESSE, QUÆ PER SE IPSAM VITA, QUÆ PER SE IPSAM VIRTUS, ET QUÆ SIC DICTA.

AGE, nunc divinam et archisynagogam pacem laudibus pacificis favorabimus. Ipsa enim est omnium adunatrix, et omnium consensus et connaturalitatis genitrix et operatrix. Proinde et omnia ipsam appetunt partibilem eorum multitudinem convertentem in totam unitatem, et civile universitatis bellum adunantem in æquiformem cohabitationem. Participatione divinæ pacis, primores congregatarum virtutum ipsæ et ad se ipsas et ad se invicem uniuntur, et ad unam omnium pacem principem. Et quæ sibi subjecta uniunt ipsaque ad se ipsa et ad se invicem, et ad unum et perfectum omnium pacis principium et causam : quæ impartibiliter superfirmata totis, velut quibusdam claustris divisorum convenientiam omnia terminat et consummat et tutificat : et non sinit separata fundi ad multum et infinitum, inordinata et incollocata et deserta Deo facta, et sua unitate exeuntia, et inter se invicem turbulentissime confusa.

De hac ergo (quæ est divina) pace et silentio, quam sacer Justus ineloquibilem vocat et in omnem cognitam processionem immobilitatem, et ut silet et silentium ducit ; et ut in se ipsa et intra se ipsam est, et ad se ipsam totam tota superunitur ; et neque in se ipsam intrans et multiplicans se ipsam deserit suam unitatem, sed et provenit in omnia, intus ibi manens per excellentiam omnia superantis unitatis : neque dicere neque intelligere cuidam exsistentium fas est, neque possibile ; sed ut ineffabile et id ipsum et incognoscibile in ipsam reponentes tanquam omnium existentem summitatem, intellectas ejus et dictas participationes, et hoc, ut possibile viris et nobis a multis optimis relictis, superspeculabimur.

Et primum quidem hoc dicendum, quia per se ipsam pacis et totius et per unumquodque est substantia ; et quia omnia ad se invicem contemperat per inconfusam eorum unitatem, per quam inseparabiliter unita et indistanter æque perfecta, secundum propriam singula speciem statuit. Non superobscurata per mixturam ad opposita quidquam obcæcant unitricis diligentiæ et puritatis. Unam igitur quamdam et simplam pacificæ unitatis contemplabimur naturam copulantem omnes sibi

et sibimetipsis et invicem, et salvantem omnia in inconfusa omnium continentia, et conspicua, et contemperata. Per quam divini animi intellecti, intellectibus suis uniuntur et intelligentibus, et iterum in incognitum ascendunt super animum collocatorum contactum. Per quam animæ largissimas suas rationes intelligentes, et ad unam intellectualem congregatæ puritatem, progrediuntur propria sibi via et ordine per immaterialem et impartibilem intelligentiam, in unitatem super intellectam unionem. Per quam una et insolubilis omnium complicatio secundum divinam ejus harmoniam substituitur et compaginatur consonantia perfecta, et consensus et congerminatio congregans inconfuse inseparabiliterque confusa. Pervenit enim perfectissimæ pacis universitas in omnia exsistentia, secundum simplicissimum ejus et clarum unificæ virtutis adventum unificans omnia, et conjungens summa per media summis per unam connaturalem conjugata amicitiam ; perfrui se donans etiam novissimis universitatis extremitatibus, et omnia cognata faciens unitatibus naturalibus, immutabilibus societatibus, adunationibus, congregationibus, inseparabiliter divina scilicet pace stante, et ab uno omnia ostendente ; et per omnia veniens, et propria naturali et immutabili societate veniens. Provenit enim in omnia et tradit omnibus proprie ex se ipsa supermanans magnitudo pacificæ generationis ; et manet per excellentiam unitatis tota ad totam, et per totam se ipsam superunitam.

Quomodo autem, dixerit quis, appetunt omnia pacem ? multa enim alteritate et discretione gaudent, et nunquam aliquando habentem silere voluerunt. Et si quidem alteritatem et discretionem, qui hoc dicit, ait uniuscujusque exsistentium proprietatem, et quia hanc exsistentium nullum ὄν, quod quidem est, velit aliquando perdere ; non fortassis neque nos ad hoc contradicemus, sed hunc pacis appetitum manifestabimus. Omnia enim diligunt ad se ipsa pacificari et uniri, et a se ipsis et a suis immutabilia et incasualia esse. Et est per unumquodque commixta proprietate perfectissima pax custoditiva, pacem donantibus suis providentiis omnia imperturbata et inconfusa ad causata et ad se invicem salvans, et omnia in fortitudine et inflexibili virtute ad suam pacem et tranquillitatem statuens. Deinde mota omnia non silere sed moveri semper eorum motu vult : et hic appetitus est divinæ omnium pacis, omnia in se ipsis incasualia salvantis, et omnium motorum proprietatem et motivam vitam immutabilem et incasualem custodientis, in mota ad se pacificantia et sic sic habentia, agendo quæ sua sunt. Si autem secundum casum pacis alteritatem dicens, confirmat non esse omnibus amabilem pacem : magis quidem nihil exsistentium esse quod ab omni penitus unitate cecidit. Quod enim omnino instabile et multum et incollocatum et infinitum, neque ὄν est neque in exsistentibus. Si autem talis ait, paci et pacis bonis infestos esse contentionibus et furoribus et alienationibus et instabilitatibus gaudentes : et ipsi obscurissimis umbris pacis concupiscentiæ detinentur, ad quas passionibus turbati multum mobilibus, et eas sistere indisciplinate appetentes, et æstimantes plenitudine semper refluentium pacificare se ipsos instructione tenentium voluptatum perturbatos.

Quid si quis dixerit de ipsa secundum Christum pacifica humanitate? secundum quam non didicimus adhuc pugnare, neque nobis ipsis, neque invicem, neque angelis; sed et ipsis divinam per virtutem cooperabimur secundum providentiam Jesu omnia in omnibus operantis, et facientis pacem ineffabilem et ex sæculo prædestinatam, et reconciliantis nos sibi ipsi in Spiritu, et per se ipsum et in se ipso Patri. De quibus supereminentibus donis in Theologicis characteribus sufficienter dictum est, attestantium nobis sacra Eloquiorum intelligentia.

Quoniam et aliud me per epistolam interrogasti, quid forsan, quando dico per se ipsum esse, per se ipsam vitam, per se ipsam sapientiam et ad se ipsam; dicebas te dubitare, quomodo Deum aliquando quidem per se ipsam vitam dico, aliquando vero per se ipsam vitæ substitutorem: necessarium æstimavimus, sancte Dei homo, et hac te in nobis dubitatione solvere. Et primum quidem, ut multoties dicta et nunc recipiamus, non est contrarium per se ipsam virtutem aut per se ipsam vitam dicere Deum, et per se ipsam vitæ aut pacis aut virtutis substitutorem. Quædam quidem enim ex exsistentibus, et maxime ex primum exsistentibus, ut causalis omnium exsistentium, dicitur: quasdam vero, ut super omnia etiam primo exsistentia superens superessentialiter. Quid autem omnino, inquis, quod per se ipsum esse dictum est, aut per se ipsam vitam, aut quæcumque absolute et principaliter esse et ex Deo primitus substitisse posuimus? Hoc autem quod dicimus, non est pravum, sed rectum, et simplicem declarationem habet. Non enim essentiam quamdam divinam aut angelicam esse dicimus, per se ipsam essendo, essendi quæ sunt omnia causam (solummodo enim essendi omnia quæ sunt, ipsum esse superessentiale, principium et essentiam et causale); neque vitæ parentem aliam deitatem, præter superdivinam omnium quæcumque vivunt et editæ vitæ causam vitam. Neque colligendo dicendum esse principales exsistentium et creatrices essentias et substantias, quas quidam et deos exsistentium et creatores promptos confestim perfecerunt; quos vere et proprie dicendum, neque ipsi formaverunt non exsistentes, neque patres eorum. Sed per se ipsum esse et per se ipsam vitam et per se ipsam deitatem, dicimus principaliter quidem et deiformiter et causaliter unum omnium superprincipale et superessentiale principium et causam; particulariter* autem editas ex Deo non participante providas virtutes, per se ipsam sanctificationem* per se ipsam vivificationem, per se ipsam deificationem: quas exsistentia proprie sibimetipsis participant, et exsistentia et viventia et divina sunt et dicuntur, et alia similiter. Proinde et primarum ipsarum optimus substitutor dicitur esse, deinde totarum earum, deinde particularium ipsarum, deinde totarum ipsarum participantium, deinde particulariter earum participantium. Et quid oportet de his dicere? quando quidam divinorum nostrorum sacrorum magistrorum, et per se ipsam bonitatis et deitatis substitutricem aiunt plusquam optimam et plusquam divinam per se ipsam bonitatem et divinitatem: dicentes esse beneficam et deificam ex Deo procedentem donationem et per se ipsam formam, per se ipsam formificam fusionem, et totam formam, et particularem formam, et universaliter bona, et particula-

* participaliter

* essentificationem

riter bona; et quæcumque alia quæ secundum eumdem dicta sunt et dicentur modum, declarantia providentiam et bonitatem participatas ab exsistentibus, a Deo non participante provenientes copiosa fusione et superscatentes, ut diligens omnium causalis, summitas omnium, et superessentiale et supernaturale, omnino superexcellit ea quæ sunt secundum qualemcumque essentiam et naturam.

ARTICULUS XCII

ELUCIDATIO INITII CAPITULI HUJUS UNDECIMI : DE PACE DIVINA IN COMMUNI EJUSQUE EFFECTIBUS.

De increata jam pace hic agitur. *Age*, id est eia, *nunc divinam et archisynagogam pacem laudibus pacificis favorabimus*, id est pacem illam superdulcissimam et æternam quæ est ipsamet quies, tranquillitas, gaudium prorsus immutabile mentis divinæ : quæ vocatur pax archisynagoga, ab archi, quod est princeps, et synagoga, quod est congregatio, quasi princeps congregationis, seu principalis congregatrix. Itaque « pacem divinam archisynagogam », id est principaliter congregativam omnium viventium et complectentem, præsertim in patria et in omnibus quorum corda sunt caritate conjuncta, « laudibus pacificis » favoremus, et amorose et favorabiliter extollamus.

Ipsa enim est omnium adunatrix, id est causa effectiva adunationis pacis, concordiæ rerum ac mentium creatarum, *et omnium consensus et connaturalitatis genitrix et operatrix. Proinde et omnia ipsam appetunt*, sicut et omnia dicuntur beatitudinem affectare desiderio naturali, et sub generali aliqua ratione, quamvis veram felicitatem et spiritualem sanctamque pacem nec omnes sciant, nec cupiant; *partibilem eorum multitudinem convertentem in totam unitatem*, id est, quæ pax divina et summa convertit « multitudinem » rerum frequenter discordem, divisam, turbatam, ad unionem pacificam, atque ad unitatem ordinis universi, qui ponit fines Ecclesiæ (potissime triumphantis) pacem; *et civile universitatis bellum*, in qua sæpe unum particulare suppositum seu agens vel elementum, alteri contrariatur, *adunantem in æquiformem cohabitationem*, id est ad unam communem consistentiam, mansionem, situationem. Ps. CXLVII, 14

Participatione divinæ pacis, primores congregatarum virtutum ipsæ et ad se ipsas et ad se invicem uniuntur, id est, ipsæ superiores essentiæ « virtutum » cœlestium caritatis vinculo unitarum, participando pacem increatam conjunguntur singulæ « ad se ipsas », non habendo intra se ullam dissensionem, omnes quoque mutuo pacem plenissimam et inviolabilem habent ac servant, *et ad unam omnium pacem principem*, id est principalem ac generalem.

Et quæ sibi subjecta uniunt ipsaque ad se ipsa et ad se invicem, id est, « uniunt » et concordant illa « subjecta » et inferiora singula « ad se ipsa », omnia quoque « ad invicem », *et ad unum et perfectum omnium pacis principium*, id est ad Deum, qui est primum causale « principium pacis » universorum : ad quem singula convertuntur secundum modum suæ speciei, quædam naturaliter, quædam sensitive et cognitive, quædam

rationaliter, quaedam intellectualiter; *et connexa, quae impartibiliter superformata facta, velut quaedam claustra diversorum convenientium omnia terminat et consummat et unificat*: id est, « quae » causa prima et pax increata, indivisibiliter omnibus « superformata » ac fervidissime praesidens, « terminat et consummat et unificat omnia » illa de numero « diversorum » inter se, et tamen « convenientium » uno fine seu ordine; et perficit ea et munit, « velut quibusdam claustris », clavibus ac vectibus, intra limites proprios detinens ea: *et non sinit separata fundi ad multum et infinitum*, id est, non permittit ea ab invicem totaliter separari, et « separata » diffundi, effluere et dispergi ad chaos quoddam magnum atque congeriem infinitam, *inordinata et incollocata et deserta Deo facta*, id est jam effecta deordinata, confusa, et naturali loco privata, utpote derelicta a Deo et conservatione ipsius, *et sua unitate egentia*, id est, recedentia a propria unitate, *et inter se invicem turbulentissime confusa*.

ARTICULUS XCIII

DE DIVINA PACE IN SPECIALI : NOS SCIRE NON POSSE EJUS NATURAM, SED TANTUMMODO PARTICIPATIONES.

D*E hac ergo (quae est divina) pace*, id est « de pace » ista « quae est divina », *et silentio*, id est quiete, *quam sacer Justus*, utpote Paulus apostolus, *ineloquibilem*, id est ineffabilem et incomprehensibilem, *vocat*, dicendo : Pax Christi quae exsuperat omnem sensum : *et in omnem cognitam processionem immobilitatem*, id est, immobilissimam quietem in se tranquillissime quiescentem, non exeuntem per aliquam sui mutationem in quemcumque effectum cognitumve processum : quanquam sua vi influat universis, sicque participetur a creaturis, in quibus variam facit concordiam, nexum, consensionem, in rationalibus demum creaturis efficiens pacem temporis, pacem pectoris, pacem aeternitatis.

Philipp. IV.

Et ut silet et silentium ducit, id est, prout in se ipsa et in mente divina ab omni motu, strepitu, inquietudine, sono, turbatione, superquietissima atque liberrima aeternaliter perseverat : *et ut in se ipsa et intra se ipsam est, et ad se ipsam totam tota superunitur* : id est, Deitas ipsa essentialiter est pax prima, simplicissima unitas, invariabiliter intuens diligensque se ipsam, et sunt in ea penitus idem in re, intuens et intuitum, diligens et dilectum, atque intuitio et dilectio ipsa, gaudium quoque, pax et dulcedo : hinc ineffabiliter et supersimplicissime « in se et intra se et ad se » unitur. Imo potius incomprehensibiliter nobis est unio, unitio et unitas ipsa, et omnia ista in se ipsa sunt unum supersimplicissimum et superopulentissimum et superdeliciosissimum et superpulcherrimum esse.

Et neque in se ipsam intrans per sui ipsius et omnium aliorum in se contemplationem, *et multiplicans se ipsam*, id est non per propriae essentiae plurificationem : propter quod subditur, *deserit suam unitatem ; sed et provenit in omnia*, cuncta replendo, et suae bonitatis dona communicando, *intus ibi manens per excellentiam omnia superantis unitatis*, id est per simplicissimam suam unitatem, universis in infinitum perfectiorem, et prorsus invariabilem : qui intra omnia

est, non inclusus; et extra omnia, non exclusus; nec per ullam sui in se mutationem accedit vel recedit, sed quoad suorum diversitatem effectuum.

Neque dicere neque intelligere cuidam exsistentium fas est, neque possibile, id est, nulli « exsistentium » est « possibile » aut licitum istud plene effari, aut comprehendere velle, præsertim in isto exsilio.

Sed ut ineffabile et id ipsum et incognoscibile in ipsam reponentes tanquam omnium exsistentem summitatem, id est, indicibile istud secretum committentes ipsi invariabili Deitati, quæ est vere « id ipsum et incognoscibile » ens quantum ad A quid est, quæ est vertex, summitas ac incomparabilis superexaltata excellentia universorum; *intellectas ejus et dictas participationes, et hoc, ut possibile viris et nobis a multis optimis relictis, superspeculabimur :* id est, desuper adjuti, contemplabimur, considerabimus et describemus prætactas Deitatis increatæque pacis « participationes » nobis aliqualiter cognitas, prout « possibile » est « viris » catholicis, viatoribus, per fidem, nondum per speciem, ambulantibus, « et » prout B « nobis » quoque possibile est, « relictis », id est superatis et supergressis, « a multis optimis » viris qui nobis meliores et illuminatiores fuerunt. II Cor. v, 7.

ARTICULUS XCIV

DE CAUSALITATE DIVINÆ PACIS.

ET primum quidem hoc dicendum, quia per se ipsam pacis et totius et per unumquodque est substantia, id est, primo hoc dico, quod Deus est substantificator et causa « per se » omnis « pacis » totiusque boni in unoquoque ente. *Et quia omnia ad se invicem contemperat,* id est, proportionabiliter jungit ac sociat, *per inconfusam eorum unitatem,* id est per convenientem et imperturbatam eorum counionem; *per quam inseparabiliter unita* quantum ad species suas in ordine universi, *et indistanter æque perfecta* quantum ad genus, seu ea quæ ejusdem sunt speciei et « æque » distanter, quoniam instar numerorum habent se species rerum : ideo quantum una distat ab alia, tantum aliæ quoque ab invicem; *secundum propriam singula speciem statuit,* id est in sua perfectione specifica.

Non superobscurata per mixturam ad opposita quidquam obcæcant unitricis diligentiæ et puritatis, id est, obnubila- C ta, fœdata et maculata per admixtionem naturæ contrariæ, « non obcæcant » nec inficiunt aliquid « puritatis » naturalis specificæ introductæ per diligentiam primæ causæ, quæ suorum est unitiva effectuum.

Unam ergo quamdam et simplam pacificæ unitatis contemplabimur naturam,* id est simplicissimam Deitatem, quæ causa est totius « pacificæ unitatis » in cunctis, *copulantem omnes sibi et sibimetipsis et invicem,* id est, conjungentem cuncta creata suo fini supremo, et quodlibet sibi D ipsi, mutuo quoque universa, *et salvantem omnia in inconfusa omnium continentia,* id est in conservatione ordinata, *et conspicua,* id est clara, *et contemperata,* id est recte proportionata.

* igitur

Per quam divini animi intellecti, intellectibus suis uniuntur, id est, mentes angelicæ a se ipsis intellectæ, conjunguntur « intellectibus suis », id est suis potentiis intellectivis, super quas reflectuntur, et redeunt ad se ipsas reditione

completa ; et ipsæ, in quantum intelligunt, sunt personæ agentes, et sunt intellectionis suæ objecta in quantum a se ipsis intelliguntur ; *et intelligentibus eas* junguntur, sicut objecta agentibus. *Et iterum in incognitam ascendunt super mentem unitionem contuentes*, id est, contemplando eriguntur demum ad abditam unionem et visionem divinorum et æternorum, quæ supereminent ipsis.

Per quam animæ largissimas suas rationes intelligentes, id est, « per quam » continentiam et unionem « animæ » rationales cognoscentes « rationes suas largissimas », id est illuminationes multiplices eis largiflue communicatas, *et ad unam intellectualem congregatæ puritatem*, id est reductæ ac perductæ ad mentis munditiam, quia superiores purgant et sursumagunt inferiores ; *progrediuntur propria sibi via et ordine per immaterialem et impartibilem intelligentiam, in unitatem super intellectam unionem*, id est, procedunt discursu, perscrutatione, profectu eis connaturali, ordinate, per considerationem spiritualem, indivisam ac simplicem, « in unitatem super intellectam unionem », id est ad contemplationem primæ et summæ unitatis, quæ est super omnem unionem cognitam aut cognoscibilem animabus.

Per quam una et insolubilis omnium complicatio, id est, a qua unitate altissima est « complicatio », connexio, reductio, « una », communis et inseparabilis, *secundum divinam ejus harmoniam*, id est juxta contemperationem divinam a prima unitate præconceptam et impressam, *substituitur et compaginatur*, id est, redigitur et consolidatur in creaturis præfatis desuper coordinatis et subordinatis, *consonantia perfecta*, id est proportione et convenientia in genere et ordine suo completa ; *et consensus et congerminatio*, id est, ab eadem summa unitate procedit ac rebus ingeritur consensio quædam mutua, et velut cognatio atque propinquitas quædam ex parte creatoris ejusdem ac mutuæ convenientiæ creaturarum in genere aut specie, secundum quod dicitur apud Malachiam : Numquid non pater unus omnium nostrum ? nonne unus Deus creavit nos ? (Malach. II, 10.) Hinc ille admirabilis seraphicus illuminatissimusque Franciscus, cuncta creata nominibus fratris et sororis appellavit. *Congregans inconfuse inseparabiliterque confusa*, id est, congerminatio, consensio et consonantia illa, est colligens et adunans pulchre et indivisibiliter ea quæ ex se ipsis essent « confusa » et inordinata, quæ redigit in unum generalem pulcherrimum ordinem unius totiusque universi, in quo Omnipotentis sapientia præsertim repræsentatur ac splendet.

Pervenit enim perfectissimæ pacis universitas in omnia existentia, id est, generalis ista pax, contemperantia seu consonantia rerum, pertingit ad entia universa, præsertim ad illa in quibus ordo universi consistit ; *secundum simplicissimum ejus et clarum unificæ virtutis adventum*, id est per impressionem ejus in omnia valde simplam et manifestam a virtute divina et pace increata, quæ omnia facit quodammodo unum, *unificans omnia, et conjungens summa* vel infima *per media summis*, id est extrema extremis, seu summa infimis, « per media », tanquam per nexum et ligamentum illorum ad invicem. *Conjugata amicitia** *perfrui se donans etiam novissimis universitatis extremitatibus*, id est, ultimis quoque et infimis entibus mundi concedens uti et foveri quadam naturali « amicitia » seu convenientia cum rebus suæ speciei ac ordinis, *et omnia cognata faciens*, id est comproportionata et aliquo modo invicem utilia, *unitatibus naturalibus*, id est unionibus seu communionibus congruis, seu unitate in specie aut genere vel analogia, *immutabilibus societatibus, adunationibus, congregationibus*, quibus in ordine universi connexa sunt et comparticipantia, *inseparabiliter divina scilicet pace stante, et ab uno omnia ostendente*, id est, « pace » Dei æterna jugiter « stante » ac perdurante,

* per unam connaturaliter conjugata amicitiam :

et per hanc pacificam rerum coordinationem tanquam per suum effectum, monstrante quod « omnia » sint « ab uno » fontali sapientissimo effectivo principio ; *et** *propria naturali et immutabili societate veniens*, id est, ad res creatas procedens ac pertingens sua communicatione quam habet cum suis effectibus, qui et societatem habet cum intellectualibus creaturis, ut patuit jam frequenter.

* et per omnia veniens, et

Provenit enim in omnia et tradit omnibus proprie, id est, unicuique influit congruenter secundum suam capacitatem, B *ex se ipsa supermanans magnitudo pacificæ generationi**, id est, majestas ex propria exuberantia supereffluens, ac affluA enter dans generationibus rerum pacificis, ac generatis providens dulciter universis ; *et manet per excellentiam unitatis tota ad totam*, id est, per eminentiam propriæ perfectissimæ « unitatis » jugiter perseverat « tota » providentialiter intenta « ad totam » rerum pacificam connexionem, *et per totam se ipsam superunitam*, id est immediate « per se ipsam » rebus desuper provisive et conservative conjunctam, et omnia scientem, considerantem ac gubernantem, non tantum per causas secundas, ut putabant quidam philosophi. Propter quod scriptum est : Quem constituit alium super terram ? aut quem posuit super orbem quem fabricatus est ? (Job XXXIV, 13.)

* generationis

ARTICULUS XCV

OBJECTIONIS CONTRA PACEM OMNIBUS APPETENDAM, DILUTIO SIVE REMOTIO.

CONSEQUENTER tangitur quorumdam objectio.

Quomodo autem, dixerit quis, id est, aliquis dicere potest, Qualiter *appetunt omnia pacem ?* quasi dicat : Videtur quod non. *Multa enim alteritate et discretione gaudent*, id est, magis inclinata sunt ad distinctionem et separationem ab aliis, *et nunquam aliquando habentem simile** *voluerunt*, id est, abhorruerunt habere consentientem et concordantem cum ipsis, nec quiescere volunt.

* silere

Et si quidem alteritatem et discretionem, qui hoc dicit, id est, si is qui sic objicit, *ait uniuscujusque exsistentium proprietatem :* id est, si per alteritatem et separationem illam intelligit proprietatem cujuslibet rei, quæ indivisa est a se, et divisa ab aliis ; *et quia hanc exsistentium nullum ἕν, quod quidem est, velit aliquando perdere*, id est, quod nulla res exsistens velit istam suam proprietatem amittere ; *non fortassis neque nos ad hoc* C *contradicemus*, id est, non negabimus hoc, *sed hunc pacis appetitum manifestabimus*, id est, ostendemus quod omnia sic cupiunt pacem.

Omnia enim diligunt ad se ipsa pacificari, id est, cuncta « ad se » et cum se et intra se optant pacem habere, imo intuitu et desiderio pacis prælia fiunt, *et uniri, et a se ipsis et a suis immutabilia et incasualia esse*, id est, cupiunt conjungi convenientibus et consimilibus sibi, nec posse separari ac cadere a se ipsis.

D *Et est per unumquodque commixta proprietate perfectissima pax custoditiva*, id est, « pax » in qualibet re est conservativa ipsius rei, ex naturali proprietate rei innata ac indita, valde perfecta in omni re ; *pacem donantibus suis providentiis*, id est, activis rerum « providentiis » seu provisionibus pacificis quæ sunt in mente divina, « donantibus pacem » rebus, *omnia imperturbata et inconfusa ad causata et ad se invicem salvans*, id est, conser-

vans omnia esse inconturbata tam ad se invicem quam ad concausata. Hæc in superioribus et cœlestibus palam est ; sed in inferioribus ita est quoad cursum communem, et quantum ad exigentiam ordinis universi. *Et omnia in fortitudine et inflexibili virtute ad suam pacem et tranquillitatem statuens*, id est, naturalem et irremovibilem inclinationem et vim idoneam impertiens ad acquirendum et conservandum pacem quæ convenit eis : quemadmodum gravibus et levibus dedit inclinationem ad motum sursum et deorsum, calorem quoque vel aliud quid ad resistendum impedientibus hujusmodi motus. Sic et animalibus dedit appetitum concupiscibilem ad prosequendum convenientia, et irascibilem ad repellendum contraria.

Deinde mota omnia non silere sed moveri semper eorum motu vult, id est, Deus quædam mobilia « vult semper moveri motu » eis convenienti, et « non silere », id est non quiescere ab hujusmodi motu. *Et hic appetitus est divinæ omnium pacis*, id est, desiderium illud « est » ex appetitu « pacis omnium » rerum, quia per hujusmodi motum et ipsa et alia consequuntur suam perfectionem, *omnia in se ipsis inconfusa salvantis*, id est, pacis divinæ præservantis omnia a casu in non esse, *et omnium motorum proprietatem et motivam vitam immutabilem et incasualem custodientis*, id est, pacis divinæ conservantis « proprietatem et vitam motivam » rerum vivarum mobilium, ita quod non mutantur per corruptionem nec per ruinam ab esse in non esse ante tempus opportunum, *in mota ad se pacificantia et sic se habentia, agendo quæ sua sunt*, id est, pacis « custodientis » in rebus prædictis « agendo quæ sua sunt », id est, dum res quæ sua sunt, in opera convenientia sibi agunt, « in mota pacificantia ad se », id est, in res motas seu mobiles pacem seu ordinationem quietam secum habentes stabiliterque dispositas.

Si autem secundum casum pacis alteritatem dicens, id est, si talis qui « alteritatem » appellet defectum et ruinam a pace, *confiteatur non esse omnibus amabilem pacem*, id est, asserit quod pax non sit cunctis amabilis ; *magis quidem nihil existentium esse*, id est, ego potius dico quod nulla res exsistens est, *quod ab omni penitus unitate cecidit*, id est, quæ nequaquam sit una : nam ens et unum convertuntur. *Quod enim omnino instabile et exsultum et incollocatum et infinitum*, id est, quod per suam speciem seu naturam, nullam participat fixionem, nec ad aliquam redigitur unitatem, nec in aliquo rerum ordine collocatur, neque finitur per aliquam formam, *neque Ens est neque in exsistentibus*, id est, nec est res, neque pars rei, nec accidens. Hinc et Philosophus probat quod infinitum ex parte materiæ esse non potest. Proclus quoque demonstrat quod omnis multitudo participat aliqualiter uno, et quod non participans uno, non sit.

Si autem talis ait, id est, si ita arguens affirmat, *paci et pacis bonis infestos esse contentionibus et furoribus et alienationibus et instabilitatibus gaudentes*, id est, si objiciat quod quidam malitiosi adversentur paci, et molesti sunt pacificis, et gloriantur in his quæ pacem exstinguunt, puta in rixis, etc. — *Et ipsi obscurissimis umbris pacis concupiscentiæ detinentur*, id est, ad hoc ego respondeo quod isti quoque « detinentur », id est, alligati sunt, « umbris obscurissimis », id est defectuosissimis imitationibus, « concupiscentiæ pacis », ita quod et ipsi etiam aliqualiter pacem desiderant ; *ad quas passionibus turbati multum mobilibus, et eas sistere indisciplinate appetentes* : id est, ad umbras illas pacis afficiuntur et tendunt ipsi, « turbati » adhuc « passionibus multum mobilibus », id est affectionibus et motibus sensualitatis inordinatis valde inquietis, « et appetentes illas sistere », id est sedare, « indisciplinate », id est insipienter, per ea quæ nec salubriter nec efficaciter queunt illas

sedare, refrenare aut moderari; *et aestimantes plenitudine semper refluentium pacificare se ipsos*, id est, putantes ad pacem se ipsos perducere per copiam et satisfactionem delectationum quæ fluunt et refluunt, et cito de novo desiderium ad eas accendunt, *instructione tenentium voluptatum perturbatos*, id est, se ipsos interius deordinatos « instructione », id A est impulsione et inclinatione, « voluptatum tenentium » eos spiritualiter vinctos ac victos, juxta illud Proverbiorum : Iniquitates suæ capient impium, et funibus peccatorum suorum constringetur. Porro alia littera habet, Destructione. Talis namque instructio est destructio. Dicitur demum culpa hominis instruere eum, ut est illud in Job : Docuit iniquitas tua os tuum.

Prov. v, 22

Job xv, 5

ARTICULUS XCVI

DE PACE FACTA PER CHRISTI INCARNATIONEM.

QUID *si quis dixerit de ipsa secundum Christum paciflua humanitate?* id est, quid consequetur, si recitetur de Christi pietate, quæ pacem docuit et procuravit in omnibus? unde concluditur verum esse quod dixi, pacem omnibus appetendam.

Secundum quam non discimus adhuc pugnare, neque nobis ipsis, neque invicem, neque angelis, id est nec contra nos ipsos, nec contra proximos, nec contra angelos sanctos, ex aliqua prava dissensione aut discordia bonæ paci contraria. Attamen contra sensualitatem, tentationes et vitia nos pugnare oportet, quia regnum cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud. *Sed et ipsis divinam per virtutem cooperabimur*, sanctis illorum inspirationibus cooperando et secundum eas vivendo, *secundum providentiam Jesu omnia in omnibus operantis* ut prima causa, quæ est causa causati omnis causæ secundæ, et plus influentis quam quæcumque causa secunda, *et facientis pacem ineffabilem*, id est pacem æternitatis, D quam perfecte in hac vita cognoscere et effari nequimus, quia in cor non ascendit quod suis dilectoribus præparavit, *et ex sæculo prædestinatam*, id est a Deo ab exordio præcognitam et paratam, sicut in fine dicturus est : Percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi. Ex verbis quoque Apostoli ista accepta sunt.

Matth. xi, 12.

I Cor. II, 9

Matth. xxv, 34.

Ephes. II, 15.

Et reconciliantis nos sibi ipsi, (quia secundum Apostolum, Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi. Christus quoque per suam humanitatem reconciliavit nos sibi ipsi secundum suam divinitatem), *in Spiritu*, utique Sancto, et secundum voluntatem, præordinationem ac cooperationem Spiritus Sancti, *et per se* C *ipsum et in se ipso Patri*, id est Deo Patri in Spiritu Sancto « per se ipsum » tanquam per mediatorem Dei et hominum, juxta illud ad Ephesios : Nunc autem in Christo Jesu, vos qui aliquando eratis longe, facti estis prope in sanguine ejus; ipse est enim pax nostra, qui fecit utraque unum, per crucem inimicitias interficiens in semetipso : et veniens evangelizavit pacem et his qui longe, et his qui prope, quoniam per ipsum habemus accessum ambo in uno Spiritu ad Patrem.

II Cor. v, 19.

Eph. II, 13, 14, 16 18.

De quibus supereminentibus donis, id est supernaturalibus gratiis, *in Theologicis characteribus*, id est in libro de Divinis characteribus et proprietatibus, puta de superbeatissima Trinitate, *sufficienter dictum est*, id est competenter, secundum

quod nobis possibile fuit : quem librum A non habemus translatum : *attestantium nobis sacra Eloquiorum intelligentia*, id est, juxta intellectum sanctum « Eloquiorum », id est Scripturarum, « attestantium » nobis.

ARTICULUS XCVII

DE PER SE IPSUM ESSE, PER SE IPSAM VITA, PER SE IPSAM SAPIENTIA, ETC.

Q*UONIAM et aliud me per epistolam* B *interrogabas, quid forsan, quandoque per se ipsum esse, per se ipsam vitam*, id est, quomodo intelligo quod « per se ipsum dico esse, per se ipsam vitam », *per se ipsam sapientiam et ad se ipsum*. Filius enim, qui est substantialiter vita, est per Patrem, id est a Patre ; similiter Filius, qui est per se sapientia, id est sapientia æterna absolute et essentialiter dicta, quæ est deitas summa, quam non habet ab aliquo essentialiter alio a se ; estque Filius vita et sapientia « ad se » sub- C stantialiter. *Dicebas te dubitare, quomodo Deum aliquando quidem per se ipsam vitam dico, aliquando vero per se ipsam vitæ substitutorem.* Quod consequenter exponit. *Necessarium arbitratus sum, sancte Dei homo*, id est, o Timothee, sancte vir Dei, *et hac te in nobis dubitatione solvere*, id est, liberare « te » ab « hac dubitatione » quam habuisti « in nobis », id est verbis nostris.

Et primum quidem, ut multoties dicta et nunc recipiamus, id est, primo id hor- D tor ut ea quæ frequenter dixi et scripsi, modo pariter capiamus, *non est contrarium per se ipsam virtutem aut per se ipsam vitam dicere Deum, et per se ipsam vitæ aut pacis aut virtutis substitutorem.* Quod consequenter declarat. *Quædam quidem enim*, id est certe quoniam aliqua, *ex exsistentibus, et maxime ex primum exsistentibus, ut causa omnium exsistentium, dicitur*, id est, Deus « dicitur quædam » talium, tanquam causa « omnium » talium, et quædam illorum dicuntur de ipso, tanquam de causa ipsorum, ut esse, bonitas, unitas, vita, mens, intellectus ; *quædam vero, ut super omnia etiam primum exsistentia superens superessentialiter*, id est, aliqua de Deo dicuntur per supereminentiam, ut de eo qui superessentialiter est, et supreme cuncta transcendit.

Quid autem omnino est, inquis, quod per se ipsum esse dictum est, id est, « quid » significat « quod » Deus dicitur hoc aut illud « esse per se ipsum », *aut per se ipsam vitam, aut quæcumque absolute et principaliter esse et ex Deo primitus substitisse posuimus*, id est, seu alia quævis quæ diximus « ex Deo » originaliter fuisse seu « substitisse », vel Deum ea substituisse, quæ « absolute et principaliter » dicuntur « esse » in genere suo, et fluxisse a Deo ?

*Hoc autem quod dicimus, non est parvum**, id est, responsio ista « non est » quid « parvum » ; nec est curva aut prava, ut aliæ habent translationes ; *sed rectum*, id est verum, *et simplicem declarationem habet*, id est explanationem sinceram, non fictam aut simulatam. * pravum

Non enim essentiam quamdam divinam aut angelicam esse dicimus, per se ipsam essendo, essendi quæ sunt omnia causam : id est, non ponimus essentiam aliquam separatam per se subsistentem, dicendo quod aliquid sit causa per se exsistendi omnibus id quod sunt, ita quod sint plures tales essentiæ separatæ aut per se sub-

sistentes ideæ, quarum unaquæque sit quidam deus, et causa exemplaris communis omnium ordinis aut ambitus sui : imo ponimus unum solum esse separatum subsistens, universorum causale principium. Unde subjungitur : *solummodo enim essendi omnia quæ sunt, ipsum esse superessentiale, principium et essentiam et causale*, id est, « ipsum » unicum « esse » primum et incausatum, quod est super omnem naturam, dicimus esse « causale, et » exemplare principium » universorum, « et » esse « essentiam », id est causam essentiæ eorumdem, non ejusdem ordinis aut naturæ, sed superexaltatam.

Neque vitæ parentem aliam deitatem, id est, patrem, causam seu fontem « vitæ », hoc est per se vitam, non dicimus esse « aliam deitatem », *præter superdivinam omnium quæcumque vivunt*, id est præter vitam primam « superdivinam », quæ est causa cunctis viventibus quod sunt et vivunt, *et editæ vitæ causam vitam*, id est, « vitam » illam dicimus « causam » omnis « vitæ » particularis causatæ.

Neque colligendo dicendum, id est, breviter ac summatim præstringendo non est dicendum, *esse principales exsistentium* * *creatores promptos confestim causatrices essentias, substantias quas quidam deos exsistentium perfecerunt* : id est, causas « principales » et universales, ubique et semper præsentes, et « creatores » particularium rerum, qui sint essentiæ creatrices et causæ omnino extrinsecæ præter et citra primam causam : quæ sunt substantiæ eminentes, « quas quidam perfecerunt », id est, sua opinione esse dixerunt ac confinxerunt esse « deos exsistentium » particularium rerum ; *quos vere et proprie dicendo* *, *neque ipsi formaverunt non exsistentes*, id est, « quos » deos seu universales causas, nec isti false opinantes « formaverunt », id est fecerunt, quia tales dii et causæ non sunt in veritate, *neque patres eorum*, id est, magistri seu parentes ita errantium fecerunt, noverunt aut formaverunt hujusmodi deos.

* et creatrices essentias et substantias, quas quidam et deos exsistentium et creatores promptos confestim perfecerunt

* dicendum

A *Sed per se ipsum esse et per se ipsam vitam et per se ipsam deitatem, dicimus principaliter quidem et deiformiter et causaliter unum omnium superprincipale et superessentiale principium et causam* : id est, affirmamus quod unum et idem sit effectivum universorum principium et causa omnium exemplaris atque finalis, quod est esse per se ipsum, non aliunde factum nec participatum, et quod eodem sensu est per se vita, per se deitas, per se intellectus, per se sapientia, per

B se summa et prima virtus, etc.

Particulariter autem editas ex Deo non participante providas virtutes, id est, « virtutes » particulares et participatas dicimus esse « ex Deo » nil « participante » ab aliquo, nec suscipiente ab alio virtutes providentiales, utputa *per se ipsam sanctificationem, per se ipsam vivificationem, per se ipsam deificationem*, id est primam et fontalem vim significativam, primam et imparticipatam vim seu actionem vivificativam, ac deificationem hu-

C jusmodi. Hæc enim habet in se, et ex se, et per se. *Quas exsistentia proprie sibimetipsis participant*, id est, causæ creatæ superiores provisivæ aliorum « participant » istas provisivas virtutes, per quas gubernativæ et provisivæ sunt subditorum, a summo illo principio, non ab ideis separatis, ut aliqui posuerunt ; participant autem eas « proprie sibimetipsis », quælibet scilicet secundum suam proportionem, gradum, possibilitatem et ordinem ; *et exsistentia et viventia et divina sunt et dicun-*

D *tur*, id est, per participationem bonitatum et virtutum illarum, habent esse et vivere, et suo modo « divina » censentur, *et alia similiter*, id est, cuncta quoque inferiora ab illo summo fluxerunt principio.

Proinde et primarum ipsarum optimus substitutor dicitur esse, id est, Deus unus et summus, est « optimus » institutor et conditor superiorum illarum causarum, ut sint angeli, spiritus et causæ cœlestes ; *deinde totarum earum, deinde particularium ipsarum*, id est causarum secundarum

illas posteriorum; *deinde totarum (partium) participantium*: id est, Deus etiam causa est omnium participationum illarum, seu participatarum bonitatum simplicium et abstracte significatarum, quoniam causa est ipsius esse, vivere, intelligere, etc., *deinde particulariter earum participantium*, id est, infimorum quoque qui particularius et obscurius bonitates a Deo recipiunt.

Et quid oportet de his dicere, id est, quid necesse est de his plura inducere? *quando quidam divinorum nostrorum sacrorum magistrorum*, id est quum aliqui ex nostris magistris præcipui ac divini, *et per se ipsam bonitatis et deitatis substitutricem aiunt plusquam optimam et plusquam divinam per se ipsam bonitatem et deitatem*; id est, « bonitatem » primam, fontalem, imparticipatam, quæ est supra genus et ordinem, et « plusquam » optima et divina, prout nos optimum ac superdivinum capere possumus, asserunt « substitutricem bonitatis et deitatis per se », hoc est bonitatis et deitatis participatæ, vel abstracte universaliterque acceptæ: quæ tamen improprie dicitur per se ipsam bonitas ac deitas.

Dicentes eam boniformem et deiformem ex Deo procedentem donationem, et per se ipsam formam, id est bonitatem participatam et deificationem a Deo creaturis communicatam, quæ formaliter dicitur per se bona, seu bonitas, non efficienter. Estque forma quam etiam dicunt *per se ipsam formificam fusionem*, id est bonitatem a Deo effusam, formativam illorum quibus communicatur, *et totam formam*, secundum quod per se abstracte accipitur, *et particularem formam*, prout ab isto aut illo participatur, *et universaliter bona, et particulariter bona*.

Et quæcumque alia quæ secundum eumdem dicta sunt et dicuntur modum, id est dona simplicia et eminentia, generaliter et abstracte considerata, a Deo procedentia, *declarantia providentiam et bonitatem participatas ab exsistentibus, a Deo non participante provenientes*, id est, clare monstrantia « providentiam et bonitatem » communicatas superioribus causis a Deo, *copiosa fusione*, id est liberali donatione, *et superscatentes*, id est, supermanantes et copiose incidentes his quibus communicantur, quibus Deus proprietates et virtutes suas provisivas, causales, divinas communicat et infundit; *ut diligens omnium causalis, summitas omnium, et superessentiale et supernaturale, omnino superexcellit ea quæ sunt secundum qualemcumque essentiam et naturam*: id est, Deus universorum provisor sollicitus, omnium causativus, vertex cunctorum altissimus, et superessentiale principium supernaturaleque ens entium, incomparabiliter et penitus infinite transcendit omnia « quæ sunt secundum qualemcumque essentiam et naturam » id est, cujuscumque sint generis aut speciei vel ordinis.

Ex quibus patet solutio quæstionis S. Timothei: quæ rationabilis fuit, nec ista solutio difficultatem illius videtur plene auferre.

TRANSLATIO MARSILII FICINI

AGE, jam divinam conciliationisque principem pacem pacificis laudibus prosequamur. Hæc enim est quæ omnia unit, cunctorumque concordiam conspirationemque gignit et efficit. Quamobrem hanc appetunt omnia: quippe quum hæc partibilem horum multitudinem ad totam convertat unitatem, et intestinum universi bellum fœdere concordi devinciat. Præterea divinæ pacis participatione, conciliantium potestatum antiquiores tum ipsæ singulæ ad se ipsas et invicem ad unamque

universorum principem pacem conveniunt, tum etiam quæ sibi subjecta sunt ita congregant, ut et ad se ipsa et invicem et ad unum perfectum universalis omnium pacis conveniant auctorem. Qui sane universis individue præsidens, veluti claustris quibusdam divisa nectentibus, omnia definit et determinat atque communit; neque sinit divisa ad infinitum interminatumque diffundi, alioqui ordine firmitateque caritura, et tanquam Deo destituta unitatem propriam amissura, et invicem omnibus mixturæ modis penitus confundenda.

De ipsa igitur (quidquid tandem illa est) divina pace et quiete, quam sanctus Justus silentium vocat et secundum cogitabilem processum quemlibet immobilitatem, quo pacto quiescat et quasi silentium agat, et quomodo in se ipsa et intra se ipsam sit, et tota ad se totam eminenti ratione jungatur; ac neque dum se ipsam ingreditur seque multiplicat, suam relinquit unionem, sed et procedit ad omnia, intus tota manens, propter excessum unionis omnia superantis : neque dicere neque cogitare alieni exsistentium fas est aut possibile. Sed id quidem tanquam ineffabile ac prorsus ignotum, ipsimet tribuentes omnia transcendenti, nos interim intelligibiles ipsius explicabilesque participationes, idque ut viris possibile est, et ut possibile nobis, qui multis bonis viris inferiores sumus, consideremus.

Primo quidem dicendum, quod pax divina ipsius per se pacis et universæ particularisve pacis est auctor, et omnia contemperat invicem et commiscet unione quadam eorum invicem non confusa : per quam absque divisione distantiaque conjuncta simul, tamen integra in sua quæque specie permanent, per contrariorum admixtionem minime conturbata, neque quidquam obtundentia exactæ summæ illius sinceritatis omnia invicem unientis. Unam igitur quamdam simplicemque naturam unionis pacificæ contemplemur, cuncta sibi ipsi et sibi ipsis et invicem copulantem, et interim conservantem in complexu omnium inconfuso contemperata pariter et immixta. Per divinam pacem intellectus divini, sui ipsorum intelligentiis uniti, rebus quoque intellectis se conjungunt, rursusque ad incognitum scandunt eorum quæ super mentem sunt, contactum. Per divinam pacem animæ multiformes rationes suas cogentes ad unamque puritatem intellectualem congregantes, procedunt proprio sibi modo, via et ordine, per immaterialem impartibilemque intelligentiam, ad superiorem intelligentia unionem. Per divinam pacem unus indissolubilisque contextus omnium juxta divinam harmoniam suam exsistit, concentuque harmonico et integra consonantia consensioneque et cognatione mutua coaptatur, dum et sine confusione colligitur, et absque divisione procul dubio continetur. Perfectæ pacis integritas secundum simplicissimam sinceramque virtutis unificæ præsentiam omnia penetrat, uniens atque connectens per media cum extremis extrema per unam cognatam amicitiam conjugata; atque ultimis quoque universi determinationibus ut se fruantur indulgens, omniaque unitatibus, identitatibus, unionibus, congregationibus, cognata prorsus efficiens : dum videlicet divina pax nulli divisioni perstat obnoxia, et in uno omnia indicat, atque per omnia procedens, nusquam a propria identitate discedit. Pergit enim per omnia, singulaque pro suo quoque modo sui muneris participia reddit, et copia quidem pacificæ fecunditatis exuberat, et permanet interim per unitatis excessum tota ad totam ac per se totam sibimet excellenter unita.

Interrogabit forte quispiam, quonam pacto pacem cuncta desiderent, quum multa alteritate discretioneque gaudeant, neque sponte quiescere velint. Atqui si alteritatem discretionemque, qui sic objicit, suam cujusque rei proprietatem dicit, quodve hanc nullum eorum quæ sunt, id ipsum quod est exsistens, unquam perire velit; ne nos quidem id refragabimur, sed id quoque esse pacis desiderium confirmabimus : quippe

quum omnia cupiant secum ipsis pacem unionemque habere, atque in eo habitu permanere ut a se ipsis atque suis dimoveri decidereque non possint. Jam vero pax illa perfecta suam cujusque meram custodit proprietatem, pacificis providentiis suis omnia eorum a seditione confusioneque tam ad se ipsam quam ad alia servans, cunctaque stabili et nusquam declinante potentia ad ipsorum pacem immobilitatemque stabiliens. Quod si quæcumque moventur, non quiescere quidem, sed suo semper motu moveri cupiunt, rursus divinæ omnium pacis desiderium est : quæ quidem omnia in se ipsis servat ne forte labantur, et omnium quæcumque moventur proprietatem motricemque vitam, ne a se ipsa dimoveatur decidatve, custodit, quatenus quæ moventur secum ipsis pacem servantia eodemque se modo semper habentia, quæ sui sunt muneris peragunt. At vero si alteritatem illam quispiam ruinam ab omni pace prorsus accipiat, affirmetque pacem non esse cunctis optabilem : potissimum hoc asserimus, nihil usquam esse quod ab omni prorsus unione ceciderit. Quod enim penitus instabile infinitumque et nulla sede firmum, indefinitum fingitur, neque ipsum quidem per se quidquam est, nec exsistit in aliquo. Si quis autem objiciat illos paci pacisque bonis adversari, qui litibus et furoribus mutationibusque et instabilitatibus delectantur : respondendum, hos quoque exilibus quibusdam pacifici desiderii imaginibus occupari, dum affectibus multifariam agitantibus perturbantur, quos imperite sedare desiderant, sperantque se habituros pacem expletione jugiter affluentium, perturbantur vero semper, siquidem voluptates a quibus occupati sunt, minime consequuntur.

Quid autem de Christi clementia pacem profundente dicemus? per quam discimus non ultra pugnare, neque nobiscum, neque invicem, neque cum angelis; sed una cum ipsis potius divina pro viribus operamur, juxta Jesu providentiam : qui omnia in omnibus operatur, pacemque conficit ineffabilem ab ævo prædestinatam, nosque sibi in Spiritu reconciliat, ac per se et in se ipso Patri quoque conciliat. De quibus sane mirabilibus donis in Theologicis informationibus satis a nobis est dictum, sacrorum Eloquiorum inspiratione nobis testificante.

Sed quoniam alias quoque me per epistolam interrogasti quidnam esse dicerem ipsum per se esse, ipsam per se vitam, ipsam per se sapientiam ; dixistique te multum moveri, quod aliquando Deum dixerim ipsam vitam, aliquando vitæ ipsius auctorem : operæ pretium existimavi, sancte vir Dei, ab hac quoque de nobis concepta dubitatione te solvere. Ac primum quidem, ut quæ sæpe jam diximus nunc etiam repetamus, non est inter se contrarium, dicere Deum ipsam per se virtutem aut ipsam vitam, atque eumdem appellare ipsius vitæ vel pacis vel virtutis procreatorem. Illa quidem, ratione ex his quæ sunt, præcipue vero ex illis quæ primo sunt, tanquam omnium causa nominatur ; hæc autem, ut super omnia etiam quæ primo sunt, modo quodam super essentiam eminens. Quæris inter hæc, quid appellem ipsum per se esse, aut ipsam vitam, vel alia quotcumque absolute ac principaliter esse et ex Deo primum exsistere ponimus. Id vero non est obliquum, sed rectum, simplicemque interpretationem habet. Non enim substantiam quamdam divinam vel angelicam esse volumus ipsum esse, velut causam ut sint quæ sunt omnia. Solum namque ut sint quæcumque sunt, itemque ut sit hoc ipsum per se esse, principium est essentiaque et causa illud quod essentiam supereminet. Neque rursus deitatem aliam viventium omnium vivificam asserimus, præter vitam illam plusquam divinam, quæ et viventium omnium et ipsius vitæ sit auctor. Atque ut summatim dicam, non esse putemus principales illas et conditrices eorum quæ sunt, essentias atque substantias, quas nonnulli rerum deos atque conditores sibi pro arbitrio fingentes prædicare non dubitaverunt : quos, ut vere proprieque dixerim, neque ipsi noverunt (quippe qui non sunt), neque patres eorum. Sed

ipsum esse et ipsam vitam ipsamque deitatem, asserimus principaliter quidem et divine et secundum causam, unum illud principium causamque omnium super omnem principii et essentiæ rationem; participaliter autem, virtutes illas provisorias ex Deo imparticipabili procedentes, ipsam, inquam, ipsius essentiæ, vitæ, divinitatis traditionem: quarum dum omnia pro suo quæque modo participia sunt, nimirum et entia et viventia et divina sunt atque dicuntur, cæteraque similiter. Quamobrem Deus ipse bonus ipsorum quoque primorum auctor prædicatur, deinde ipsorum universorum, subinde ipsorum particularium, post hæc eorum quæ universaliter illa participant, postremo illorum etiam quæ particulari quadam conditione participant. Quid autem de his plura dicere me oportet? quandoquidem nonnulli ex divinis præceptoribus nostris, ipsius quoque per se bonitatis deitatisque auctorem Deum [vocant], qui supra bonitatem deitatemque exsistit, dicentes bonitatem ipsam atque deitatem esse beneficum deificumque donum ex Deo profectum. Ipsam quoque pulchritudinem appellant effusionem pulchritudinis effectricem: quæ quidem et pulchritudinem ipsam efficiat et universalem pulchritudinem particularemque, universaliter quoque pulchra et pulchra particulariter, et quæcumque alia eodem modo dicta sunt atque dicentur, declarantia videlicet providentias atque bonitates rebus participatas, ex imparticipabili Deo abundanti profusione procedentes ac largiter emanantes: ut qui est omnium causa, exactissima ratione sit super omnia; et quod super essentiam exstat atque naturam, quæcumque in aliqua essentiarum sunt penitus antecellat.

PARAPHRASIS ABBATIS VERCELLENSIS

DEINDE laudanda est pax divina pacificis laudibus, quæ est princeps congregationis. Ipsa est enim et unitiva omnium, et generativa consensus et connaturalitatis universorum. Unde et omnia eam desiderant convertentem divisibilem ipsorum multitudinem ad universalem unitatem, et unientem naturale bellum omnis rei sive universitatis ad conformem cohabitationem. Hujus pacis participatione, illæ virtutes quæ sunt inter congregativas angelicæ virtutis digniores, et ipsæ ad se ipsas et ad alias invicem uniuntur, et subjectas sibi virtutes uniunt ad unum et perfectum pacis omnium principium et causam: quæ simpliciter superveniens omnibus, omnia definit et terminat et firmat quasi quibusdam vectibus conclusivis divisorum, et non sinit divisiva effundi ad interminationem et infinitatem, inordinata et non collocata et deserta a Deo quidem bene facta sed a propria unitione exeuntia, in se invicem facit omnium harmonia conjungi.

Hanc divinam pacem et silentium S. Justus
Act. 1, 23 (de quo in Actibus) vocat ineffabilitatem et
A immobilitatem ad omnem cognitum processum. Scripta hujus apud nos non exstant. Quomodo autem Deus quiescit et silentium agit, quomodo etiam in se ipso et intra se ipsum est, et ad se ipsum totum totus superunitus est, et ad se ipsum ingrediens multipliciter se exsistentibus communicans, non derelinquit sui ipsius unitionem, sed procedit ad omnia, intus manens per excessum unitionis omnia superantis: neque fas neque possibile est alicui exsistentium dicere aut cogitare, sed hoc habetur ineffabile et ignotum in ipso, tanquam exsistente super omnes intelli-
B gibiles et dictas ipsius participationes, quibus solis ab exsistentibus cognoscitur. Et hanc ejus cognitionem inspiciemus prout possibile est viris, imo nobis, qui a multorum virorum sapientia deficimus.

Primo quidem dicimus, quod Deus ipsam per se pacem, tam universalem quam particularem, facit subsistere, et facit omnia ad se invicem concreta secundum inconfusam ipsorum unitionem, secundum quam omnia indivisibiliter et indistanter unita singula tamen

pura secundum propriam speciem subsistunt, non dilatata per concretionem ad sibi opposita, neque habentia diligentem unitionem aut simplificationem cum oppositis. Unam igitur quamdam et simplicem pacificæ unitionis contemplemur naturam, universa unientem sibi ipsi et singula sibi ipsis et omnia sibi invicem, et salvantem omnia in continentia omnium inconfusa et immixta et concreta. Propter quam divinæ mentes unitæ propriis intellectibus uniuntur et aliis unitis, et sursum ascendunt ad ignotam communionem collocatorum super mentem. Propter hanc etiam animæ unientes rationes suas largissime dispersas, et congregantes eas ad unam intellectualem puritatem, per immaterialem et simplicem intellectum perveniunt via et ordine juxta suam conditionem ad eam etiam unitionem quæ est super intellectum. Propter quam etiam unitionem pacificam subsistit una et indissolubilis omnium complexio secundum divinam sui ipsius harmoniam, et concordatur perfecta consonantia et consensu et connaturalitate, et est congregata inconfuse et contenta indivisibiliter. Perfecta enim universitatis pax transit ad omnia exsistentia secundum simplicissimam ipsius et immixtam unificæ virtutis præsentiam uniens omnia, et conjungens extrema extremis per media secundum unam connaturalem et conjunctam amicitiam, et extendens munera sua usque ad extremas creaturas, omnia consentientia facit unitatibus, identitatibus et congregationibus pace divina indivisibiliter stante, et in uno omnia monstrante, et per omnia proficiscente, et a propria identitate non recedente. Procedit enim ad omnia, et tradit se ipsam omnibus juxta singulorum proprietatem, et supermanat omnibus abundantia pacificæ fecunditatis, et manet in se propter excessum unitionis tota ad se totam et secundum se ipsam totam superunita.

Objicitur autem : Quomodo dicis omnia desiderare pacem ? multa enim gaudent alteritate et divisione et nunquam vellent * sponte quiescere. Solutio : Alteritas vel discretio dici potest cujuslibet rei proprietas, et secundum hoc concedimus quod nulla res velit eam aliquando amittere : et hoc ipsum pertinet ad desiderium pacis. Omnia enim appetunt ad se invicem pacem habere et uniri, et tam sua propria quam quæ sunt suorum, esse immobilia et non valentia deficere. Perfecta autem

* [illegible]

A pax est servativa puræ proprietatis singulorum, per providentias ipsius pacem donantes salvans omnia, ut sint non bellantia et inconfusa, tam singula ad se ipsa quam omnia ad invicem, et omnia stabili et inflexibili virtute statuens ad sui ipsorum pacem et immobilitatem. Et si omnia mota non quiescere sed moveri semper motu suo appetunt, hoc ipsum pertinet ad desiderium divinæ pacis omnium, salvantis omnia in eo quod non valeant cadere a se ipsis, et custodientis immobilem et non valentem deficere omnium motorum proprietatem et vitam motivam, in eo quod mota

B et ad se ipsa pacem habentia et eodem modo habentia operantur ea quæ sibi sunt naturalia. Si autem dicatur alteritas esse casus a pace, et conetur aliquis probare quod non appetunt omnia pacem, quia multa appetunt talem alteritatem : respondemus quod nihil est exsistentium quod ab omni unitione perfecte ceciderit. Quod enim omnino est instabile et interminatum et incollocabile et indefinitum, non exsistens est neque in exsistentibus. Si quis autem dicat illos inimicari paci et bonis pacis, qui litibus et furoribus et variationibus et instabilitatibus gaudent : responde-

C mus quod etiam tales afficiuntur quibusdam obscuris imaginibus pacifici desiderii, eo quod ipsi a passionibus propriæ concupiscentiæ multum impugnati, et illas sedare desiderantes, sed stulte, arbitrantur se pacem habere apud semetipsos per adimpletionem desideriorum suorum semper fluentium, eo quod perturbantur non consequendo delectationes quas appetunt.

Magnifice autem laudanda est pax quam divina benignitas effudit per Dominum Jesum : per quem non solum consopita est discordia hominis ad se ipsum, et hominis ad

D alium hominem, et hominis ad angelos, sed ut nos simul cum angelis secundum nostram possibilitatem divina operemur secundum providentiam Jesu omnia in omnibus cooperantis, et facientis pacem ineffabilem a sæculo prædefinitam, et reconciliantis nos sibi ipsi in Spiritu, et per ipsum et in ipso Patri. De quibus supernaturalibus donis in libro de Divinis characteribus sufficienter dictum est, accedente Scripturarum attestatione.

Quoniam autem alias me per epistolam interrogasti quomodo intelligam, per se esse, per se vitam, per se sapientiam ; et te super hoc dubitasse dixisti, quomodo aliquando di-

cam Deum esse per se vitam, aliquando autem per se vitæ substantificatorem : dignum duxi nunc te ab hac dubitatione absolvere. Et ne sæpe dicta nunc iterem, non sunt contraria, Deum esse per se vitam, et ipsum esse per se vitæ et per se pacis et per se virtutis substantificatorem. Dicitur enim per se vitæ, etc., sicut causa exsistendi omnibus exsistentibus, et maxime primo exsistentibus sanctificator*; aut per se vita, etc., sicut super omnia, et etiam super ea quæ prius sunt, superexsistens supersubstantialiter. Quæris autem, quid omnino diximus per se esse, aut per se vitam, aut quæcumque hujusmodi quæ absolute et principaliter ponimus in Deo subsistere. Dicimus autem quod hoc a veritate non deviat, sed habet simplicis veritatis manifestationem. Non enim aliquam dicimus substantiam, vel divinam, juxta idololatriæ errorem, vel angelicam, per se esse, quod sit causa essentiæ omnium, et ipsum esse substantiale, et principium rerum, et substantiæ causa. Neque dicimus aliam esse divinitatem generativam vitæ, præter superdeam vitam omnium viventium et causam ipsius per se vitæ. Et ut compendiose dicamus, non dicimus aliquas substantias aut personas esse principales exsistentium et creativas, quas idololatræ dixerunt esse, deos exsistentium et creatores per se facientes : quos vere et proprie non exsistentes nec ipsi sciverunt neque patres eorum. Sed dicimus unum omnium superprincipale et supersubstantiale principium et causam omnium divine et causaliter per se esse, et per se vitam, et per se deitatem. Et dicimus ipsam tamen esse per se substantificantem, per se vivificantem provisivas virtutes participaliter datas, et per se deificantem deificatos ex Deo, qui secundum suum supersimplex esse est imparticipabilis. Istis autem virtutibus exsistentia omnia juxta singulorum proprietatem participant, et ex hac participatione sunt et dicuntur et vivificantia et exsistentia et divina, et cetera hujusmodi. Propter quod divina bonitas primo dicitur esse substantifica-

* substantificator

A trix suorum invisibilium quasi radiorum superunitæ bonitatis ut sunt per se esse, per se vita, etc. ; secundo, primitivarum naturarum, quæ his omnibus perfectissime omnium creaturarum participant, ut est natura rationalis ; postea, particularium ipsius naturæ, ut angelorum et hominum, et graduum et ordinum sive angelicorum sive humanorum ; postea, inferiorum creaturarum, quæ dictis Dei donis non integre atque omnibus participant, sed particulariter : ut inanimata, quæ tantum sunt, neque vivunt ; vel animata, quæ sunt, vivunt et sentiunt, etc. Dignum est etiam B recitare super his sententiam quorumdam sanctorum magistrorum nostrorum (inter quos specialiter intelligitur designari S. Hierotheus cum aliis Apostolorum discipulis), qui dixerunt superbonam per se bonitatem et superdeam per se deitatem, esse substantificatricem per se bonitatis et per se deitatis, dicentes etiam bonificationem et deificationem esse donum ex Deo proveniens. Et idem dicunt de per se pulchritudine secundum quod est in Deo per se pulchrifica effusio, secundum quam divina invisibilia creaturæ se infundunt et communicant : quibus tamen quasi profun- C dius est in Deo omnium invisibilium suorum superunita et imparticipabilis simplicitas, secundum quam neque essentia, neque ratione ideali nec aliquo modo cogitabili vel intellectuali, distinguitur essentia a vita, vel sapientia, vel bonitate, etc. Et ex eodem etiam dono dicunt esse totales et particulares pulchritudinis influxiones quæ conferuntur cœlitus angelis et hominibus et inferioribus creaturis, et ipsa et pulchra, et vitam et viventia, et sapientiam et sapientia, et ita de aliis quibuscumque providentiis et bonitatibus participatis ab exsistentibus, et procedentibus ex Deo (qui secun- D dum se est imparticipabilis) copiosa effusione, et etiam supermanantibus ; et quod omnino omnium causa sit super omnia, et supersubstantialitas et supernaturalitas omnino excedens exsistentia secundum quamcumque substantiam et naturam.

CAPITULUM XII

DE SANCTO SANCTORUM, REGE REGUM, DOMINO DOMINORUM, DEO DEORUM.

SED quoniam quidem de his quæcumque dicere oportebat, competentem acceperunt (ut arbitror) finem, laudandus est nobis magnivocus ut Sanctus Sanctorum, et Rex regnantium, et regnans in sæcula et super sæcula et adhuc, et ut Dominus dominorum, et Deus deorum. Et primum quidem dicendum, quid per se ipsam sanctitatem esse arbitramur, quid regnum, quid dominationem, quid divinitatem, et quid volunt declarare Eloquia duplicatione nominum. Sanctitas igitur est, quantum secundum nos dicendum, omni inquinatione libera et perfectissima et incontaminatissima puritas. Regnum autem est omnis finis et ornatus et legis et ordinis distributio; dominatus vero, non subditorum excellentia tantum, sed et omnis et bonorum et optimorum perfectissima et omnimoda possessio, et vera et immutabilis firmitas (propter quod et dominatus, a domino et dominale et dominari); deitas vero, omnia considerans providentia et bonitate perfecta, et omnia circumspiciens et continens, et a se ipsa replens et superans omnia providentia sua fruentia. Hæc igitur in supereminente omnibus causa absolute laudanda sunt. Et addendum : ipsa supereminens est sanctitas et dominatus et regnum, et superinundans simplicissima deitas. Etenim ex ipsa in uno et cumulate nascitur et distribuitur omnis clara diligentia totius sinceræ puritatis; omnis exsistentium ordinatio et dispositio, inconvenientiam et inæqualitatem et immensurabilitatem exterminans, et in bene ordinatam similitudinem et rectitudinem resplendens et circumducens participare se digne facta ; omnis perfectio, et omnium bonorum omnimoda possessio ; omnis optima contemplatio et continuatio eorum quæ provisa sunt, se ipsam divinitus addens ad deificationem desiderantium.

Quoniam vero superplenitudo omnium est omnium causalis, secundum unam omnia superantem excellentiam, Sanctus Sanctorum laudatur, et cetera, secundum supermanantem causam et exaltatam supereminentiam. Tanquam si quis dixerit : Quantum superant non existentibus exsistentia sancta, divina, dominantia, regalia ; et ipsa participantia, ipsæ per se participationes : tantum supercollocatur omnibus exsistentibus qui est super omnia exsistentia, omnium participantium et participationum non participans causalis. Sanctos autem et reges et dominos et deos vocant Eloquia ipsas in singulis principaliores dispositiones, per quas secundæ ex Dei donis accipientes, illarum distributionis simplicitatem circa suas differentias multiplicant : quarum præstantes varietatem provide et deiformiter ad unitatem ipsam quæ est earum congregant.

ARTICULUS XCVIII

ELUCIDATIO PARTIS PRIMÆ HUJUS CAPITULI DUODECIMI : QUID SIT PER SE SANCTITAS, REGNUM, DOMINATIO, DEITAS ; ET QUALITER DEO ATTRIBUANTUR.

HIC ad particulariora quædam nomina A Dei descenditur.

Sed quoniam quidem de his quæcumque dicere oportebat, competentem acceperunt (ut arbitror) finem, id est, ex quo de præinductis Dei nominibus congruenter satis tractatum est, ita quod ea quæ
Cf. p. 9 A. oportuit in hoc libro secundo de eis dici, jam expedita sunt, *laudandus est nobis magnivocus*, id est, Deus magnorum nominum a « nobis » modo « laudandus est », *ut Sanctus Sanctorum :* qui ita vocatur
Dan. IX, 24 apud Danielem, quo scriptum est, Ungatur B Sanctus Sanctorum ; *et Rex regnantium, et regnans in sæcula et super sæcula*,
Is. IX, 7: id est in perpetuum : unde in Isaia, Mi-
Mich. V, 2; Zach. IX, 9. chæa, Zacharia, et alibi, multa leguntur ;
* et adhuc: et ut *et adhuc* * *ut Dominus dominorum, et Deus deorum*. De quo in Apocalypsi dici-
Apoc. XVII, 14 tur : Agnus Dominus dominorum est et Rex regum ; et, Habet in vestimento et
Ibid. XIX, 16. in femore suo scriptum, Rex regum et
Josue II, 11. Dominus dominantium. Et Josue ait : Deus vester, Deus deorum est.

Et primum quidem dicendum, quid C *per se ipsam sanctitatem esse arbitramur, quid regnum, quid dominationem, quid divinitatem, et quid volunt declarare Eloquia duplicatione*, id est geminatione, *nominum* horum.

* igitur *Sanctitas ergo* * *est, quantum secundum nos dicendum*, id est, secundum quod a nobis dicendum videtur, *omni inquinatione libera et perfectissima et incontaminatissima puritas*. Istud increatæ sanctitati convenit absolute, quæ sola est perfectissima, loquendo simpliciter. De- D inde per imitationem convenit sanctitati Beatorum, qui comparatione viatorum, sunt sanctitatis multum perfectæ in genere suo, et quæ nusquam ulla culpa respersa est, imo nec veniali. Potest quoque aliqualiter sanctitati viatorum competere, in quibus sanctitas est virtutum perfectio, immunitas ab omni mortali, actio virtuosa undequaque, id est ex omni parte perfecta.

Regnum autem est omnis finis et ornatus et legis et ordinis distributio. Hoc de regnatione activa Regis summi, qui Deus est, potissime verificatur. Ejus enim regnatio « est distributio omnis » et perfecti « finis » atque salutis, ad quem finem ordinatur seu tendit regnatio ejus, « et ornatus », id est decoris, præsertim interioris, ac honestatis, « et legis », id est, congeriei præceptorum, « et ordinis », id est decentis ac debitæ ordinationis. Ceteris autem regnantibus per analogiam aliquam congruere potest ista descriptio, ita quod cujuslibet regnantis est collectioni toti sibi commissæ præfigere finem, ad decorem virtutum inducere, jussionem proponere, ad ordinatam conversationem hortari, exstirpareque vitia et excessus corrigere.

Dominatus vero, non subditorum excellentia tantum, id est, dominatio activa non solum est præeminentia præsidentis super subjectos, *sed et omnis et bonorum et optimorum perfectissima et omnimoda possessio, et vera et immutabilis firmitas*. Hoc soli increato dominio convenire censetur, in quo dumtaxat consistit « omnimoda bonorum et optimorum possessio, et immutabilis firmitas ». Hinc Deo proprium est dominari, et Dominum appellari, juxta illud Psalmi : Dominus nomen illi. [illegible]

Dominus ergo quo major, eo melior esse A debet, et firmus ac stabilis in omni prudentia et virtute, quemadmodum et de judice Philosophus ait, quod debet esse quasi lex viva et animata justitia, ut nunquam declinet a veritate et æquitate. *Propter quod et dominatio, a domino et dominante et dominari.* Hoc aliæ translationes clarius expresserunt, dicendo : Idcirco Græco vocabulo ab auctoritate et proprietate et dominatione deducitur; et alia : Unde ab eo quod est divinum facere, dicitur dominatio, et dominus, et dominans. B

Deitas vero, omnia considerans providentia et bonitate perfecta, id est, « deitas » dicitur quasi intuens universa provisione et virtute completa. Hinc providere et causare, sunt proprietates divinæ. Unde subjungitur : *et omnia circumspiciens et continens, et a se ipsa replens et superans omnia providentiæ suæ fruentia*, id est, omnia corda quæ fruuntur seu sustentantur provisione Dei excedentis in opulentia, potestate ac magnificentia. Hinc Damascenus nono primi libri ait capitulo : Nomen θεός, id est Deus, dicitur vel ab eo quod C est θέειν, id est currere, vel curare aut fovere universa; vel ab αἴθειν, quod est ardere, quoniam ipse consumit malitiam; vel a θεᾶσθαι, quoniam omnia contemplatur et inspicit.

* quæ *Hæc ergo** *in supereminente omnibus causa absolute laudanda sunt. Et addendum : quia superexcellens est sanctitas*, id est, hoc est adjiciendum, quod « ipsa est sanctitas » superexcellens, *et dominatio et regnum*, sicut expositum est, *et super-* D *eminens simplicissima deitas*, id est, deitas vera, quæ est unitas simplicissima, omnibus est intenta.

Etenim ex ipsa in uno et cumulate nascitur, id est, ipsa « in uno » suo simplicissimo esse, bonum includit et quasi collective complectitur, atque ab ea oritur, *et distribuitur omnis clara diligentia totius sinceræ puritatis*, id est seriositas vera circa habendam seu conservandam vel perficiendam mentis munditiam. Etenim beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. In Proverbiis quoque dicitur : Qui diligit cordis munditiam, amicum habebit regem. Apostolus item ad Hebræos : Pacem (inquit) sequimini cum omnibus et sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum.

Matth. v, 8.
Prov. xxii, 11.
Hebr. xii, 14.

Omnis existentium ordinatio et dispositio. Ab ipso enim est omne bonum, præcipue in rationali creatura, in qua potissime Dei donum est, quod omnia peragat ordinate, dicente Apostolo, Omnia honeste et secundum ordinem fiant in vobis; *inconvenientiam et inæqualitatem et immensurabilitatem exterminans*, id est, ab electis exstirpans « inæqualitatem » justitiæ contrariantem, incongruentiam morum, « et immensurabilitatem », id est improportionem unius ad alterum, ut unusquisque studeat se alteri conformare in bonis, nec singularis exsistat, juxta illud Apostoli : Ne ponatis offendiculum fratri vel scandalum; et rursus : Unusquisque (inquit) proximo suo placeat in bonum ad ædificationem. *Et in bene ordinatam similitudinem et rectitudinem resplendens et circumducens participare se digne facta*, id est, corda « digne » parata ipse « circumducens in similitudinem », id est conformitatem, « bene ordinatam, et » in « rectitudinem » æquitatis : qui habitare facit unius moris in domo. Contra quod dicitur de quibusdam a Juda apostolo : Hi sunt qui segregant se ipsos, animales, spiritum non habentes.

I Cor. xiv, 40.
Rom. xiv, 13.
Ibid. xv, 2.
Ps. lxvii, 7.
Judæ 19.

Omnis perfectio, et omnium bonorum omnimoda possessio; omnis optima contemplatio et continuatio eorum quæ provisa sunt, se ipsam divinitus addens ad deificationem desiderantium : id est, is qui superexcellenter et essentialiter ac simplicissime est « omnis » et tota « perfectio, et omnium bonorum » possessor et « possessio » ipsa omni modo plenissima; contemplator summus et « contemplatio optima », continuator et causa continuationis et connexionis eorum quæ providit et præordinavit, « se ipsam » est

« addens », id est, gratiose præbens et exhibens præsentem et succurrentem, « ad deificationem desiderantium », id est ad assimilandum eos Deo piissime qui ipsi A uniri, placere reverenterque obsequi ex corde affectant. Unde in libro Job asseritur : Si direxerit homo cor suum ad Deum, spiritum illius et flatum ad se trahet. *Job xxxiv. 14*

ARTICULUS XCIX

QUID INTENDANT SCRIPTURÆ DEMONSTRARE PER DICTORUM NOMINUM GEMINATIONEM.

Quoniam vero superplenitudo omnium est omnium causalis, id est, quum causa universorum sit « superplenitudo omnium », id est, plenissime comprehendens in se perfectiones rerum cunctarum, *secundum unam omnia superantem excellentiam*, id est per unam suam simplicissimam perfectionem, qua omnia in infinitum excellit, *Sanctus Sanctorum laudatur, et cetera*, utpote Rex regum, Deus deorum, etc., *secundum supermanantem causam*, id est per suam excedentissimam causalitatem, *et exaltatam supereminentiam*.

Tanquam si quis dixerit : Quantum superat non exsistentibus exsistentia sancta, divina, regalis *, id est, quam incomparabiliter exsistentia sancta, divina et regia, non exsistentibus seu non exsistentiis præeminet, *et ipsa participantia, ipsæ per se participationes*, id est, quantum simplices bonitates divinæ excedunt in dignitate inferiora quæ illas participant ; *tantum supercollocatur omnibus exsistentibus qui est super omnia exsistentia*, utpote Deus, *omnium participantium et participationum non participans causalis*, id est, causa a nullo quidquam « participans », causa, inquam, « omnium participantium », id est creaturarum, quæ a Deo omne quod sunt et habent, participant, « et participationum », id est actionum seu passionum per quas participare dicuntur ; vel, « participationum », id est bonitatum participatarum.

** Quantum superant non exsistentibus exsistentia sancta, divina, dominantia, regalia*

B *Sanctos autem et reges et dominos et deos vocant Eloquia ipsas in singulis principaliores dispositiones*, id est, Scripturæ illas « dispositiones », id est ornatas ac decoras essentias seu personas inter creata « principaliores, vocant sanctos et reges » ac « dominos » atque « deos », *per quas secundæ*, id est inferiores, *ex Dei donis accipientes, illarum distributionis simplicitatem circa suas differentias multiplicant*, id est, dividunt et plurificant « simplicitatem distributionis il- C larum », id est simplicia dona distributa ipsis a superioribus illis, « circa differentias » illas, id est circa diversa et varia quibus influunt, vel juxta propriam suam varietatem et distinctionem. Nempe quo magis dona illa a suo primo fonte recedunt, eo plus diversificantur, sicut in libro de Causis et Proclo ostenditur. Porro prima illa et splendidiora creata quæ præ ceteris abundantius sortiuntur divinas proprietates, tam in Scripturis quam apud Philosophos merito nuncupantur rectores D et reges, dii et domini, ac etiam sancti, ratione saltem officii, prout hoc supra variis auctoritatibus est ostensum.

Quarum præstantes varietatem provide et deiformiter ad unitatem ipsam quæ est earum congregant, id est, « quarum » essentiarum « præstantes », id est digniores, « congregant », id est, reducunt, simplificant et convertunt, « varietatem », id est multiplicia dona illa ab inferioribus participata : reducunt, inquam, « provide et

deiformiter », id est sapienter ad Dei imitationem omnia ad se reducentis tanquam ad ultimum finem, « ad unitatem ipsam quae est earum », id est ad propriam unitatem sicut ad causam illarum, finaliter tamen ad Deum et ejus gloriam ac honorem, ac veluti ad causam primam ac finem ultimum et supremum.

TRANSLATIO MARSILII FICINI

QUONIAM vero quæ de his dicenda erant, finem (ut videtur) congruum acceperunt, laudare jam decet Deum infinitis nominibus præditum, ut Sanctum Sanctorum, ut Regem regum, ut regnantem æternum et in æternum et ultra, ut Dominum dominorum, Deum deorum. Ac primo quidem dicendum est quid ipsam sanctitatem esse putemus, quid regnum, quid dominationem, quid deitatem ; quid rursus sacra Eloquia sibi velint dum hæc nomina geminant. Sanctitas quidem est, ut secundum nostra loquamur, puritas quædam ab omni scelere libera, atque perfecta et prorsus incontaminata munditia. Regnum vero est omnis termini ornatusque et juris et ordinis distributio ; dominatio autem, non modo adversum deteriora eminentia quædam, sed omnis quoque honestorum atque bonorum perfecta possessio, veraque et immutabilis firmitas : quapropter κυριότης, id est dominatio, ab auctoritate et proprietate et imperio ducitur ; θεότης autem, id est deitas, est omnia prospiciens providentia, perfecta providens bonitate, et circum omnia currens et continens, seque omnia replens, omnia denique supereminens quæ illius providentia perfruuntur. Hæc igitur in causa omnibus eminente absolute laudanda sunt, appellandumque illam supereminentem sanctitatem, dominationem, regnumque præcellens, et simplicissimam deitatem. Ex se ipsa enim in uno simulque exorta est et distributa omnis absolutio mera totius sinceræ munditiæ ; item omnis rerum ordo ornatusque distinctus, inconcinnitatem et inæqualitatem incongruentiamque eliminans, et ad ordinatissimam identitatem rectitudinemque gestiens, et quæ participationem illius promeruerunt circumagens ; rursus omnis pulchrorum bonorumve omnium perfecta possessio ; omnis denique divina providentia, prospiciens et continens quæ providentur, se (ut Divinitate dignum est) ad eos exhibens qui convertuntur, Divinitate formandos.

Quoniam vero Deus ille omnium procreator eminenter omnium plenus est per unum eminentem cunctis excessum, Sanctus Sanctorum prædicatur, et reliqua, per exuberantissimam causam eminentiamque supremam. Ac si dicamus : Quantum ea quæ talia sunt, scilicet sancta, divina, dominantia, regnantia, antecellunt illa quæ non sunt talia, itemque participationes ipsæ participantia vincunt ; tantum et omnia quæ sunt superantur ab illo qui omnia entia supereminet, atque participantium participationumque omnium est imparticipabilis auctor. Sanctos autem et reges et dominos atque deos sacræ Litteræ nominant gradus eos qui in singulis ordinibus principaliores exsistunt, per quos deinde sequentes divina percipientes munera, traditionis illorum simplicitatem juxta suas multiplicant differentias : quorum varietatem illi supremi provide atque divine ad suam colligunt unitatem.

PARAPHRASIS ABBATIS VERCELLENSIS

RESTAT laudare Deum secundum quod dicitur Sanctus Sanctorum, Rex regum et regnator sæculorum et in sæculum, Dominus dominorum, et Deus deorum. Primo autem videndum est quid sit sanctitas in se, quid regnum, et quid dominatio, et quid deitas; deinde quid sibi velit talis nominum reduplicatio, ut dicatur Sanctus Sanctorum, etc. Sanctitas ergo, ut nobis videtur, sic recte describitur : sanctitas est munditia libera ab omni immunditia, et perfecta et omnino immaculata. Dominatio autem est non tantum excessus inferiorum, sed universalis perfecta et omnimoda possessio pulchrorum et bonorum, et fortitudo vera et non valens decidere : unde a dominio tali dicitur et dominatio et dominus et dominans. Deitas autem dicitur providentia quæ videt omnia, perfecta bonitate omnia circumspiciens et continens, et se ipsa implens et excedens omnia quæ participant providentia. Hæc autem scilicet sanctitatem, dominationem, deitatem, et similia, convenit laudare in Deo (qui est causa omnium) tanquam absoluta et simplicissima, et ab omnibus segregata. Et addendum est ipsam causam esse excedentem sanctitatem, et dominationem, et regnum superpositum, et simplicissimam deitatem. Et ex ipsa simplici unitate collective subsistit et distribuitur omnis munda diligentia omnis claræ munditiæ; omnis exsistentium ordinatio et ornatus, inconvenientiam et A inæqualitatem exterminans, et delectabiliter producens ad bene ordinatam et identitatem et directionem ea quæ apud ipsam digna habentur ipsius participatione; et ex ipsa est omnis omnium pulchrorum perfecta possessio, omnis bona providentia contemplativa et contentiva electorum, benigne tribuens se ipsum ad deificationem ad se conversorum.

Quoniam ergo Deus, qui secundum unum excessum omnia excedentem causa est omnium, superplenus est omnibus bonis et pulchris; ideo dicitur Sanctus Sanctorum, Rex regum et Dominus dominantium et cetera, secundum cau- B sam supermanantem et segregatum ab omnibus excessum. Ac si diceretur : In quantum sanctissima et divinissima et dignissima exsistentia excellunt infimis, et participata participantibus; in tantum collocatur super omnia etiam sanctissima et dignissima Deus, qui est super omnia exsistentia, et qui est imparticipabilis in se causa omnium participantium. Sanctos autem, reges et dominos et deos, vocant sacræ Scripturæ principaliores in singulis ordinibus, per quos sui inferiores accipientes divina munera multiplicant simplicitatem distributionis illorum munerum circa differentias sui ipso- C rum, unitæ simplicitatis participationes variis varie distribuendo, et in se retinendo pleniores : qui et varias inferiorum proprias participationes congregant provisive et deiformiter ad propriam unitatem.

CAPITULUM XIII

DE PERFECTO ET UNO.

TANTA et de his. In hoc autem residuum (si videtur) sermonem fortissimum collocemus. Etenim Theologia de omnium causa, et omnia et simul omnia prædicat, et ut perfectum solum et ut unum laudat. Perfectum quidem ergo est, non solum ut per se ipsum perfectum, secundum se ipsum a se ipso uniformiter segregatum, et totum per totum perfectissimum; sed et ut plusquam perfectum,

secundum omnium excellentiam, et omnem quidem multitudinem terminans, omni vero summitati superexpansum, et a nullo locatum aut comprehensum, sed extentum in omnia simul et super omnia non deficientibus augmentis et infinitis operationibus. Perfectum iterum dicitur, et velut non auctum, et semper perfectum, et ut indiminutum, ut omnia in se ipso superans et supermanans secundum unam et incessabilem et eamdem per se superplenam et non minoratam largitatem, per quam perfecta omnia perficit, et propria replet perfectione.

Unum vero, quia omnia universaliter est per unius unitatis excellentiam, et omnium est unius irreversibiliter causalis. Nullum enim exsistentium est non participans unius : sed sicut simul omnis numerus monade participat, et unum duo et decem dicitur, et semis unum, et tertium et decimum unum ; sic omnia et omnium pars unum participant, et essendo unum omnia sunt exsistentia. Et non est omnium causa unum, multis unum ; sed ante omne unum et multitudinem, et omne unum et multitudinem terminat. Neque enim est multitudo non participans quid unius : sed hoc quidem multa partibus, unum toto ; et hoc multa accidentibus, unum subjecto ; et hoc multa numero aut virtutibus, unum specie ; et hoc multa speciebus, unum genere ; et hoc multa processibus, unum principio : et nihil est exsistentium quod non participat quid unius, deorsum omnia, singulariter omnia, et tota omnia et opposita universaliter comprehendentis. Et quidem sine uno non erit multitudo, sine autem multitudine erit unum : sicut et monas ante omnem numerum multiplicatum. Et si in omnibus omnia unita quis posuerit, omnia erunt toto unum. Sed itaque et hoc cognoscendum, quia secundum quod uniuscujusque præcogitata est species, unire dicitur unita, et omnium est unum exemplar. Et si interimas unum, neque universitas, neque pars, neque aliud aliquid exsistentium erit : omnia enim in se ipso unum uniformiter præambit et comprehendit.

Ipsa igitur Theologia totam Thearchiam, ut omnium causam, laudat unius
I Cor. VIII, 6 vocabulo, et unus Deus Pater, et unus Dominus Jesus Christus, unus autem et ipse
[illegible] Spiritus, per superexcellentem totius divinæ unitatis impartibilitatem, in qua omnia
singulariter connectuntur et superuniuntur, et adest superessentialiter. Proinde et
Rom. XI, 36 omnia in ipsam juste remittuntur et referuntur, sub qua, et ex qua, et per quam, et in qua, et in quam, omnia sunt, et coordinantur, et manent, et continentur, et replentur, et convertuntur; et non invenies quid exsistentium quod non in uno, secundum quod omnis deitas superessentialiter nominatur, et est hoc quod quidem est, et perficit et salvat. Et oportet nos ex multis in unum virtute divinæ unitatis conversos, unitim laudare totam et unam Deitatem omnium causam, unum quod est ante omne unum, et multitudinem, et partem, et totum, et definitionem, et infinitum, et summitatem, et terminum, et magnitudinem, et omnia exsistentia ; et ipsum esse terminans et omnium et universorum omnium, et simul et ante omnia et super omnia, et singulariter causa, et super ipsum unum ens, et ipsum unum terminans : quoniam ὂν unum in exsistentibus numerabile est, numerus autem essentiam participat. Superessentiale autem unum, et ens unum et omnem numerum

terminat, et ipsum est ab uno numeri omnis exsistentis principium et causa et numerus et ordo. Idcirco et unitas laudatur et trinitas, super omnia Deitas. Non est neque unitas neque trinitas, aut a nobis aut alio quodam exsistentium cognita. Sed etsi superadunatum ejus divinamque fecunditatem vere laudemus triadica et monadica divina nominatione, plusquam nominabilem nominamus in essentiis superessentialem. Neque una monas aut trinitas, neque numerus, neque unitas aut fecunditas, neque aliud quid exsistentium aut cuidam exsistentium cognitum, educit super omnia et verbum et intellectum in obscuritatem, super omne et verbum et intellectum superessentialiter superessentialis superdivinitatis; neque nomen ejus est neque verbum, sed in inviis exaltatur. Et neque ipsum quod est bonitatis nomen tanquam adunantes ei proferimus; sed desiderio intelligendi quid et dicendi de ineffabili natura illa, nominum pretiosissimum ei primo devovemus. Et consonabimus forsan in hoc theologis, rerum autem veritate relinquemur. Idcirco et ipsi per depulsiones invium præhonorificaverunt, sic excedente anima suis cognationibus, et per omnes divinas intelligentias proficiscente, quibus removetur quod est super omne nomen, et omne verbum et scientiam; novissimorumque omnium ipsum contingente, quantum et nobis illud contingere possibile est.

Has nos intellectuales divinas nominationes concordantes, quantum licet, replicavimus : non solum eorum diligentia deficientes (hoc enim et vere angeli dixerint), neque juxta angelos ex eorum hymnodia (et novissimis enim relinquuntur potentissimi apud nos theologorum), neque quidem eorum theologorum, neque eorum philosophantium aut consequentium, sed et ipsa similiter laude nobis ordinatorum novissime et subjecte. Itaque si recte quidem se habent quæ dicta sunt, et quantum juxta nos est, vere tetigimus virtutem Dei voce replicationis; in omnium bonorum causalem actus referendus, donantem primo se dicere, deinde benedicere. Et si quid similium virtutum prætermissum est, et illud nos secundum easdem artes ad obaudiendum deprecamur. Si autem hæc aut non recte aut imperfecte habent se, et veritate aut universaliter aut particulariter aberravimus; tuæ sit humanitatis corrigere non voluntarie ignorantem, et tradere verbo discere deprecanti, et suffragari non sufficientem virtutem habenti, et sanare nolentem ægrotare, et quædam quidem a se ipso, quædam vero ab aliis invenientem, omnia autem ex Deo accipientem, et
* nos in vos* transferre. Numquid affliges amicum virum benefaciendo? Vides enim quia et nos nihil traditorum nobis hierarchicorum verborum in nosmetipsos contraximus, sed sollicitos nos, et vobis et aliis divinis viris tradidimus et trademus, si
* nullo sic nos dicere idonei, et quibus dicuntur audire : in nulla* traditione injuriam facientes, si non forsitan ad intelligentiam aut expositionem eorum infirmemur. Sed hæc quidem, peto, Deo amicum habeat et dicat. Et sit nunc hic intellectis divinis vocabulis secundum nos finis : quoniam symbolicam theologiam, duce Deo, transcendemus.

ARTICULUS C

ELUCIDATIO INITII CAPITULI HUJUS TERTII DECIMI : QUALITER DEUS DICATUR PERFECTUS.

MODO edocet sanctus iste theologus, A qualiter Deo conveniant nomina ista, unus et perfectus.

Tanta et de his, id est, de nominibus quatuor de quibus in præcedenti capitulo est tractatum, dicta sunt tanta. *In hoc autem residuum (si videtur) sermonem fortissimum collocemus*, id est, in isto capitulo introducamus « sermonem residuum » hujus libri « fortissimum », id est, de profunda materia pertractantem. Alia littera habet Brevissimum.

Etenim Theologia de omnium causa, et B *omnia et simul omnia prædicat*, id est, Scriptura affirmat de Deo « omnia », imo « et omnia simul » sicut expositum est, per causam, ita quod ipse dicitur omnia causaliter seu per supereminentiam. Unde dicit Apostolus : Ut sit ipse Deus omnia in omnibus. (I Cor. xv, 28.) *Et ut perfectum solum et ut unum laudat*, id est, Scriptura « laudat » Deum « ut perfectum », imo ut « solum » perfectum, quia docet eum simpliciter esse perfectum ; laudat quoque eum « ut unum ».

Perfectum quidem ergo est, id est, Deus C « est » ens certe « perfectum », *non solum ut per se ipsum perfectum*, id est non tantum ut ex se et propria sua natura perfectum, *secundum se ipsum*, hoc est sine respectu ad aliud, seu ut spectat ad eminentiam ejus, *a se ipso*, id est non per receptionem ab alio, *uniformiter segregatum*, id est separatum ab omnibus uno simplici modo per infinitam excellentiam suam, non per localem distantiam, *et totum per totum*, id est in cunctis omnino et in omni attributo suo, in esse quoque D ac posse et agere, *perfectissimum ; sed et ut plusquam perfectum*, id est magis perfectum quam intelligere valeamus aut dicere, *secundum omnium excellentiam*, id est per excessum prorsus immensum universarum perfectionum ac nobilitatum in ipso.

Et omnem quidem multitudinem terminans, id est, omni multitudini finem numerumque imponens ; nec vult aliquid in creaturis esse infinitum multitudine aut magnitudine, qui in numero et pondere et mensura constituit universa ; (Sap. xi, 21.) *omni vero immensitati superexpansum*, id est omni altitudini ac vertici rerum superelevatum, et quasi omnia operientem, *et a nullo locatum aut comprehensum*, quum ipse sit incircumscriptus, *sed extentum in omnia simul et super omnia*, non quantitate, sed virtute et influentia, *non deficientibus augmentis*, id est, indeficientibus suæ majestatis porrectionibus, *et infinitis operationibus*, id est incessabilibus influxibus.

Perfectum iterum dicitur, et velut non actum *, id est non factum a quoquam, *et semper perfectum, et ut indiminutum*, id est a nullo minoratum, *ut omnia in se ipso superans*, id est transcendens, *et supermanans*, id est, copiosissime desuper fluens seque communicans, *secundum unam et incessabilem et eamdem per se superplenam et non minoratam largitatem*, id est per suam infinitam liberalitatem, a cujus tamen plena receptione cuncta deficiunt infinite, *per quam perfecta omnia perficit*, id est perfecta creata, quæ non sunt simpliciter et absolute perfecta, ideo perfici queunt, et quoad hoc etiam perfici aliquando asseruntur, quod in concessa eis perfectione conservantur, *et propria replet perfectione*, id est participatione suæ propriæ perfectionis, vel « perfectione » illis « propria », id est, proprie convenienti : quæ repletio fit in aliquibus successive ac tempore opportuno.

* auctum

ARTICULUS CI

QUOD OMNIA UNO ALIQUALITER PARTICIPENT.

UNUM vero, quia omnia universaliter est per unius unitatis excellentiam, id est, Deus dicitur « unum, quia » ipse « est omnia » communiter « per excellentiam » suæ simplicissimæ « unitatis », quæ in se omnem includit perfectionem, et causa est omnium ceterorum : ideo sequitur, *et omnium est unius irreversibiliter causalis*, id est inseparabiliter causa, ita quod eo se abstrahente, nihil posset fieri aut durare.

Nullum enim exsistentium est non participans unius. Hoc jam frequenter expositum est, et probatum ex Proclo. *Sed sicut simul omnis numerus monade participat*, id est unitate, quæ est principium numerorum, *et unum duo*, id est unus binarius, *et decem dicitur, et semis unum, et tertium et decimum unum*, id est, dicitur una decas, et unum dimidium, et tertium ac decimum unum, ita quod unum applicatur et sociatur cunctis numerorum speciebus; *sic omnia et omnium pars unum participant*, id est, « omnia » simul « et » quælibet « pars participant unum », quemadmodum Proclus probat : Omnis (inquiens) multitudo participat aliqualiter uno ; *et essendo unum omnia sunt exsistentia*, id est, cuncta quæ sunt, exsistunt seu « sunt unum essendo ». Unde ait Boetius : Omne quod est, ideo est, quia unum numero est ; itemque : Omnia (inquit) quæ a primæva rerum origine processerunt, ratione numerorum creata sunt.

Et non est omnium causa unum, multis unum, id est, unum jam pluribus communicatum et inexsistens, non est omnium causa ; *sed ante omne unum et multitudinem, et omne unum et multitudinem terminat* : id est, unum primum et increa-

A tum, quod est « ante omne unum » causatum, omni quoque multitudini mensuram terminumque præfixit. Hinc alia habet translatio : Neque enim est unum illud omnium causa, unum ex pluribus : sed ante unum omne omnemque multitudinem, uniusque omnis ac multitudinis definitivum.

Neque enim est multitudo non participans quid unius, id est aliquid unius. *Sed hoc quidem multa partibus, unum toto*, id est, aliquid potest dici quodammodo

B « multa » propter multitudinem vel diversitatem partium ejus, quod tamen est « unum » supposito seu « toto » composito ; *et hoc multa accidentibus, unum subjecto*, ut album et musicum ; *et hoc multa numero aut virtutibus, unum specie*, ut individua speciei ejusdem ; *et hoc multa speciebus, unum genere*, ut homo, leo, rhinoceros ; *et hoc multa processibus, unum principio* : ut creaturæ quæcumque distinctæ ab invicem per emanationes diversas, unificantur in uno creatore.

C *Et nihil est exsistentium quod non participat quid unius*, id est, nullum est ens quod non participet unum quoad aliquid, *deorsum omnia, singulariter omnia, et tota omnia et opposita universaliter comprehendentis* : id est, quod unum increatum virtualiter ac idealiter complectitur, habet et continet in se singulariter et distincte : hoc habent multipliciter et divisim universa et singula quæ sunt sub ipso, « omnia » scilicet « tota », composita et supposita, atque eorum « opposita ».

D Deinde probat quod unum est ante multa. *Et quidem sine uno non erit multitudo, sine autem multitudine erit unum : sicut et monas ante omnem numerum multiplicatum.* Unitas namque respectu

multitudinis seu multorum habet se in ratione causae atque principii, quod secundum id quod est, utpote materialiter sumptum, potest esse ac remanere, causato ac posteriori subtracto. *Et si in omnibus omnia unite quis posuerit*, id est, « si omnia » ponantur conjuncta « in omnibus » sicut Anaxagoras dixit quodlibet esse in quolibet, *omnia erunt tota unum*, id est, adhuc nihilominus « omnia » simul sumpta « erunt unum » in hujusmodi « toto » resultante ex omnibus illis.

B *Sed itaque et hoc cognoscendum, quia secundum quod uniuscujusque praecogita vel species, unire dicitur unita*, id est, prout natura, forma seu ratio quarumlibet rerum praeconcepta est ab agente, praesertim a primo opifice, secundum hoc connectit ea quae illam participant et in ipsa conveniunt atque communicant, *et omnium est unum exemplar*, id est, talium « omnium » est una ratio exemplaris, in mente potissime summi artificis : sicut et Avicenna testatur, et Aristoteles septimo C Primae philosophiae, affirmans domum et sanitatem quae sunt in rebus ad extra, esse ex domo et sanitate quae sunt in mente, id est ex formis et similitudinibus intelligibilibus quae sunt in praeconceptione et animo artificis. Hinc aliae translationes evidentius habent : Juxta uniuscujusque speciem ante conceptam in animo, conjuncta esse dicuntur quae conjuncta sunt : estque unum omnium veluti elementum, id est primordiale exordium. Juxta quem sensum dixit Boetius quod formae quae sunt D in materia, fluunt ex formis quae sunt in mente ac lumine primae causae et intelligentiae.

Et si interimas unum, id est, si dicas unum non esse, *neque universitas, neque* A *pars, neque aliud aliquid existentium erit*, id est, sequetur et concludetur ex verbis tuis, quod non erit aliquid unitum, neque compositum, nec universum, et per consequens, nihil.

Hoc Proclus diffuse ac subtilissime probat, dicendo : Si multitudo nullatenus participaret uno, neque totum esset unum, neque unumquodque multorum ex quibus est multitudo, esset unum : sed esset ex aliquibus quorum quodlibet esset multitudo, et hoc in infinitum ; et unumB quodque horum infinitorum esset iterum multitudo infinita. Uno enim nequaquam participans, neque secundum se ipsum totum, neque secundum unumquodque eorum quae sunt in ipso, sed omniquaque infinitum erit et secundum omne. Hinc praeterea ait : Omne quod participat uno, unum est, et non unum ; itemque : Omne (inquit) quod fit unum, participatione unius fit unum ; et omne unitum, alterum est a per se uno : unitum enim participat uno. Quod autem primo et per se unum C est, nullatenus unum est, et non unum ; neque participat uno, quum sit per se unum. Nempe si hoc est unum, et non unum, rursus unum quod in ipso est, simul utrumque habebit, ita quod erit unum et non unum : et hoc in infinitum, non exsistente uno ad quod standum sit. Propterea omnis multitudo secunda est ab uno, et illud a nullo, quia simpliciter primum. Haec Proclus Platonicus in Elementatione sua theologica.

Omnia enim se ipso unum uniformiter* D *praeambit et comprehendit*, id est, « unum » illud aeternale, simplicissimum ac simpliciter primum, includit in se perfectiones, vires, rationes exemplaresque formas omnium ceterorum.

* in se

ARTICULUS CII

QUONAM SENSU DEUS DICATUR UNUS.

* igitur

IPSA *ergo* * *Theologia*, id est sacra Scriptura, *totam Thearchiam*, id est perfectam et superperfectam Deitatem ac Trinitatem seu Personarum pluralitatem, *ut omnium causam laudat unius vocabulo*, id est hoc nomine, Unus, dicendo : *Et unus Deus Pater, et unus Dominus Jesus Christus, unus autem et ipse Spiritus per superexcellentem totius divinæ unitatis impartibilitatem*, id est, « Spiritus Sanctus » Patri Filioque æqualis, consubstantialis et coæternus, est etiam « unus », habendo in se supereminentem indivisibilitatem « divinæ unitatis » : quæ est ipsa superbenedicta divina essentia prorsus immultiplicabilis, in tribus supergloriosissimis adorandis Personis una et eadem numero ; *in qua omnia singulariter connectuntur*, id est, « in qua » unitate essentiæ « omnia » in divinis, tam absoluta quam relativa, plenissime uniuntur, et unum sunt « singulariter », id est simplicissime ac eminentissime, *et superuniuntur*, id est, unum sunt simplicius quam valeat comprehendi ; *et adest superessentialiter*, id est, in omnibus est per essentiam suam, præsentiam atque potentiam, incomprehensibili modo et super omnem naturam ac ordinem rerum.

I Cor. viii, 6. — Ibid. xii, 11.

Proinde et omnia in ipsam juste remittuntur, id est, in unitatem divinam cuncta creata merito rediguntur, *et referuntur ; sub qua, et ex qua, et per quam, et in qua, et in quam, omnia sunt, et coordinantur, et manent, et continentur, et replentur, et convertuntur* : id est, « sub qua » divina increata unitate, tanquam sub superiori ac dirigente, « et ex qua », tanquam ex causa efficiente, « et per quam », sicut per causam exemplarem, « et in qua », ut in causa finali, « et in quam », in quantum tendunt in ipsam, « omnia sunt » sub inferiori, « et coordinantur » in eam, tanquam ad finem supremum ac generalem, « et manent » in ea, tanquam in effectivo principio, « et continentur » ac conservantur in illo, tanquam in causa provisiva, « et replentur » ex ea necessariis sibi (juxta illud libri Causarum : Causa prima replet omnia sæcula bonitatibus), « et convertuntur » in ipsam, velut in fontem suæ perfectionis.

Rom. xi, 36.

Et non invenies quid, id est aliquid, *exsistentium quod non in uno*, id est, « quod non » præexsistat « in uno » illo supremo juxta modum prætactum, *secundum quod omnis deitas superessentialiter nominatur*, id est, prout ipsa unitas summa « nominatur superessentialiter deitas omnis », id est perfecta divinitas, juxta illud Philosophi : Totum et omne et perfectum, sunt idem ; *et est hoc quod quidem est, et perficit et salvat*, id est, unitas illa « est » ens illud « quod » vere et perfectissime (id est omnino incommutabiliter) « est, et » omnia « perficit » secundum capacitatem seu conatum illorum, « et salvat », id est conservat. Perfectio enim rei consistit in unione et unitate ; destructio vero, in divisione et dispersione a suo principio et a fine.

Et oportet nos ex multis in unum virtute divinæ unitatis conversos, id est ex rebus vanis, mutabilibus, caducis, carnalibus, erroribus, passionibus et peccatis, reductos ad unum illud altissimum quod solum necessarium est, quod est veritas et sanctitas summa, ac nostræ felicitatis objectum : « conversos », inquam, non propriis viribus, sed « virtute divinæ unitatis »,

Luc. x, 42.

id est, potestate et gratia simplicissimæ Deitatis, sine cujus inspiratione, motione, dilectione et gratia, nihil est meritorium, nihil Deo acceptum; *unitive laudare*, id est unitive et caritative verbo et actibus honorare, *totam*, id est perfectam, *et unam Deitatem unicam omnium, unum quod est* [illegible] *unum*, id est « unum » increatum, « quod est ante omne unum » creatum, *et multitudinem, et partem, et totum, et definitum, et infinitum, et terminationem, et terminum, et magnitudinem, et omnia exsistentia*, id est, quod unum est ante omnem « multitudinem », et ante omnem « partem », et ante « infinitum » ex parte materiæ seu quantitatis, et prout convenit creaturis, estque ante omnem « summitatem », id est supremas dignitates creaturarum, et ante omnem « magnitudinem » earumdem, et ante omnia « exsistentia » in genere ac ordine rerum.

Sic demum laudare oportet *et ipsum esse terminum et omnium, et universorum omnium*, id est, primum principium quod determinat limitatque exemplariter et efficienter « esse » tam « omnium » quam « universorum », *et simul et ante omnia et super omnia*, id est, quod esse « simul » et semel est « ante omnia et super omnia », *et singulariter*, id est eminentissime, *etiam*.

Et super ipsum unum ens, id est excellentius quocumque uno secundo, *et ipsum unum terminans*, id est, sub certis limitibus ponens; *quoniam id unum in exsistentibus numerabile est*, id est, unum prout in rebus est participatum, numerari potest, describi et certificari, *numerus autem essentiam participat* a suis principiis, præsertim a primo uno, de quo est. *Supersubstantiale autem unum, et ens unum et omnem numerum terminat*, id est, « unum » increatum finit ac limitat omne « unum » exsistens post se, « et omnem numerum terminat », quia non potest esse multitudo simpliciter et actualiter infinita; *et ipsum est ab uno numeri omnis* A *exsistentis principium et causa et numerus et ordo*, id est, hoc unum æternum, « est principium » effectivum extrinsecum, « et causa » exemplaris atque finalis, « et numerus » numerans, « et ordo », id est ordinator causaque ordinis, « omnis numeri exsistentis ab uno » illo extrinseco, et incipientis ab uno intrinseco numerorum principio.

Idcirco et unitas laudatur et trinitas, super omnia Deitas, id est, superdignissima « Deitas laudatur », honoratur, et esse B asseritur « unitas » per se subsistens « et trinitas Personarum. Pater enim et Filius et Spiritus Sanctus, sunt unus Deus, una Deitas, una essentia, imo et simplicissima unitas. Quæ namque in Deo absolute dicuntur, de qualibet dicuntur Persona divina, et de duabus ac item de tribus simul, secundum nostrum modum loquendi, verumtamen in infinitum sublimius quam nunc capere valeamus. Propterea subditur :

Non est neque unitas neque trinitas, C *aut a nobis aut alio quodam exsistentium cognita*, id est ab aliquo viatore agnita clare per speciem, secundum legem communem, imo nec a Beatis cognitione perfectæ comprehensionis, qua res cognoscitur tam perfecte sicut ex sua natura cognoscibilis est. *Sed etsi superadunatum ejus*, id est divinam simplicissimam unitatem, *divinamque fecunditatem*, id est emanationem ad intra, *vere laudemus triadica et monadica divina nominatione*, id est, appellatione trinitatis ac unitatis, *plusquam* D *nominabilem nominamus in essentiis supersubstantialem*, id est, Deum inter essentias supersubstantialem, omni nomine sublimiorem, nominibus designamus.

Neque una monas aut trinitas, neque numerus, neque unitas aut fecunditas, neque aliud quid exsistentium aut cuidam exsistentium cognitum, id est nullum horum omnium, *educit*, id est, clare designat, seu ex occulto incomprehensibilitatis in lucem plenæ cognitionis deducit, *super omnia et verbum et intellectum in*

obscuritatem, id est divinam supersplendidissimam caliginem, quæ est « super omnia », super omne « verbum » omnemque « intellectum », *super omne et verbum et intellectum superessentialiter superessentialis superdivinitatis*, id est, nullum illorum plene designat ens illud « superdivinitatis superessentialis », hoc est, rem illam (imo superrem illam) quæ est superdivinitas, id est Divinitas in infinitum verius et eminentius quam capere jam possimus : estque Divinitas superessentialis, id est omnem essentiam nobis modo comprehensibilem infinite transcendens « superessentialiter », id est incomprehensibili modo, et super omnem entitatem atque maneriem ac incomparabiliter.

Neque nomen ejus est neque verbum, id est, nullo nomine nulloque verbo exprimi potest, intelligi et signari nude clare et plene, sicuti est in se, *sed in inviis exaltatur*, id est, irreperibilibus viis ad ejus notitiam ascenditur : atque in hoc sublimitas ejus monstratur, quod nulla est via perveniendi ad ejus plenam et comprehensivam cognitionem.

Et neque ipsum quod est bonitatis nomen tanquam adunantes ei proferimus, id est, non exprimimus neque laudamus eum nomine « bonitatis » tanquam hoc ei proprie congruat eo modo quo nos illud capere in præsenti valemus, vel quasi per hoc ei uniamur ut cognito in se ipso ; *sed desiderio intelligendi quid et dicendi de ineffabili natura illa, nominum pretiosissimum ei primo devovemus*, id est, omnium divinorum nominum dignissimum Deo adscribimus devote et sanctificative, desiderio cognoscendi ac sermo- A cinandi aliquid, saltem a posteriori, de indicibili « illa » Deitatis « natura ».

Et consonabimus forsan in hoc theologis, id est, istud dicendo concordamus Scripturis et earum auctoribus, quum ipsemet dicat Salvator : Nemo bonus nisi solus Deus ; *verum autem veritate relinquemur*, id est, a condigna expressione Deitatis prout ipsa in se est, deficimus. Luc. XVIII, 19.

Idcirco et ipsi per depulsiones inviam præhonorificaverunt, id est, hinc theologi B Deum per abnegationes docuerunt honorabilius ac convenientius designari, *sic excedente anima suis cognationibus*, id est, anima rationali per hunc loquendi modum abstracta a consueto modo loquendi ac sentiendi de Deo. Unde alia littera habet : Animam a cognatis et connaturalibus sibi avertentes. *Et per omnes in* divinas intelligentias proficiscente*, id est, anima pergente in divina utcumque cognoscenda « per omnes » notitias, etiam negativas, ex rebus et Scripturis, *quibus* C *removetur*, id est, negative signatur, et ab affirmativa speculatur et aufertur, *quod est super omne nomen, et omne verbum et scientiam*, id est Deus immensus, incausatus, æternus, qui omnem nominationem atque scientiam viatorum (imo et comprehensorum) transcendit, per modum prætactum, pleniusque ipso præstante tangendum paulo post super mysticam theologiam ; *novissimorumque omnium ipsum contingente, quantum et nobis illud contingere possibile est*, id est, me D quoque omnium infimorum infimo « contingente ipsum », id est, ad aliqualem ipsius notitiam pertingente, « quantum nobis possibile » fuit.

* alias om. in

ARTICULUS CIII

EPILOGI SIVE CONCLUSIONIS HUJUS LIBRI EXPOSITIO.

Has nos *intellectuales divinas nominationes coacervantes, quantum licet, replicavimus*, id est, intelligibilia hæc nomina Deo proprie et positive convenientia, repetivimus ex Scripturis, ac declaravimus cum humilitate ac reverentia, prout licuit nobis concordando Scripturis; *non solum eorum diligentia deficientes*, id est, a condigna vigilantia cordis in horum descriptione habenda succumbentes; *hoc enim vere et angeli dixerint*, id est, « angeli » possent « hoc vere » fateri, quod insufficientes sint ad plenam A honorificentiam atque præconium Dei; *neque juxta angelos est eorum hymnodia*, id est, laudatio angelorum juxta eorum facultatem, non esset idonea ad hoc ipsum; *et novissimis enim relinquuntur potentissimi apud nos theologorum*, id est, maximi « theologorum » nostrorum deficiunt a « novissimis » angelorum pro statu vitæ præsentis, secundum quod Christus de Matth. xi, 11 beatissimo dixit Baptista : Qui minor est in regno cœlorum, major est illo.

Neque quidem eorum theologorum, neque eorum philosophantium aut consequentium, sed et ipsis similiter laude nobis ordinatorum novissime et subjecte : id est, non solum deficimus a « laude », id est condigna laudatione, « theologorum » illorum potentissimorum, puta Apostolorum, neque solum laude « philosophantium eorum », id est discipulorum eorumdem, qui erant apostolici viri, et circa philosophiam, id est sapientiam ac scripturas Apostolorum, versabantur intente; « sed » etiam deficimus a laude condiscipulorum nostrorum, quibus sumus coordinati quantum ad ecclesiastica officia pontificalia, « novissime et subjecte », quia impares sumus illis quantum ad merita et Spiritus Sancti dona. Ex quibus verbis patet hujus magni ac divini Dionysii profunda humilitas, quæ et ex verbis innotescit sequentibus.

Itaque si recte quidem se habent quæ dicta sunt, et quantum juxta nos est, id est juxta vires nostras, *vere tetigimus virtutem Dei*, id est omnipotentiam et virtuosa nomina ejus, *voce replicationis*, id est resumendo et elucidando dicta ab aliis; *in omnium bonorum causalem actus referendus*, id est, Deo omnium causæ bonorum adscribendum est opus hoc. Causalem, inquam, *donantem primo se dicere*, id est, qui gratiam dedit ipsum in primis nominare, *deinde benedicere*, id est laudare et grates ei referre, adscribendo ei hoc donum, imo et omne bonum.

Et si quid similium virtutum prætermissum est, id est, si quas laudes et virtutes Dei prætactis æquipollentes omisimus hic, *et illud nos secundum easdem artes ad obaudiendum deprecamur*, id est, petimus id suppleri a te, et laudes ejus describi secundum artem et formam secundum quas descriptæ sunt laudes divinorum nominum præfatorum.

Si autem hæc aut non recte aut imperfecte habent se, id est, si prolata sunt non vere neque perfecte, *et veritate aut universaliter aut particulariter aberravimus*, id est, si in toto aut parte a « veritate » recessimus; *tuæ sit humanitatis corrigere non voluntarie ignorantem*, id est non crasse vel ex contemptu, *et tradere verbo*, id est scribere mihi, *discere deprecanti*, id est oranti informationem accipere, *et suffragari non sufficientem virtutem habenti*, id est auxiliari mihi « non ha-

benti virtutem » mihi « sufficientem », *et* A *sanare nolentem ægrotare*, id est curare me nolentem errore aut vitio infirmari : *et quædam quidem a se ipso, quædam vero ab aliis invenientem*, id est, me qui aliqua præhabitorum reperi ex me, « quædam » autem « ab aliis » cepi : verumtamen non ex me quidquam inveni quasi ex prima et principali virtute aut causa, sed principaliter adjutorio Dei : propter
* autem quod subditur, *omnia vero* * *ex Deo accipientem*
I Cor. IV, 7. (dicente Apostolo : Quid habes quod non accepisti ?), *et in vos tranferre*, B id est, ad hoc ut transfundam ea in confratres et proximos : juxta illud Archi-
I Petr. IV, 10. apostoli, Unusquisque sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes.

Numquid affliges amicum virum benefaciendo? id est, noli affligere me tuum amicum, beneficia subtrahendo, differendo aut minuendo. Hinc alia habet translatio : Ne pigriteris amico benefaciens ; alia quoque : Neque pigeat amicum fovere be-
Prov. III, 28. neficio. Unde in Proverbiis legitur : Ne dicas amico tuo, Vade et revertere, cras C bene dabo tibi, quum statim possis dare ;
Ibid. 27. itemque : Noli prohibere benefacere eum qui potest : si vales, et ipse benefac.

Vides enim quia et nos nihil traditorum nobis hierarchicorum verborum in nosmetipsos contraximus, id est, nihil ex scientia et instructionibus ad hierarchias ac hierarchas pertinentibus nobis collatis, reservavimus cupide nobis ipsis ; *sed sol-*
* nobis *licitos nos, et nobis* * *et aliis divinis viris tradidimus et trademus*, id est « sollicitos » cernis « nos » ad communicandum D hæc proximis, « et nobis » et vobis ista « tradidimus et trademus », tam scriptis quam verbis, quum S. Gabriel dixerit Da-
Dan. XII, 3. nieli : Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti ; et qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpe-
Prov. V, 16. tuas æternitates. Salomon etiam : Deriventur (inquit) fontes tui foras, et in plateis aquas tuas divide. Ad quam eruditionem fervide suscipiendam monet Sapiens in
Eccli. LI, 31, 33, 34. Ecclesiastico : Congregate vos in domum disciplinæ, indocti, comparate vobis sine argento sapientiam, et collum vestrum subjicite jugo ejus.

Si sic nos dicere idonei, id est, dummodo « nos » simus « idonei sic » doctrinaliter aliis loqui : juxta illud Apostoli, Hæc commenda fidelibus fratribus qui II Tim. II, 2. idonei erunt et alios docere ; *et quibus dicuntur, audire*, id est, si illi « quibus » loquimur, idonei sint « audire » et intelligere verba nostra. Sapientiam namque Prov. I, 7. et doctrinam stulti despiciunt, ut in Proverbiis habetur. Propterea in Ecclesiastico dicitur : Ubi non est auditus, non effun- Eccli. XXXII, 6 das sermonem ; et ad Hebræos : Grandis Hebr. V, 11. nobis sermo et ininterpretabilis ad loquendum, quia imbecilles facti estis ad audiendum.

In nulla traditione injuriam facientes, id est, tam fideliter hæc docebimus alios, quod in ipsa doctrinali traditione nulli injuriabimur subtrahendo beneficium instructionis : sicut in tertia sua epistola ait S. Joannes, Fideliter agis quidquid agis III Joann. 5. in proximos, *si non forsitan ad intelligentiam aut expositionem eorum infirmemur*, id est, dummodo etiam nos ipsi non efficiamur tardi et segnes « ad intelligentiam » divinorum, et ad explicandum et explanandum hæc aliis.

Sed hæc quidem, peto, Deo amicum habeat et dicat. Hoc alia littera clarius et quasi expositorie exprimit, dicens : Sed hæc quidem, qualiter Deo erit amicum (id est acceptum), et habeantur et dicantur. Sic et Plato in primo ait Timæi : Sit meis precibus comprehensum ut ea dicantur potissime quæ placent Deo. Et Vas electionis ad Colossenses : Sermo (ait) vester Coloss. IV, 6, 12. semper in gratia sale sit conditus, ut stetis perfecti et pleni in omni voluntate Dei.

Et sit nunc hic intellectis divinis vocabulis secundum nos, finis, id est, « hic » terminetur iste tractatus de « vocabulis divinis », id est de divinis nominibus « intellectis secundum nos », id est expositis et elucidatis a nobis ; *quoniam symbolicam theologiam, duce Deo, trans-*

conducemur, id est, ad illam pertractandam his transeuntes et expeditis, procedemus quem librum, ut dictum est sæpius, non habemus.

Ideo nunc ad expositionem quarti libri beatissimi principis theologorum, sacratissimi et ferventissimi Dionysii, prædicti- A [illegible], inter nomina electorum cupiens contineri in libro vitæ ab eo cujus sancta ac præclarissima nomina in hoc libro, prout ipse donavit, exposita sunt. Ad laudem et gloriam ipsius plane omnipotentis, qui est super omnia Deus sublimis et benedictus. Amen.

TRANSLATIO MARSILII FICINI

HÆC de his dicta sufficiant. Reliquum est, si videtur, ut ad illud tractandum quod est validissimum accedamus. Jam vero Theologia de illo omnium principio omnia et simul omnia prædicat, ipsumque ut perfectum celebrat atque unum. Perfectum quidem, non modo ut in se ipso perfectum, et per se ipsum ex se ipso uniformiter undique ab omnibus segregatum, totumque per totum absolutissimum, verum etiam tanquam plusquam perfectum, ex eo quod omnia superat, omnemque definit infinitatem, ac super omnem expanditur finem, a nullo capitur vel comprehenditur, sed pertingit ad omnia simul atque super omnia indeficientibus actionibus atque donis. Dicitur quoque perfectum, tanquam nullum suscipiens incrementum, semperque perfectum, ut nesciens decrementum: quippe quum in se ipso anticipet omnia, prorsus exuberans per unam indesinentem eamdemque et superplenam largitionem diminutionis expertem, per quam perfecta omnia perficit ac perfectione propria complet.

Dicitur autem Deus unum, quoniam est unice cuncta per singularis unitatis excessum, omniumque causa est nusquam interim a propria unitate discedens. Nihil enim est in rebus unius expers; sed quemadmodum numerus omnis unitatis est particeps (nam binarius dicitur unus, unus quoque denarius; et dimidium unum, et tertium et decimum unum), sic omnia omniumque partes participationem unius habent, atque ex eo quod unum exstat, sunt omnia. Ipsum vero unum quod omnium causa judicatur, non est aliquid e pluribus unum, sed ante omne unum omnemque multitudinem, quod et quodlibet unum multitudinemque definit. Nulla enim multitudo est quæ non particeps sit unius: sed id quidem quod secundum partes est plura, est totum unum; quod plura est accidentibus, unum subjecto; quod plura est numero aut viribus, est unum specie; quod speciebus plura, unum genere; quod multa processibus, unum est principio. Denique nusquam exsistit quidquam unius omnino expers: quippe quum ipsum unum natura sua penitus unica, omnia atque tota, etiam inter se opposita, singulariter ante comprehendat. Præterea absque uno quidem multitudo non est; erit autem, sublata multitudine, unum: quemadmodum et unitas ante omnem numerum multiplicatum exstat, ac si omnibus omnia conjuncta quis supponat, erunt omnia toto unum. Animadvertendum id interea: quæ unita dicuntur, certe secundum uniuscujusque speciem prius excogitatam unita censeri. Præterea unum, elementi rationem habet ad omnia. Idcirco si sustuleris unum, neque forma totius erit, neque pars ulla, neque quidquam erit in rebus: unum namque omnia in se ipso uniformiter anticipat atque comprehendit.

Hac igitur ratione Theologia totam ipsam Deitatem omnis principem deitatis, tan-

quam omnium causam, unius appellatione concelebrat. Unus itaque Deus et Pater, et unus Dominus Jesus Christus, et unus atque idem Spiritus, propter excellens totius divinæ unitatis individuum eminentemque simplicitatem, in qua quidem omnia unice collecta sunt excellenterque unita, et supersubstantialiter ante comprehensa. Quapropter et omnia ad istam juste et unice admodum referuntur atque rediguntur, a qua, et ex qua, et per quam, et in qua, et ad quam, omnia sunt et constituta sunt, et permanent atque continentur, et replentur atque convertuntur. Nihil denique in rebus invenies, quod non ipso uno secundum quod Deitas omnis superessentialiter nominatur, et sit hoc ipsum quod est, et perficiatur atque servetur. Operæ pretium est nos quoque a multis ad unum divinæ unitatis virtute conversos, totam unamque Deitatem unice collaudare, ipsum videlicet unum, omnium causam : quod quidem ante omne unum omnemque multitudinem, et partem atque totum, et terminum et indeterminationem, et finem atque infinitatem exstat; quod rursus omnia entia et ipsum esse definit; quod item omnium atque totorum, et omnium simul, et ante omnia et super omnia unice causa est; quod præterea super ipsum unum ens exsistit, ipsumque unum ens definit. Siquidem hoc ipsum ens unum quod est in entibus, connumerabile est vel numerale : numerus autem est essentiæ particeps. Ipsum vero superessentiale unum, et hoc quod dicitur ens unum et numerum omnem terminat, ipsumque est et unius et numeri omnisque entis principium et causa, et numerus atque ordo. Quamobrem ipsa super omnia Deitas, quæ quidem ut unitas et ut trinitas celebratur, nec unitas nec trinitas est a nobis vel ab ullo cognita; verum ut ipsum unione superius unum fecunditatemque deificam revera laudemus, profecto trinitatis unitatisque appellatione divina Deitatem ipsam, quæ est super omne nomen, cognominamus, atque in ipsis entibus superessentialem celebrare solemus. Nulla vero monas, nulla trinitas, nullus numerus, nulla unitas vel fecunditas, vel aliud quidquam exsistentium, vel alicui exsistentium cognoscibile, arcanum illud aperit quod super omnem rationem intellectumque exsistit : arcanum, inquam, superdeitatis ipsius, omnia superessentialiter excedentis. Jam vero neque nomen est ipsius ullum, neque sermo vel ratio, sed in ipso potius inaccessibili supereminet. Sed neque bonitatis quidem ipsius nomen illi quasi congruum adhibemus; verum desiderio quodam intelligendi aliquid et dicendi de ineffabili illa natura, nomen illud, scilicet bonum, nominum omnium maxime venerandum, præcipue illi dedicamus. In quo quidem a theologis minime dissentimus, ab ipsa tamen rerum veritate deficimus. Quamobrem ipsi quoque ascensum illum qui per negationes efficitur, prætulerunt : utpote qui animam a rebus sibi cognatis avertat, ac per divinas omnes perducat intelligentias, a quibus longe secretum est quod super omne nomen et sermonem cognitionemque exsistit; in extremo denique universorum ipsi (quantum et nobis illi conjungi fas est) conjungat.

Has itaque nos intelligibiles appellationes Dei colligentes, pro viribus exposuimus : non solum summa illorum dignitate inferiores (id enim vere angeli quoque confitentur), neque solum angelicis laudibus impares (siquidem et summi apud nos theologi ab extremis angelis separantur), neque solum theologis ipsis aut ipsorum sectatoribus vel auditoribus inferiores fuimus, verum ipsis quoque ordinis nostri consortibus inæquales. Quamobrem, si recte dicta sunt a nobis, proque nostro ordine revera sensum explicandorum attigimus nominum divinorum; ipsi bonorum omnium auctori tanta res accepta referatur : qui nobis, primo quidem ut diceremus, deinde ut et bene diceremus, benigne concessit. Præterea, si quid horum quæ tantumdem valent omisimus, illud quoque eisdem rationibus atque disciplinis supplere vos oportebit. At vero si hæc vel minus recte aut minus sufficienter se habent, et ab ipsa veritate vel omnino

vel ex parte defecimus : erit profecto humanitatis tuæ corrigere non sponte ignorantem, rationemque tradere discere cupienti, opemque ferre non satis per se valenti, et curare hominem ægrotare nolentem, et alia quidem ex te ipso inventa, alia vero ab aliis percepta, cuncta denique ex ipso bono suscepta, in nos quoque transfundere. Ne pigeat ulterius amicum afficere beneficio. Cernis enim quemadmodum nos quoque nihil ex traditis nobis rationibus sacris intra nos ipsos continuerimus, sed illas nullo modo contaminatas, tam vobis quam cæteris sacris hominibus tradiderimus, trademus quoque, quantum et nos dicere sufficiemus et idonei fuerint auditores, nusquam traditiones majorum contaminantes, nisi forte ad intelligentiam explicationemque ipsorum infirmiores erimus. Sed hæc tandem, ut Deo placet, ita prorsus se habeant atque dicantur. Hic vero sit intelligibilium appellationum Dei, pro instituto modoque nostro, finis. Deinceps autem ad significativam theologiam, Deo duce, me conferam.

PARAPHRASIS ABBATIS VERCELLENSIS

LAUDAT etiam sacra Scriptura Deum tanquam perfectum et unum. Perfectum autem, non solum sicut per se perfectum, et secundum se ipsum in se ipso uniformiter ab omnibus segregatum et totum per omnia invisibilia sua perfectissimum ; sed et sicut superperfectum, secundum excessum omnium et terminantem omnem infinitatem, et extentum super omnem terminum, et a nullo captum aut comprehensum, sed extendentem se simul ad omnia super omnia immissionibus indeficientibus et operationibus consummativis. Dicitur etiam Deus perfectus, sicut inaugmentabilis et semper perfectus, et sicut non minorabilis et sicut omnia in se ipso præhabens, et supermanens secundum unam incessabilem et superplenam et imminorabilem largitionem, secundum quam perficit omnia perfecta et adimplet ea propria perfectione.

Unus autem dicitur Deus, quia unitive est omnia secundum unum unitatis excessum, et unum est ingressibilis causa omnium. Nihil est enim exsistentium quod non participet uno ; sed sicut omnis numerus participat unitate, ut dicatur unus binarius et unus ternarius et unus denarius, et unum dimidium et unum tertium et unum decimum et sic de aliis, ita omnia et quælibet omnium pars uno participant, et per illud quod est unum, omnia exsistentia sunt. Et non solum unum est causa cujuslibet rei simul, sed et multorum. Sed vere unum Verbum est ante omne unum et omnem multitudinem. Non enim est aliqua multitudo quæ non participet uno : sed omnia ea quæ sunt multa partibus, sunt unum ipsarum partium toto, et quæ sunt multa accidentibus, sunt unum subjecto, et quæ sunt multa numero et virtutibus sunt unum specie, et quæ sunt multa speciebus, sunt unum genere, et quæ sunt multa processibus, sunt unum principio : et nihil est exsistentium quod non participet uno secundum aliquid : quod unum secundum propriam singularitatem omnia secundum omnia, et omnia tota, et omnia etiam opposita, singulariter concepit. Et quidem sine uno non erit multitudo, sed sine multitudine potest esse unum, et unitas, quæ est simplex, est ante omnem numerum multiplicatum ; et si quis cuilibet omnium ut enti vel uni, supponat omnia, etiam omnia tota in ipso erunt unum. Alia etiam ratione attendendum est quod unum sit ante omnia : quoniam secundum præcogitatam uniuscujusque speciem naturalem vel idealem uniri dicuntur omnia quæ uniuntur, et unum est omnium elementativum et si auferas unum, neque totum neque totalitas, neque pars neque partialitas, neque aliquid exsistentium erit. Unum siquidem Verbum omnia in se ipso uniformiter præaccepit et circumaccepit.

Unde sacra Scriptura et Divinitatem et quamlibet divinam Personam, unam dicit, sicut unam omnium causam : ut dicatur unus Deus unus Pater, unus Dominus Jesus Christus, et unus et idem Spiritus, propter excedentem divinæ unitatis simplicitatem, in qua omnia singulariter congregata sunt et super- I Cor. VIII, 6, XII, 11.

unita et præsunt supersubstantialiter. Propter quod ad ipsam divinam unitatem omnia refunduntur et reponuntur, tanquam ad fontalem causam a qua per originalem auctoritatem, et ex qua per effectivam causalitatem, et per quam producendo et influendo procedentem, et in qua conservante et continente, et ad quam conversive ad perfectionem, omnia sunt, et in ipsa coordinata sunt, et manent, et continentur, et adimplentur, et convertuntur. Et non invenies aliquid aliud exsistentium, quod non in unitate quæ supersubstantialiter attribuitur toti sanctæ Trinitati, sit hoc quod est, et perficiatur et salvetur. Et nos a multitudine ad unitatem divinæ unitatis virtute conversos, oportet laudare sanctæ Trinitatis Personarum et essentiæ unitatem, scilicet omnium causam tanquam unum quod est ante omne unum, et multitudinem, et partem et totum, et definitionem et infinitatem, et terminum et interminabilitatem : quia unum omnia exsistentia et ipsum esse definit, et singulariter est causa omnium et partium omnium totorum, et simul et ante omnia et super omnia. Et est unum super ipsum exsistens, et ipsum unum terminat exsistens : quoniam exsistenti accidit multitudo, et numerus participat essentia ; unum vero supersubstantiale, et exsistens unum et omnem numerum terminat, et ipsum supersubstantiale unum, est principium et causa et numerus et ordo unius et numeri, et omnis exsistentis. Propter quod Divinitas, in qua laudatur super omnia unitas et trinitas, non est aliqua unitas aut trinitas quæ a nobis aut ab aliquo exsistentium sit cognita ; sed ut superunitam unitatem simul et fecunditatem supersubstantialem Divinitatis, secundum nostram possibilitatem laudemus, ideo supernominabilem et supersubstantialem nominamus nominatione trinitatis et unitatis. Nulla autem nominatio aut unitatis, aut trinitatis aut numeri, sive fecunditatis aut alterius cujuslibet quod sit alicui exsistentium cognitum, ad cognitionem educere potest occultum superdeitatis, quod est super omnia et rationem et mentem, et super omnia supersubstantialiter superexsistens, neque est ipsius nomen vel sermo, sed est ab omnibus segregatum ubi nulli menti patet via vel vestigium. Neque ei attribuimus nomen bonitatis, quasi proprie ipsi conveniat ; sed quum desideremus aliquid intelligere vel dicere de illa ineffabili natura dignis-

A simum nominum primum ei cum reverentia attribuimus, in hoc etiam cum theologis concordantes, qui in Scripturis similiter ipsum nominant. Scimus tamen quod a rerum veritate deficimus. Unde et theologi præcipue in vocabula negativa ipsi attribuenda consenserunt : ex quibus anima suscitatur ab his quæ sibi sunt connaturalia, et per omnes divinos intellectus pergens a quibus segregatum [est] divinum occultum quod est super omne nomen et rationem et cognitionem, tandem scilicet anima excedens se et omnia, ipsi occulto conjungitur prout possibile est nobis ipsi conB jungi.

Dictas ergo divinorum nominum intelligibiles significationes, prout potuimus, reseravimus : non solum ab eorum diligenti reseratione deficientes, a qua et angeli deficerent ; sed neque solum ab angelica laude deficimus (eo quod potentissimi theologi mortales minus possunt in divinis, quam illorum extremi), sed deficimus etiam a laude Apostolorum et discipulorum apostolicorum, et etiam nobis extreme et subjecte coordinatorum. Unde si ea quæ diximus, recte se habent sicut supra tetigimus, hoc bonorum omnium causæ est adC scribendum, quæ dat primum dicere, postea bene dicere. Et si quid æquipollens dictis prætermissum est, id subaudiatur secundum easdem aut consimiles rationes et regulas. Si autem ea quæ diximus, aut non recte aut imperfecte dicta sunt, et a veritate aut in toto aut in parte erravimus ; tuæ sit benignitatis dirigere me ignorantem non voluntarie, et tradere meliores rationes mihi indigenti discere, et subvenire mihi non habenti sufficientem virtutem, et sanare me nolentem ægrotare, et hoc sive per tuum studium sive per alienum inveniens, omnia ex bono Deo reciD piens, ad nos transferre. Ne autem pigriteris amico benefacere. Vides enim quod nos nullum de hierarchicis sermonibus nobis traditis, ad nos ipsos avare contraximus, sed nos sursum currentes, tradimus et trademus ipsos tibi et aliis viris, quantum nos sufficimus docere, et illi quos docemus sufficiant intelligere, in nullo per nostram traditionem offendentes, nisi forte ad intelligentiam aut expositionem eorum infirmemur. Sed hæc ut Deo placuerit, ita habeantur et dicantur, et hic sit finis secundum nos de intelligibilibus Dei nominationibus. Ad symbolicam autem theologiam, duce Deo, transibimus.

S. DIONYSII AREOPAGITÆ

DE DIVINIS NOMINIBUS

TRANSLATIO JOANNIS SARRACENI

CAPITULUM PRIMUM

QUÆ SERMONIS INTENTIO, ET QUÆ DE DIVINIS NOMINIBUS TRADITIO.

COMPRESBYTERO Timotheo, Dionysius presbyter salutem. — Nunc autem, o beate, post theologicas hypotyposes, ad divinorum nominum reserationem sicut est possibile transibo. Esto autem et nunc a nobis Eloquiorum lex prædefinita, veritatem de Deo dictorum nos asseverare, non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in demonstratione a Spiritu motæ theologorum virtutis, secundum quam ineffabilibus et ignotis ineffabiliter et ignote conjungimur, secundum meliorem nostræ rationabilis et intellectualis virtutis et operationis unitionem. I Cor. II, 4.

Igitur universaliter non est audendum dicere aliquid nec etiam cogitare de supersubstantiali et occulta Deitate, præter ea quæ divinitus nobis ex sanctis Eloquiis sunt expressa. Nam supersubstantialem scientiam ignorantiæ supersubstantialitatis quæ est super rationem et intellectum et substantiam ipsam, ipsi attribuere convenit : tantum ad superius respicientes, quantum thearchicorum Eloquiorum radius se ipsum immittit ad splendores superiores ; et simus circa divina temperantia et sanctitate constricti. Etenim si aliquid convenit omnisapienti et verissimæ Theologiæ credere, secundum proportionem uniuscujusque mentium revelantur divina et inspiciuntur, thearchica bonitate, in salutari justitia, a mensuratis immensurationem sicut incomprehensibilem, ut decet Deum, segregante. Sicut enim incomprehensibilia et incontemplabilia sunt a sensibilibus intelligibilia ; et his quæ in compositione sunt et figura, simplicia et infigurabilia ; et formatis secundum corporum figuras, incorporalium intangibilis et infigurabilis formæ carentia : secundum eamdem veritatis rationem, superponitur substantiis quæ est supersubstantialis, et mentibus quæ est super mentem unitas ; et omnibus deliberationibus est indeliberabile, quod est super deliberationem ; et ineffabile verbo omni, quod est super verbum bonum, unitas unificans universam unitatem, et supersubstantialis substantia, et intellectus non intelligibilis, et verbum non dicibile, et irrationabilitas, et non intelligibilitas, et innominabilitas, secundum nihil exsistentium exsistens ; et causa quidem essendi omnibus, ipsum autem non exsistens, sicut super omnem substantiam, et sicut ipsum de se ipso proprie et scienter enuntiet. De hac igitur, sicut dictum est, supersubstantiali et occulta Deitate, non est audendum dicere neque cogitare aliquid, præter illa quæ divinitus nobis ex sanctis Eloquiis sunt

expressa. — Etenim sicut ipsa de se ipsa in Eloquiis (ut decet bonam) tradidit, ipsius quidem quidquid est scientia et contemplatio, omnibus est invia exsistentibus, sicut ab omnibus supersubstantialiter segregata. Et multos theologorum invenies non solum sicut invisibilem ipsam et incomprehensibilem laudavisse, sed et inscrutabilem simul et non investigabilem, sicut non exsistente vestigio ullo eorum qui ad occultam ipsius infinitatem transierunt.

Non tamen incommunicabile est universaliter bonum ulli exsistentium; sed in se ipso singulariter supersubstantialem collocans radium, uniuscujusque exsistentium proportionalibus illuminationibus benigne superapparet, et ad possibilem ipsius contemplationem et communionem et assimilationem extendit sanctas mentes : quæ ipsi sicut est fas et ut decet sanctos, se immittunt, et neque ad superius quam convenienter data Dei apparitione, superbe præsumunt, neque ad inferius ex subjectione ad pejus, prolabuntur; sed firme et indeclinabiliter, ad radium ipsius supersplendentem extenduntur, et commensurato amore convenientium illuminationum, cum reverentia sancta, et caste et sancte altius elevantur.

Has sequentes thearchicas leges, quæ et totos gubernant supercœlestium ordinum et substantiarum sanctos ornatus, quod quidem est super mentem et substantiam Thearchiæ occultum, inscrutabilibus et sanctis mentis reverentiis, indicibilia autem, casto silentio venerantes, ad illucentes nobis in sanctis Eloquiis splendores extendimur, et ab ipsis illuminamur ad thearchicos hymnos, ab ipsis supermundane illuminati, et ad sanctas hymnorum enuntiationes figurati et ad videndum per ipsos commensurate data nobis thearchica lumina, et laudandum principium universæ sanctæ luminis apparitionis, quod donat bonum, sicut ipsum de se ipso in sanctis Eloquiis tradidit : sicut quod omnium est causa, et principium, et substantia, et vita; et decidentium ab ipso, revocatioque et resurrectio; eorum autem quæ ad deiformis corruptivum prolapsa sunt, revocatio et reformatio; eorum autem quæ secundum quamdam commotionem immundam moventur, collocatio sancta, et stantium firmatio; et ad ipsum sursumactorum suscitativa manuductio; et eorum quæ illuminantur, illuminatio; et eorum quæ perficiuntur, perfectionis principatus; et eorum quæ deificantur, Thearchia; et eorum quæ simplificantur, simplicitas; et eorum quæ uniuntur, unitas; principii universi supersubstantialiter superprincipale principium; et occulti, secundum quod est conveniens, bona traditio; et ut simpliciter dicatur, viventium vita, exsistentium substantia, omnis vitæ et substantiæ principium et causa, propter bonitatem ipsius, quæ et deducit ad esse exsistentia, et continet.

Hæc autem a divinis Eloquiis memoramus; et ut sic dicatur, omnem sanctum theologorum hymnum invenies ad bonos Thearchiæ processus manifestative et laudative Dei nominationes dividentem. Unde in omni fere theologico negotio, Thearchiam videmus sancte laudatam : sicut monadem quidem et unitatem, propter simplicitatem et unitatem supernaturalis impertibilitatis, ex qua ut unifica virtute unimur, et divisibilibus nostris alternitatibus supermundane conclusis, ad deiformem monadem congregamur et Dei imitativam unitionem; sicut trinitatem autem, propter trium personarum
Ephes. III, 15. supersubstantialis fecunditatis manifestationem, ex qua omnis paternitas in cœlo et in terra est et nominatur; sicut causam autem exsistentium, quoniam omnia ad esse deducta sunt propter ipsius substantificam bonitatem; sapientem autem et pulchram, quoniam exsistentia omnia propriam naturam incorruptam servantia, omni harmonia divina et sancto decore sunt plena; benignam autem differenter, quoniam nostris ad veritatem totaliter in una ipsius natura personarum communicavit, revocans ad se ipsam et reponens humanam extremitatem, ex qua ineffabiliter simplex Jesus compo-

situs est, et præsentationem temporalem accepit æternus, et intra nostram factus est naturam qui omnem ordinem secundum omnem naturam supersubstantialiter excedit, cum intransmutabili et inconfusa propriorum collocatione : et quæcunque alia deifica lumina, juxta consequentiam divinorum Eloquiorum, nostrorum ducum occulta traditio manifestative nobis donavit.

Hæc et nos docti sumus, nunc quidem juxta proportionem nostram per sancta velamina Eloquiorum et hierarchicarum traditionum, benignitate sensibilibus intelligibilia et exsistentibus supersubstantialia circumvelante, et formas et figuras informabilibus et non figurabilibus circumponente, et supernaturalem et infigurabilem simplicitatem, varietate divisibilium signorum et multiplicante et componente. Tunc autem, quando incorruptibiles et immortales erimus, et christiformem et beatissimum consequemur finem; semper cum Domino (secundum Eloquium) erimus : visibili qui- I Thess. IV, 16.
dem ipsius Dei apparitione in castissimis contemplationibus adimpleti, manifestissimis circa nos splendoribus refulgente, sicut circa discipulos in illa divinissima transformatione; intelligibili autem luminis datione ipsius, impassibili et immateriali mente participantes, et super mentem unitione, ignotis et beatis immissionibus superclarorum radiorum, in diviniori imitatione supercœlestium mentium. Nam æquales angelis eri- Luc. XX, 36.
mus, ut veritas dicit Eloquiorum, et filii Dei, resurrectionis filii exsistentes. Nunc autem, sicut nobis est possibile, propriis quidem ad divina signis utimur, et ex ipsis rursus ad simplicem et unitam intelligibilium miraculorum veritatem proportionaliter extendimur; et post omnem secundum nos deiformium unitionem sedantes nostras intellectuales operationes, ad supersubstantialem radium, secundum quod fas est, nos immittimus : in quo omnes fines omnium cognitionum superineffabiliter præexstiterunt; quem neque cogitare possibile est, neque dicere, neque totaliter aliquo modo contemplari, propter hoc quod ab omnibus ipse est segregatus et superignotus, et omnium quidem substantialium cognitionum et virtutum terminationes, simul et omnes supersubstantialiter in se ipso præaccepit, et super omnes cœlestes mentes incomprehensibili virtute est collocatus. Si enim cognitiones omnes exsistentium sunt, et si exsistentia finem habent; qui est super omnem substantiam, et ab omni cognitione est segregatus.

Et quidem si melior est omni sermone et omni cognitione, et super mentem universaliter et substantiam collocatur (omnium quidem exsistens circumapprehensivus, et comprehensivus, et præapprehensivus, omnibus autem ipse universaliter est incomprehensibilis); et neque sensus ejus est, neque phantasia, neque opinio, neque nomen, neque sermo, neque tactus, neque scientia : quomodo de divinis nominibus a nobis tractabitur sermo, invocabili et supernominabili, supersubstantiali Deitate demonstrata? Sed quod diximus quando theologicas hypotyposes exposuimus, unum, ignotum, supersubstantiale, ipsum bonum, quod est, trinam unitatem dico, quæ est simul Deus et simul bonum, neque dicere neque cogitare est possibile. Sed et sanctarum virtutum angelis convenientes unitiones, quas sive immissiones sive susceptiones oportet dicere superignotæ et superpræclaræ bonitatis, ineffabiles sunt et ignotæ, et solis ipsis inerunt (qui super angelicam cognitionem digni habiti sunt ipsis) angelis. Istis deiformes ad angelorum imitationem, sicut est possibile unitæ mentes, quoniam secundum omnis intellectualis operationis quietem, talis fit deificatarum mentium ad supremum lumen unitio, laudant ipsum proprie maxime per ablationem a cunctis exsistentibus : hoc vere et supernaturaliter illuminatione docti ex beatissima ad ipsum unitione, quod omnium quidem exsistentium est causa, ipsum autem nihil, ut ab omnibus substantialiter segregatum. Igitur supersubstantialitatem quidem thearchicam,

quaecumque est superbonitatis superessentia, neque ut rationem, aut virtutem, neque sicut mentem, aut vitam, aut substantiam, laudare possibile nulli eorum quotcumque sunt veritatis amatores quae est super omnem veritatem, sed sicut ab omni habitu, motu, vita, phantasia, opinione, nomine, verbo, deliberatione, intellectu, substantia, statione, collocatione, unitione, fine, infinitate, universis quaecumque exsistentia sunt, excellenter segregatam. — Quoniam autem sicut bonitatis essentia, per ipsum esse omnium est exsistentium causa, boni principem Thearchiæ providentiam ex omnibus causatis laudare convenit : quoniam et circa ipsam omnia, et ipsius causa, et ipsa est ante omnia, et omnia in ipsa constiterunt, et esse hanc, est totorum deductio et substantia. Et omnia ipsam desiderant : intellectualia quidem et rationalia, cognitive ; ista autem subjecta, sensibiliter ; et alia secundum vivificum motum, aut substantialem et habitudinariam aptitudinem.

Hoc igitur scientes theologi, et sicut innominabilem ipsam laudant, et ex omni nomine. Innominabilem quidem, sicut quando dicunt Thearchiam ipsam in una mysticarum visionum Dei apparitionis significativæ, increpare eum qui dixit : Quod est nomen tuum ? Et sicut ab omni cognitione ex Dei nominatione ipsum abigentem, dicere : Et quare interrogas nomen meum ? et hoc est mirabile. Numquid autem non hoc vere est mirabile nomen, quod est super omne nomen, quod est innominabile, quod est collocatum super omne nomen quod nominatur sive in sæculo isto sive in futuro ? Multorum autem nominum : sicut quando ipsam rursus inducunt dicentem, Ego sum qui sum, vita, lumen, Deus, veritas ; et quando ipsi periti Deitatis, omnium causam multis nominibus ex multis causatis laudant : sicut bonum, sicut pulchrum, sicut sapientem, sicut diligibilem, sicut Deum deorum, sicut Dominum dominorum, sicut Sanctum Sanctorum, sicut æternum, sicut exsistentem, et sicut sæculorum causam, sicut vitæ largitorem, sicut sapientiam, sicut mentem, sicut rationem, sicut cognitorem, sicut præhabentem omnes thesauros universæ cognitionis, sicut virtutem, sicut potentem, sicut Regem regnantium, sicut Veterem dierum, sicut sine senectute et invariabilem, sicut salvationem, sicut justitiam, sicut sanctificationem, sicut liberationem, sicut in magnitudine cuncta excedentem, sicut in aura subtili. Et quidem et in mentibus ipsum esse dicunt, et in animabus, et in corporibus, et in cœlo, et in terra, et simul in eodem eumdem ; mundanum, circamundanum, supermundanum, supercœlestem, supersubstantialem, solem, astrum, ignem, aquam, spiritum, rorem, nubem, ipsum lapidem et petram ; omnia exsistentia, et nihil exsistentium.

Judic. XIII, 17.
Ibid. 18.
Philipp. II, 9.
Ephes. I, 21.
Exod. III, 14. Joann. XIV, 6 ; VIII, 12. Genes. XXVIII, 13.

Ita igitur omnium causæ, et super omnia exsistenti, et innominabile conveniet, et omnia exsistentium nomina, ut diligenter sit totorum regnum, et circa ipsam sint omnia, et ab ipsa sicut causa, sicut principio, sicut fine segregata, et ipsa, secundum Eloquium, sit omnia in omnibus. Et vere laudatur omnium substantia principalis, et perfectiva, et contentiva, custodia, et cibus, et ad ipsum conversiva : et hæc unitive, et communicabiliter segregate. Non enim continentiæ, aut vitæ, aut perfectionis solum causa est, ut a sola hac aut alia providentia bonitas quæ est super nomen nominetur ; sed omnia simpliciter et incircumfinite in se ipsa exsistentia præaccepit perfectissimis unius et ejusdem et omnium causæ providentiæ bonitatibus, et ex exsistentibus universis convenienter laudatur et nominatur.

I Cor. XV, 28.

Et quidem non istas solas theologi Dei nominationes commendant a perfectis aut particularibus providentiis aut provisis ; sed est quando a quibusdam apparitionibus divinis, in sanctis templis aut alibi magistros aut Prophetas illuminantibus, secundum alias et alias et causas et virtutes, nominant supersplendentem et supernominabilem bonitatem ; et formas ipsi et figuras humanas, aut igneas, aut electrinas circumpo-

nunt ; et oculos ipsius, et aures, et cincinnos, et vultus, et manus, et spinas, et alas, et brachia, et dorsa, et pedes laudant ; et coronas, et thronos, et calices, et crateres ipsi, et alia quædam mystica circumponunt. De quibus in Symbolica contemplatione secundum virtutem dicemus. Nunc autem quæcumque sunt præsentis negotii ex Eloquiis congregantes, et sicut quodam canone dictis utentes, et ad ipsa inspicientes, ad reserationem intelligibilium Dei nominationum procedamus. Et quod semper secundum omnem Theologiam, hierarchica lex inducit, Dei inspectiva deliberatione inspiciamus, ut proprie dicantur, quibus Deus appareat contemplationes. Et aures sanctas sanctarum Dei nominationum reserationibus apponamus, in sanctis sancta, secundum divinam traditionem, collocantes, et ipsa ab indoctorum risibus et delusionibus auferentes, magis autem ipsos illos, si totaliter sunt tales quidam homines, ab impugnatione Dei in hoc liberantes. Igitur tibi quidem hæc custodire utile, o pulcher Timothee, secundum sanctissimam memorationem, et neque dicibilia neque exportabilia divina ad indoctos facere. Mihi autem det Deus, ut decet Deum laudare invocabilis et innominabilis Deitatis deificas multas nominationes, et non auferat verbum veritatis ab ore meo.

Matth. vii, 6.

CAPITULUM II

DE UNITA ET DISCRETA THEOLOGIA, ET QUÆ EST DIVINA UNITIO ET DISCRETIO.

THEARCHICAM totam essentiam, quodcumque est, per se bonitas determinans et manifestans ab Eloquiis laudatur. Etenim quid aliud discere est ex sancta Theologia, quando dicit Thearchiam ipsam narrantem dicere : Quid me interrogas de bono? nullus bonus, nisi solus Deus. Igitur hoc quidem et in aliis inquisitum, a nobis est demonstratum, omnes semper Deo convenientes Dei nominationes, non particulariter, sed in tota et perfecta et integra et prima Deitate ab Eloquiis laudari, et omnes ipsas simpliciter, absolute et inobservate, totaliter universæ totalitati perfectæ et omnis Deitatis apponi. Et quidem, sicut in Theologicis hypotyposibus memoravimus, si non de tota Deitate dicat aliquis hoc dictum esse, et audet abscindere inconvenienter superunitam unitatem, dicendum igitur quod et ipsum bonum natura Verbum dixit : Ego sum bonus. Et quidam Deo acceptorum Prophetarum laudat Spiritum bonum. Et rursum, Ego sum qui sum, si non de tota dixerint Deitate laudari, secundum autem unam partem ipsum circumscribere conentur, quomodo audient, Hæc dicit qui est, qui erat, qui venturus est omnipotens? et, Tu autem idem ipse es? et, Spiritus veritatis est qui a Patre procedit? Et si non totam Thearchiam dicunt esse vitam, quomodo verum quod dixit sanctum verbum, Sicut Pater suscitat mortuos et vivificat, sic et Filius quos vult, vivificat? et quod Spiritus Sanctus est qui vivificat? Quoniam autem et dominationem totorum habet tota Deitas, de deigena Deitate quidem aut filiali, neque dicere est, sicut arbitror, in quot locis Theologiæ in Patre et Filio frequentatur Dominus. Sed et Dominus Spiritus est. Et pulchrum autem et sapiens in tota Deitate laudatur, et lumen, et deificum, et causa. Et omnia quæcumque totius Thearchiæ sunt, ad omnem reducunt Eloquia thearchicam laudationem : comprehensive quidem, sicut quando dicunt, Omnia ex Deo ; diffusive autem, sicut quando dicunt, Omnia per ipsum

Matth. xix, 17 ; Luc. xviii, 19. — Matth. xx, 15 ; Joann. x, 11. — Ps. cxlii, 10. — Exod. iii, 14. — Apoc. i, 8. — Ps. ci, 28. — Joann. xv, 26. — Ibid. v, 21. — Ibid. vi, 64. — I Cor. [illegible] ; Coloss. i, 16, 17.

Ps. CIII, 30. et in ipso facta sunt, et omnia in ipso consistunt; et, Emitte Spiritum tuum, et creabuntur. Et ut commatim dicat aliquis, ipsum thearchicum dixit Verbum, Ego et Pater
Joan. X, 30. unum sumus; et, Cuncta quaecumque habet Pater, mea sunt; et, Cuncta mea tua sunt,
Joan. XVI, 15. et tua mea. Et rursum, quaecumque sunt Patris et ipsius, thearchico Spiritui communicative
Joan. XVII, 10. et unitive attribuit : divinas operationes, honorem, fontanam et indeficientem causam et distributionem benignorum donorum. Et nullum in divinis Eloquiis non perversis intentionibus conversatorum, arbitror ad haec contradicere, quoniam Deo convenientia omnia toti Thearchiae insunt secundum perfectum in Deo verbum. Igitur istis a nobis breviter quidem in his et particulariter, in aliis autem sufficienter ex Eloquiis demonstratis et determinatis, quamcumque Dei nominationem totaliter reserare conemur, in tota Deitate ipsam recipere convenit.

Si autem quis dicat confusionem nos inducere in isto contra divisionem Deo convenientem, talem sermonem nos non arbitramur ipsum persuadere sufficientem quod est verus. Si enim aliquis quidem est qui totaliter Eloquiis resistat, longe omnino erit et a nostra philosophia. Et si non ipsi cura est Dei venerationis ex Eloquiis, quomodo nobis cura sit illius manuductionis ad theologicam scientiam? Si autem ad Eloquiorum veritatem respicit, hoc et nos canone et lumine utentes, ad excusationem, sicut possumus, indeclinabiliter vadimus, dicentes quod Theologia quaedam quidem tradit unitive, quaedam autem discretive : et neque unita licet dividere, neque discreta confundere; sed sequentes ipsam, secundum virtutem ad divinos splendores convenit respicere. Etenim inde divinas manifestationes assumentes sicut quemdam canonem veritatis optimum, illic posita custodire in nobis ipsis non multiplicata, et non minorata, et non perversa, studemus, in custodia sanctorum custoditi, et ab ipsis ad custodiendum custodientes ipsa confirmati. Igitur unita quidem totius Deitatis sunt, sicut in Theologicis hypotyposibus per plura ex Eloquiis demonstravimus : superbonum, superdeum, supersubstantiale, supervivens, supersapiens, et quaecumque excedentis sunt remotionis; cum quibus et causalia omnia, bonum, pulchrum, exsistens, vitae generativum, sapiens, et quaecumque ex benignis ipsius donis, omnium bonorum causa nominatur. Discreta autem, Patris supersubstantiale nomen et usus, et Filii, et Spiritus, nulla in istis conversione aut totaliter communione superinducta. Est autem rursus cum hoc discretum, secundum nos Jesu perfecta et invariabilis essentia, et quaecumque secundum ipsam sunt benignitatis substantialia mysteria.

Oportet autem, ut arbitror, magis resumentes, nos perfectum divinae et unitionis et discretionis exponere modum, ut nobis conspicuus omnis fiat sermo, varium quidem omne et non planum respuens, discrete autem et plane et ordinate propria secundum virtutem terminans. Vocant enim (quod et in aliis dixi) nostrae theologicae traditionis sancti magistri, unitiones quidem divinas, quae sunt superineffabilis et superignotae singularitatis occultas et irregressibiles * supercollocationes; discretiones autem, bono convenientes Thearchiae et processiones et manifestationes. Et dicunt, sancta Eloquia sequentes, et dictae unitionis propria *, et rursus discretionis quasdam esse proprias et unitiones et discretiones. Sicut in unitione divina, id est supersubstantialitate, unitum quidem est principali Trinitati et commune : supersubstantialis essentia, superdea deitas, superbona bonitas, quae est super omnia identitas totalis proprietatis exsistentis super omnia, super principatum unitas, ineffabile, multiluminis ignorantia, perfecte non intelligibile, omnium positio, omnium ablatio, quod est super omnem et positionem et ablationem; mansio principalium personarum in se invicem, si ita oportet dicere, et collocatio totaliter superunita.

Quemadmodum lumina luminarium *, ut sensibilibus et propriis utar exemplis,

* [illegible]

* proprias

* [illegible]

exsistentia in domo una, et tota in se invicem totis sunt, et diligentem habent ad se invicem discretionem proprie subsistentem, unita discretione, et unitione discreta. Et quidem videmus in domo multis exsistentibus luminaribus, ad unum quoddam lumen unita omnium lumina, et una claritate indiscreta resplendentia ; et non aliquis, ut arbitror, possit hujus luminaris lumen ab aliis ex aere omnia lumina continente discernere, et videre sine altero alterum, totis in totis sine mixtione concretis. Et si unum aliquis luminarium educat a domo, coegredietur et proprium universum lumen, nihil aliorum luminum coavellens in se ipso, aut sui ipsius aliis derelinquens. Erat enim ipsorum, quod dixi, totorum ad tota perfecta unitio, non mixta universaliter et nulla parte confusa : et hæc, totaliter in corpore aere et ex materiali igne pendente lumine. Ibi autem supersubstantialem unitionem collocari dicimus, non super solas unitiones quæ sunt in corpore, sed et super illas quæ sunt in animabus ipsis et in ipsis mentibus, quas habent non mixte et supermundane tota per tota deiformia et supercœlestia lumina, secundum participationem unitionis ab omnibus supersegregatæ proportionalem participantibus. — Est autem et discretio in supersubstantialibus theologiis, non quam dixi tantum, quod secundum ipsam unitionem incommixte et inconfuse collocatur unaquæque principalium personarum ; sed quod et ea quæ sunt supersubstantialis Dei fecunditatis, non convertuntur ad se invicem. Solus autem fons supersubstantialis deitatis est Pater ; nec Filius est Pater, nec Pater est Filius, custodientibus hymnis propria religiose unicuique thearchicarum personarum. Istæ quidem sunt secundum ineffabilem et unitionem et essentiam, et unitiones et discretiones.

Si autem et divina discretio est processio bono conveniens unitionis divinæ et superunitæ, se ipsam bonitatem in pluralitatem agentis et multiplicantis ; unitæ quidem sunt secundum divinam discretionem incomprehensibiles traditiones, substantificationes, vivificationes, sapientificationes, et alia dona bonitatis quæ est omnium causa, secundum quæ ex participationibus et participantibus laudantur non participabiliter participata. Et hoc commune et unitum et unum est toti Deitati, omnem ipsam totam ab unoquoque participantium participari, et a nullo nulla parte : quemadmodum punctum in medio circulo ab omnibus in circulo circumpositis lineis ; et sicut sigilli expressiones multæ participant archetypo sigillo et in unaquaque expressionum toto et eodem exsistente, et in nulla secundum nullam partem. Excedit autem et hæc omnium causæ Deitatis impartibilitas, eo quod neque tactus ejus est, neque alia quædam ad partes commiscendi communio. Quamvis dicat aliquis : Non est sigillum in totis expressionibus totum et idem. Hujus autem non sigillum est causa : omne enim se ipsum illud et idem unicuique ingerit. Sed participantium diversitas dissimiles facit expressiones unius et ejusdem et totius principalis formæ : sicut si mollia quidem sint et facile figurabilia, et plana et immaculata, et neque contrariæ figuræ et dura, neque facile fusibilia et instabilia, mundam habebunt et planam permanentem figuram ; si autem aliquid de dicta opportunitate deficiat, hoc causa erit imparticipati, et non plani, et aliorum quæcumque importunitate participationis fiunt.

Discretum autem est, a benigna ad nos divina operatione secundum nos ex nobis totaliter et vere substantiam factum esse supersubstantiale Verbum, et facere et pati quæcumque humanæ ipsius contemplationis sunt electa et semota. Istis enim Pater et Spiritus secundum nullam communicaverunt rationem, nisi aliquis dicat secundum bono convenientem et benignam voluntatem, et secundum omnem superpositam et ineffabilem divinam operationem quam faciebat secundum nos factus, invariabilis secundum quod Deus et Dei Verbum. Ita et nos divina et unire verbo et discernere studemus, sicut ipsa divina et unita sunt et discreta.

Sed harum quidem et unitionum et discretionum quascumque in Eloquiis Deo convenientes causas invenimus, in Theologicis hypotyposibus propria de unoquoque tractantes, sicut erat possibile exposuimus : quædam quidem revolventes vero sermone et enarrantes, et sanctum et revelatum intellectum in manifestas Eloquiorum visiones adducentes ; quibusdam autem sicut mysticis, secundum divinam traditionem super intellectualem operationem uniti. Omnia enim divina et quæcumque nobis sunt manifestata, solis participationibus cognoscuntur. Ipsa autem qualiacumque sunt secundum proprium principium et collocationem, super mentem sunt, et omnem substantiam et cognitionem : sicut si superessentiale occultum, Deum, aut vitam, aut substantiam, aut lumen, aut rationem nominemus, nihil aliud intelligimus quam ad nos ex ipso productas virtutes deificas, aut substantificas, aut vivificas, aut sapientificas ; ipsi autem secundum absolutionem ab omnibus intellectualibus operationibus nos immittimus, nullam videntes deificationem, aut vitam, aut substantiam, quæ diligenter comparabilis sit ab omnibus segregatæ secundum omnem excessum causæ.

Rursus, quod Pater quidem est fontana deitas, Filius autem et Spiritus Sanctus, deigenæ deitatis, si ita oportet dicere, pullulationes divinæ naturæ, et sicut flores et superessentialia lumina, a sanctis Eloquiis accepimus. Quomodo autem hæc sunt, neque dicere neque cogitare est possibile ; sed usque ad hoc omnis nostræ intellectualis operationis virtus est, quod omnis divina paternitas et filiatio data est et nobis et supercœlestibus virtutibus, ex patriarchia ab omnibus segregata, et filiarchia : ex qua et dii et deorum filii et deorum patres, deiformes fiunt et nominantur mentes, spiritualiter videlicet tali paternitate et filiatione perfecta, hoc est, incorporaliter, immaterialiter, intelligibiliter, thearchico Spiritu super omnem intelligibilem immaterialitatem et deificationem supercollocato, et Patre et Filio ab omni paternitate et filiatione divina excedendo segregatis. Neque enim est diligens comparatio causatis et causis : sed habent quidem causata causarum contingentes imagines ; ipsæ autem causæ a causatis segregantur et supercollocantur secundum proprii principii rationem. Et ut nostris utar exemplis, delectationes et tristitiæ dicuntur effectivæ delectandi et tristandi, ipsæ autem neque delectantur, neque tristantur ; et ignis calefaciens et urens, non dicitur calefieri aut uri. Et vivere si quis dicat per se vitam, aut illuminari per se lumen, non recte dicit, secundum meam rationem, nisi secundum alterum ista dicat modum, quoniam abundanter et substantialiter ea quæ sunt causatorum, præinsunt causis.

Sed quod est omnis theologiæ manifestativum, Jesu secundum nos divina compositio, et ineffabilis est verbo omni, et ignota menti omni, et ipsi primo dignissimorum angelorum. Et viriliter quidem ipsum substantiam factum esse, mystice accepimus. Ignoramus autem quomodo ex virgineis sanguinibus altera præter naturam lege compositus est ; et quomodo siccis pedibus corporale pondus habentibus et materiæ gravitatem, ambulavit in humida et instabili substantia ; et alia quæcumque sunt Jesu supernaturalis luminis apparitionis, aut naturalis rationis. Hæc autem et a nobis in aliis sufficienter dicta sunt, et a nobili duce in Theologicis ipsius stœchiosibus laudata sunt valde supernaturaliter. Quæ ille sive a sanctis theologis accepit, sive et ex perita Eloquiorum perscrutatione conspexit, et multa circa ipsa luctatione et contritione, sive etiam ex quadam doctus est diviniori inspiratione, non solum discens, sed et patiens divina, et ex compassione ad ipsa, si ita oportet dicere, ad indocibilem et mysticam ipsorum perfectus est unitionem et fidem. Et ut multas et beatas visiones potentis illius deliberationis in minimis apponamus, hæc de Jesu dicit in congregatis ab ipso theologicis stœchiosibus.

« Omnium causa et adimpletiva est Jesu deitas : quæ partes totalitati consonas « salvat, et neque pars est neque totum ; et totum et pars, sicut omnem et partem et « totum in se ipsa coaccipiens et superhabens et præhabens. Perfecta quidem est in « imperfectis, sicut perfectionis princeps ; imperfecta autem in perfectis, sicut super- « perfecta et præperfecta. Forma formam faciens in carentibus forma, sicut formæ « princeps ; sine forma in formis, sicut super formam. Substantia totis substantiis « immaculate superveniens ; et supersubstantialiter ab universa substantia segregata. « Tota principia et ordines determinans ; et super omnem principatum et ordinem « collocata. Et mensura est exsistentium, et ævum ; et super ævum, et ante ævum. Et « plena in minus habentibus ; superplena in plenis. Indicibilis, ineffabilis ; super « mentem, super vitam, super substantiam. Supernaturaliter habet supernaturale, su- « persubstantialiter supersubstantiale. Unde quoniam et usque ad naturam a benigni- « tate venit, et vere substantia factus est, et vir superdeus exstitit (propitiatione autem « sint a nobis hæc super mentem et rationem laudata) : quamvis et in istis habet « supernaturale et supersubstantiale, non solum secundum quod invariabiliter et in- « confuse nobis communicavit, nihil passus ad superplenum ipsius ab ineffabili exina- « nitione ; sed quoniam et (quod est omnibus novis magis novum) in naturalibus « nostris supernaturaliter erat, in substantialibus supersubstantialiter, omnia nostra « super nos habens. »

[illegible]

Igitur de istis quidem satis est. Ad verbi autem intentionem procedamus, communia et unita discretionis divinæ nomina, secundum quod est nobis possibile, revolventes. Et ut plene de omnibus consequenter prædeterminemus, discretionem divinam esse dicimus, sicut dictum est, bono convenientes Thearchiæ processiones. Donans enim omnibus exsistentibus et superfundens totorum bonorum participationes, unitive quidem discernitur, et in pluralitatem agitur singulariter, et multiplicatur ex uno inegressibiliter. Postea*, quoniam exsistens est Deus supersubstantialiter, dat autem esse exsistentibus, et deducit totas substantias : multiplicari dicitur unum exsistens illud, quia ex ipso multa exsistentia deducuntur ; manet autem nihilo minus illud unum in multiplicatione, et unitum in processione, et plenum in discretione, eo quod ab omnibus exsistentibus supersubstantialiter segregatum est, et quod ab ipso unitive tota deducuntur, et quod non minoratur effusio non minorabilium ipsius distributionum. Sed et unum exsistens, et omni parti et toti, et uni et multitudini, unum tradens, unum est similiter supersubstantialiter, neque pars exsistens multitudinis, neque ex partibus totum. Et ita neque unum est, neque unum habet ; longe autem ab istis unum est, super unum quod est in exsistentibus, et multitudinem deducens et perficiens et continens. Rursus ex ipsius deificatione, deiformi uniuscujusque secundum virtutem multis diis factis, videtur quidem esse et dicitur unius Dei discretio et multiplicatio. Est autem nihilo minus princeps Deus et superdeus, supersubstantialiter unus Deus, indivisibilis in divisibilibus, unitus sibi ipsi, et multis immixtus et non multiplicatus. Et hoc supernaturaliter intelligens communis noster et ducis ad divinam illuminationem manuductor, qui est multus in divinis, qui est lumen mundi, hæc dicit motus a Deo in sanctis litteris suis : Etenim si sunt dicti dii, sive in cælo sive in terra (sicut quidem sunt dii multi et domini multi) : sed nobis quidem unus Deus Pater, ex quo omnia, et nos in ipso ; et unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia, et nos per ipsum. Etenim in divinis unitiones discretiones superant et præprincipantur ; et nihilo minus sunt unita et post unius inegressibilem et unitivam discretionem. Istas communes et unitas totius Deitatis discretiones, sive bono convenientes processiones, nos ex Dei nominationibus manifestantibus ipsas in Eloquiis laudare, secundum quod est

* Puta

[illegible]

possibile tentabimus, hoc (quemadmodum dictum est) præcognito, omnem beneficam Dei nominationem, in quacumque ponitur thearchicarum personarum, in tota ipsam accipi thearchica totalitate incircumscripte.

CAPITULUM III

QUÆ ORATIONIS VIRTUS; ET DE BEATO HIEROTHEO, ET DE REVERENTIA, ET TRACTATU THEOLOGICO.

ET primum, si videtur, perfectam et totarum Dei processionum manifestativam, boni nominationem inspiciemus, boni principem et superbonam invocantes Trinitatem, quæ est manifestativa totarum providentiarum benigne ab ipsa donatarum. Oportet enim nos orationibus primum ad ipsam sicut boni principem produci, et magis ipsi propinquantes, in hoc doceri optima dona circa ipsam collocata. Etenim ipsa quidem universis adest; non autem omnia ipsi adsunt. Tunc autem quum ipsam invocamus castissimis quidem orationibus, et revelata mente, et ad divinam unitionem aptitudine, tunc et nos ipsi adsumus. Ipsa enim neque in loco est, ut et absit a quodam, aut ex aliis ad alia transeat; sed et dicere in omnibus exsistentibus ipsam esse, relinquitur ab infinitate, quæ est super omnia et comprehendit omnia. Nos igitur ipsos orationibus extendamus ad divinorum bonorum radiorum altiorem respectum. Sicut si multi luminis catena ex cœlesti summitate pendente, ad anteriora autem descendente, semper ipsam mutatis manibus ad anterius capientes, trahere quidem ipsam deorsum videremur, revera autem non deponeremus illam et sursum et deorsum præsentem, sed nos ipsi sursumageremur ad altiores multorum luminum radiorum splendores. Aut sicut si navem ascendissemus, et teneremus quosdam funes ex quadam petra ad nos extentos et sicut nobis ad auxilium datos; non ad nos petram, sed nos ipsos vere et navem ad petram adduceremus: sicut et econverso si quis stans in navi impingat petram stantem juxta mare, aget quidem nihil contra petram stantem et immobilem, sed se ipsum ab illa separabit, et quanto amplius impinget, amplius ab illa impingetur. Propter quod et ante omne, et magis theologiam, ab oratione incipere est utile: non sicut trahentes ubique præsentem et nusquam virtutem, sed sicut divinis memorationibus et invocationibus nos ipsos ipsi tradentes et unientes.

Et hoc forsitan excusatione dignum, quod quum nobilis dux noster Hierotheus theologicas stœchioses supernaturaliter congreget, nos quasi illæ non sufficiant, et alias et præsentem theologiam conscripsimus. Etenim si ille consequenter tractare omnia theologica negotia dignatus esset, et particularibus revolutionibus transisset universæ theologiæ capitulum, non nos ad tantum aut furoris aut pravitatis pervenissemus, quod aut arbitraremur nos immittere theologiis perspicacius illo et divinius, aut bis eadem dicentes, vana loqueremur. Præterea et injuriam faceremus et magistro et amico exsistenti, et nos ex ejus eloquiis post divinum Paulum introducti, nobilissimam ipsius contemplationem et manifestationem nobis ipsis arripientes. Sed quoniam ille prudenter revera inducens divina, conspicaces nobis definitiones exposuit, et in uno multa comprehendens, præcipiens nobis et quicumque sunt secundum nos magistri animarum noviter quæ perficiuntur, sicut est possibile, reserare et discernere

commensurato nobis sermone conspicaces et unitivas intellectualissimæ virtutis illius viri convolutiones ; et multoties nos ipse ad hoc hortatus es, et librum ipsum sicut superexcedentem remisisti : ideo et nos hunc quidem, sicut perfectarum deliberationum magistrum, his qui sunt super multos determinamus, sicut quædam secunda Eloquia, et christorum Dei sequentia ; his autem qui sunt secundum nos, juxta proportionem nostram nos divina trademus. Si enim perfectorum est fortis cibus, isto cibare *Hebr.* v, 14. alios quantæ sit perfectionis? Recte igitur a nobis et hoc dictum est : visionem quidem et intelligibilium Eloquiorum per se inspectivam et conspicacem ipsorum doctrinam, provecta indigere virtute ; scientiam autem verborum ad hoc ferentium et disciplinam, subjectis sanctificatoribus et sanctificatis convenire. Quamvis et hoc a nobis observatum est valde studiose, quod discretis ab ipso divino duce secundum planam manifestationem, nec totaliter manum apposuimus aliquando ad eamdem propositi ejusdem eloquii manifestationem.

Quoniam et apud ipsos Deo acceptos nostros hierarchas (quando et nos, ut nosti, et ipse, et multi sanctorum nostrorum fratrum, convenimus ad visitationem corporis vitæ principis et quod Deum suscepit ; aderat autem et frater Domini Jacobus, et Petrus summa et provectissima theologorum summitas ; postea visum est post visionem, ut universi hierarchæ laudarent sicut unusquisque erat sufficiens, infinitæ virtutis bonitatem thearchicæ infirmitatis), omnes alios sanctos magistros post theologos, ut nosti, superabat, totus excedens, totus ecstasim patiens a se ipso, et ad laudata communionem patiens ; et a cunctis a quibus audiebatur et videbatur, et cognoscebatur et non cognoscebatur, Deo acceptus esse et divinus laudator judicatus. Et quid tibi de theologizatis ibi dicam ? Etenim, si non et me ipsum oblitus sum, multoties novi a te et partes quasdam audiens illorum hymnorum a Deo motorum : ita tibi fuit studium non otiose divina exsequi. Et ut mystica illa (et sicut multis non dicenda, et sicut cognita tibi) prætermittamus, quando multis oportebat communicare, et quos est possibile, ad sanctorum cognitionem quæ est secundum nos adducere, quomodo excedebat multos magistrorum sanctorum et temporis tritione, et mentis puritate, et demonstrationum diligentia, et reliquis locutionibus sanctis ! Quare nunquam ad ita magnum solem contra inspicere conati sumus.

Ita enim nobis ipsis consentimus et scimus quod neque sufficienter intelligere intelligibilia divinorum capimus, neque quæ sunt dicibilia Dei cognitionis, dicere et eloqui. Longe autem exsistentes, deficimus a divinorum virorum scientia ad theologicam veritatem : quoniam ad hoc omnino propter abundantem reverentiam venimus, ut neque totaliter audiamus aut dicamus aliquid de divina philosophia, nisi secundum mentem acceperimus sicut non oportet contingentem divinorum cognitionem negligere. Et hoc nobis persuaserunt, non solum secundum naturam desideria mentium amabiliter semper cupientia quam capere possunt supernaturalium contemplationem ; sed et ipsa divinarum legum optima dispositio, prohibens quidem ea quæ sunt super nos multum scrutari, et sicut super dignitatem et sicut impossibilia, omnia autem quæcumque a nobis desiderantur et data sunt, discere attente præcipiens et aliis tradere benigne. Igitur istis et nos persuasi, et ad possibilem divinorum inventionem non pigritantes aut formidantes, sed et non valentes nobis meliora contemplari, sine auxilio relinquere non patientes, ad conscribendum nos ipsos deposuimus : novum quidem introducere nihil audentes, sed subtilioribus et particularibus singulorum inquisitionibus, ea quæ sunt dicta vere ab Hierotheo conspicaciter, discernentes et manifestantes.

CAPITULUM IV

DE BONO, LUMINE, PULCHRO, AMORE, EXSTASI, ZELO, ET QUOD MALUM NEQUE EXSISTENS, NEQUE EX EXSISTENTE, NEQUE IN EXSISTENTIBUS.

Si oportet igitur, jam sermone ad ipsam eamus boni nominationem, quam excellenter attribuunt theologi superdeæ Deitati, et ab omnibus determinant, ipsam (sicut reor) thearchicam essentiam, bonitatem dicentes, et quoniam ea quæ est bonum, ut substantiale bonum, ad omnia exsistentia extendit bonitatem. Etenim, sicut noster sol, non ratiocinans aut præeligens, sed per ipsum esse, illuminat omnia participare lumine ipsius secundum propriam rationem valentia; ita quidem et bonum (super solem sicut super obscuram imaginem segregate archetypum) per ipsam essentiam omnibus exsistentibus proportionaliter immittit totius bonitatis radios.

Propter istos substiterunt intelligibiles et intellectuales omnes et substantiæ et virtutes et operationes. Propter istos sunt et vivunt, et vitam habent indeficientem et immminorabilem, ab universa corruptione, morte, et materia et generatione mundæ exsistentes, et ab instabili et fluxa et aliquando aliter ferente variatione elevatæ. Et sicut incorporales et immateriales intelliguntur, et sicut mentes supermundane intelligunt, et exsistentium proprie illuminantur rationibus, et rursus ad cognata propria deferunt. Et mansionem ex bonitate habent, et collocatio ipsis inde est, et continentia, et custodia, et cibus bonorum. Et ipsam desiderantes, et esse et bene esse habent, et ad ipsam (sicut est possibile) figuratæ et boniformes sunt, et sequentibus communicant, sicut divina lex indicit, dona ad ipsas ex bono venientia. Inde ipsis supermundani ordines, ad se invicem unitiones, in se invicem captiones, inconfusæ discretiones; subjectarum ad meliores sursumagentes virtutes, circa secundas providentiæ provectiorum, propriorum uniuscujusque virtutis custodiæ; et circa se ipsas intransmutabiles convolutiones, circa desiderium boni identitates et summitates; et quæcumque alia dicta sunt a nobis in tractatu de Angelicis proprietatibus et ordinibus. Sed et quæcumque cœlestis hierarchiæ sunt angelis convenientes mundationes, supermundanæ illuminationes et perfectiva totius angelicæ perfectionis, ex omnium causa et fontana sunt bonitate, ex qua et boniforme ipsis donatum est, et manifestare in ipsis occultam bonitatem, et esse angelos sicut enuntiativos divini silentii, et sicut lumina clara interpretativa ejus quod est in adytis, præpositos et præmissos. — Sed et post illas claras et admirabiles mentes, animæ et quæcumque sunt bona animarum, sunt propter superbonitatem bonam; intellectuales ipsas esse, habere substantialem vitam inconsumptibilem, ipsum esse et posse extentas ad angelicas vitas, per ipsas sicut bonos duces, ad omnium bonorum bonum principatum sursumagi, et inde emanantium illuminationum in participatione fieri secundum illorum proportionem, et deiformi dono secundum virtutem participare, et quæcumque alia a nobis in sermone de Anima, sunt enumerata.

Sed et de ipsis irrationabilibus animabus aut animalibus si oportet dicere, quæcumque aera secant, et quæcumque in terra vadunt, et quæcumque in terra extenduntur, et in aquis vitam aut ambigue sortita, et quæcumque sub terra cooperta vivunt, et pulvere affecta ac obruta, et simpliciter quæcumque sensibilem habent animam aut vitam, et hæc omnia propter bonum animata sunt et vivificata. Et plantæ omnes nu-

tritivam et motivam habent vitam ex bono. Et quæcumque inanimata et non vivens substantia, propter bonum est, et propter ipsum substantialem obtinuit habitum. Si autem et super omnia exsistentia est, sicut quidem est bonum, et carens forma format : et in ipso solo, non exsistens, substantiæ excessus ; et non vivens, excedens vita ; et sine mente exsistens, excellens sapientia ; et quæcumque in bono non formatorum sunt excedentis formationis. Et si fas est dicere, bonum quod est super omnia exsistentia et ipsum non exsistens desiderat, et certat aliquo modo in bono et ipsum esse, quod est vere supersubstantiale secundum ab omnibus ablationem. — Sed (quod nos in medio prætercurrens effugit) et cœlestium principiorum et terminationum causa est bonum, et non augmentabilis et non minorabilis, et tamen invariabilis hujus substantiæ ; et sine sono, si ita oportet dicere, maximæ cœli volutionis motivum ; et stellarum ordinationum et pulchritudinum et luminum et collocationum ; et quorumdam astrorum transitivi multimotus ; et duorum luminarium quæ Eloquia vocant magna, ab *Gen.* 1, 16.
eisdem ad eadem circularis restitutionis, secundum quæ a nobis dies definiti et noctes, et menses et anni mensurati ; circulares motiones temporis et eorum quæ sunt in tempore determinant, et numerant, et ordinant, et continent.

Quid dicat quidem aliquis de ipso secundum se solari radio? Ex bono enim est illud lumen, et imago bonitatis : propter quod et luminis nominatione laudatur bonum, sicut in imagine archetypum manifestatum. Sicut enim super omnia exsistentis Deitatis bonitas a supremis et provectissimis substantiis usque ad ultimas transit, et adhuc super omnes est, neque superioribus pertingentibus ad ipsius excessum, neque inferioribus ambitum transeuntibus ; sed et illuminat illuminari valentia omnia, et creat, et vivificat, et continet, et perficit ; et mensura est exsistentium, et ævum, et numerus, et ordo, et ambitus, et causa, et finis : ita quidem et divinæ bonitatis manifesta imago, magnus iste et totus splendens et semper lucens sol, secundum multam resonantiam boni, et omnia quæcumque participare ipso possunt, illuminat, et superextentum habet lumen, ad omnem extendens visibilem mundum et sursum et deorsum propriorum radiorum splendores. Et si aliquid ipsis non participat, hoc non infirmitatis aut parvitatis est illuminativæ ipsius distributionis, sed non extentorum ad luminis participationem propter luminis accipiendi importunitatem. Siquidem multa sic se habentia radius transiens, sequentia illuminat, et nihil est visibilium ad quod non pertingat secundum proprii splendoris excedentem magnitudinem. Sed ad generationem visibilium corporum confert, et ad vitam ipsa movet, et nutrit, et auget, et perficit, et mundat, et renovat. Et mensura est et numerus horarum, dierum, et omnis temporis nostri, lumen. Ipsum enim est illud lumen, quamvis tunc informe erat, quod divinus dixit Moyses, et quod ipsam determinavit primam nostrorum dierum trinitatem. *Ibid.* 1, 3

Et sic omnia ad se ipsam bonitas convertit, et princeps congregatrix est dispersorum sicut principalis et vivifica Deitas ; et omnia ipsam ut principium, ut continentiam, ut finem desiderant. Et bonum est, ut Eloquia dicunt, ex quo omnia subsistunt *Rom.* xi, 36.
et sunt, sicut ex causa perfecta deducta ; et in quo omnia consistunt, sicut in omnipotenti plantatione custodita et contenta ; et ad quod omnia convertuntur, quemadmodum ad proprium singula finem ; et quod desiderant omnia : intellectualia quidem et rationalia, cognitive ; sensibilia autem, sensibiliter ; expertia vero sensus, naturali motu vivifici desiderii ; carentia autem vita et tantum exsistentia, aptitudine ad solam substantiæ participationem. Secundum eamdem manifestæ imaginis rationem, et lumen congregat et convertit ad se ipsum omnia videntia, quæ moventur, quæ illuminantur, quæ calefiunt ; quæ totaliter a fulgoribus ejus continentur. Propter quod et ἥλιος appellatur, quoniam omnia indestructibilia facit, et congregat dispersa. Et omnia sensibilia ipsum

desiderant, aut sicut videre, aut sicut moveri, aut sicut illuminari, et calefieri, et totaliter contineri a lumine concupiscentia. Et non dico secundum antiquitatis rationem, quod deus existens sol et creator hujus universitatis, proprie procurat manifestum
Rom. I, 20 mundum; sed quod invisibilia ejus, videlicet Dei, a creatura mundi per ea quæ facta sunt intellecta, conspiciuntur, et sempiterna ipsius virtus et divinitas.

Sed hæc quidem in Symbolica theologia. Nunc autem intelligibilem boni luminis nominationem laudare nos convenit. Et dicendum quod lumen intelligibile bonus dicitur, propter hoc quod omnem quidem supercœlestem mentem implet intelligibili lumine; omnem autem ignorantiam et errorem expellit ab omnibus quibus ingignitur animabus, et omnibus illis sanctum lumen tradit, et intellectuales ipsarum oculos mundat a circumposita ipsis face ex ignorantia, et movet et aperit multa gravitate tenebrarum conclusos; et tradit prius quidem mensuratam claritatem, postea illis sicut gustantibus lumen et magis desiderantibus, magis se ipsum immittit et abundanter superfulget, quoniam dilexerunt multum; et semper extendit ipsas ad anteriora, secundum ipsarum ad respectum proportionem. Igitur lumen intelligibile dicitur quod est super omne lumen bonum, sicut radius fontanus et supermanans luminis effusio, omnem supermundanam et circamundanam et inmundanam mentem ex plenitudine ipsius illuminans, et intellectuales ipsarum totas virtutes renovans; et omnes excedens eo quod superextendatur, et omnia comprehendens eo quod superjaceat; et simpliciter omnem illuminativæ virtutis dominationem, sicut principaliter lucens et superlucens, et in se ipsa consumens et superhabens et præhabens; et intellectualia et rationalia omnia congregans et indestructibilia faciens: etenim, sicut ignorantia divisiva est eorum qui in errorem ducti sunt, ita intelligibilis luminis præsentia congregativa et unitiva est eorum qui illuminantur, et perfectiva, et adhuc conversiva, ad vere exsistens a multis opinionibus convertens, et varias visiones, aut (ut magis proprie dicatur) phantasias, ad unam veram et mundam et uniformem congregans cognitionem, et uno et unitivo lumine implens.

Hoc bonum laudatur a sanctis theologis et sicut pulchritudo et sicut pulchrum, et sicut dilectio et sicut diligibile, et quæcumque aliæ convenientes sunt pulchrificæ et gratiosæ habitæ pulchritudinis nominationes. Pulchrum autem et pulchritudo non sunt dividenda in causa quæ in uno tota comprehendit. Hæc enim in exsistentibus in participationes et participantia dividentes, pulchrum quidem esse dicimus quod participat pulchritudine; pulchritudinem autem, participationem pulchra facientis tota pulchra causæ. Supersubstantiale vero pulchrum, pulchritudo quidem dicitur, propter traditam ab ipso omnibus exsistentibus juxta proprietatem uniuscujusque pulchritudinem, et sicut universorum consonantiæ et claritatis causa, ad similitudinem luminis cum fulgore immittens universos pulchrificas fontani radii ipsius traditiones, et sicut omnia ad se ipsum vocans (unde et κάλλος dicitur), et sicut tota in totis congregans; pulchrum autem, sicut pulcherrimum simul et superpulchrum, et semper exsistens secundum eadem et similiter pulchrum; et neque factum, neque destructum; neque auctum, neque minoratum; neque in aliqua parte quidem pulchrum, in aliqua autem turpe; neque aliquando quidem, aliquando autem non; neque ad hoc quidem pulchrum, ad aliud autem turpe; neque hic quidem, illic autem non; sicut quibusdam quidem exsistens pulchrum, quibusdam autem non pulchrum: sed sicut ipsum secundum se ipsum, cum se ipso, uniforme et semper exsistens pulchrum, et sicut omnis pulchri fontanam pulchritudinem excellenter in se ipso præhabens. Etenim simplici et supernaturali totorum pulchrorum natura, omnis pulchritudo et omne pulchrum uniformiter secundum causam præexstiterunt.

Ex pulchro isto omnibus exsistentibus est esse secundum propriam rationem singula pulchra ; et propter pulchrum omnium concordiæ et amicitiæ et communiones, et pulchro omnia uniuntur. Et est principium omnium pulchrum, sicut effectiva causa, et movens tota et continens amore propriæ pulchritudinis ; et finis omnium, sicut finalis causa (etenim pulchri causa cuncta fiunt), et exemplaris, quoniam secundum ipsum cuncta determinantur. Propter quod et idem est bono pulchrum : quoniam bonum et pulchrum secundum omnem causam cuncta desiderant, et non est aliquid exsistentium quod non participet pulchro et bono. Audebit autem et hoc dicere sermo, quod et non exsistens participat pulchro et bono. Tunc enim et ipsum pulchrum et bonum, quando in Deo secundum omnium ablationem supersubstantialiter laudatur. Hoc unum pulchrum et bonum, singulariter est omnium multorum pulchrorum et bonorum causa. Ex hoc omnes exsistentium substantiales essentiæ, unitiones, discretiones, identitates, alteritates, similitudines, dissimilitudines ; communiones contrariorum, incommixtiones unitorum ; providentiæ superiorum, alternæ habitudines coordinatorum, conversiones minus habentium, omnium eorumdem conservativæ et intransmutabiles mansiones et collocationes ; et rursus omnium in omnibus juxta proprietatem uniuscujusque communiones et adaptationes et inconfusæ amicitiæ, et harmoniæ cunctæ rei ; in omni concretiones, indissolubiles continentiæ exsistentium, indeficientes successiones eorum quæ fiunt ; stationes omnes et motus qui sunt mentium, qui sunt animarum, qui sunt corporum : statio enim omnibus est et motus, quod est super omnem stationem et omnem motum, collocans unumquodque in ipsius ratione, et movens ad divinum motum.

Et moveri quidem dicuntur divinæ mentes : circulariter quidem, unitæ sine principiis et interminabilibus illuminationibus pulchri et boni ; in directum autem, quando procedunt ad subjectorum providentiam, recte omnia transeuntes ; oblique autem, quando providentes minus habentibus, inegressibiliter manent in identitate, circa identitatis causam pulchrum et bonum indesinenter circum chorum agentes. — Animæ autem motus est circularis quidem ad se ipsam introitus ab exterioribus, et intellectualium ipsius virtutum uniformis convolutio sicut in quodam circulo, non errare ipsius largiens, et a multis exterioribus ipsam convertens et congregans primum ad se ipsam, deinde sicut uniformem factam uniens unitive unitis virtutibus, et ita ad pulchrum et bonum manuducens quod est super omnia exsistentia, et unum et idem, et sine principio et interminabile. Oblique autem anima movetur, in quantum secundum proprietatem suam divinis illuminatur cognitionibus, non intellectualiter et singulariter, sed rationabiliter et diffuse, et sicut commixtis et transitivis operationibus ; in directum autem, quando non ad se ipsam ingressa, et singulari intellectualitate mota (hoc enim est, sicut dixi, secundum circulum), sed ad ea quæ sunt circa se ipsam progreditur, et ab exterioribus sicut a quibusdam signis variatis et multiplicatis, ad simplices et unitas sursumagitur contemplationes.

Igitur istarum et sensibilium trium motionum in hoc omni, et multo prius uniuscujusque mansionum et stationum et collocationum, causa est et contentiva et finis, pulchrum et bonum quod est super omnem stationem et motum, propter quod et omnis statio et motus, et ex quo, et in quo, et ad quod, et cujus gratia. Etenim ex ipso et per ipsum, et substantia et vita omnis et mentis et animæ ; et omnis naturæ parvitates, æqualitates, magnitudines ; mensuræ omnes, exsistentium proportiones et harmoniæ et concretiones ; totalitates, partes ; omne unum et multitudo ; conjunctiones partium, omnis multitudinis unitiones, perfectiones totalitatum ; quale, quantum, quotum, infinitum ; comparationes, discretiones ; omnis infinitas, omnis finis, definitiones omnes ;

ordines, excessus, elementa, formae; omnis substantia, omnis virtus, omnis operatio, omnis habitus, omnis sensus, omne verbum, omne factum, omnis tactus, omnis scientia, omnis unitio. Et simpliciter, omne existens, ex pulchro et bono, et in pulchro et bono est, et ad pulchrum et bonum convertitur; et omnia quaecumque sunt et fiunt, propter pulchrum et bonum sunt et fiunt; et ad ipsum omnia inspiciunt, et ab ipso moventur et continentur, et ipsius gratia, et propter ipsum, et in ipso omne principium exemplare, finale, efficiens, formale, elementarium. Et simpliciter, omne principium, omnis continentia, omnis finis, aut ut comprehendens dicam, omnia existentia, ex pulchro et bono; et omnia non existentia, supersubstantialiter in pulchro et bono.
Rom. xi, 36 Et est omnium principium et finis, superprincipale et superperfectum; quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso, et ad ipsum omnia, sicut dicit sanctus sermo.

Omnibus igitur est pulchrum et bonum desiderabile et amabile et diligibile; et propter ipsum et ipsius gratia, et minora meliora (convertendo se ad ea) amant, et communicative ordinata coordinata, et meliora minora provisive, et ipsa singula se ipsa contentive; et omnia pulchrum et bonum desiderantia faciunt et volunt omnia quaecumque faciunt et volunt. Confidit autem et hoc dicere verus sermo, quod et ipse omnium causa propter bonitatis excessum cuncta amat, cuncta facit, cuncta perficit, cuncta continet, cuncta convertit. Et est divinus amor bonus boni propter bonum. Ipse enim bonum operans existentium amor, in bono secundum excessum praeexsistens, non dimisit ipsum sine germine in se ipso manere; movit autem ipsum ad operandum secundum omnium generativum excessum.

Et non aliquis nos opinetur praeter Eloquia amoris nominationem commendare. Est enim irrationabile quidem et pravum, ut arbitror, non virtuti intentionis intendere, sed dictionibus. Et hoc non est divina intelligere volentium proprium, sed sonos leves suscipientium, et istos usque ad aures intransibiles extra continentium; et non volentium videre quid quidem haec talis dictio significat, quomodo autem ipsam oportet et per alias aequipollentes et manifestiores dictiones explanare, sed compatientium elementis et lineis non intelligibilibus, et syllabis et dictionibus ignotis, non transeuntibus ad animae ipsorum intellectuale, sed extra circa labia et auditus ipsorum resultantibus: sicut non sit possibile quatuor numerum per bis duo significare; aut rectilineum, per habens rectas lineas; aut maternum solum, per patriam; aut aliquid aliud significantium idem multis orationis partibus. Oportet autem videre secundum rectam rationem, quod elementis, et syllabis, et dictionibus, et lineis, et orationibus utimur propter
* sensum sensus: sicut* quando nostra anima intellectualibus operationibus ad intelligibilia movetur, superflui quidem sunt sensibilium sensus; sicut et intellectuales virtutes, quando anima deiformis facta per unitionem ignoti, inaccessibilis luminis se immittit radiis non oculorum immissionibus. Quando autem mens per sensibilia moveri studet ad contemplativos intellectus, pretiosiores omnino sunt manifestiores sensuum partitio-
* partitiones nes*, sicut planiores orationes, planiora visibilium: sicut quando non plana sunt apposita sensibus, neque ipsi praesentare menti sensibilia bene poterunt.

Sed ut non ista dicere videamur sicut divina Eloquia pervertentes, audiant illa qui
Prov. iv, 6, 8 amoris nominationem accusant: Ama eam, dicit, et servabit te; complexare ipsam, et exaltabit te; honora ipsam, ut te comprehendat: et quaecumque alia in amativis theologiis laudantur. Quamvis visum fuit quibusdam nostrorum sanctos sermones dicentium, divinius esse amoris nomen nomine dilectionis. Scribit autem et divinus Igna-
Epist. ad Rom. vii tius: Meus amor crucifixus est. Et in introductionibus Eloquiorum invenies quemdam
Sap. viii, 2 dicentem de divina sapientia: Amator factus sum pulchritudinis ejus. Quare hoc quidem amoris nomen ne timeamus, neque aliquis turbet nos sermo de hoc dubitans.

Mihi enim videntur theologi commune quidem ducere dilectionis et amoris nomen, propter hoc autem divinis magis apponi verum amorem, propter inconvenientem talium virorum acceptionem. Nam ut Deum decet, vero amore non a nobis solum, sed et ab Eloquiis ipsis laudato, multitudines non capientes uniforme amativæ Dei nominationis, juxta familiaritatem suam, ad divisibilem et corpori convenientem et divisum prolapsæ sunt : qui non est verus amor, sed idolum, aut magis casus a vero amore. Non enim valet capi a multitudine unitivum divini et unius amoris. Propter quod et sic molestius nomen multis apparens, in divina sapientia ordinatum est ad sursumactionem ipsorum et suscitationem ad veri amoris cognitionem, et ut a molestia absolvantur quæ in ipso est. In nobis autem rursus hoc et inconveniens aliquid multoties esset opinari terrenos zelos, secundum quod videtur famosius : Cecidit, dixit quidam, dilectio tua super me, sicut dilectio mulierum. Ab audientibus autem recte divina, in eadem virtute recte ordinatur a sanctis theologis dilectionis et amoris nomen secundum divinas manifestationes ; et est hoc virtutis unificæ et conjunctivæ et differenter concretivæ, in pulchro et bono propter pulchrum et bonum præexsistentis, et ex pulchro et bono propter pulchrum et bonum tributæ, et continentis coordinata secundum communicativam alternam habitudinem, moventis autem prima ad subjectorum providentiam, et collocantis minus habentia in superioribus conversionem *. II *Reg.* I, 26. * per conversionem

Est autem faciens et ecstasim divinus amor, non dimittens sui ipsorum esse amatores, sed amatorum. Et monstrant quidem superiora providentiæ facta minus habentium, et coordinata sui invicem continentiæ, et subjecta divinioris conversionis ad prima. Propter quod et Paulus magnus in continentia divini factus amoris, et virtute ipsius ecstasim faciente participans, divino ore, Vivo ego, dicit, jam non ego, vivit autem in me Christus : sicut verus amator, et ecstasim passus (sicut ipse dicit) Deo, et non sui ipsius vivens, sed amati vita sicut valde diligibili. Audendum autem et hoc pro veritate dicere, quod et ipse omnium causa, pulchro et bono omnium amore per abundantiam amativæ bonitatis extra se ipsum fit, ad omnia exsistentia providentiis ; et sicut bonitate et dilectione et amore trahitur, et ex eo quod est super omnia et ab omnibus segregatur, ad id quod est in omnibus deponitur secundum ecstasim facientem supersubstantialem virtutem a se ipso inegressibilem. — Propter quod qui fortes sunt in divinis, ipsum zeloten appellant, sicut multum in bono amore ad exsistentia, et sicut excitativum ad zelum desiderii ipsius amativi, et sicut zeloten ipsum demonstrantes, per quem et desiderata sunt zelabilia, et sicut provisis ipsis exsistentibus zelabilibus. Et totaliter pulchri et boni, est amabile et amor, et in pulchro et in bono præcollocatur, et propter pulchrum et bonum est et gignitur. *Galat.* II, 20. II *Cor.* V, 13.

Quid autem totaliter theologi volentes, aliquando quidem amorem et dilectionem ipsum dicunt, aliquando autem amabilem et diligibilem ? Hujus enim est quidem causa et sicut emissor et sicut progenitor, hoc autem ipse est ; et hoc quidem movetur, illud autem movet ; aut quoniam ipse sui ipsius et sibi ipsi est adductivus et motivus. Ita autem diligibilem quidem et amabilem ipsum vocant, sicut pulchrum et bonum ; amorem autem rursus et dilectionem, sicut moventem simul, et sicut quod est virtus sursumagens ad se ipsum, quod solum ipsum propter se ipsum pulchrum et bonum est, et sicut quod est manifestatio sui ipsius per se ipsum, et segregatæ unitionis bonus processus ; et amativus motus simplex, per se mobilis, per se operans ; præexsistens in bono, et ex bono exsistentibus emanans, et rursus ad bonum conversus : in quo et interminabile sui ipsius et non habens principium divinus amor monstrat differenter, sicut quidam æternus circulus, propter bonum, ex bono, et in bono, et ad bonum, in non errante convolutione circumambulans, et in eodem et secundum idem, et proce-

dens et manens semper et restitutus. Hæc et nobilis noster sanctitatis perfector a Deo motus recitavit in amativis hymnis ; quos non inconveniens est memorare, et sicut sanctum quemdam caput imponere sermoni de amore.

« Amorem, sive divinum, sive angelicum, sive intellectualem, sive animalem, sive « naturalem dicamus, unitivam quamdam et concretivam intelligemus virtutem ; su« periora quidem moventem ad providentiam minus habentium ; coordinata autem « rursus, ad communicativam alternam habitudinem ; et in extremis subjecta, ad « meliorum et superpositorum conversionem. »

« Quoniam ex uno multos amores ordinavimus, consequenter dicemus quales qui« dem sunt mundanorum et supermundanorum amorum cognitiones et virtutes. Ex « quibus excedunt, secundum assignatam intentionem, intellectualium et intelligibi« lium amorum et ordines et ornatus. Post quos, per se intelligibiles et divini exsisten« tibus ibi vere pulchris amoribus præeminent, et a nobis proprie laudati sunt. Nunc « rursus resumentes, universos ad unum et conclusum amorem et omnium ipsorum « patrem convolvamus simul et congregemus a multis, primum ad duas colligentes « ipsum amativas universaliter virtutes, ex quibus superat et principatur omnino « incomprehensibilis causa omnis amoris, ex eo qui est super omnia, et ad quam « extenditur secundum naturam uniuscujusque, exsistentibus universis totalis amor. »

« Age igitur et istas ad unum rursus congregantes, dicemus quod una quædam est « simplex virtus per se motiva ad unitivam quamdam concretionem, ex bono usque « ad extremum exsistentium, et ab illo rursus consequenter per omnia ad bonum, ex « eodem et per eamdem et in eadem se ipsam reflectens, et ad eamdem semper eodem « modo revoluta. »

Et quidem dicat aliquis : Si omnibus est bonum et pulchrum et amabile et desiderabile et diligibile (desiderat enim ipsum et quod non est, ut dictum est, et certat aliquo modo in ipso esse ; et ipsum est quod format informia, et in ipso et non exsistens, supersubstantialiter dicitur et est) : quomodo dæmonum multitudo non desiderat pulchrum et bonum, inclinata autem ad materiam, et ab angelica identitate circa desiderium boni prolapsa, malorum universorum causa et sibi ipsi et aliis efficitur, quæcumque mala fieri dicuntur ? Quomodo autem totaliter ex bono deducta dæmonum tribus non est boniformis ? Aut quomodo bonum ex bono factum, variatum est ? et quid est quod malum fecit illud ? Et totaliter quid est malum ? et ex quo principio consistit ? et in quo exsistentium est ? Et quomodo bonus ipsum producere voluit ? quomodo autem volens potuit ? Et si ex alia causa est malum, quæ alia est exsistentibus præter bonum causa ? Quomodo autem et Providentia exsistente, est malum aut factum totaliter, aut non destructum ? Et quomodo aliquid exsistentium desiderat ipsum præter bonum ?

Igitur hæc quidem forsitan dicet talis dubitans sermo. Nos autem rogabimus ipsum ad rerum veritatem perspicere. Et primum quidem hoc dicere confidemus : Malum non est ex bono ; et si ex bono est, non est malum. Neque enim ignis est infrigidare, neque boni non bona producere. Et si exsistentia omnia ex bono (natura enim est bono, producere et salvare ; malo autem, corrumpere et destruere), nihil est exsistentium ex malo. Et neque ipsum erit quod malum est, si et per se ipsum malum sit ; et si non hoc, non omnino malum est quod est malum, sed habet quamdam boni partem, secundum quam totaliter est. Et si exsistentia pulchrum et bonum desiderant, et omnia quæcumque faciunt, propter hoc quod videtur bonum faciunt, et omnis exsistentium intentio principium habet et finem bonum (nihil enim ad mali naturam respiciens facit quæ facit) : quomodo erit malum in exsistentibus, aut totaliter exsistens, a tali

bono appetitu segregatum? Et si exsistentia omnia ex bono, et bonum supra exsistentia, est quidem in bono et non exsistens. Malum autem non exsistens est (alioqui non omnino malum), neque non exsistens : nihil enim est universaliter non exsistens, nisi in bono secundum supersubstantiale dicatur. Igitur bonum erit quidem et super simpliciter exsistens et non exsistens multo prius collocatum. Malum autem neque in exsistentibus, neque in non exsistentibus, sed et ab ipso non exsistente magis absistens quam a bono, et alienum, et magis non substantia.

Unde igitur est malum? dicat aliquis. Si enim non est malum, virtus et malitia idem : et omnis toti, et particularis proportionali; aut neque repugnans virtuti, erit malum. Et quidem contrariæ sunt castitas et impudicitia, et justitia et injustitia. Et non dico secundum justum et injustum, et eum qui est pudicus, et qui est impudicus; sed et ante apparentem extra distantiam habentis virtutem ad oppositum, in ipsa anima multo prius universaliter distiterunt a virtutibus malitiæ, et ad rationem passiones pugnant : et ex istis necesse est dare quoddam malum bono contrarium. Non enim sibi ipsi bonum contrarium, sed sicut ab uno principio et ab una genitum causa, communione et unitate et amicitia gaudet. Et neque minus bonum majori est contrarium : neque enim minus calidum aut frigidum, amplius exsistenti est contrarium. Est igitur in exsistentibus, et exsistens est, et adversatur bono malum. Et si corruptio est exsistentium, non excludit istud ab essentia malum, sed erit et ipsum exsistens, et exsistentium generativum. Aut numquid multoties cujusdam corruptio, alterius fit generatio? Et erit malum ad omnis completionem conferens, et toti non imperfectum esse, per se ipsum largiens. Malum in rebus unde.

Dicit autem ad hæc verus sermo, quod malum, secundum quod est malum, nullam substantiam aut generationem facit; solum autem malum facit, et corrumpit exsistentium substantiam, quantum in ipso est. Si autem generationis operativum ipsum aliquis esse dicat, et hujus corruptione alii dare generationem, respondendum est vere : Non corruptio dat generationem, sed et corruptio quidem et malum corrumpit et malum facit solum; generatio autem et substantia propter bonum fit : et erit malum corruptio quidem propter se ipsum, generativum autem propter bonum. Et secundum quod quidem est malum, neque exsistens est, neque exsistentium effectivum; propter bonum autem, et exsistens et bonum exsistens et bonorum effectivum. Magis autem, neque enim erit idem secundum idem et bonum et malum; neque ejusdem corruptio et generatio eadem secundum idem virtus, neque per se virtus, neque per se corruptio. Igitur ipsum malum quidem neque exsistens est, neque bonum, neque generationis operativum, neque exsistentium neque bonorum effectivum. Bonum autem in quibus perfecte quidem ingignitur, perfecta facit et immixta et integra bona; quæ autem minus ipso participant, et imperfecta sunt bona et mixta propter defectum boni. Et non est universaliter malum, neque bonum, neque faciens bonum; sed quod magis et minus bono appropinquat, proportionaliter erit bonum. Quoniam quidem per universa vadens perfecta bonitas, non usque ad solas quæ circa ipsam sunt proficiscitur sanctissimas substantias, sed extenditur usque ad ultimas : his quidem totaliter præsens, illis autem subjecte, aliis autem extreme, sicut unumquodque exsistentium ipsa participare potest. Et hæc omnino bono participant, illa autem magis et minus privantur, alia autem habent boni obscuriorem participationem, et aliis secundum ultimam resonantiam adest bonum. Si enim non proportionaliter unicuique bonum adesset, essent quidem divinissima et provectissima extremorum habentia ordinem. Quomodo autem et esset possibile uniformiter omnia participare bono, quum non omnia exsistentia eodem modo ad totalem ipsius participationem sint opportuna? Nunc Malum qua ratione malum, an aliquid efficiat.

autem hæc est boni virtutis excellens magnitudo, quod et privata et sui ipsius privationem firmat secundum totalem ipsius participationem. Et si oportet confidentem dicere vera, et adversantia ipsi, ipsius virtute et sunt et adversari possunt.

Magis autem, ut comprehendens dicam, omnia exsistentia, in quantum sunt, et bona sunt et ex bono; in quantum autem privata sunt bono, neque bona neque exsistentia sunt. Nam in aliis quidem habitibus, sicut caliditate aut frigiditate, sunt calefacta et derelinquente ipsa caliditate; et vitæ et mentis multa exsistentium sunt experta; et a substantia Deus segregatur, et est supersubstantialis. Et simpliciter quidem in universis aliis, et abeunte et* non ingenito omnino habitu, sunt exsistentia et subsistere possunt. Quod autem secundum omnem modum bono privatum est, nunquam ullo modo neque erat, neque est, neque erit, neque esse potest. Sicut impudicus quamvis privatus est bono secundum irrationabilem concupiscentiam, in hoc quidem neque est, neque exsistentia concupiscit; participat autem bono secundum ipsam unitionis et amicitiæ obscuram resonantiam. Et furor quidem participat bono secundum ipsum moveri et desiderare apparentia mala ad apparens pulchrum redigere et convertere. Et ipse pessimam vitam desiderans,... et optimam ipsi apparentem, secundum ipsum desiderare et ad optimam vitam respicere, participat bono. Et si omnino bonum auferas, neque substantia erit, neque vita, neque desiderium, neque motus, neque aliud aliquid. Quare et fieri ex corruptione generationem, non est mali virtus, sed minoris boni præsentia; in quantum et morbus est defectus ordinis, non omnis. Si enim hoc fiat, neque morbus ipse subsistet. Manet autem et est morbus, substantiam habens minimam ordinem, et in ipso subsistens. Quod est enim omnino expers boni, neque exsistens est, neque in exsistentibus; quod autem est mixtum, propter bonum est in exsistentibus, et secundum hoc in exsistentibus exsistens, secundum quod ipso participat. Magis autem exsistentia omnia in tantum erunt magis et minus, in quantum bono participant. Etenim in ipso esse quod nusquam nullo modo exsistit, hoc non potest esse, neque erit. Quod autem secundum aliquam partem quidem est, secundum aliquam autem non est, in quantum quidem cecidit a semper exsistente, non est; in quantum autem esse participat, in tantum est, et totaliter esse et non exsistens ipsius tenetur et salvatur. Et malum quod quidem omnino a bono cecidit, neque in magis neque in minus bonis erit. Quod autem secundum aliquam partem quidem est bonum, secundum aliquam autem non bonum, adversatur quidem bono cuidam, non toti autem bono, tenetur autem et ipsum boni participatione. Et substantificat ipsius privationem bonum totaliter ipsius participatione. Omnino enim abeunte bono, neque universaliter aliquid erit bonum, neque mixtum, neque ipsum malum. Si enim malum imperfectum est bonum, absentia perfecti boni et imperfectum et perfectum bonum aberit ; et tunc solum erit et videbitur malum, quando istis quidem est malum quibus adversatur, ab istis autem sicut bonum segregatur. Adversari enim sibi invicem eadem secundum eadem in omnibus, est impossibile. Non igitur exsistens est malum.

* ac

Malum non est in exsistentibus, neque in bono.

Sed neque in exsistentibus est malum. Si enim omnia exsistentia ex bono, et in omnibus est exsistentibus et omnia continet bonum; aut non erit malum in exsistentibus, aut in bono erit. Et quidem in bono non erit. Etenim neque in igne frigidum, neque malum in eo fieri quod et malum bonum facit. Si autem erit, [quomodo erit] in bono malum? Si quidem ex ipso, inconveniens et impossibile. Non enim potest, sicut Eloquiorum veritas dicit, arbor bona fructus malos facere, neque quidem econverso. Si autem non ex ipso, manifestum quod ex alio principio et causa. Etenim malum ex bono erit, aut bonum ex malo; aut si non hoc est possibile, ex alio principio et causa

Matth. VII, 18.

erit et bonum et malum. Omnis enim binarius non principium; unitas autem erit omnis binarii principium. Et quidem inconveniens, ex uno et eodem duo perfecte contraria procedere et esse, et ipsum principium non simplex et singulare esse, sed divisibile et biforme, et contrarium sibi ipsi et variatum.

Et quidem neque duo exsistentium contraria principia possibile est esse, et ista in se invicem et in omni adversantia. Si enim hoc datum sit, erit et Deus non sine læsione, neque extra molestiam, si sit aliquid ipsi adversans. Postea erunt omnia inordinata et semper pugnantia : et quidem de amicitia omnibus exsistentibus bonum tribuit, et per se pax et pacis donator laudatur a sanctis theologis. Propter quod et amica bona, et convenientia omnia, et unius vitæ germina, et ad unum bonum coordinata, et mansueta, et similia, et se invicem adjuvantia. Quare non in Deo est malum, et malum non est res mota a Deo. Sed neque ex Deo est malum. Aut enim non est bonus, aut bona facit et bona producit. Et non aliquando quidem et quædam, aliquando autem non, et non omnia : transmutationem enim in hoc patietur et variationem circa se ipsum, quod est omnium divinissimum secundum causam. Si autem in Deo bonum essentia est, erit transiens ex bono Deus, aliquando quidem exsistens, aliquando non exsistens ; si autem participatione bonum habet, et ex altero habebit, et aliquando quidem habebit, aliquando autem non habebit. Non igitur ex Deo malum, neque in Deo, neque simpliciter, neque secundum tempus.

Ephes. II, 14. *Joann.* XIV, 27.

Sed neque in angelis est malum. Si enim enuntiat bonitatem divinam boniformis angelus, illud exsistens secundum participationem secundario, quod est secundum causam enuntiatum primo ; imago Dei est angelus, manifestatio occulti luminis, speculum purum, clarissimum, incontaminatum, incoinquinatum, immaculatum, suscipiens totam (si est conveniens dicere) pulchritudinem boniformis deiformitatis, et munde resplendere faciens in se ipso, quemadmodum possibile est, bonitatem silentii quod est in adytis. Non igitur neque in angelis est malum. Sed eo quod puniunt peccantes, sunt mali ? Hac igitur ratione et castigatores peccantium sunt mali, et sacerdotes qui immundum a divinis abigunt mysteriis. Et quidem neque puniri est malum, sed fieri pœna dignum ; neque secundum dignitatem abigi a sanctis, sed inquinatum et non sanctum fieri, et ad incontaminata non idoneum.

Malum an aliquid sit in causatis.

Sed neque dæmones sunt natura mali. Etenim si natura mali, neque ex bono, neque in exsistentibus, neque quidem ex bonis transmutati essent, natura et semper mali exsistentes. Postea, igitur sibi ipsis sunt mali, aut aliis ? Si sibi ipsis quidem, et corrumpunt se ipsos. Si autem aliis, quomodo corrumpentes, aut quid corrumpentes ? substantiam, aut virtutem, aut operationem ? Si substantiam quidem, prius quidem non præter naturam : nam natura incorruptibilia non corrumpunt, sed susceptibilia corruptionis. Postea neque hoc omnibus et omnino malum. Sed neque corrumpitur aliquid exsistentium secundum quod est substantia et natura ; sed defectu ordinationis quæ est secundum naturam, harmoniæ et commensurationis ratio infirmatur, manere similiter habens. Infirmitas autem non perfecta. Etenim perfecta et corruptionem et subjectum destrueret, et erit talis corruptio et suimet corruptio. Quare tale non malum, sed deficiens bonum. Quod enim est expers omnino boni, neque in exsistentibus est. Et de corruptione virtutis et operationis eadem ratio est.

Natura dæmonum an sit mala.

Deinde quomodo a Deo facti dæmones, sunt mali ? Etenim bonum bona producit, et subsistere facit. Et quidem mali dicuntur, dicat aliquis, sed non secundum quod sunt (ex bono enim sunt, et bonam obtinuerunt substantiam), sed secundum quod non sunt, infirmi exsistentes, ut Eloquia dicunt, servare sui ipsorum principatum. In quo enim, dic mihi, malos fieri dicimus dæmones, nisi in carentia habitus et operationis

Judæ 6.

divinorum bonorum? Et aliter, si natura mali dæmones, semper mali : et quidem malum instabile est. Igitur si semper eodem modo se habent, non mali; quod enim est semper idem, boni est proprium. Si autem non semper mali, non natura mali, sed defectu angelicorum bonorum. Et non omnino expertes boni, secundum quod et sunt, et vivunt, et intelligunt, et totaliter quidam est in ipsis desiderii motus. Mali autem esse dicuntur propter hoc quod infirmantur circa operationem secundum naturam. Aversio est igitur ipsis malum, et convenientium ipsis excessus, et non consecutio, et imperfectio, et impotentia, et salvantis ipsius perfectionem virtutis infirmitas et fuga et casus. Et aliter, quid est in dæmonibus malum? Furor irrationabilis, demens concupiscentia, phantasia proterva. Sed ista et si sint in dæmonibus, non omnino neque in omnibus neque ipsa secundum se ipsa mala. Etenim in aliis animalibus non habitus horum, sed ablatio, est corruptio animali et malum. Habitus autem salvat et esse facit ista habentem animalis naturam. Non igitur mala est dæmonum tribus secundum quod est secundum naturam, sed secundum quod non est. Et non variatum est datum ipsis totum bonum, sed ipsi deciderunt a dato toto bono. Et data ipsis angelica dona nequaquam ipsa mutata esse dicimus; sed sunt et integra et splendidissima, quamvis ipsi non videant, claudentes ipsorum boni inspectivas virtutes. Quare quod sunt, et ex bono sunt, et boni; et pulchrum et bonum desiderant, esse et vivere et intelligere quæ sunt exsistentia desiderantes. Et privatione et recessione et casu a convenientibus ipsis bonis, dicuntur mali; et sunt mali, secundum quod non sunt, et non exsistens desiderantes, malum desiderant.

Sed animas dicit aliquis esse malas. Si ideo quidem, quia coadsistunt malis provisive et salvative, hoc non est malum, sed bonum, et ex bono, quod et malum bonum facit. Si autem malas fieri animas dicimus, in quo malæ fiunt? nisi in bonorum habituum et operationum defectu, et propter propriam infirmitatem non consecutione et prolapsu? Etenim et aerem qui est super nos, dicimus obtenebrari defectu et absentia luminis; ipsum autem lumen [semper lumen] est quod et tenebras illuminat. Non igitur neque in dæmonibus neque in nobis est malum ut exsistens, sed est sicut defectus et desertum perfectionis propriorum bonorum.

Sed neque in animalibus irrationabilibus est malum. Si enim auferas furorem et concupiscentiam, et alia quæcumque dicuntur, et non sunt simpliciter eorum naturæ mala; etenim animosum et superbum leo quum perdiderit, neque leo erit; mansuetus autem omnibus factus canis, non erit canis; siquidem canis est custodire, et accedere quidem ad familiarem, abjicere autem alienum. Quare quod non corrumpit naturam, non malum. Corruptio autem naturæ est defectus et infirmitas naturalium habitudinum et virtutum et operationum. Et si omnia per generationem in tempore habent perfectum, neque imperfectum omnino præter omnem naturam.

Sed neque in tota natura malum. Si enim omnes naturales rationes sunt ab universali natura, nihil est ipsi contrarium. Particulari autem hoc quidem secundum naturam erit, illud autem non secundum naturam. Alii enim aliud est præter naturam, et hoc huic secundum naturam, illi autem præter naturam. Naturæ autem malitia est hoc quod est præter naturam, scilicet privatio ordinis naturalium. Quare non est mala natura; sed hoc est naturæ malum, impotentem esse ea quæ sunt propriæ naturæ perficere. — Sed neque in corpore est malum. Turpitudo enim et infirmitas, est defectus formæ et privatio ordinis. Hoc autem non omnino malum, sed minus bonum. Si enim perfecta fiat solutio pulchritudinis et formæ et ordinis, peribit et ipsum corpus. Quoniam autem neque malitiæ causa est animæ corpus, manifestum est ex eo quod potest et sine corpore malitia esse, sicut in dæmonibus. Hoc enim est

et mentibus et animabus et corporibus malum, habitus propriorum bonorum infirmitas et casus.

Sed neque multum vulgatum in materia est malum, sicut dicunt, secundum quod est materia. Etenim ipsa ornatus et pulchritudinis et formæ habet participationem. Si autem extra hoc materia exsistens, secundum se ipsam sine qualitate est et sine forma : quomodo facit aliquid materia, quæ neque pati posse secundum se ipsam habet ? Et aliter, quomodo est materia malum ? Si enim nusquam quidem nullo modo est, neque bonum neque malum est ; si autem exsistens, exsistentia autem omnia ex bono sunt, et ipsa ex bono fit : et aut bonum mali est effectivum ; aut malum, sicut ex bono exsistens, est bonum ; aut malum boni est effectivum ; aut bonum, sicut ex malo exsistens, est malum ; aut duo rursus principia, et ipsa ab alio uno vertice segregata. Si autem necessariam dicunt materiam ad completionem omnis mundi, quomodo materia est malum ? Aliud enim est malum, et aliud quod est necessarium. Quomodo autem bonus ex malo deducit quædam ad generationem ? Aut quomodo est malum, quod est necessarium bono ? Fugit enim boni natura malum. Quomodo autem gignit et nutrit naturam materia exsistens mala ? Etenim malum secundum quod malum, est nullius generativum aut nutritivum, aut totaliter effectivum aut salvativum. Si autem dicant ipsam quidem non facere malitiam in animabus, attrahere autem ipsas : quomodo erit hoc verum ? Multæ enim ipsarum ad bonum adspiciunt : et quidem quomodo factum est hoc, materia omnino ipsas ad malum attrahente ? Quare non ex materia in animabus malum est, sed ex inordinato et peccante motu. Si autem et hoc dicunt materiæ esse omnino consequens, et necessaria est instabilis materia his quæ in se ipsis collocari non possunt : quomodo malum est necessarium, aut necessarium malum ? — Sed neque hoc quod dicimus privationem, secundum virtutem propriam adversatur bono. Etenim perfecta privatio, universaliter impotens ; particularis autem, non secundum hoc quod privatio est, habet virtutem, sed secundum hoc quod non perfecta est privatio. Privatione enim boni particulari exsistente, nondum est malum ; et recedente, et mali natura abiit.

Est autem colligentem dicere : Bonum ex una et tota est causa, malum autem ex multis et particularibus defectibus. — Vidit Deus malum aut bonum, et apud ipsum causæ malorum virtutes sunt bonum facientes. — Si autem malum æternum est, et creat, et potest, et est, et facit : unde ipsi hoc ? Aut ex bono, aut bono ex malo, aut ambobus ex alia causa. — Omne quod est secundum naturam, ex causa determinata generatur ; sed malum est sine causa, et indefinitum non est secundum naturam : neque enim in natura omnia, neque contra naturam, neque in artificiis aut in arte ratio. — Utrum anima malorum est causa, quemadmodum ignis calefaciendi, et omnia quibus appropinquat, malitia implet ? Bona quidem est animæ natura ; operationibus autem aliquando quidem habet ita, aliquando autem non ita. Si natura quidem et esse ipsius est malum, et unde ipsi est esse, nisi ex creativa totorum bona causa ? Sed si ex ista, quomodo secundum substantiam est malum ? Bona enim cuncta sunt ex hac genita. Si autem operationibus, neque hoc est intransmutabile : alioqui unde sunt virtutes et boniformiter ipsa facta ? Relinquitur igitur malum infirmitatem et defectum boni esse. — Bonorum causa est una. Si bono malum est contrarium, mali causæ sunt multæ. Non quidem quæ efficiunt mala, sunt rationes et virtutes, sed impotentia et infirmitas, et mixtio dissimilium non commensurabilis. Neque immobilia sunt et semper eodem modo habentia mala, sed infinita et interminata, et in aliis portata, et istis infinitis.

Omnium et malorum principium et finis erit bonum. Etenim boni gratia sunt

omnia quæcumque bona, et quæcumque contraria. Etenim ista facimus bonum desiderantes. Nullus enim ad malum respiciens facit quæ facit. Propter quod neque substantiam habet malum, sed privationem substantiæ, boni gratia et non sui ipsius factum. — Malo esse ponendum est secundum accidens, et propter aliud, et non ex principio proprio. Quare quod fit, rectum quidem esse apparere, quoniam boni gratia fit; revera autem non rectum esse, ideirco quod non bonum, bonum opinantur. Demonstratum est aliud esse desideratum et aliud factum. Igitur malum est præter viam, et præter intentionem, et præter naturam, et præter causam, et præter principium, et præter finem, et præter definitionem, et præter voluntatem, et præter substantiam. Igitur privatio est malum, et defectus, et infirmitas, et incommensuratio, et peccatum, et sine intentione, et sine pulchritudine, et sine vita, et sine mente, et sine ratione, et imperfectum, et non collocatum, et sine causa, et indefinitum, et sine genitura, et vacuum, et non operans, et inordinatum, et dissimile, et infinitum, et obscurum, et sine substantia, et ipsum nullo modo usquam nihil exsistens.

* [illegible] Sicut * totaliter potest aliquid malum ad bonum mixtione. Quod enim omnino boni expers, neque est aliquid, neque potest. Etenim si bonum et exsistens est, et voluntate appetibile, et potens, et activum, quomodo poterit aliquid quod est bono contrarium, quod est substantia et voluntate [et potentia] et operatione privatum? — Non omnia omnibus et omnino eadem secundum idem mala. Dæmoni est malum præter boniformem intellectum esse; animæ, præter rationem; corpori, præter naturam.

Quomodo autem totaliter mala sunt et Providentia exsistente? Non est malum (secundum quod est malum) neque exsistens neque in exsistentibus; et nihil exsistentium est improvisum. Neque enim est malum conspicuum subsistens bono. Et si nullum exsistentium non particeps boni, malum autem defectus boni, nihil autem exsistentium privatur universaliter bono; in omnibus exsistentibus divina providentia, et nihil exsistentium non provisum. Sed et factis malis benigne Providentia utitur, aut ad ipsorum aut aliorum, aut propriam aut communem utilitatem. Et proprie unumquodque exsistentium providet. Propter quod et vanam multorum non recipiemus rationem, qui oportere dicunt Providentiam et invitos nos ad virtutem agere. Etenim corrumpere naturam, non Providentiæ. Unde sicut Providentia uniuscujusque naturæ est salvativa, per se mobilia providet ut per se mobilia, et tota et particularia, juxta proprietatem totius et uniuscujusque in quantum provisorum natura suscipit totius largissimæ providentiæ proportionaliter attributas unicuique provisivas bonitates.

Non igitur exsistens est malum, neque in exsistentibus est malum. Nusquam enim est malum secundum quod est malum; et fieri malum, non est secundum virtutem, sed propter infirmitatem. Et dæmonibus, quod quidem sunt, et ex bono est et bonum. Malum autem est ipsis ex casu a propriis bonis, et variatio quæ circa identitatem et habitum, infirmitas convenientis ipsis angelos decentis perfectionis. Et desiderant bonum, in quantum esse et vivere et intelligere desiderant. Non exsistens bonum desi-

* [illegible] derant, et non est hoc desiderium, sed peccatum desiderii exsistentis *.

In cognitione autem peccantes vocant Eloquia, circa cognitionem boni non oblivisci-

[illegible] bilem aut actionem infirmos exsistentes, et scientes voluntatem, et non facientes: qui audierunt quidem, infirmantur autem circa fidem aut operationem boni; et quod nolunt quidem intelligere ut bene agant, secundum aversionem aut infirmitatem voluntatis. Et totaliter malum (ut multoties diximus) est infirmitas et impotentia, et defectus aut cognitionis, aut fidei, aut desiderii, aut operationis boni. Et quidem dicat aliquis: Non est punienda infirmitas, sed econtra condonanda. Si non quidem esset posse, bene

[illegible] quidem se habet sermo. Si autem ex bono posse, quod dat (secundum Eloquia) om-

nibus simpliciter convenientia, non est laudabile peccatum habitus propriorum bonorum ex bono et aversio, et fuga, et casus. Sed hæc quidem a nobis in his quæ sunt de justitia et divinæ justitiæ observantia, secundum virtutem sufficienter sunt dicta. In quo sancto negotio, Eloquiorum veritas sophisticas et injustitiam et mendacium contra Deum loquentes contrivit sicut insipientes rationes. — Nunc autem sufficienter, sicut secundum nos, laudatum est bonum sicut vere amabile, sicut principium et finis omnium, sicut circuitus exsistentium, sicut informans non exsistentia, sicut omnium bonorum causa, sicut malorum non causa, sicut providentia et donatrix boni perfecta, et supergrediens exsistentia et non exsistentia, et mala secundum ipsius privationem ad bonum redigens, omnibus desiderabile et amabile et diligibile : et quæcumque alia in prioribus verus sermo demonstravit.

CAPITULUM V

DE EXSISTENTE : IN QUO ET DE EXEMPLIS.

TRANSEUNDUM autem est nunc ad vere exsistentem vere exsistentis Dei theologicam laudationem. Tantum autem memorabimus quod sermoni intentio est, non supersubstantialem substantiam, secundum quod supersubstantialis est, manifestare (ineffabile enim hoc et ignotum est, et perfecte non manifestabile, et ipsam excedens unitionem), sed substantificum thearchicæ substantiæ principatus processum ad omnia exsistentia laudare. Etenim boni Dei nominatio totos causæ omnium processus manifestans, et ad exsistentia et ad non exsistentia extenditur, et super exsistentia est. Vitæ autem, ad omnia viventia extenditur, et super viventia est. Sapientiæ vero, ad omnia intellectualia et rationalia et sensibilia extenditur, et super omnia ista est. Istas igitur providentiæ manifestativas Dei nominationes, sermo laudare desiderat. Non enim promittit enarrare per se supersubstantialem bonitatem et substantiam et vitam et sapientiam per se supersubstantialis Deitatis, quæ est super omnem bonitatem, et deitatem, et substantiam, et vitam, et sapientiam, in absconditis (sicut Eloquia *Ps.* xvii, 12.
dicunt) supercollocata : sed manifestatam bonitatem et excedenter beneficam providentiam et omnium bonorum causam laudat, et exsistentem et vitam et sapientiam, quæ facit substantiam et vivificat et est sapientia donatrix causa his quæ substantia et vita et ratione et sensu participant. Non autem aliud esse bonum dicit, et aliud exsistens, et aliud vitam aut sapientiam ; neque multas causas, et aliorum alias productivas deitates excedentes et subjectas : sed unius esse omnes bonos processus, et a nobis laudatas Dei nominationes ; et hanc quidem esse perfecte unius Dei providentiæ manifestativam, quasdam autem universaliorum ejusdem, et magis particularium.

Et quidem dicat aliquis : Quare exsistente excedente vitam, et vita sapientiam, exsistentibus quidem viventia, viventibus autem sensibilia, istis autem rationabilia, et rationabilibus mentes excellunt, et circa Deum sunt, et magis ipsi propinquant ? Et quidem oportet ea quæ majoribus donis ex Deo participant, et meliora esse, et reliquis excellere. Sed si non subsistentia quidem et non viventia aliquis supponeret esse ea quæ sunt intellectualia, bene quidem se haberet sermo. Si autem et sunt divinæ mentes super reliqua exsistentia, et vivunt super reliqua viventia, et intelligunt et cognoscunt

super sensum et rationem, et plus quam omnia exsistentia pulchrum et bonum desiderant et eo participant ; ipsæ magis sunt circa bonum, abundanter ipso participantes, et plura et majora ex ipso dona possidentes ; sicut et rationalia sensibilibus excellunt, abundantia rationis plus illis possidentia ; et quædam sensu, et alia vita. Et est (sicut arbitror) hoc verum, quod magis uno et infiniti doni Deo participantia, magis ipsi sunt propinqua et diviniora derelictis.

Quoniam autem et de istis diximus, age, bonum sicut vere exsistens et exsistentium universorum substantificum laudemus ; quod totius esse, secundum virtutem supersubstantialem, est substantificatrix causa, et causatrix* exsistentis, mentis, personæ, substantiæ, naturæ ; principium et mensura sæculorum, et quod facit esse tempora, et ævum exsistentium, tempus eorum quæ fiunt ; esse quocumque modo exsistentibus, generatio quocumque modo genitis. Ex exsistente est ævum, et substantia, et exsistens, et tempus, et generatio, et genitum, et ea quæ sunt in exsistentibus, et ea quæ quocumque modo insunt et substant. Etenim Deus non quodam modo est exsistens, sed simpliciter et incircumscripte totum in se ipso esse qui accepit et præaccepit. Propter quod et Rex dicitur sæculorum, sicut in se ipso et circa se ipsum omni esse et substante et exsistente. Et neque erat, neque erit ; neque factus est, neque gignitur, neque gignetur. Magis autem neque est, sed ipse est esse exsistentibus ; et non exsistentia solum, sed et ipsum esse exsistentium, est ex exsistente ante sæcula. Ipse enim est ævum ævorum, qui est ante sæcula. Resumentes igitur dicimus, quod omnibus exsistentibus et sæculis est esse a præexsistente, et omne quidem ævum et tempus ex ipso. Omnis autem et sæculi et temporis, et omnis quocumque modo exsistentis, præexsistens est principium et causa. Et omnia ipso participant, et a nullo exsistentium recedit ; et ipse est ante omnia, et omnia in ipso consistunt. Et simpliciter, si aliquid quocumque modo est, in præexsistente et est et intelligitur et salvatur.

* [illegible]

1 Tim. I, 17.

Et ante alias ipsius participationes, esse propositum est ; et est ipsum secundum se esse, antiquius eo quod est per se vitam esse, et eo quod est per se sapientiam esse, et eo quod est per se similitudinem divinam esse ; et alia quæcumque exsistentia participantia, ante omnia illa esse participant. Magis autem et ipsa secundum se ipsa omnia, quibus exsistentia participant, ipso secundum se esse participant ; et nihil est exsistens cujus non sit substantia et ævum ipsum esse. Convenienter igitur cunctis aliis principalius, sicut exsistens, Deus laudatur ex digniore aliorum donorum ejus. Etenim præesse et superesse præhabens et superhabens ex ipso, quod est (ipsum dico secundum se esse) præexsistere fecit, et per ipsum esse, omne quocumque modo exsistens subsistere fecit. Et quidem principia exsistentium omnia esse participant, et sunt, et principia sunt ; et primum sunt, postea principia sunt. Et si vis viventium, sicut viventium, principium dicere per se vitam ; et similium, sicut similium, per se similitudinem ; et unitorum, sicut unitorum, per se unitionem ; et ordinatorum, sicut ordinatorum, per se ordinationem ; et aliorum quæcumque hoc aut hoc, aut ambobus, aut multis participant, hoc aut hoc, aut utraque, aut multa participata : per se participationes invenies ipso esse primum illas participantes, et ipso esse quidem primum exsistentes, postea hujus aut hujus principia exsistentes, et participare* esse, et exsistentes et participatas. Si autem ista essendi participatione sunt, multo quidem magis ea quæ ipsis primum participant. Primum igitur per se essendi donum per se bonitas proponens, digniore prima participationum laudatur.

* [illegible]

Et est ex ipsa et in ipsa, et ipsum esse, et exsistentium principia, et exsistentia omnia, et quæ quocumque modo ab esse sunt contenta ; et hoc incomprehensibiliter, et conjuncte, et singulariter. Etenim in unitate omnis numerus uniformiter praeexsistit,

et habet omnem numerum unitas in se ipsa singulariter : et omnis numerus unitur quidem in unitate ; in quantum autem ab unitate procedit, in tantum discernitur et in multitudinem agitur. Et in centro omnes circuli lineæ secundum unam unitionem coexstiterunt, et omnes habet signum in se ipso lineas uniformiter unitas et ad se invicem et ad unum principium a quo processerunt. Et in ipso quidem centro perfecte uniuntur ; parum autem ab ipso distantes, parum et discernuntur ; magis autem distantes, magis. Et simpliciter, in quantum centro sunt propinquiores, in tantum et ipsi et sibi invicem uniuntur ; et in quantum ab ipso procedunt, in tantum a se invicem discernuntur. Sed et in tota totorum natura, omnes naturæ uniuscujusque rationes congregatæ sunt secundum unam inconfusam unitionem ; et in anima uniformiter particularium omnium provisivæ totius corporis virtutes. Nihil igitur est inconveniens, ex obscuris imaginibus ad omnium causam ascendentes, supermundanis oculis contemplari omnia in omnium causa, et sibi invicem contraria, uniformiter et unite. Principium enim est exsistentium, a quo et ipsum esse, et omnia quocumque modo exsistentia : omne principium, omnis finis ; omnis vita, omnis immortalitas ; omnis sapientia, omnis ordo, omnis harmonia ; omnis virtus, omnis custodia, omnis collocatio, omnis distributio ; omnis intellectus, omnis sermo, omnis sensus, omnis habitus ; omnis statio, omnis motus ; omnis unitio, omnis concretio, omnis amicitia, omnis concordatio ; omnis discretio, omnis definitio : et alia quæcumque per esse exsistentia, exsistentia omnia figurant.

Et ex eadem omnium causa sunt, et intelligibiles et intellectuales deiformium angelorum substantiæ, et animarum et omnis mundi naturæ, et quocumque modo aliis inesse aut secundum cogitationem esse dicta. Et quidem sanctissimæ et provectissimæ virtutes exsistentes, et sicut in vestibulis supersubstantialis Trinitatis collocatæ, ab ipsa et in ipsa et esse et deiformiter esse habent ; et post illas subjectæ, subjecte ; et extremæ, extreme sicut ad angelos, sicut ad nos autem, supermundane. Et animæ et alia omnia exsistentia, secundum eamdem rationem et esse et bene esse habent : et sunt et bene sunt, ex præexsistente esse et bene esse habentia, et in ipso et exsistentia et bene exsistentia ; et ex ipso incipientia, et in ipso custodita, et ad ipsum terminata. Et quasdam quidem dignitates essendi distribuit melioribus substantiis, quas et æternas vocant Eloquia ; esse autem ipsum ab exsistentibus omnibus nequa- *Ps. lxxv, 5.*
quam derelinquitur. Et ipsum autem esse est ex præexsistente : et ipsius est esse, et non ipse est esse * ; et in ipso est esse, et non ipse est in eo quod est esse ; et ipsum * essendi
habet esse, et non ipse habet esse. Et ipse est essendi ævum et principium et mensura, ante substantiam exsistens, et ante id quod exsistit, et ante ævum, et omnium substantificator et principium et medietas et finis. Et propter hoc ab Eloquiis, qui vere præexsistit, secundum omnem exsistentium intentionem multiplicatur ; et erat in ipso, et *Apoc. i, 8.*
est, et erit, et factum est, et fit, et fiet, proprie laudatur. Ista enim omnia ut decet Deum intelligentibus, ipsum secundum omnem intentionem supersubstantialiter esse significant, et exsistentium ubique causam. Etenim non hoc quidem est, hoc autem non est ; neque alicubi quidem est, alicubi autem non est : sed omnia est, ut omnium causa, et in ipso omnia principia, omnes terminationes, omnium causa totorum, comprehendens et præhabens. Et super omnia est, sicut ante omnia supersubstantialiter superexsistens. Propter quod et omnia de ipso et simul prædicantur, et nihil est omnium : omnis figuræ, omnis formæ ; sine forma, sine pulchritudine ; principia et media et fines exsistentium incomprehensibiliter et excellenter in se ipso præaccipiens, et omnibus esse secundum unam superunitam causam immaculate lucendo superfundens. Si enim noster sol sensibilium substantias et qualitates, et quidem multas et diffe-

rentes existentes, tamen ipse unus existens et uniforme lucendo superfundens lumen, renovat, et nutrit, et custodit, et perficit, et discernit, et unit, et reflorere facit, et germinabilia esse facit, et auget, et commutat, et collocat, et ex planta prodire facit, et sursum movet, et vivificat omnia; et totorum unumquodque juxta proprietatem suam eodem et uno sole participat, et multorum participantium unus sol causas in se ipso uniformiter praeaccepit : multo magis in causa et ipsius et omnium, praeexsistere omnium existentium exemplaria secundum unam supersubstantialem unitionem est concedendum, quoniam et substantias producit secundum excessum a substantia.

Exemplaria autem esse dicimus in Deo exsistentium rationes substantificas et singulariter praeexsistentes : quas Theologia praedefinitiones vocat, et divinas et bonas voluntates exsistentium determinativas et effectivas, secundum quas supersubstantialis essentia omnia praedefinivit et produxit. Si autem philosophus Clemens probat et ad aliquid exemplaria dici in exsistentibus principaliora, procedit quidem non per propria et perfecta et simplicia nomina sermo illi. Concedentibus autem et hoc recte dici, memoranda est Theologia, dicens, Quod non demonstrabo tibi illa ut eas post illa, sed ut per istorum proportionalem cognitionem, ad omnium causam, sicut possumus, sursum agamur.

Igitur omnia exsistentia ipsi secundum unam omnium segregatam unitionem sunt attribuenda : quoniam ab essentia substantificæ processionis et bonitatis incipiens, et per omnia vadens, et omnia ex ipsa essentia implens, et in omnibus exsistentibus exsultans, omnia quidem in se ipsa præhabet, secundum unum simplicitatis excessum omnem duplicitatem refutans; omnia autem eodem modo continet secundum supersimplificatam ipsius infinitatem; et ab omnibus singulariter participatur, quemadmodum et vox una exsistens et eadem, a multis audientibus* sicut una participatur. Omnium igitur exsistentium est principium et finis, qui præexsistit : principium quidem, sicut causa; finis autem, sicut cujus gratia : et terminus omnium, et infinitas omnis infinitatis et finis excellenter, sicut oppositorum. In uno enim, sicut multoties dictum est, exsistentia omnia et præhabet et subsistere facit : præsens omnibus et ubique et secundum unum et idem et secundum idem omne; et ad omnia procedens, et manens in se ipso; et stans et motus, et neque stans neque motus; neque principium habens, aut medium, aut finem; neque in aliquo exsistentium neque aliquid exsistentium exsistens. Et neque totaliter ipsi convenit aliquid æternaliter exsistentium aut temporaliter subsistentium; sed et a tempore et ævo, et his quæ sunt in ævo et his quæ sunt in tempore, omnibus segregatur : propter quod et ipsum ævum et exsistentia, et mensuræ exsistentium et mensurata, per ipsum et ab ipso.

CAPITULUM VI

DE VITA.

SED de istis quidem in aliis opportunius dictum sit. Nunc autem laudanda est nobis vita æterna, ex qua est per se vita et omnis vita, et a qua ad omnia quocumque modo vita participantia, vivere juxta proprietatem uniuscujusque disseminatur. Et quidem immortalium angelorum vita et immortalitas, et ipsum non destructivum angelici sempiterni motus, ex ipsa et propter ipsam et sunt et subsistunt.

Propter quod et viventes semper et immortales dicuntur; et non immortales rursus, quoniam non a se ipsis habent immortales esse et æternaliter vivere, sed ex vivifica et omnis vitæ effectiva et contentiva causa. Et sicut in exsistente dicebamus quod et ipsius quod est per se esse, est ævum, ita et hic rursus, quod et ipsius per se vitæ, supervivens divina vita est vivificativa et substantificativa; et omnis vita et vivificativus motus, est ex vita quæ est super omnem vitam et omne principium omnis vitæ. Ex ipsa et animæ non destructibile habent, et animalia omnia, et plantæ secundum ultimam resonantiam vitæ, habent vivere. Qua destructa, secundum Eloquium, deficit *Ps.* CIII, 29, 30. omnis vita; et ad quam et ea quæ infirmitate ad participandum ipsa defecerunt, rursus conversa, rursus animalia fiunt.

Et dat quidem prius per se vitæ esse vitam, et omni vitæ et particulari, esse proprie unamquamque quod esse naturaliter habet : et supercœlestibus quidem vitis immaterialem et deiformem et invariabilem immortalitatem, et fortem et indeclinabilem motum sempiternum; superextenta propter abundantiam bonitatis et ad dæmonum vitam : neque enim illa esse ab alia causa, sed ex ipsa et esse vitam et permanentiam habet. Dans autem et viris, sicut commixtis, contingentem ad angelorum formam vitam; et superemanatione benignitatis, et recedentes nos ad se ipsam convertens et revocans. Et quod quidem est divinius, quod et totos nos (dico animas et conjuga corpora) ad perfectam vitam et immortalitatem se promittit translaturam : rem quidem antiquitati æqualiter præter naturam apparentem, mihi autem et tibi et veritati, et divinam et super naturam apparentem. Super naturam autem secundum nos dico visam, non omnipotentem divinæ vitæ : ipsi enim, sicut omnium exsistenti vitarum naturæ, et maxime divinorum *, nulla vita præter naturam aut super naturam. Quare de hoc stultitiæ Simonis contradicentia verba, longe a divino choro et tua sancta anima expellantur. Latuit enim ipsum, sicut arbitror, et in istis sapientem putatum esse, non oportere bene scientem uti manifesta sensus ratione compugnante contra omnium occultam causam. Et hoc est dicendum ipsi : præter naturam dicere. Ipsi enim nihil est contrarium. Ex ipsa vivificantur et circumflorent et animalia omnia et plantæ. Et sive intellectualem dicas, sive rationalem, sive sensibilem et augmentativam; sive qualemcumque vitam, aut vitæ principium aut vitæ substantiam, ex ipsa et vivunt et vivificant quæ est super omnem vitam, et in ipsa secundum causam uniformiter præexstiterunt. Etenim supervivens et princeps vitæ vita, et omnis vitæ est causa, et vitæ generativa, et adimpletiva et divisiva vitæ, et ex omni vita est laudanda secundum multam fecunditatem omnium vitarum, sicut largissima et omnis vita contemplatione comprehensa et laudata, et sicut non indigens : magis autem superplena vita, per se vivens, et sicut super omnem vitam vivificans et supervivens, aut quomodo aliquis vitam superunientem * et ineffabilem humane laudet.

* divinio-rum

* supervi-ventem

CAPITULUM VII

DE SAPIENTIA, MENTE, RATIONE, VERITATE, FIDE.

AGE autem, si videtur, bonam et æternam vitam, et sicut sapientem et sicut per se sapientiam laudemus; magis autem, sicut omnis sapientiæ substantificativam, et super omnem sapientiam et prudentiam superexsistentem. Non enim tantum Deus est superplenus sapientia, et prudentiæ ipsius non est numerus, sed super omnem rationem et mentem et sapientiam supercollocatur. Et hoc supernaturaliter intendens divinus vere vir, communis nostri et ducis sol, stultum Dei sapientius hominibus esse dicit; non solum quoniam omnis humana deliberatio error quidam est, judicata ad stabile et manens divinorum et perfectissimorum intellectuum; sed quoniam consuetum est theologis, contraria passione in Deo ea quæ sunt privationis dicere. Ita et invisibilem dicunt Eloquia clarissimum lumen; et multum laudabilem et multum nominabilem ineffabilem et innominabilem; et omnibus præsentem et ex omnibus inventum, incomprehensibilem et non investigabilem. Hoc modo igitur et nunc divinus Apostolus laudare dicitur stultitiam Dei, quod apparet in ipsa præter rationem et inconveniens, ad ineffabilem et ante rationem omnem sursumagens veritatem. Sed (quod in aliis dixi) juxta proprietatem nostram ea quæ sunt super nos accipientes, et rationi connutritæ sensibus infixi, et nostris divina comparantes, decipimur, secundum apparens divinam et ineffabilem rationem exsequentes. Oportet autem videre mentem nostram habere quidem virtutem ad intelligendum, per quam intelligibilia inspicit, unitionem autem excedentem mentis naturam, per quam conjungitur ad ea quæ sunt supra ipsam. Secundum hanc igitur oportet divina intelligere, non secundum nos, sed nos ipsos totos extra nos ipsos statutos et totos deificatos. Melius est enim esse Dei, et non nostri ipsorum: ita enim erunt divina data cum Deo factis.

Hanc igitur irrationabilem et amentem et stultam sapientiam excedenter laudantes, dicimus quod omnis est mentis et rationis et omnis sapientiæ et prudentiæ causa; et ipsa est omne consilium, et ab ipsa est omnis cognitio et prudentia, et in ipsa sunt omnes thesauri sapientiæ et cognitionis absconditi. Etenim juxta consequentiam jam prædictorum, supersapiens et omnisapiens causa, et ipsius per se sapientiæ et totius et particularis, est substantificatrix. — Ex ipsa intelligibiles et intellectuales angelicarum mentium virtutes, simplices et beatos habent intellectus: non in divisibilibus aut a divisibilibus aut sensibus aut sermonibus diffusis congregantes divinam cognitionem, neque ab aliquo communi ad ista simul actæ; ab omni autem materiali et multitudine mundæ exsistentes, intellectualiter, immaterialiter, uniformiter intelligibilia divinorum intelligunt. Et est ipsis intellectualis virtus et operatio, munda et immaculata puritate resplendens et conspicaci divinorum intellectuum simplicitate et immaterialitate, et divinitus unitio ad divinam supersapientem et mentem et rationem (sicut est possibile) figurata. Propter divinam sapientiam et animæ rationale habent, diffusive quidem et circulo circa exsistentium veritatem circumeuntes; et divisibili et largissimo varietatis, deficientes ab unitivis mentibus; multorum autem ad unum convolutione, et intellectibus æqualibus angelis (in quantum animabus est

proprium et possibile) dignæ habitæ. Sed et aliquis non peccet ab intentione, dicens sensus ipsos esse resonantiam sapientiæ. Et quidem et dæmonum mens, secundum quod mens est, ex ipsa est; in quantum autem mens est rationis depravatæ, consequi quod desiderat neque sciens neque volens, casum a sapientia magis proprie ipsam oportet appellare.

Sed quod quidem sapientiæ ipsius et omnis, et mentis omnis, et rationis et sensus omnis, divina sapientia et principium est et causa, et substantificatrix et perfectio, et custodia, et finis, dictum est. Sic autem ipse Deus, qui est supersapiens sapientia, et mens et ratio et cognitor laudatur. Quomodo enim intelliget aliquid intelligibilium, non habens intellectuales operationes? Aut quomodo cognoscet sensibilia super omnem sensum collocatus? Et quidem omnia ipsum scire dicunt Eloquia, et nihil effugere *Hebr.* IV, 13. divinam cognitionem. Sed (quod dixi multoties) divina ut decet Deum intelligere convenit. Etenim sine mente et non sensibile, secundum excessum, non secundum defectum, in Deo est ordinandum : sicut et irrationabile reponimus ei qui est super rationem, et imperfectionem ei qui est superperfectus et præperfectus, et impalpabilem et invisibilem caliginem lumini inaccessibili, secundum excessum visibilis luminis. Quare divina mens omnia continet ab omnibus segregata cognitione, secundum omnium causam in se ipsa omnium scientiam præaccipiens, antequam angeli fierent, sciens et producens angelos, et cuncta alia intus et ab ipso (ut ita dicam) principio sciens, et ad substantiam agens. Et hoc arbitror tradere Eloquium quando dicit : Qui *Dan.* XIII, 42. scit omnia antequam fiant ipsa. Non enim ex exsistentibus exsistentia discens novit divina mens, sed ex ipsa et in ipsa secundum causam, omnium scientiam et cognitionem et substantiam præhabet et præaccepit : non secundum visionem singulis se immittens, sed secundum unam causæ continentiam omnia sciens et continens, sicut et lumen secundum causam per semetipsum tenebrarum præaccepit visionem, non aliunde videns tenebras quam a lumine. Igitur se ipsam divina sapientia cognoscens, cognoscit et omnia, immaterialiter materialia, et indivisibiliter divisibilia, et multa unitive, in ipso uno omnia et cognoscens et producens. Etenim si secundum unam causam Deus omnibus exsistentibus esse tradit, secundum eamdem causam sciet omnia, sicut ex ipso exsistentia, et quæ in ipso præexstiterunt; et non ex exsistentibus sumet ipsorum cognitionem, sed et ipsis singulis eorum et aliis aliorum cognitionis erit largitor. Non igitur Deus propriam habet sui ipsius cognitionem, aliam autem communem exsistentia omnia comprehendentem. Ipsa enim omnium causa se ipsam cognoscens vacat alicubi, si ea quæ sunt ab ipsa et quorum est causa ignoraverit. Ita igitur Deus exsistentia cognoscit, non scientia quæ sit exsistentium, sed quæ sit sui ipsius. Etenim et angelos scire dicunt Eloquia ea quæ sunt in terra, non secundum sensus ipsa cognoscentes sensibilia quidem exsistentia, sed secundum propriam deiformis mentis virtutem et naturam.

Propterea* inquirere oportet quomodo nos cognoscimus Deum, neque intelligibilem, * Præterea neque sensibilem, neque aliquid universaliter exsistentium exsistentem. Numquid igitur verum est dicere quoniam Deum cognoscimus? Non ex natura ipsius (ignotum enim est hoc, et omnem rationem et mentem excedens); sed ex omnium totorum ordinatione, sicut ex ipso proposita, et imagines quasdam et assimilationes divinorum ipsius exemplarium habente, ad illud quod est super omnia, via et ordine secundum virtutem ascendimus in omnium ablatione et excessu, et in omnium causa. Propter quod et in omnibus Deus cognoscitur, et sine omnibus; et per cognitionem Deus cognoscitur, et per ignorantiam. Et est ipsius et intellectus et sermo et scientia, et tactus et sensus, et opinio et phantasia et nomen, et alia omnia; et neque intelligitur, neque

dicitur, neque nominatur. Et non est aliquid exsistentium, neque in aliquo exsistentium cognoscitur, et in omnibus omnia est, et in nullo nihil, et ex omnibus cunctis cognoscitur, et ex nullo nulli. Etenim et hæc recte de Deo dicimus, et ex exsistentibus universis laudatur secundum proportionem omnium, quorum est causa. Et est rursus divinissima Dei cognitio, quæ est per ignorantiam cognita secundum unitionem super mentem, quando mens ab aliis omnibus recedens, postea et se ipsam dimittens, unita est supersplendentibus radiis, inde et ibi non scrutabili profundo sapientiæ illuminata. Et quidem et ex omnibus (quod dixi) ipsa est cognoscenda. Ipsa enim est, secundum Eloquium, quæ est omnium effectiva, et semper omnia concordans, et indissolubilis omnium concordationis et ordinis causa, et semper fines priorum conjungens principiis secundorum, et unam omnis conspirationem et harmoniam pulchre operans.

Ratio autem Deus laudatur a sanctis Eloquiis, non tantum quoniam et rationis et mentis et sapientiæ est largitor, sed quoniam et omnium causas in se ipso uniformiter præaccepit, et quoniam per omnia vadit, pertingens (ut Eloquia dicunt) usque ad finem omnium, et ante hæc, quoniam super omnem simplicitatem divina simplificatur ratio, et ab omnibus est super omnia secundum supersubstantiale absoluta. Hæc ratio est simplex et exsistens exsistentis veritas, circa quam sicut mundam et non erroneam totorum cognitionem, divina fides est, quæ est manens credentium collocatio, quæ istos collocat in veritate et in ipsis veritatem, intransmutabili identitate simplicem veritatis cognitionem habentibus credentibus. Si enim cognitio est unitiva eorum qui noverunt, ignorantia autem est semper transmutationis causa et divisionis ignoranti ex se ipso, credentem in veritate, secundum sermonem sanctum, nihil movebit a causa quæ est secundum veram fidem, in qua permanentiam habebit immobilis et intransmutabilis identitatis. Bene enim novit qui veritati unitus est, quam bene habet, quamvis multi corripiant ipsum, sicut ecstasim passum. Latet quidem, sicut est conveniens, ipsos ex errore per veram fidem ecstasim passus veritati unitus. Ipse enim novit se ipsum non (quod dicunt illi) furentem, sed ab instabili et variabili portatione circa largissimam erroris varietatem, per simplicem et semper secundum eadem et eodem modo habentem veritatem, liberatum. Ita igitur nostræ sapientiæ principes et duces pro veritate moriuntur omni die, testificantes, sicut est conveniens, et verbo omni et opere, et unitiva Christianorum vera Dei cognitione, omnibus ipsam esse et simpliciorem et diviniorem, magis autem ipsam esse solam veram et unam simplicem Dei cognitionem.

CAPITULUM VIII

DE VIRTUTE, JUSTITIA, SALVATIONE, LIBERATIONE : IN QUO ET DE INÆQUALITATE.

SED quoniam divinam veritatem et supersapientem sapientiam, et sicut virtutem laudant et sicut justitiam theologi, et sicut salvationem, et sicut liberationem ; age, et istas Dei nominationes, sicut est possibile nobis, reseremus. Et quod quidem Thearchia ab omni quocumque modo et exsistente et cogitata virtute segregata est et superat, non arbitror aliquem in divinis Eloquiis conversatorum ignorare. Multoties enim Theologia et dominationem ipsi et ipsarum cælestium virtutum determinans

tradita est. Quomodo igitur ipsam theologi et sicut virtutem laudant ab omni segregatam virtute? Aut quomodo in ipsa virtutis nominationem accipiamus? Dicimus igitur quod virtus est Deus : sicut omnem virtutem in se ipso præhabens et superhabens ; et sicut omnis virtutis causa, et omnia secundum virtutem indeclinabilem et incircumfinitam producens ; et sicut ipsius quod est esse virtutem aut totam aut particularem, causa exsistens ; et sicut infinitæ virtutis, non tantum eo quod omnem virtutem producit, sed et eo quod est super omnem et ipsam per se virtutem, et eo quod superpotest et infinite infinitas alias ab exsistentibus virtutibus producere, et eo quod nunquam possunt infinitæ et in infinitum productæ virtutes, superinfinitam ipsius virtutem facientis virtutis hebetare actionem, et eo quod ineffabilis et ignota et incogitabilis est cuncta excedens ipsius virtus, quæ propter abundantiam possibilis et infirmitatem firmat, et ultimas resonantiarum ipsius continet et fortiter tenet : quemadmodum et in possibilibus secundum sensum, videmus quod supersplendida lumina et usque ad hebetes visiones perveniunt, et magnos sonos dicunt ad auditus non valde facile recipientes sonos introire. Quod enim est omnino non audiens, neque audit ; et quod universaliter est non videns, neque videt. Ipsa igitur infinitæ virtutis Dei distributio ad omnia exsistentia vadit, et nihil est exsistentium cui perfecte ablatum sit habere quamdam virtutem, sed aut intellectualem, aut rationalem, aut sensibilem, aut vivificam, aut substantialem habet virtutem ; et ipsum etiam esse, si fas est dicere, virtutem ad hoc quod sit, habet a supersubstantiali virtute.

Ex ipsa sunt deiformes angelicorum ornatuum virtutes ; ex ipsa et esse intransmutabiliter habent, et omnes ipsorum intellectuales et immortales sempiternos motus, et fortitudinem ipsam, et non minorabile desiderium boni, ab infiniti boni virtute acceperunt, ipsa immittente ipsis posse et esse ista, et desiderare quod semper est, et ipsum posse desiderare quod semper possunt. Procedunt autem ea quæ sunt indeficientis virtutis, et ad homines, et ad animalia, et plantas, et totam omnis rei naturam ; et firmat unita ad sui invicem amicitiam et communionem, et discreta ad hoc quod sint singula secundum propriam rationem et definitionem inconfusa et incommixta ; et omnis rei ordines et directiones ad bonum proprium salvat. Et immortales angelicarum unitatum vitas immaculatas custodit, et cœlestes et illuminativas et stellares substantias et ordines, invariabiles ; et ævum posse esse facit ; et temporis circumvolutiones discernit quidem processibus, congregat autem restitutionibus ; et ignis virtutes inexstinguibiles facit, et aquæ influxiones indeficientes ; et aeriam effusionem terminat ; et terram in nihilo collocat, et vitæ generativos ipsius partus indifferentes custodit ; et elementorum in se invicem harmoniam et concretionem inconfusam et indivisibilem salvat ; et animæ et corporis conjunctionem continet ; et plantarum nutritivas et augmentativas virtutes sursum movet ; et fortiter tenet substantiales totorum virtutes, et omnis rei indissolubilem mansionem firmat, et deificationem ipsam donat, virtutem ad hoc his qui deificantur præbens. Et totaliter nihil est universaliter exsistentium ab omnipotentis firmitate et ambitu divinæ virtutis segregatum. Quod enim universaliter habet nullam virtutem, neque est, neque erit aliqua ipsius omnino positio.

Et quidem dicit Elymas magus : Si omnipotens est Deus, quomodo dicitur aliquid non posse a nostro theologo? Improperat autem divino Paulo, qui dixit Deum non posse negare se ipsum. Apponens autem hoc, nimium timeo ne et stultitiæ debeam risum, puerorum effrenorum ædificationes et super arenam et infirmas dissolvere moliens, et sicut contra quamdam impossibilem intentionem, jaculari studens contra theologicam de isto deliberationem. Etenim sui ipsius negatio, casus est a veritate ;

II Tim. II, 13.

veritas autem exsistens est, et a veritate casus, ab exsistente est casus. Si igitur veritas exsistens est, negatio autem veritatis est ab exsistente casus; ab exsistente Deus cadere non potest, et hoc non esse non est. Sicut si aliquis dicat: non posse non potest, et non scire (secundum privationem) non novit. Quod sapiens non intelligens, imitatur pugilum inexpertos qui multoties infirmos esse adversarios supponentes, secundum quod videtur sibi ipsis, et contra absentes illos viriliter umbram pugnæ facientes, et aerem vanis plagis confidenter percutientes, opinantur adversarios ipsos obtinuisse, et prædicant se ipsos, neque scientes illorum virtutem. Nos autem dicta theologi (secundum quod est possibile) conjectantes, Deum superpotentem laudamus sicut omnipotentem, sicut beatum et solum potentem, sicut dominantem in potestate sua ævo, sicut secundum nihil ab exsistentibus excidentem, magis autem et superhabentem et præhabentem omnia exsistentia secundum virtutem supersubstantialem, et omnibus exsistentibus posse esse, et hoc esse, secundum abundantiam excedentis virtutis copiosa effusione largientem.

Justitia autem rursus laudatur Deus, sicut omnibus secundum dignitatem distribuens, et commensurationem et pulchritudinem et bonam ordinationem et ornatum et omnes distributiones et ordines segregans unicuique secundum vere exsistentem justissimam definitionem, et omnibus propriæ operationis ipsorum causa exsistens. Omnia enim divina justitia ordinat et terminat, et omnia ab omnibus immixta et non confusa salvat, omnibus exsistentibus convenientia unicuique donat secundum dignitatem unicuique exsistentium supervenientem.

Et si ista recte dicimus, quicumque improperant divinæ justitiæ, latet se sui ipsorum injustitiam manifeste condemnantes. Dicunt enim debere inesse mortalibus immortalitatem, et imperfectis perfectum, et per se mobilibus per aliud mobilem necessitatem, et variabilibus identitatem; et infirmis esse perfecte potentia, et temporalibus esse æterna, et natura motis esse immutabilia, et temporales delectationes esse æternas; et totaliter ea quæ sunt aliorum, aliis attribuunt. Oportet autem videre divinam justitiam in hoc veram justitiam, quod omnibus attribuit propria secundum uniuscujusque exsistentium dignitatem, et uniuscujusque naturam in proprio salvat ordine et virtute. — Si dicat aliquis: non est justitiæ, homines sanctos dimittere non adjutos a pravis cruciatos. Ad quod dicendum, quod si illi quos dicis sanctos, diligunt quidem ea quæ sunt super terram, ab inhærentibus materiæ zelata, a divino omnino ceciderunt amore, et non novi quomodo sancti vocentur, injuriam facientes vere amabilibus et divinis propter inzelabilia et inamabilia ab eisdem non religiose reprobatis. Si autem vere exsistentia amant, lætari convenit quædam desiderantes, quando desiderabilia consequuntur. Aut numquid tunc magis appropinquant angelicis virtutibus, quando sicut est possibile, desiderio divinorum recedunt a materialium passibili affectione, luctantes ad hoc valde viriliter in adversitatibus pro bono? Quare verum est dicere, quod hoc divinæ justitiæ magis est proprium, non mollire et destruere optimorum animositatem materialium donationibus, neque si aliquis conetur hoc facere, dimittere non adjutos, sed collocare ipsos in pulchra et inflexibili statione, et attribuere ipsis talibus exsistentibus secundum dignitatem.

Ipsa igitur divina justitia et salvatio totorum laudatur, propriam uniuscujusque et mundam ab aliis substantiam et ordinem salvans et custodiens, et causa munde exsistens in totis propriæ operationis. Si autem aliquis salvationem laudet, et sicut ex pejoribus tota salvatorie abripientem omnino alicubi, et hunc nos laudatorem largissimæ recipiemus salvationis. Et hanc primam salvationem totorum rogabimus ipsum definire: qui* omnia in se ipsis intransmutabilia et non pugnantia et fortia contra pe-

jora salvat, et omnia custodit non pugnantia et non bellantia, singula sui ipsorum rationibus ornata ; et omnem inæqualitatem et alienam operationem ex totis exterminat, et proportiones uniuscujusque constituit, non valentes cadere ad contraria nec transire. — Quoniam et ita salvationem aliquis laudabit, non longe ab intentione sanctæ Theologiæ, sicut omnia exsistentia, salvatoria omnium bonitate, a casu propriorum bonorum liberantem, secundum quod uniuscujusque eorum quæ salvantur, suscipit natura. Propter quod et liberationem ipsam nominant theologi, in quantum non sinit vere exsistentia ad nihil esse cadere ; et in quantum et si aliquid ad peccatum et inordinatum fallatur, et minorationem quamdam patiatur perfectionis propriorum bonorum, et hoc a passione et infirmitate et privatione liberat, implens minus habens, et paterne infirmitatem supportans, et suscitans a malo : magis autem statuens in bono, et percussum bonum adimplens, et ordinans et statuens et ornans inordinationem ipsius et inornatum, et integrum perficiens, et ab omnibus maculatis solvens. — Sed de istis quidem et de justitia dictum est, secundum quam omnium æqualitas mensuratur et definitur, et omnis inæqualitas quæ est secundum privationem æqualitatis quæ est in ipsis singulis, exterminatur. Etenim inæqualitatem si quis accipiat differentias in toto totorum ad tota, et hujus justitia est servativa, non concedens commixta tota in totis facta turbari, custodiens autem exsistentia omnia secundum speciem unumquodque in qua unumquodque esse secundum naturam habet.

CAPITULUM IX

DE MAGNO, PARVO, EODEM, ALTERO, SIMILI, DISSIMILI, STATIONE, MOTU, ÆQUALITATE.

QUONIAM autem et magnum et parvum attributum est omnium causæ, et idem et alterum, et simile et dissimile, et stans et motus ; age, et horum insignium quibus Deus nominatur, quæcumque sunt nobis manifesta contemplemur. Igitur magnus quidem in Eloquiis Deus laudatus est et in magnitudine, et in aura subtili divinam manifestante parvitatem ; et idem (quando dicunt Eloquia : Tu autem idem ipse es), et alter, sicut quando multæ figuræ et multæ formæ ab eisdem Eloquiis componitur ; et similis, sicut similium et similitudinis substantificator, et dissimilis omnibus, sicut quod non sit ipsi simile ; et stans et immobilis et sedens in sæcula, et motus, sicut ad omnia ambulans : et quæcumque aliæ istis æquipollentes Dei nominationes ab Eloquiis laudantur.

Ps. CXLIV, 3. — *III Reg. XIX, 12, 13.* — *Ps. CI, 28.*

Igitur magnus quidem Deus nominatur secundum magnitudinem ipsius, quæ se ipsam tradit omnibus æternaliter magnis, et extra omnem magnitudinem est superfusa et superextenta, omnem locum continens, omnem numerum supergrediens, omnem infinitatem transiens, et secundum superplenum ipsius et magnificum, et fontana ipsius dona, in quantum ipsa ab omnibus participata secundum infiniti doni effusionem, non minorata omnino sunt, et eamdem habent superplenitudinem, et non minorantur participationibus, sed et magis supermanant. Magnitudo hæc et infinita est, et sine quantitate et sine numero. Et hic* est excessus secundum absolutam et superextentam infinite acceptæ magnitudinis effusionem. — Parvum autem, id est subtile, in ipso dicitur quod omne pondus et distantiam excedit, et quod per omnia

* hæc

sine prohibitione vadit. Et quidem et omnium causa est parvum : nusquam enim invenies parvi formam non participatam. Ita igitur in Deo parvum est accipiendum
Hebr. 4,12 sicut ad omnia et per omnia sine impedimento vadens et operans, et pertingens usque ad divisionem animæ et corporis, et compagum et medullarum, et intentionum cordis,
Hebr. 4,13 magis autem exsistentium universorum ; non enim est creatura occulta in conspectu ejus. Hoc parvum sine quantitate est et sine numero, et incomprehensibile, non valens teneri, sine termino, sine definitione, et comprehensivum omnium, ipsum autem incomprehensibile.

Idem autem est supersubstantialiter æternum et inconversibile, in se ipso manens, semper secundum eadem et eodem modo habens, omnibus eodem modo præsens ; et ipsum secundum se ipsum in se ipso firme et incontaminate in optimis finibus abundantiæ identitatis collocatum ; intransmutabile, in oppositum non valens cadere, forte, invariabile, immixtum, immateriale, simplicissimum, non indigens, non augmentabile, non minorabile ; ingenitum, non sicut nondum genitum aut imperfectum, aut sicut ab hoc aut istud non factum, aut nusquam nullo modo exsistens, sed sicut omne ingenitum et absolute ingenitum, et semper exsistens, et per se perfectum exsistens, et idem exsistens secundum se ipsum, et a se ipso uniformiter et identitatis forma determinatum, et idem ex eodem omnibus ad participandum convenientibus supersplendens, et alia aliis coordinans, abundantia et causa identitatis, in se ipso et contraria eodem modo præhabens secundum unam et singularem totius identitatis excedentem causam. — Alterum autem, quoniam provisive Deus omnibus adest, et omnia in omnibus propter omnium fit salvationem, manens in se ipso et propria identitate, et ingressibiliter secundum operationem unam et impausabilem stans, et se ipsum donans indeclinabili virtute, ad deificationem conversorum. Et alteritatem variarum figurarum Dei secundum multiformes visiones, altera quædam præter hoc quod apparent, apparentibus significare putandum est. Sicut enim si animam ipsam sermo formaret corporaliter, et partes corporales simplici circumponeret, aliter intelligeremus in ipsa partes circumpositas simplicitati secundum proprietatem animæ ; et caput quidem mentem, collum autem opinionem, sicut in medio rationis et irrationabilitatis, pectus autem furorem, ventrem autem concupiscentiam, crura autem et pedes naturam diceremus, partium nominibus signis potentiarum utentes : multo magis alteritatem formarum et figurarum in eo qui est super omnia, sanctis et Deo convenientibus et mysticis reserationibus purgari convenit. Et si vis triplices corporum figuras impalpabili et infigurabili Deo circumponere : latitudo quidem divina est dicenda superlatus Dei ad omnia processus ; longitudo autem, virtus super tota extenta ; profunditas autem, omnibus exsistentibus incomprehensibile occultum et ignorantia. Sed ne lateamus nosmetipsos ex reseratione figurarum et formarum alteritatis, incorporales Dei nominationes his quæ sunt per signa sensibilia commiscentes : propter quod de istis quidem in Symbolica theologia. Nunc autem ipsam divinam alteritatem non variationem quamdam superinconversibilis identitatis suspicemur, sed unitivam ipsius multiplicem formationem, et uniformes multæ fecunditatis ad omnia processiones.

Similem autem Deum si dicat aliquis quidem ut eumdem, sicut totum per totum sibi ipsi singulariter et indivisibiliter exsistentem similem ; non est improbanda nobis similis Dei nominatio. Theologi autem exsistentem super omnia Deum, secundum quod ipse est, nulli dicunt esse similem, ipsum autem similitudinem divinam dare iis qui ad ipsum exsistentem super omnem et definitionem et rationem, convertuntur secundum virtutem imitationis. Et est divinæ similitudinis virtus, quæ advenientia omnia ad causam convertit. Ista igitur dicere convenit similia Deo, et ea secundum imaginem di-

vinam et assimilationem : neque enim ipsis Deum esse similem, quoniam neque propriæ homo imagini est similis. Etenim in coordinatis quidem possibile est et similia ipsa sibi invicem esse, et convertere ad alterutra similitudine, et esse ambo sibi invicem similia secundum præcedentem similis speciem ; in causa autem et causatis non recipiemus conversionem. Non enim solis istis vel istis simile esse donatum est ; omnibus autem similitudine participantibus Deus fit causa quod sint similia, et erit et ipsius substantificator similitudinis ; et quod est in omnibus simile, vestigio quodam divinæ similitudinis est simile, et unitionem ipsorum complet. — Et quid oportet de isto dicere ? Ipsa enim Theologia dissimilem ipsum esse prædicat, et non omnibus coordinatum, sicut ab omnibus alterum. Et hoc quidem est inopinabilius, quod neque esse aliquid simile ipsi dicit. Et quidem non est contrarius sermo assimilationi ad ipsum. Etenim eadem similia sunt Deo et dissimilia : hoc quidem, secundum contingentem non imitabilis imitationem ; hoc autem, secundum quod causata minus habent causa, et mensuris infinitis et incomparabilibus deficientia.

Quid autem et de divina statione aut sessione dicimus ? quid aut aliud quidem, præter hoc quod manet in se ipso ipse Deus, et immobili identitate singulariter est fixus et supercollocatus, et quod secundum eadem et circa idem et eodem modo operatur, et secundum hoc quod ipse intransmutabilis est ex se ipso omnino, et quod non potest ipse in contrarium moveri, et totaliter est immobilis, et hoc supersubstantialiter ? Ipse enim est omnium stationis et sedis causa, qui est super omnem sedem et stationem ; et in ipso cuncta consistunt, ex propriorum bonorum statione incommota custodita. — Quid autem et quando rursus theologi et ad omnia procedentem et motum dicunt immobilem ? Non ut decet Deum et hoc est intelligendum ? Moveri enim ipsum religiose æstimandum est, non secundum portationem, aut mutationem, aut alterationem ; aut modalem aut localem motum, non directum, non circularem, non ex ambobus ; non intelligibilem, non animalem, non naturalem : sed eo quod ad substantiam agat Deus et contineat omnia, et totaliter omnia provideat, et eo quod adsit omnibus, omnium circumitu immensurabili, et ad exsistentia omnia provisivis processibus et operationibus. Sed et motus Dei immobilis, ut decet Deum laudari sermone permittitur : et rectum quidem intelligere convenit indeclinabilem et inflexibilem processum operationum, et ex ipso totorum generationem ; obliquum autem, stabilem processum et generativum statum ; secundum circulum autem, identitatem et media et extrema circumdantia et circumdata continere, et conversionem ad ipsum eorum quæ ab eo processerunt. — Si autem aliquis, in Eloquiis, Dei nominationem ejusdem aut justitiæ in æquali sumat, dicendum est æqualem esse Deum, non solum sicut simplicem et indeclinabilem : sed et sicut ad omnia et per omnia æqualiter procedentem, et sicut ipsius per se æqualitatis substantificatorem, secundum quam æqualiter operatur per omnia similem illorum invicem ambulationem, et suscipientium æqualem participationem secundum singulorum opportunitatem, et æqualem secundum dignitatem ad omnia distributam donationem ; et secundum hoc quod omnem præaccepit æqualitatem, intelligibilem, intellectualem, rationalem, sensibilem, substantialem, naturalem, voluntariam, segregate et unitive in se ipso, secundum virtutem omnis æqualitatis effectivam super omnia exsistentem.

CAPITULUM X

DE OMNIPOTENTE, VETERE DIERUM ; IN QUO ET DE ÆVO ET TEMPORE.

VIDE autem verbo multorum nominum Deum sicut omnipotentem et sicut veterem dierum laudare. Hoc enim dicitur quidem, propter hoc quod omnium ipse est omnipotens sessio continens et circumiens tota, et collocans et fundans et circumstringens, et firmum in se ipsa omne perficiens, et ex se ipsa tota quemadmodum ex radice omnitenenti producens; et ad se ipsam omnia quemadmodum ad plantationem omnitenentem convertens, et continens ipsa sicut omnium sessio omnitenens, contenta omnia secundum unam excedentem omnia continentiam firmans, et non dimittens ipsa decidentia a se ipsa, sicut ex essentia perfecta mota, destrui. Dicitur autem omnitenens Thearchia, et sicut omnia tenens et immixte gubernatis principans, et sicut omnibus desiderabilis et interminabilis exsistens, et supermittens omnibus voluntarias leges, et dulces partus divini et omnipotentis et indissolubilis amoris
Dan. vii, 9. ipsius bonitatis. — Dierum autem antiquus laudatur Deus, propter hoc quod omnium ipse est et ævum et tempus, et ante dies, et ante ævum et tempora. Et quidem et tempus, et diem, et quartam partem anni, et ævum, ut decet Deum, ipsum dicere convenit, sicut exsistentem secundum omnem motum intransmutabilem et immobilem, et in hoc quod semper movetur manentem in se ipso, et sicut ævi et temporis et dierum causam. Propter quod et in sanctis mysticarum Dei visionum apparitionibus, et canus et novus componitur : seniore quidem significante antiquum et a principio exsistentem ; juniore autem, sine senectute : aut ambobus docentibus ipsum a principio usque ad finem per omnia procedere. Aut sicut divinus noster sanctitatis perfector dicit, divinam principalitatem utroque monstrante : seniore quidem, primum in tempore ; juniore autem secundum numerum principalius habente, quoniam unitas et ea quæ sunt circa unitatem, sunt principaliora numeris qui multum processerunt.

* Scripturis. Oportet autem, sicut arbitror, et temporis et ævi naturam ex Eloquiis* videre. Etenim non omnino et absolute ingenita et vere æterna ubique dicit æterna, sed et incorruptibilia, et immortalia, et invariabilia, et exsistentia eodem modo : sicut quando
Ps. xxiii, 7, 9. dicit, Elevamini, portæ æternales ; et similia. Multoties autem et antiquissima, ævi nominatione figurat ; et totam rursus temporis appositionem secundum nos, est quando ævum appellat, secundum quod et proprietas ævi est antiquum et invariabile, et totum secundum totum metiri. Tempus autem vocant, quod in generatione et corruptione et variatione, et aliquando aliter se habet. Propter quod et nos hic secundum tempus terminatos, ævo participaturos Theologia dicit, quando incorruptibile et semper eodem modo habens ævum consequemur. Est autem quando in Eloquiis et temporale ævum glorificatur, et æternum tempus : quamvis scimus ipsis magis et magis proprie exsistentia, ævo, et ea quæ sunt in generatione, tempore et dicta et monstrata. Oportet autem non simpliciter coæterna Deo, qui est ante ævum, arbitrari æterna dicta : sequentes autem venerandissima Eloquia inconversibiliter, æterna quidem et sine tempore secundum cognitos sibi subaudire modos ; media autem exsistentium et factorum, quæcumque secundum aliquid quidem ævo, secundum aliquid vero tempore participant. Deum autem et sicut ævum et sicut tempus laudare convenit, sicut temporis

omnis et ævi causam ; et antiquum dierum, sicut ante tempus et super tempus, et variantem quatuor partes anni et tempora ; et rursus ante saecula exsistentem, in quantum ante ævum est et super ævum, et regnum ipsius regnum omnium saeculorum. Amen. Ps. CXLIV, 13.

CAPITULUM XI

DE PACE, ET QUID VULT PER SE ESSE, QUÆ PER SE VITA, QUÆ PER SE VIRTUS, ET QUÆ ITA DICUNTUR.

AGE igitur, divinam et principem congregationis pacem hymnis pacificis laudemus. Ipsa enim est omnium unitiva, et universorum et consensus et connaturalitatis generativa et operativa. Propter quod et omnia ipsam desiderant divisibilem ipsorum multitudinem convertentem ad totam unitatem, et naturale omnis rei bellum unientem ad conformem cohabitationem. Participatione divinæ pacis, digniores congregativarum virtutum et ipsæ ad se ipsas et ad alias invicem uniuntur, et ad unum totorum pacis principatum. Et subjecta uniuntur et ipsa ad se ipsa et ad alia invicem, et ad unum et perfectum omnium principium pacis et causam : quæ simpliciter superveniens totis, sicut quibusdam vectibus diversorum conclusivis omnia definit, terminat et firmat ; et non sinit divisa effundi ad interminatum et infinitum, inordinata et non collocata et deserta a Deo facta, et ab unitione sui ipsorum exeuntia, et in se invicem omni mixtione conspersa.

Igitur de ipsa quidem divina pace (quodcumque est) et silentio, et quod sanctus Justus ineffabilitatem vocat et ad omnem cognitum processum immobilitatem, et quomodo quiescit et silentium agit ; et quomodo in se ipsa et intra se ipsam est, et ad se ipsam totam tota superunita est ; et neque ad se ipsam ingrediens et multiplicans se ipsam derelinquit sui ipsius unitionem, sed et procedit ad omnia, intus tota manens per excessum omnia superantis unitionis : neque dicere neque cogitare alicui exsistentium, neque est fas neque possibile ; sed sicut ineffabile et hoc et ignotum ipsi attribuentes sicut exsistenti super omnia, intelligibiles ipsius et dictas participationes, et hoc, ut est possibile viris et nobis a multis bonis viris deficientibus, inspiciemus.

Et primum quidem hoc est dicendum, quod ipsam per se pacem et totam et particularem subsistere facit, et quod omnia ad se invicem concreta facit secundum inconfusam ipsorum unitionem : secundum quam indivisibiliter unita et indistanter, tamen pura singula secundum propriam speciem subsistunt, non velata per concretionem ad opposita, neque hebetantia aliquid unitivæ diligentiæ et puritatis. Unam igitur quamdam et simplicem pacificæ unitionis contemplemur naturam unientem universa sibi ipsi, et illis ipsis et sibi invicem, et salvantem omnia in non confusa omnium continentia, et immixta et concreta. Propter quam divinæ mentes unitæ, intellectibus suis uniuntur et unitis, et rursum ad ignotam ascendunt super mentem collocatorum conjunctionem. Propter quam animæ largissimas ipsarum rationes unientes et ad unam intellectualem congregantes puritatem, perveniunt juxta proprietatem suam via et ordine per immaterialem et simplicem intellectum, ad eam quæ est super intellectum unitionem. Propter quam una et indissolubilis omnium complexio secundum divinam sui ipsius harmoniam consistit, et concordatur consonantia perfecta et consensu et connatu-

talitate, et congregata inconfuse et indissolubiliter contenta. Transit enim perfecte totalitatis pax ad omnia existentia, secundum simplicissimam ipsius et immixtam unificæ virtutis præsentiam univens omnia, et conjungens extrema per media extremis secundum unam connaturalem conjuncta amicitiam, et frui ipsa donans et extremis omnis rei terminationibus, et omnia consentientia faciens unitatibus, identitatibus, unitionibus, congregationibus, indivisibiliter videlicet divinâ pace stante, et in uno omnia monstrante, et per omnia proficiscente, et a propria identitate non recedente. Procedit enim ad omnia, et tradit omnibus se ipsam juxta ipsorum proprietatem, et supermanat abundantiâ pacificæ fecunditatis, et manet propter excessum unitionis tota ad totam et secundum totam se ipsam superunita.

Quomodo autem, dicat aliquis, desiderant omnia pacem? multa enim alteritate et discretione gaudent, et non aliquando velint* sponte quiescere. Et si quidem dicens hæc, dicit alteritatem et discretionem uniuscujusque exsistentium proprietatem, et quod hanc neque unum exsistentium exsistens quod est, velit aliquando perdere; non quidem neque nos ad hoc contradicimus, sed et hoc pacis desiderium esse enuntiamus. Omnia enim diligunt ad se ipsa et pacem habere et uniri, et sua et quæ sunt ipsorum, esse immobilia et cadere non valentia. Et est et mundæ singulorum proprietatis perfecta pax servativa, providentiis ipsius pacem donantibus omnia non bellantia et inconfusa et ad se ipsa et ad se invicem salvans, et omnia instabili et indeclinabili virtute ad sui ipsorum pacem et immobilitatem statuens. Et si mota omnia non quiescere sed moveri semper ipsorum motu velint, et hoc desiderium est totorum divinæ pacis, omnia in se ipsis cadere non valentia salvantis, et omnium motorum proprietatem et motivam vitam immobilem et cadere non valentem custodientis, in eo quod mota ad se ipsa pacem habentia et eodem modo habentia, operantur ea quæ sunt sui ipsorum. Si autem secundum casum a pace alteritatem dicens, conatur probare non esse omnibus amabilem pacem: maxime quidem nihil est exsistentium quod ab omni perfecte unitione ceciderit. Quod enim est omnino instabile et interminatum et incollocabile et indefinitum, neque exsistens est neque in exsistentibus. Si autem istos dicit paci et pacis bonis inimicari, qui litibus et furoribus et variationibus et instabilitatibus gaudent; et isti obscuris imaginibus pacifici desiderii tenentur, a passionibus multum moventibus impugnati, et istas sedare stulte desiderantes, et arbitrantes adimpletione semper fluentium pacem habere se ipsos non consecutione delectationum se tenentium perturbatos.

Quid dicat quidem aliquis de benignitate pacem effundente secundum Christum? secundum quam non jam didicimus bellum facere, neque nobis ipsis, neque aliis, neque angelis; sed et cum ipsis divina secundum virtutem operabimur secundum providentiam Jesu omnia in omnibus cooperantis, et facientis pacem ineffabilem et ex sæculo prædefinitam, et reconciliantis nos sibi ipsi in Spiritu, et per ipsum et in ipso Patri. De quibus supernaturalibus donis in Theologicis hypotyposibus sufficienter dictum est, testimonium perhibente nobis et sancta Eloquiorum inspiratione.

Sed quoniam et alibi per epistolam me interrogasti quid forte dicam per se esse, per se vitam, per se esse sapientiam; et ad te ipsum dixisti dubitasse quomodo Deum aliquando quidem per se vitam dico, aliquando autem per se vitæ substantificatorem: necessarium arbitratus sum, sancte Dei vir, et ab hac dubitatione in nobis te absolvere. Et primum quidem, ut multipliciter dicta et nunc assumam, non est contrarium per se virtutem aut per se vitam dicere Deum, et per se vitæ aut pacis aut virtutis substantificatorem. Hæc enim quidem ex exsistentibus, et maxime ex primo exsistentibus, sicut causa omnium exsistentium dicitur; illa autem, sicut super omnia, et

* nolunt

etiam quæ prius sunt, superexsistens supersubstantialiter. Dicis autem, quid totaliter dicimus per se esse, aut per se vitam, aut quæcumque absolute et principaliter esse et ex Deo primo subsistere ponimus. Hoc autem, dicimus, non est obliquum, sed rectum, et simplicem habens manifestationem. Non enim substantiam quamdam divinam aut angelicam esse dicimus per se esse, quod est causa quod sint omnia. Solum enim quod sint exsistentia omnia, et ipsum esse supersubstantiale est principium et substantia et causa. Neque vitæ generativam aliam deitatem dicimus, præter superdeam vitam omnium quæcumque vivunt et ipsius per se vitæ causam ; neque, ut colligendo dicamus, principales exsistentium et creativas substantias et personas, quas et deos exsistentium et creatores per se facientes dixerunt : quos, vere et proprie dicendum, non exsistentes neque ipsi sciverunt neque patres eorum. Sed per se esse et per se vitam et per se deitatem, dicimus et divine et causaliter unum omnium superprincipale et supersubstantiale principium et causam ; participaliter autem datas ex Deo imparticipabili provisivas virtutes, per se substantificationem, per se vivificationem, per se deificationem, quibus exsistentia juxta proprietatem suam participantia, et exsistentia et viventia et divina et sunt et dicuntur, et alia similiter. Propter quod et primo ipsorum bonus substantificator dicitur esse, postea totorum ipsorum, postea particularium ipsorum, postea totaliter ipsis participantium. Et quid oportet de istis dicere ? quandoquidem divinorum quidam nostrorum magistrorum sanctorum, et ipsius per se bonitatis et deitatis substantificatricem dicunt superbonam et superdeam per se bonitatem et deitatem : dicentes esse beneficum et deificum ex Deo proveniens donum, et per se pulchritudinem, per se pulchrificam effusionem, et totam pulchritudinem, et particularem pulchritudinem, et totaliter pulchra, et in parte pulchra, et quæcumque alia secundum eumdem dicta sunt et dicentur modum, monstrantia providentias et bonitates participatas ab exsistentibus, ex Deo imparticipabili procedentes copiosa effusione et supermanantes, ut diligenter omnium causa sit supra omnia, et excedat omnino supersubstantiale et supernaturale exsistentia secundum quamcumque substantiam et naturam.

CAPITULUM XII

DE SANCTO SANCTORUM, REGE REGUM, DOMINO DOMINORUM, DEO DEORUM.

SED quoniam et de istis quæcumque dicere oportebat, convenientem (ut arbitror) acceperunt finem, laudare nos convenit eum qui est infinitorum nominum, et sicut Sanctum Sanctorum, Regem regnantium, et regnatorem sæculorum et in sæcula, et adhuc ut Dominum dominorum et Deum deorum. Et primum quidem est dicendum quid quidem per se bonitatem* esse arbitramur, quid autem regnum, quid autem dominationem, quid autem deitatem ; et quid volunt monstrare Eloquia duplicatione nominum. Igitur sanctitas quidem est, ut secundum nos dicatur, ab omni immunditia libera et perfecta et omnino immaculata munditia ; regnum autem, omnis finis et ornatus et legis et ordinis distributio ; dominatio autem, non pejorum excessus tantum, sed et omnis et pulchrorum et bonorum perfecta omnimoda possessio, et vera et cadere non valens fortitudo (unde et ab eo quod est dominium facere, dicitur

* sanctitatem

dominatio, et dominus, et dominans; deitas autem, quæ omnia videt providentia et bonitate perfecta omnia circumspiciens et continens, et se ipsa implens et excedens omnia providentia ipsa utentia. Igitur hæc quidem in causa excedente omnia absolute laudare convenit, et addendum est, ipsam esse excedentem sanctitatem et dominationem et regnum, superpositam et amplissimam deitatem. Etenim ex ipsa in uno collective subsistit et distributa est omnis munda diligentia omnis claræ munditiæ; omnis exsistentium et ordinatio et ornatus, inconvenientiam et inæqualitatem et incommensurationem exterminans, et ad bene ordinatam identitatem et directionem exaltans et circumagens participatione ipsius quæ sunt digna habita; omnis perfecta et omnium pulchrorum perfecta possessio, omnis providentia bona, contemplativa et contentiva provisorum, se ipsam benigne tribuens ad deificationem conversorum.

Quoniam autem superplenus omnibus qui est omnium causa secundum unum omnia excedentem excessum, Sanctus Sanctorum laudatur, et reliqua, secundum supermanantem causam et segregatum excessum. Sicut si aliquis dicat: In quantum excellunt non exsistentibus exsistentia sancta aut divina aut dominia aut regalia, et rursus participantibus participationes, ita tantum collocatur super omnia exsistentia qui est super omnia exsistentia, et omnium participantium et participationum imparticipabilis causa. Sanctos autem et reges et dominos et deos vocant Eloquia in singulis principaliores ornatus, per quos secundi ex Dei donis accipientes, illorum distributionis simplicitatem circa sui ipsorum differentias multiplicant: quorum varietatem primi provisive et deiformiter ad unitatem sui ipsorum congregant.

CAPITULUM XIII

DE PERFECTO ET UNO.

TANTA et de istis. Ad ipsum autem reliquum (si videtur) sermonem brevissimum eamus. Etenim Theologia de omnium causa, et omnia et simul omnia prædicat, et sicut perfectum ipsum et sicut unum laudat. Igitur perfectum quidem est, non solum sicut per se perfectum, et secundum se ipsum a se ipso uniformiter segregatum, et totum per totum perfectissimum; sed et sicut superperfectum secundum omnium excessum, et omnium quidem infinitatem terminans, super omnem autem terminum extentum, et a nullo captum aut comprehensum, sed extendens se ad omnia simul et super omnia indeficientibus immissionibus et interminabilibus operationibus. Perfectum autem rursus dicitur, et sicut inaugmentabile et semper perfectum, et sicut non minorabile, sicut omnia in se ipso præhabens et supermanans secundum unam impausabilem et eamdem et superplenam et imminorabilem largitionem, secundum quam perfecta omnia perficit et propria adimplet perfectione.

Unum autem, quoniam omnia unitive est secundum unius unitatis excessum, et omnium est unum ingressibiliter causa. Nihil enim exsistentium est non participans uno: sed sicut omnis numerus unitate participat, et unus binarius et denarius dicitur, et dimidium unum, et tertium et decimum unum; ita omnia et omnium pars uno participant, et per id quod est unum omnia sunt exsistentia. Et non est quod omnium est causa unum, multorum unum, sed ante omne unum et multitudinem, et omne

unum et multitudinem determinans. Neque enim est multitudo non participans uno : sed ea quæ sunt multa partibus, sunt unum toto; et quæ sunt multa accidentibus, sunt unum subjecto; et quæ sunt multa numero aut virtutibus, sunt unum specie; et quæ sunt multa speciebus, sunt unum genere; et quæ sunt multa processibus, sunt unum principio : et nihil est exsistentium quod non participet secundum aliquid uno, quod in eo quod est singulare secundum omnia, omnia et tota omnia et opposita, et singulariter coaccepit. Et sine uno quidem non erit multitudo, sine multitudine vero erit unum, sicut et unitas ante omnem numerum est multiplicatum; et si omnibus omnia unita aliquis supponat, omnia erunt in toto unum. Et aliter et hoc sciendum est, quoniam secundum uniuscujusque præexcogitatam speciem unita dicuntur esse ea quæ sunt unita; et omnium est unum elementatum, et si auferas unum, neque totalitas neque pars neque aliud quid exsistentium erit. Omnia enim in se ipso unum uniformiter præaccepit et circumaccepit.

Ita igitur Theologia totam Thearchiam, sicut omnium causam, laudat unius nominatione, et unus Deus Pater, et unus Dominus Jesus Christus, et unus et idem Spiritus, *I Cor* VIII, 6; XII, 11. propter excedentem totius divinæ unitatis simplicitatem, in qua omnia singulariter congregata sunt et superunita, et præsunt supersubstantialiter. Propter quod et omnia ad ipsam juste remittuntur et reponuntur, a qua, et ex qua, et per quam, et in qua, et *Rom* XI, 36. ad quam, omnia sunt, et coordinata sunt, et manent, et continentur, et adimplentur, et convertuntur. Et non invenies aliquid exsistentium quod non in uno secundum quod omnis Deitas supersubstantialiter nominatur, et sit hoc quod est, et perficiatur et salvetur. Et oportet et nos a multis ad unum virtute divinæ unitatis conversos, unitive laudare totam et unam Deitatem, scilicet omnium causam unum : quod est ante omne unum et multitudinem, et partem et totum, et definitionem et infinitatem, et terminum et interminabilitatem; quod omnia exsistentia et ipsum esse definit, et omnium est et totorum omnium, et simul et ante omnia et super omnia et singulariter causa. Et super ipsum unum exsistens, et ipsum unum exsistens terminat : quoniam exsistens unum quod est in exsistentibus, numerabile est; numerus autem essentia participat : supersubstantiale autem unum, et exsistens unum et omnem numerum terminat, et ipsum est unius et numeri et omnis exsistentis principium et causa, et numerus et ordo. Propter quod et unitas laudata et trinitas, quæ est super omnia Deitas, non est neque unitas neque trinitas quæ a nobis aut ab alio quodam exsistentium sit cognita. Sed ut superunum ipsius et deigenum vere laudemus, trinitatis et unitatis Dei nominationem supernominabilem nominamus et exsistentibus superessentialem. Nulla autem monas aut trinitas, neque numerus, neque unitas aut fecunditas, neque aliud aliquid exsistentium aut alicui cognitum, educit exsistens super omnem et rationem et mentem occultum superdeitatis super omnia supersubstantialiter superexsistentis; neque nomen ipsius est neque sermo, sed in inviis segregatum. Et neque asserimus ipsum nomen bonitatis sicut concordantes ipsi; sed desiderio intelligendi aliquid et dicendi de ineffabili natura illa, nominum dignissimum sanctificamus ipsi primum. Et concordabimus quidem in hoc theologis; a rerum autem veritate deficiemus. Propter quod et ipsi per negationes ascensum prælionoraverunt, sicut exsuscitantem animam ab his quæ sunt ipsi connaturalia, et per omnes divinos intellectus pergentem a quibus segregatum est quod est super omne nomen et omnem rationem et omnem cognitionem, in ultimis autem totorum ipsi conjungentem, in quantum nobis illi conjungi est possibile.

Has nos intelligibiles Dei significationes colligentes, sicut est possibile, reseravimus : non solum ab earum diligentia deficientes (hoc enim vere et angeli dicant),

neque a laude ipsarum ab angelis (nam apud nos potentissimi theologi minus habent quam illorum extremi), neque a laude philosophantium illis aut comitantium, sed et nobis coordinatorum extreme et subjecte. Quare si recte se quidem habent dicta, et sicut secundum nos vere tetigimus deliberatione reserationem Dei nominationum, ad omnium bonorum causam res est referenda, quae dat primum ipsum dicere, postea bene dicere. Et si aliquid aequipollentium est praetermissum, et illud nos secundum easdem rationes et easdem regulas subaudire oportet. Si autem ista aut non recte aut imperfecte se habent, et a veritate aut totaliter aut particulariter erravimus, tuae sit benignitatis dirigere non voluntarie ignorantem, et tradere rationes discere indigenti, et subvenire sufficientem virtutem non habenti, et sanare aegrotare nolentem, et haec quidem per te ipsum, alia autem per alios invenientem, omnia autem ex bono recipientem, et ad nos transferre. Ne pigriteris autem amico benefaciens. Vides enim quod et nos nullum traditorum nobis thearchicorum sermonum ad nos ipsos contraximus, sed sursum currentes, ipsos et vobis et aliis sanctis viris et tradidimus et trademus, sicut quidem et nos sumus sufficientes dicere, et quibus dicitur, audire, secundum nihil traditioni injuriam facientes, nisi forsitan ad intelligentiam aut expositionem ipsorum infirmemur. Sed haec quidem qualiter Deo erit amicum, ita et habeantur et dicantur. Et sit quidem iste intelligibilibus Dei nominationibus secundum nos finis; ad symbolicam autem theologiam, duce Deo, transibimus.

S. DIONYSII AREOPAGITÆ

DE DIVINIS NOMINIBUS

TRANSLATIO AMBROSII ABBATIS

CAMALDULENSIS ORDINIS

CAPITULUM PRIMUM

QUIS LIBRI FINIS, ET QUÆ DE DIVINIS NOMINIBUS PRODITA SINT.

COMPRESBYTERO Timotheo, Dionysius presbyter[1]. — Nunc jam, vir Dei, post Theologicarum hypotyposeon librum, ad explicanda pro viribus divina nomina transeamus. Sit autem modo quoque nobis ea (quæ semper) definita lex, eorum quæ de Deo dicuntur, tueri veritatem non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, I Cor. II, 4. sed in ostensione theologorum a Sancto Spiritu agitatæ virtutis, per quam ineffabilibus et incognitis ineffabiliter et ignote conjungimur, præstantiori illa unione rationalis nostræ spiritualisque virtutis atque actionis.

Nulla ergo ratione præsumendum est aliquid de supersubstantiali secretissimaque Deitate aut dicere aut cogitare, præter illa quæ nobis sacra Eloquia tradiderunt. Nam suprema divinaque scientia ignorationis illius sermonem omnem et sensum substantiamque superantis, qua ipsum supersubstantiale noscitur, ipsi adscribenda est; tantumque fas est ad celsiora contendere, quantum se ipsum divinorum Eloquiorum radius insinuare dignatur; comparamusque vires nobis ad supremos illos fulgores hauriendos innocue, si divina sobrie et pie casteque reveremur. Nam si quid sapientissimæ verissimæque Theologiæ credendum est, pro captu animorum divina revelantur atque spectantur, Dei scilicet bonitate, per saluberrimam justitiam, immensitatem (quippe quæ incomprehensibilis) ab his quæ sub mensuram cadunt, quemadmodum decet, dirimente. Sicut enim spiritualia carnales percipere et inspicere nequeunt; et qui figmentis ac figuris inhærent, ad simplicia figurisque vacua non adspirant; et quæ secundum corporum lineamenta efformantur, incorporearum rerum informabilitatem nec tactui nec figuris obnoxiam, nequaquam attingunt: eadem quoque veritatis ratione, supereminet substantiis omnibus supersubstantialis infinitas; sensusque excellit omnes unitas sensu eminentior ac mentibus omnibus; inexcogitabile est unum illud mente superius; ineffabileque est verbis omnibus bonum quod superat verbum, unitas unifica totius unitatis, supersubstantialisque substantia, et intelligentia nequaquam

[1] Capituli titulum et nuncupationem addidimus, quæ in editionibus Coloniensibus desiderantur.

intelligibilis, et ineffabile verbum, sermonis et intelligentiæ nominisque privatio, quæ juxta nullam substantiarum est; et quum omnibus, ut sint, causa sit, ipsum non est, utpote omni essentia superior, et ut ipsum de se proprie peritèque negantibus verbis enuntiat. De hac igitur, ut dictum est, supersubstantiali secretissimaque Deitate, neque dicere quidquam neque cogitare præsumendum est, aliter quam sacra nobis Eloquia per admodum castoque tradiderunt. — Namque ut ipsa de se in sanctis Litteris benignissime tradidit, ejus (quidquid tandem ipsa est) et scientia et intelligentia, omnibus est inaccessa substantiis, utpote ab omnibus altissimis modis excepta. Denique theologos plures invenias illam non modo ut invisibilem incomprehensibilemque laudasse, verum et inscrutabilem investigabilemque dixisse, quasi nullum exstet vestigium eorum qui ad ejus secretissimam infinitatem penetrarunt.

Non tamen usquequaque summum illud bonum ulli substantiæ communicabile non est; sed quum in se ipso stabiliter supersubstantialem fixerit radium, congruis tamen cujusque substantiæ capiibus sese clementer insinuat, et ad ipsius speculationem et societatem ac similitudinem, quantam assequi possunt, intendit spiritus altissimos; qui ut fas est, cœlestes ipsi reverenter intendunt, et neque ad superiora quam ferat indultos illis pro modo suo radius, insolenter adspirant, neque quod ad inferiora vergant, ad deterius labantur; sed constanter ac firmiter, nusquam obtutus declinando, ad illucescentem sibi radium aciem intendunt, atque amore congruo illustrationum divinarum quas haurire fas est, sancta cum reverentia, sobrie ac pie evolant.

His igitur inhærentes divinis lancibus, quæ totas cœlestium ordinum ac substantiarum distinctiones gubernant, arcanum quidem Divinitatis, quod intellectum omnem substantiamque transcendit, inscrutabilibus et sacris animi venerationibus, ineffabilia vero, casto honorantes silentio, ad eos quos ex sanctis Litteris haurimus fulgores, intendimur, atque ab his * ad divinos hymnos dirigimur, ab his quidem ultra mundanum modum illuminati; atque ad sacras laudationes effingimur, ad id ipsum ut etiam adspiciamus quæ nobis pro captu nostro ex ipsis indulgentur divina lumina, et principium sacræ totius illustrationis, a quo omne provenit bonum, celebremus ut ipsum de se in sacris Eloquiis tradidit: puta, quod sit omnium causa, et initium, et substantia, et vita; eos qui ab illo cadunt, revocans atque erigens; et qui ad id prolapsi sunt, ut in se divinam effigiem corruperint, renovans ac reformans; quique impura aliqua agitatione quatiuntur, eos sacratius firmans, stantes corroborans; eosque qui ad se promoventur et assurgunt, porrecta veluti subvehens manu; eis qui illuminantur, fulgor intimus; et qui perficiuntur, consummationis princeps; quique in Deum assumuntur, summa Deitas; et qui simplices fiunt, vera simplicitas; quique in unum transeunt, unitas; principii totius, omnia superans initia per excellentem substantiam principium; occultique sacratissimi, quantum fas est, benigne participationem tradens; atque ut paucis dixerim, viventium vita, subsistentiumque substantia, vitæ omnis ac substantiæ initium et causa, quod bonitate sua cuncta quæ sunt, ut essent produxerit, atque universa contineat.

Ista ex divinorum Eloquiorum fontibus haurimus; inveniesque omnem ferme, ut ita dixerim, theologorum laudationem, ad beneficos Divinitatis progressus exponendos atque laudandos, divina effingere nomina. Quocirca in omnibus ferme sanctis libris advertimus Divinitatem sancte prædicari: ut singularem quidem atque unicam, ob simplicitatem atque unitatem excellentis illius individui, ex quo veluti unifica virtute in unum exsurgimus, dividuisque nostris alteritatibus supra mundanum modum conglobatis, in divinam monadem atque unionem Deum imitantem colligimur; ut trinitatem vero, propter divinæ fecunditatis in tribus personis expressionem, ex qua omnis

* Ante hymnos [illegible]

Ephes. III, 15.

paternitas in cœlo et in terra est et nominatur; ut vero causam rerum omnium, quia omnia per substantificam ipsius bonitatem, ut essent, acceperunt; porro sapientem et pulchram, quia omnia quæ sunt et quæ naturam suam inviolabilem servant, omni divina congruentia sacroque decore sunt plena; supra modum vero benignam, quia in una personarum suarum infirma nostra integre verissimeque suscepit, ad se ipsam revocans atque adstringens humilitatem nostram, ex qua ineffabiliter compositus est simplex Jesus, æternusque temporales subiit metas, atque intra naturæ nostræ terminos venit qui omnem totius naturæ ordinem eminenter excedit, suis proprietatibus immutabiliter atque inconfuse subnixus : et quæque alia deifica lumina sacris ex Litteris hausta, secreta sanctorum præceptorum nostrorum traditio nobis explanando tradidit, quæ et nos quoque didicimus.

Et nunc quidem pro captu nostro, per sacra velamina, sanctarum Litterarum sacerdotaliumque traditionum benignitas, carnalibus spiritualia et subsistentibus supersubstantialia contegit, formasque et figuras his quibus ista per summam excellentiam desunt, circumponit, ac supremam illam neque figurabilem simplicitatem, dividuorum varietate signorum multiplicat atque effingit. Tunc vero, quando incorruptibiles immortalesque facti erimus, et ad imaginem Christi beatissima dignati requie, semper (ut scriptum est) cum Domino erimus : visibili quidem ipsius divina præsentia castissime contemplando fruentes, lucidissimis nos circumfulgente luminibus, non secus ac discipulos in sacratissima illa transfiguratione sua; porro spiritualis ipsius et intelligibilis lucis, mente perturbatione omni et materia libera, participes facti, ejus quæ sensum omnem superat unionis, lucidissimorum radiorum incognitis et beatissimis jactibus, erimus (supercœlestes spiritus divinius imitando) consortes. Erimus enim, ut ait Veritas, æquales angelis, et filii Dei, quum simus resurrectionis filii. At enim pro modulo nostro, in divinis rebus familiaribus nobis utimur signis, et ex eis rursus ad simplicem atque unitam spiritualium speculationum veritatem congrue nobis assurgimus; et post omnem, pro humano captu, divinarum intelligentiam rerum feriati, spiritualibus actionibus nostris supremum illum radium, quantum fas est, haurire contendimus : in quo termini omnes omnium scientiarum plus quam ineffabiliter præsubsistunt; quem neque intelligere, neque eloqui possumus, neque omnino quomodolibet intueri, quod sit exceptus ab omnibus, et excellenter ignotus : et quum omnium substantialium scientiarum atque virtutum fines simul omnes in se ineffabili modo ante acceperit, omnibus etiam spiritibus angelicis eminet, incomprehensibili virtute superne locatus. Si enim scientiæ omnes rerum subsistentium sunt, atque in substantias desinunt; qui substantiam excedit omnem, scientia quoque omni superior sit necesse est.

I Thess. IV, 16.

Luc. XX, 36.

Atqui, si sermone omni omnique scientia præstantior est, si supra sensum * prorsus atque substantiam eminet, et percipiens circumambiat et comprehendat atque anticipet omnia, ipse tamen omnino incomprehensibilis permanet; et neque sensus ullus ejus est, neque imaginatio, neque opinatio, neque nomen, neque sermo, neque tactus, neque scientia : quomodo ergo scribemus et de divinis nominibus aggrediemur, quum docuerimus supersubstantialem Deitatem carere vocabulo atque omne nomen excedere? Ceterum quod diximus quum theologicas hypotyposes (id est institutiones) exponeremus, unum illud quod incognitum, quod supersubstantiale est, ipsum bonum, quod est, trinitatis unitatem scilicet, unum simul Deum atque simul bonum, neque explicare neque intelligere possumus. Sed et ipsæ sanctarum virtutum angelis congruæ conjunctiones, sive eas jactus dicere oportet sive perceptiones plus quam incognitæ eminentissimæque lucentis bonitatis, et ineffabiles simul et ignotæ sunt, solisque ipsis insunt qui ex angelorum numero supra scientiæ angelicæ modum his digni habiti

* intellectum

sunt. His conjuncti ad imitationem angelorum, quantum fas est, sublimiores quique sanctorum spiritus, quando per vacationem totius spiritualis operationis hujusmodi spiritiumt in Deum contendentium, ad supremam Dei lucem pervenit unio, ipsam proprie ac decentissime omnium ablatione concelebrant : illud verissime et excellenter edocti ex beatissima ad eam lucem unione, ut illa quidem substantiarum omnium sit auctor, ipsa vero nihil sit ex his, ut quæ ineffabiliter emineat omnibus. Itaque supersubstantiale illud divinum, quidquid tandem id est supremæ bonitatis substantia eximia, neque ut verbum, aut virtutem, neque ut sensum, aut vitam, aut substantiam, laudare licet ulli ex his qui excellentis omnem veritatem veritatis amatores sunt ; sed ut ab habitu omni, motu, vita, imaginatione, opinatione, nomine, sermone, mente, intelligentia, substantia, statu, sede, unione, fine, infinitate, et his quæ sunt omnibus, eminentissime exceptam. — Quoniam vero ut bonitatis subsistentia, ipso esse suo est omnium subsistentium causa, boni auctorem summæ Divinitatis providentiam ex omnibus creatis laudare conveniet. Circa ipsam enim et ipsius causa sunt omnia, ipsaque est ante omnia, et in ipsa cuncta consistunt, atque eo ipso quod est, universa producta sunt atque subsistunt. Ipsamque desiderant omnia : spiritualia quidem et rationalia, scienter, his autem inferiora, sensibiliter; alia vero, vitalis ratione motus, aut per substantialem habitualemve aptitudinem.

Ista denique non ignorantes theologi, ipsam et ut carentem nomine, et ex omni nomine celebrant. Ut carentem quidem nomine, quum Deum ipsum aiunt in una sacratissimarum visionum apparentem, eum increpasse qui dixerat : Quod est nomen tuum ? Ac veluti ab omni eum divini nominis cognitione abducentem, dixisse : Cur de nomine meo interrogas, quod est mirabile ? An vero istud non est mirabile nomen, quod est super omne nomen, quod est sine nomine, quod omne exsuperat nomen quod nominatur sive in hoc sæculo, sive in futuro ? Ut plurimis vero nominibus præditum laudant quum ipsum rursus inducunt dicentem, Ego sum qui sum, vita, lux, Deus, veritas; et quum ipsi divina sapientia illustres, auctorem omnium ex creaturis omnibus multis nominibus prædicant : ut bonum, ut pulchrum, ut sapientem, ut diligibilem, ut Deum deorum, ut Dominum dominorum, ut Sanctum Sanctorum, ut æternum, ut exsistentem, ut sæculorum auctorem ; ut indultorem vitæ, ut sapientiam, ut mentem, ut verbum, ut scientem, ut thesauros omnes totius scientiæ in se eminentissime habentem, ut virtutem, ut potentem, ut Regem regum, ut Antiquum dierum, ut insenescibilem et immutabilem, ut salutem, ut justitiam, ut sanctificationem, ut redemptionem, ut magnitudinem excellentem omnibus, et ut in aura tenui. Sed et in spiritibus ipsum esse aiunt, et in animabus, et in corporibus, et in cælo, et in terra, et simul in eodem eumdem ; in mundo, circa mundum, supra mundum, supercœlestem, supersubstantialem, solem, stellam, ignem, aquam, spiritum roris, nubem, ipsum lapidem et petram ; omnia quæ sunt, et nihil eorum quæ sunt.

In hunc ergo modum omnium causæ quæ supra omnia est, et privatio nominis congruet, et omnia subsistentium nomina, ut sit profecto omnium regnum, et circa ipsam sint omnia, et ex ipsa veluti causa, veluti principio, veluti fine dependeant, ipsaque, juxta Scripturæ fidem, sit omnia in omnibus. Verissimeque laudatur ut substantiæ indultrix atque consummatrix, continensque custodia et domicilium, et ad se ipsam convertens : atque ista conjuncte, incircumscripte, excellenter. Non enim comprehensionis solum, aut vitæ, aut consummationis est auctor, ut ab hac sola seu altera providentia bonitas illa quæ supra omne nomen est denominetur ; verum simpliciter omnia atque indefinite in se ipsa comprehendit exactissima unius ipsius auctorisque omnium providentiæ bonitate, atque ex rebus omnibus convenientissime prædicatur ac denominatur.

Judic. XIII, 17. Ibid. 18. Philipp. II, 9. Ephes. I, 21. Exod. III, 14; Joan. XIV, 6; ... 11; Gen. ... 18. I Cor. XV, 28.

Nempe enim non hæc tantum divina nomina ex absolutis omnium seu singularibus providentiis, seu ex his quæ providentia aguntur, theologi prædicant : verum a quibusdam interdum visis quæ in sacris ædibus seu alibi, aliis atque aliis ex causis ac virtutibus, institutores seu Prophetas illustrarunt, lucem omnem omneque nomen transcendentem bonitatem nominant; formasque illi et effigies humanas, seu ignis, seu electri, circumponunt; ipsiusque oculos, et aures, et crines, et facies, et manus, et scapulas, et alas, et brachia, et posteriora, et pedes laudant; coronas quoque, et sedes, et calices, et crateras, et alia quædam id genus mystica illi applicant. De quibus in Significativa theologia pro viribus disseremus. Nunc autem quæque sunt præsentis operis de Scripturis sanctis colligentes, et his quæ dicta sunt, veluti norma quadam et linea utentes, atque ad ea aciem dirigentes, intelligibilia divina nomina explicare pergamus. Et quod nobis semper in omnibus sacris Eloquiis sacra lex dictat, mente in Deum intentissima, divina (ut proprie dixerim) spectacula contemplemur. Expiatasque aures sanctis divinorum nominum expositionibus applicemus, sancta sanctis (ex tra- *Matth.* VII, 6.
ditione divina) insinuantes, eaque a risu et illusione rudium hactenus atque infidelium vindicantes, imo illos ipsos, si qui sunt istiusmodi homines, hoc errore liberantes. Te quidem ista servare convenit, o præclare Timothee, juxta sacratissimam sanctionem, neque inter imperitos eloqui aut efferre divina. Mihi autem Deus largiri dignetur ut congrue laudare possim benefica multiplicia nomina appellatione ac nomine carentis Deitatis; neque de ore meo auferat verbum veritatis, auferrive permittat.

CAPITULUM II

DE CONJUNCTA ET DISCRETA THEOLOGIA, ET QUÆNAM SIT DIVINA CONJUNCTIO ATQUE DISCRETIO.

DIVINAM totam substantiam, quidquid illa est, ipsa bonitas definire atque aperire a sacris Eloquiis dicitur. Quid enim aliud ex sancto Evangelio discimus, quum Deum ipsum ait exponendo dixisse : Quid me interrogas de bono? nemo *Matth.* XIX, 17; *Luc.* XVIII, 19.
bonus, nisi solus Deus. Hoc sane et in aliis locis discussum a nobis ac demonstratum est, ut omnes semper Deo dignæ denominationes, non per partes, sed in tota ac perfecta atque integra et plena Deitate a Scripturis sanctis celebrantur, et omnes ipsæ individue absoluteque ac præter omnem observationem, integre tota* integritate, exactissime, totiusque Deitatis intenduntur. Denique sicuti in Theologicis institutionibus admonuimus, nisi quis hoc de tota Deitate accipiat dictum, blasphemare ac scindere nefario scelere præsumit conjunctam supreme unitatem. Dicendum itaque hoc de tota Deitate oportere accipi. Namque ut Verbum quoque ipsum natura bonum, ait, Ego bonus sum. Et quidam ex Prophetis divinitus afflatus, prædicat Spiritum bonum. Et illud rursus, Ego sum qui sum, nisi de tota dictum Deitate sentiant, et una tantum ex parte nitantur circumscribere, quomodo illud intelligent, Hæc dicit qui est, qui erat, qui venturus est omnipotens? et illud, Tu autem idem ipse es? et illud, Spiritus veritatis, qui est, qui a Patre procedit? Et nisi totam esse dicant vitalem vitam, quomodo verum est Verbum sacrum quod ait, sicut Pater suscitat mortuos et vivificat, ita et Filius quos vult, vivificat? et illud, Spiritus est qui vivificat? Ceterum quod domi-

* Vers. in tota integritate exactissime totiusque.

Matth. XX, 15; *Joan.* X, 11. — *Ps.* CXLII, 10. — *Exod.* III, 14. — *Apoc.* I, 8. — *Ps.* CI, 28. — *Joan.* XV, 26. — *Ibid.* V, 21. — *Ibid.* VI, 64.

naturæ quoque omnium habeat tota Divinitas, de Patris quidem fecunda Deitate vel Filii, dici non potest, ut reor, quam multis in locis divinarum Scripturarum, de Patre et Filio legitur, Dominus. Sed et Dominus Spiritus est. Pulchritudo quoque et sapientia in Deitate celebratur, et lux itidem, et deificum, et causa. Et omnia quæ totius Deitatis sunt, a sanctis Litteris in totius Deitatis laudes assumuntur; complexive quidem, ut quum dicitur, Omnia ex Deo; diffusius vero, quum dixerit quispiam, Omnia per ipsum et in ipso condita sunt, et in ipso consistunt universa; et illud, Emittes Spiritum tuum, et creabuntur. Et ut perstringam breviter, divinum ipsum ait Verbum, Ego et Pater unum sumus; et, Omnia quæ habet Pater, mea sunt; et, Omnia mea tua sunt, et tua mea. Et rursus, quæque Patris et ipsius sunt, divino quoque Spiritui socialiter et conjuncte applicat, ut divinas operationes, venerationem, principalem et indeficientem causam, ac distributionem cælestium munerum. Neminemque arbitror ex his qui in divinis Eloquiis rectissima piaque intelligentia sunt enutriti, huic sententiæ contradicturum, quod divina omnia juxta exactissimam rationem toti Divinitati insunt. His igitur breviter hic et ex parte, aliis vero in locis satis, de Scripturis ostensis ac definitis, quamlibet explicare nitamur integram Dei nominationem, ipsa in tota Deitate sumenda est.

I Cor. xi, 12. — Coloss. i, 16, 17. — Ps. ciii, 30. — Joan. x, 30. — Joan. xvi, 15. — Joan. xvii, 10.

Quod et si quis dixerit confusionem nos contra sacratissimam personarum distinctionem hac ratione introducere, is (nostro judicio) se vera prosequi persuadere nunquam poterit. Nam si quidem est qui omnino sacris Scripturis resistat, longe omnino aberit et a philosophia nostra. Ac nisi illi curæ sit divina sanctarum Litterarum sapientia, quomodo nobis erit curæ ipsum ad castissimorum Eloquiorum scientiam adducere? Sin vero Scripturæ sanctæ veritatem intuetur, ista nos quoque regula et luce freti, ad rationem pro viribus reddendam nusquam declinando pergemus, illud ante omnia dicentes, ut Scriptura sacra alia conjuncte tradit, alia discrete; et neque conjuncta dirimere, neque discreta confundere fas est, sed ipsam sequendo, quantum vires suppetunt, ad divinæ lucis radios adspirare nos convenit. Et subinde divinas percipientes interpretationes veluti regulam quamdam præclaram veritatis, quæ ibi condita sunt, servare in nobis ipsis, nihil addendo, nihil minuendo, nihil pervertendo, curabimus, intra sanctarum Litterarum præsidium nos continentes, a quibus ut servemur, dum ea servamus, robur accipimus. Atqui conjuncta quidem totius Deitatis sunt, ut in Theologicis institutionibus latius de Scripturis sanctis ostendimus, quod supra bonitatem, supra deitatem, supra substantiam, supra vitam, supra sapientiam sit, et quæque eminentissimæ privationis sunt: quibus et causalia omnia adjiciuntur, bonitas scilicet, pulchritudo, essentia, vivificatio, sapientia, et quodlibet ex ipsius benignissimis donis, bonorum omnium causa denominatur. Porro discreta sunt, Patris supersubstantiale nomen et persona, Filiique ac Sancti Spiritus, quum nulla in his conversio aut omnino communitas inducatur. Est præterea discreta Jesu ex nobis compta perfecta immutabilisque substantia, et quæque sunt assumptæ carnis substantialia sacramenta.

Est autem (ut reor) conveniens, ut resumentes exponamus perfectum divinæ conjunctionis ac discretionis modum, ut sermo omnis nobis apertus sit atque conspicuus, varietatem omnem et obscuritatem fugiens, dum facile et manifeste atque ordinate quæ sua sunt pro viribus ponit. Aiunt (quod alibi etiam dixi) nostræ theologicæ institutionis præceptores sancti, conjunctiones divinas, illius plusquam ineffabilis, plusquam incognitæ singularitatis, occultas esse et quæ nusquam extra suas prodeant sacratissimas sedes: porro discretiones, benignissimos Deitatis processus expressionesque definiunt. Et autumant, sanctis inhærentes Eloquiis, et memoratæ conjunctionis

seorsum et discretionis itidem quasdam etiam et conjunctiones et discretiones proprias esse. Puta in unione divina sive supersubstantiali illo eximio, conjunctum quidem est unicæ Trinitati atque commune : substantia substantiam superans, deitas deitati superior, bonitas eminentissime bona cuncta transiliens, totius proprietatis identitas omnia superans, unitas superprincipalis, ineffabile quod multis vocibus prædicatur, ignoratio quæ per cuncta intelligitur ; omnium positio, omnium ablatio, quod positionem omnem ablationemque transcendit ; principantium personarum in se invicem, si sic dicere expedit, mansio et sedes integre et superexcellenti modo conjuncta, et nulla ex parte confusa.

Quemadmodum cereorum lumina, ut sensibilibus ac familiaribus utamur exemplis, in domo una quum sint, et tota in totis mutuo sunt, et integra tamen atque perfecta ab se invicem discretione separantur, discretione conjuncta, et conjunctione discreta. Denique cernimus in domo plurimis tædis illustri, ad unum quoddam lumen conjungi omnia lumina, fulgoremque unum indiscretum individuumque præferre ; neque, reor, posset quispiam hujus facis lumen ab aliis ex aere lumina cuncta continente distinguere, et alterum sine altero cernere, quum tota in totis mere commixta sint. Verum et si quis facem unam tecto subducat, omnis quoque ipsius lux una exibit, nihilque secum ex luminibus reliquis subtrahet, vel ex suo ceteris linquet. Erat enim illic, ut dixi, omnium ad omnia exacta conjunctio, mera penitus et nulla ex parte confusa : idque, quum esset lumen in corpore aere, et ex materiali igne penderet. Supersubstantialem itaque conjunctionem illam longe eminere dicimus, non modo corporalibus conjunctionibus, verum et animalibus et spiritualibus ipsis, quas habent impermixte et supra mundanum modum, tota in totis, divina effigie prædita supercœlestia lumina, participatione excellentissimæ cunctisque eminentis unionis pro captu suo cuique indulta. — Est autem et discretio in supremis divinis Eloquiis non ea quam dixi solum, quod secundum ipsam unionem quælibet principantium personarum impermixta atque inconfusa firmitate nitatur : sed quia ineffabilis quoque divinæ fecunditatis ratione ad invicem nequaquam convertuntur ; solusque fons supersubstantialis deitatis est Pater, quum non sit Filius Pater, neque Pater Filius sit. Servant autem divinæ laudes honestissime proprietates suas cuique divinarum personarum. Istæ quidem sunt juxta ineffabilem conjunctionem ac substantiam conjunctiones ac discretiones.

Si vero divina quoque discretio est benignissimus ille conjunctionis divinæ processus, excellenti unitate se ipsam propagantis ac multiplicantis ; conjunctæ quidem sunt juxta divinæ discretionis legem, absolutæ communicationes, substantiæ, vitæ sapientiæque traditiones, et alia munera omnium auctoris bonitatis, secundum quæ ex participationibus et ex participantibus laudantur quæ sine participatione participando sumuntur. Et istud commune et conjunctum atque unum est toti bonitati, quod ipsa omnis ac tota ab unoquoque participante sumitur, et a nemine ulla ex parte percipitur : non secus ac centrum, punctum scilicet in medio circuli, ab omnibus circumpositis rectis lineis ; ac veluti sigilli formationes plurimæ primitivi sigilli participes sunt, et in singulis totum atque idem est, et in nulla ulla ex parte est. Supereminet his quoque auctoris omnium Deitatis incommunicabile illud, quod neque tactus ejus sit, neque alia aliqua (ad ea quæ participant) commixta societas. Enimvero dixerit quispiam : Sigillum in omnibus formationibus totum atque idem non est. Atqui hujus rei non sigillum causa est : totum enim se illud atque idem unicuique insinuat. Verum participantium differentia, unius, totius ejusdemque primitivæ formæ dissimiles reddit effigies. Ac si quidem subjecta sunt mollia formatuque facilia, et lævia suscipiendisque lineamentis idonea, non reluctantia, nec dura, neque fluxa et incon-

stantia; figuram nitidam et apertam permanentemque habitura sunt. Sin vero aliquid ex his quæ diximus idonea desideretur, ea in primis causa erit ut et forma archetypo minime congruat, et obscura sit. Alia, quæcumque ea sunt, ex habilitate participationi minus idonea fiunt.

Discretum est autem, a divinis operibus in nos benigne manantibus, quod secundum nos atque ex nobis integre et vere substantiam sumpsit supersubstantiale Verbum, easque et gessit et pertulit quæ sunt humanæ ipsius assumptionis electa atque præcipua. His enim neque Pater neque Spiritus ulla ratione communicat : nisi forte quis asserat benignitate clementiaque et communione voluntatis, atque in omni supereminentissima et ineffabili operatione divina quam homo pro nobis factus adimplevit immutabilis profecto Deus et Dei Verbum, illos quoque accessisse consortes. In hunc nos modum divina et connectere et distinguere oratione studemus, sicuti divina ipsa et conjuncta profecto et discreta sunt.

Verum enim harum nos conjunctionum ac discretionum quascumque in sanctis Litteris Dei dignas invenimus causas, in Theologicis institutionibus seorsum de singulis disserentes, ut licuit exposuimus : alia quidem vera ratione enodantes atque explicantes, expeditumque et tranquillum animum perlucidis Scripturarum intelligentiis adhibentes ; alias vero ut mysticis, ex traditione divina supra intellectualem operationem intendentes. Divina sane omnia et quæ nobis enodata patuere, solis participationibus noscuntur. Porro ipsa cujusmodi in suo principio suaque sede sint, nullus sensus attingit, nulla substantia nullaque scientia penetrat. Denique, sive supersubstantiale illud occultum, Deum, aut vitam, sive substantiam, seu lucem, seu verbum appellemus, nihil intelligimus aliud quam ex eo in nos emanantes participationes atque virtutes quibus assumimur in Deum, et quæ nobis vel substantiam, vel vitam, vel sapientiam largiantur. Enimvero secreto illi, omnibus feriati et absoluti spiritualibus actionibus congredimur, nullam adspicientes deificentiam, seu vitam, seu substantiam, quæ per omnia similis sit causæ illi cunctis per omnem excellentiam eminenti.

Rursus, quod primordialis et fontana sit deitas Pater, Filius vero et Spiritus Sanctus, fecundæ deitatis, si fas est dicere, germina plantata divinitus, et veluti flores ac supersubstantialia lumina, a Scripturis sanctis accepimus. Quonam vero modo ista sint, neque eloqui neque intelligere possumus ; sed hactenus omnis nostri spiritualis operatio progreditur, quod divina omnis Patris ac Filii notio, ex transcendente omnia Patris ac Filii principatu, et nobis et cœlestibus est indulta virtutibus : ex quo et dii et deorum filii deorumque patres, Spiritus divina effigie insignes, et fiunt et dicuntur, eo scilicet Patris ac Filii spiritualiter exacto munere, id est, incorporaliter, non materialiter, intelligibiliter : ipso quidem divino Spiritu immateriale omne ac divinum superne eminente* ; Patreque et Filio, ab omni et patre et filio divino, Patris et Filii munere excellenter exceptis. Neque enim est exacta similitudo causalibus et causis ; sed habent causalia quidem causarum pro viribus impressas imagines ; causæ vero ipsæ a causalibus exceptæ emicant sui ratione principii. Atque ut nostratibus utar exemplis, voluptates et dolores, ut lætemur ac tristemur auctores esse dicuntur, quum tamen ipsa neque delectentur neque angantur. Ignis quoque quum calefaciat et urat, neque uri neque calefieri dicitur. Et si quis vitam vivere aut illuminari lucem dicat, meo quidem judicio non recte loquitur, nisi forte per alium hæc dixerit modum, quod affluenter ac substantifice quæ causalium sunt, causis præindita sint.

* supereminente

Hoc et quod theologiæ totius vel evidentissimum est, ipsa Jesu in carne apparitio, et ineffabilis est sermone omni, et omni ignota intelligentiæ, ipsi quoque antiquissi-

morum angelorum primati non cognita. Et quidem quod virilem substantiam assumpserit, in sacramentis accepimus. Ignoramus autem quomodo ex virgineis sanguinibus altero quam naturali jure formatus est; quove pacto siccis pedibus corporale pondus habentibus materiæque gravitatem, liquidam perambulavit instabilemque substantiam; et alia quæque excellentem Jesu naturam signant. Ista et nos alibi satis tractavimus, et ab inclyto præceptore nostro in ipsius Theologicis elementis celebrata sunt sublimiter penitus. Quæ ille sive a theologis sanctis accepit, sive etiam ex solerti Scripturarum indagine comprehendit longo exercitio ac tempore, sive aliqua sacratiori inspiratione perdidicit, non modo discendo assecutus, verum etiam patiendo divina, atque ex passionis ad ea societate, si dici liceat, ad indocibilem eorum mysticamque unionem ac fidem consummatus. Et ut plurimas beatissimasque intelligentias præclaræ ipsius mentis paucis apponamus, hæc de Jesu in collectis ab eo theologicis elementis ait.

EX SANCTISSIMI HIEROTHEI LIBRO ELEMENTORUM.

« Omnium est causa cunctaque replet Jesu divinitas: quæ partes universitati consonas servat, et neque pars neque totum est; et pars est et totum, ut quæ omne, et « partem et totum, in se ipsa comprehendat et excellenter habeat anteque habeat. Perfecta est quidem in imperfectis, utpote perfectionis princeps; porro inter perfectos « imperfecta est, quippe quæ perfectionem excellentia temporeque transcendat. Species « specifica inter specie carentes, ut speciei auctor; specie carens inter species, utpote « speciem superans. Substantia omnes substantias sine inquinatione perlustrans; ac « supersubstantialiter ab omni excepta substantia. Principia omnia ordinesque disseparans; et supra omne principium ordinemque locata. Mensura est rerum, et sæculum; et supra sæculum, et ante sæculum. Plena inter egenos; inter plenos exuberans. « Ineffabilis, ineloquibilis; supra sensum, supra vitam. Supra substantiam* excellenter « habet excellentiam, supersubstantialiterque substantiam superat. Unde quoniam et « usque ad nostram naturam per summam clementiam venit, vereque substantiam « nostræ carnis accepit, et vir, summus ille Deus appellatus est. Propitia sint igitur « quæ sensum omnem et sermonem superantia laudantur a nobis. In his quoque illius « excellens ac supersubstantiale eminet, non modo qua parte immutabiliter nobis « atque inconfuse communicavit, nihil in exuberanti sua plenitudine ex ineffabili « exinanitione perpessus; verum quia (quod est novitatum omnium supereminens « novitas) in naturalibus nostris supra naturam erat, in his quæ sunt nostræ substantiæ, supersubstantialis, nostra omnia ex nobis et supra nos excellenter habens. »

* naturam

Sed de his satis. Illuc jam unde cœpit, recurrat oratio, et communia atque conjuncta divinæ discretionis nomina pro viribus explicare pergamus. Atque ut apertius de omnibus deinceps dicendis ante definiamus, discretionem divinam esse dicimus, ut præmissum est, processus benignissimos Deitatis. Quum enim his quæ sunt omnibus affatim bonorum omnium consortia largiatur et supereffundat, conjunctim quidem discernitur, crescit autem singulariter et multiplicatur, neque usquam ab uno discedit. Puta, quoniam supersubstantialiter ens Deus est, et his quæ sunt esse largitur, omnesque producit essentias: unum illud quod est, multiplicari dicitur, multas ex se producendo substantias; manet autem illud nihilo minus et in multiplicatione unum, et in processu conjunctum, atque in discretione plenum, quod sit substantiis omnibus eminenter exceptum et singulari productione omnium atque indiminuta profusione ipsius indeficientium munerum. Sed et quum sit unum, omnique parti et toti, et uni et multitudini, unius consortium tradat, unum similiter est supersubstantialiter, neque pars exsistens multitudinis, neque ex partibus totum. Sicque nec unum est, neque unius particeps; longeque ab his unum est, super unum illud quod in sub-

stantia est, et multitudo individua, inexplebilis, plusquam plena, omne unum multitudinemque producens et perficiens et continens. Rursus ex ipsius deificentia, dum singuli imaginem Dei in se nituntur exprimere, multi fiunt dii, ac videtur esse quidem et dicitur unius Dei discretio et multiplicatio. Est autem nihilo minus principalis et supremus Deus supersubstantialiter unus Deus, in his quae divisionem admittunt indivisus penitus, sibi ipsi conjunctus, et impermixtus plurimis, et qui multiplicari penitus nequeat. Istud mirabiliter profecto intellexit communis et noster et nostri praeceptoris ad divinam illuminationem eximius ductor, divinis in rebus celeberrimus, lux mundi.
I Cor. viii, 5, 6. Hic enim in suis sanctis litteris divino Spiritu afflatus ait : Nam siquidem sunt qui dicuntur dii, sive in cœlo sive in terra (sicuti profecto sunt dii multi et domini multi) : sed nobis unus Deus est Pater, ex quo omnia, et nos in ipso ; et unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia, et nos per ipsum. Porro et in divinis conjunctiones discretionibus excellunt ac praesunt, et nihilo minus post unius nusquam procedentem singularemque discretionem conjuncta divina sunt. Istas nos communes atque conjunctas Deitatis totius distinctiones sive benignos processus, ex divinis nominibus eas in Scripturis sanctis exponentibus, pro viribus laudare conabimur, quum istud, ut praedictum est, prius definierimus, omnem beneficam Dei appellationem, in quacumque divinarum personarum ponatur, absque observatione ulla, in tota simul accipi Trinitate.

CAPITULUM III

QUÆ SIT ORATIONIS VIRTUS ; DE B. HIEROTHEO, ET DE REVERENTIA, ET CONSCRIPTIONE THEOLOGICA.

Ac primum quidem perfectissimam omniumque Dei processuum interpretem, boni appellationem intueamur, si placet, ubi primum auctorem boni et supreme bonam Trinitatem invocaverimus, omnes suas benignissime exponentem providentias. Oportet enim nos votis in primis ad ipsam veluti bonitatis principem provehi, atque e vicino discere benignissima illi insita munera. Nam ipsa quidem adest omnibus ; non autem illi adsunt omnia. Ubi vero ipsam castissimis precibus, animoque purgato et pervio atque ad divinam idoneo conjunctionem, invocamus, tunc nos quoque illi adsumus. Ipsa namque neque in loco sic est ut usquam absit, seu ex aliis ad alia migret : imo etiam in rebus omnibus eam esse dicere, minus est quam ut colligatur infinitas illa quae super omnia est et cuncta comprehendit. Itaque nos ipsos ad celsiorem divinorum clarissimorumque radiorum contuitum orationibus in primis comparamus. Veluti si lucidissima catena ex cœlesti summitate suspensa et huc usque pertingente, nos semper eam manibus alternis in anteriora porrectis capiamus, trahere quidem ipsam videmur ; re autem vera non illam ipsi deducimus, quippe quam supra infraque habeamus praesentem, sed ipsi magis ad sublimiores illustrium radiorum fulgores promovemur. Aut certe quemadmodum si navim ingressi, rudentes ex saxo quodam ad nos usque porrectos teneamus, quippe quorum nitamur auxilio ; non saxum ad nos, sed nos ipsos magis navimque ad saxum promovemus : sicut et contra si quis maritimum saxum in navi stans percellere pergat, nihil quidem stans et immobile saxum violabit, sed sese potius ab eo magis arcebit, quantoque in illud vio-

lentius impulerit, tanto ab eo longius repelletur. Quocirca ante omnem actum, et in theologia maxime, ab oratione inchoandum nobis est : non ut ubique et nusquam præsentem virtutem attrahamus, sed ut memoria divinarum rerum atque invocationibus piis nos ipsos illi dedamus atque jungamus.

Atque hujus rei fortassis afferenda sit ratio, cur quum eximius præceptor noster Hierotheus theologica elementa mirabiliter profecto collegerit, nos quasi illa non sufficiant, et alias alia, et præsens de theologia nunc opus conscripserimus. Nempe enim si ille omnes theologicos tractatus deinceps explicare voluisset, et expositionibus vel succinctissimis theologiæ totius summam explanasset, nunquam nos ad id insaniæ vel stoliditatis venissemus, ut aut liquidius illo ac divinius arbitraremur Eloquia sacra penetrare posse, aut eadem bis dicendo, superfluo casso labore sudare vellemus. Præterea magistrum nostrum et amicum violasse merito convinceremur, si nos post B. Paulum illius eloquiis imbuti atque instituti, ipsius celeberrimam et intelligentiam et expositionem nobis ipsis applicare studeremus. Verum quia divina ille exponens profecto graviter et scite, breves nobis exposuit compendiosasque definitiones, et quæ in uno multa comprehenderent, præcipiens nobis id ipsum studii prout possemus; et quicumque rudium adhuc magistri animarum ad id nos sunt adhortati, ut explicare et enucleare oratione nobis congrua brevia quæque et singularia pergamus quibus summi illius viri spiritualis virtus eniteat; ipse item sæpenumero nos ad id hortatus es, librumque ipsum ut excellens quiddam remisisti : cum igitur nos quoque, ut perfectorum seniliumque sensuum magistrum, iis assignamus qui celsiora capiunt, veluti secunda sacra Eloquia, et eorum qui a Deo uncti sunt sequentia; his vero qui nobis similes sunt, nos divina pro modulo nostro trademus. Si enim perfectorum est solidus *Hebr.* v, 14. cibus, eo et alios pascere quantæ perfectionis est? Recte itaque diximus et hoc : per se ipsam divinorum Eloquiorum apertam contemplationem perspicacemque et consummatam disciplinam, senilis esse virtutis : porro sermonum qui ad id manuducant, scientiam atque disciplinam, inferioris meriti præceptoribus discipulisque congruere. Atqui id quoque, et quidem diligenter, observavimus, ut quæ divinus ille præceptor aperta expositione digessit, nequaquam attingeremus, neu eadem diceremus ad id explanandum quod de Scripturis fuisset ab eo propositum.

Namque et apud ipsos divino Spiritu plenos pontifices nostros (quum et nos, ut nosti, et plerique ex sanctis fratribus nostris, ad contuendum corpus illud quod auctorem vitæ Deumque ceperat, convenissemus; aderat autem et frater Domini Jacobus, et Petrus supremum decus et antiquissimum theologorum columen), ubi post contuitum placuit ut infinite potentem divinæ infirmitatis bonitatem pontifices laudarent omnes, quisque pro captu suo, ille denique, ut nosti, post Apostolos omnibus aliis laudatoribus superior erat, totus excedens, totus se deserens, et eorum quæ laudabat, consortium patiens; ab omnibus denique a quibus audiebatur et videbatur, et agnoscebatur et non agnoscebatur, afflatus Deo divinusque laudator esse judicatus est. Ecquid ea tibi referre quæ ibi sacratissime sunt dicta, contendimus? Nempe enim, nisi mei oblitus sum, scio me sæpius partes quasdam laudationum illarum divinarum abs te accepisse : adeo studuisti divina non perfunctorie in transituque persequi. Enimvero, ut quæ illic mystice sunt dicta (ut quæ plurimis nequaquam perceptibilia, tibique notissima) prætermittamus, quando opus erat plurimis nostræ fidei consortium tradere, et quam multos possemus ad nostram sacrosanctam scientiam attrahere, multum ille compluribus sanctorum doctorum eminebat et maturiori ævo et munditia animi, et demonstrationum diligentia, et reliquis institutionibus sacris. Nunquam denique illustriorem solem offendimus cui infigere conaremur obtutus.

Ita enim nobis sumus conscii nec ignoramus ut neque satis intelligere quæque divinarum Scripturarum intelligibilia possimus, neque arcana divinæ cognitionis edicere aut eloqui sufficiamus, longeque a sanctorum virorum scientia in exponenda Scripturarum veritate inferiores simus. Ad hoc enim prorsus per abundantem reverentiam venimus, ut neque audire omnino neque dicere aliquid de philosophia divina auderemus; nisi id insedisset animo, non oportere divinarum rerum scientiam pro captu nostro negligere; atque persuasissent, non modo naturalia sublimium animorum desideria amatorie semper amplexantia, quantum capere possunt, divinarum intelligentiam rerum, verum ipsa quoque præstantissima legum divinarum institutio, quæ supra nos sunt (ut et quæ merita excellant nostra, et penetrari a nobis nequaquam possint) inquirere prohibens, omnia vero quæ permissa nobis et indulta sunt, intente discere atque aliis benigne tradere admonens. His itaque nos etiam obtemperantes, ad indaganda pro viribus divina nequaquam lassescimus aut trepidamus; eosque qui præstantiora quam nos nequaquam valent intueri, absque auxilio deseri non tolerantes, ad scribendum descendimus: nihil quidem novi inferre præsumentes, ceterum subtilioribus et per partes singulas appositis disquisitionibus, quæ compendiose a vere Hierotheo sunt dicta distinguentes atque exponentes.

CAPITULUM IV

DE BONO, LUMINE, SIVE LUCE, PULCHRO, AMORE, ECSTASI, ZELO; ET QUOD MALUM NEQUE EST, NEQUE EX EO QUOD EST, NEQUE INTER SUBSTANTIAS EST.

AGE ergo, ad ipsam jam boni appellationem pergamus explicandam, quam theologi peculiariter summæ Deitati ex omnibus applicant, ipsam (ut reor) substantiam divinam, bonitatem appellantes, et quia eo ipso quod est bonum, ut substantiale bonum, in omnia quæ sunt pertendit bonitatem. Nam quemadmodum sol iste non cogitatione aut electione, sed eo ipso quod est, illuminat omnia quæ pro modo suo participationem lucis admittunt; ita et summum illud bonum, solem superans non secus ac obtusam imaginem primitiva excellenter forma, ipsa sua substantia omnibus quæ sunt, pro captu cujusque, totius bonitatis injicit radios.

Eorum denique gratia subsistunt intelligibiles omnes spiritualesque substantiæ et virtutes atque operationes; perque eos sunt et vivunt, vitamque habent indeficientem et inviolabilem, corruptione omni et morte et materia et generatione liberæ, omnique instabili ac fluxa et alias aliter se habente mutatione longissime remotæ. Ac per eos incorporales atque omni materia carentes intelliguntur, et tanquam spiritus, supra mundanum intelligunt modum, rerumque rationes divinis illustrationibus sibi accommodatis discunt, et rursus ad propinquiora et cognata quæ didicere transmittunt. Habent item ex bonitate constantiam, sedesque illis ac firmitas non aliunde est. Inde continentur atque servantur, inde illis bonorum refectio. Ipsamque appetentes, et ut sint et bene sint habent; atque ad illam sese pro viribus formantes, ipsius etiam bonitatis speciem præferunt, et ut divina lex dictat, inferioribus donorum quæ ex summo bono proveniunt, consortium tradunt. Inde illis adsunt mundo superiores ordines, conjunctiones ad se ipsas, mutuæ in se invicem perfectiones, inconfusæ distinctiones, et

quæ inferiora superioribus jungunt subvehendo virtutes. Inde potiorum ad sequentia providentia multiplex, propriarum cujusque virtutum conservationes, mutui in se ipsas et nunquam labentes circuitus, atque circa summi boni desiderium immutabilitates ac summitates, et quæque alia a nobis in libro de Angelicis proprietatibus atque ordinibus dicta meminimus. Sed quæcumque cœlestis hierarchiæ sunt angelis, scilicet congruæ lustrationes, quæ supra mundum sunt illuminationes, et quæcumque angelicam totam perfectionem consummant, ex auctore omnium et principali bonitate proveniunt. Ex qua etiam illis boni indulta species est, et a qua, ut in se ipsis exprimerent occultam bonitatem, et essent angeli (veluti divinum silentium enuntiantes, et prominentes quasi lucida lumina eum qui in adytis est interpretantia), sunt consecuti sortem. — Post illos quoque sacrosanctos spiritus, animæ et quæque animarum bona per supreme bonam consistunt bonitatem : quod scilicet intellectuales sunt, quod habent substantialem immortalemque vitam, quod sunt et possunt ad angelorum adspirare vitas, ac per illos veluti optimos duces, ad bonorum omnium principem bonitatem promoveri, atque inde manantium fulgorum pro captu suo participes fieri, et deinde illis, insignis boni specie consortes, accedere quantum suppetunt vires, et quæque alia in iis quæ de anima scripsimus, enumeravimus.

Sed et de ipsis, si dicere fas est, irrationalibus animabus seu animalibus, vel quæ aerem findunt, vel quæ supra humum incedunt, et quæ in terram porrecta sunt, et quæ in aquis vitam acceperunt, vel quæ in terris et in aquis vivunt, et quæ sub terra adoperta et ruderibus pressa vitam agunt, et quæ sensibilem animam aut vitam accepere, ea omnia per ipsum bonum, ut animarentur et vivificarentur sunt consecuta. Plantæ item omnes ex bono ipso nutritivam motabilemque vitam acceperunt. Et quæque est anima et vita destituta substantia, propter bonum ipsum est, per quod etiam substantialem accepit qualitatem. Si autem super omnia quæ sunt, est (ut est profecto) summum illud bonum : ejus quod est informe, forma formans est, idque in se ipso solo ; et ejus quod substantiam non habet, substantiæ excellentia est ; quodque vitam desiderat, eminentissima vita ; et quod mente non nititur, suprema sapientia est ; et quæque in ipso bono, informium ipsorum excellentissima forma sunt. Et si dicere fas est, bonum illud quod omnes substantias superat, ipsum quoque quod non est, appetit, et ipsum quodammodo in bono veraciter supersubstantiali per omnium ablationem esse contendit. — Verum (quod nos in medio ferme orationis effugerat cursu) cœlestium quoque principiorum et finium causa bonum ipsum est, quum neque augeri nec minui possit illa substantia, neque omnino variari. Motuum quoque sine sono et strepitu suas agentium vices, hujus (si sic dicere oportet) amplissimi cœlestis itineris, sidereorumque ordinum decentiæ et luminum atque stabilitatum, non aliunde causa est. Siderum etiam quorumdam ut multiplex gyret motus, duorumque luminarium quæ magna a Scriptura appellantur, ut ex eisdem ad eadem semper remeet circulus (quo *Gen.* I, 16.
siderum cursu dies nostri ac noctes peraguntur, mensesque concluduntur atque anni, et quæ temporis et eorum quæ sunt in tempore, orbiculares motus terminant, numerant, ordinant, continent), causa a bono ipso proficiscitur.

Quid autem de ipso dicemus in se solari radio? Ex ipso namque bono lux est, et imago bonitatis : idcirco lucis quoque appellatione laudatur bonum, veluti in imagine expressa primitiva forma. Sicut enim transcendentis omnia Deitatis bonitas a supremis antiquissimisque substantiis ad extremas usque pertingit, et supra omnes est, quum neque superiores ipsius attingant eminentiam, neque inferiores quin ab ipsa contineantur, effugiant ; sed illuminat quæ lucem admittunt omnia, et creat atque vivificat, continetque ac perficit ; mensuraque subsistentium est, et sæculum, et numerus, et

orbe, et continentia, et causa atque finis: ita profecto et liquida divinæ bonitatis imago, magnus iste et perlucidus semperque lucens sol, pro exigua boni similitudine, omnia quæ haurire ipsum possunt, illuminat, habetque lucem eminenter explicitam, expandens illam super omnem hunc visibilem mundum, supraque atque infra vibrans radios suos. Quod si quid est quod non hauriat, id non aut imbecillitati aut brevitati luminosæ ipsius distributionis imputandum, sed iis quæ percipiendæ luci minus idonea sunt, neque se ad consortium lucis extendunt. Complura denique istiusmodi pertransiens radius, contigua illis illuminat, nihilque visibile est quod ille non penetret excellenti facie suæ magnitudinis. Sed ad ipsam quoque generationem sensibilium corporum confert, ipsaque ad vitam movet, et nutrit, et auget, et perficit, purgatque et renovat. Mensura quoque et numerus est horarum, dierum totiusque labentis temporis, lux. Ipsa est enim ea lux (etsi tunc erat informis: quod et divinus
Gen. I, 5 Moyses ait) quæ primam distinxit et definivit dierum nostrorum trinitatem.

Et sicuti omnia bonitas ad se convertit, et quæ dispersa sunt congregat veluti unitatis auctor atque unifica Deitas, omniaque ipsam veluti principium, veluti con-
[illegible] tinentem, veluti finem desiderant; bonumque illud est, ut sacra testantur Eloquia, ex quo subsistunt omnia suntque veluti ex absolutissima causa producta, et in quo omnia constant ac veluti in omnipotenti recessu præsidioque servantur, et ad quod omnia convertuntur veluti ad suum quæque finem, et quod appetunt omnia (spiritualia quidem et rationalia, scienter et gnaviter; sensibilia vero, sensibiliter atque carnaliter; quæ autem sunt sensus expertia, ingenito vitalis desiderii motu; et quæ vita carent solumque sunt, sola aptitudine participandæ substantiæ): juxta eamdem liquidæ imaginis rationem, lux quoque ad se cogit omnia atque convertit quæ vident, quæ moventur, quæ illuminantur, quæ calefiunt, quæque omnino ab ipsius radiis continentur. Idcirco sol quoque ἥλιος græco vocabulo ex eo dicitur, quod servet inviolata omnia, congregetque dispersa. Omniaque ipsum sensibilia appetunt, aut sicut videre, aut moveri, et illuminari, et calefieri, atque omnino a luce contineri cupientia. Neque id plane dixerim juxta obsoletam vetustatis rationem, ut deus quum sit sol et mun-
Rom. I, 20 danæ machinæ conditor, visibilem procurat peculiariter mundum; sed quod invisibilia Dei a creatura mundi per ea quæ facta sunt intellecta, conspiciuntur, sempiterna quoque ejus virtus et divinitas.

Verum ista quidem in Significativa theologia plenius diximus. Nunc boni illius intelligibilem a luce ductam appellationem celebrare nos convenit. Dicendum itaque ut intelligibilis lux bonum ipsum dicitur, quod omnem supercælestem spiritum spirituali impleat luce; omnemque ignorantiam pellat erroremque abigat ex animabus quibus sese insinuaverit omnibus, eisque sacræ lucis consortium tradat, spiritualesque illarum oculos purget, obductamque ignorantiæ caliginem tergat, et ingenti tenebrarum pondere obtusos ac ferme cæcatos renovet atque excitet; tradatque illis primum quidem exigui consortia luminis, deinde ubi illæ degustavere lucem, majorique ejus tanguntur desiderio, sese eis magis infundat, et copia uberiori lucis infulgeat, quia dilexerunt multum, semperque eas in anteriora intendat, quantum adspirare ad ea pro captu suo possunt. Lux igitur intelligibilis dicitur bonum illud omnem superans lucem, ut principalis radius et exuberans effusio lucis, omnem vel mundo præeminentem vel circa mundum vel intra mundum agentem spiritum ex sua illustrans plenitudine, et spirituales ipsorum totas renovans vires; omnesque transiliens et continens, quod superne extenta sit, et cunctis excellens, quod superemineat; prorsusque omnem illuminantis virtutis ditionem, ut lucis princeps omnemque superans lucem, in se ipsa comprehendens et excellenter habens; spiritualia atque rationalia omnia colligens et

immortalia faciens : nam sicut ignorantia eos qui seducti sunt, separat ; ita præsentia intelligibilis lucis eos qui illuminantur, colligit, conjungit ac perficit, atque a multis erroneisque opinationibus, ad id quod vere est convertit, variasque visiones, sive (ut rectius loquamur) phantasias, in unam veram et liquidam unicamque scientiam cogit, et uno atque uniente lumine complet.

Bonum præterea istud, ut pulchrum quoque a theologis sanctis prædicatur et ut pulchritudo, et ut dilectio et ut diligibile, et quæque sunt aliæ decentissimæ speciei illius venustificæ plenæque gratiarum, divinæ appellationes. Porro pulchrum et pulchritudo in causa suprema cunctaque in unum colligente, distinguenda non sunt. Ista enim in subsistentibus omnibus in participationes participantiaque dividimus : pulchrum esse dicentes quod sit pulchritudinis particeps ; pulchritudinem vero, participationem venustificæ pulchrorum omnium causæ. Enimvero supersubstantiale illud pulchrum, pulchritudo quidem dicitur, propter illam quam tradit subsistentibus omnibus (pro captu cujusque) pulchritudinem, et ut auctor omnium convenientiæ atque claritatis, lucis in morem omnibus specificas principalis sui radii distributiones infulgens, et veluti ad se omnia vocans (unde etiam pulchritudo Græco vocabulo κάλλος, a vocando dicitur), et ut tota in totis ad unum atque idem colligens ; pulchrum vero, et per omnia pulchrum, et supreme pulchrum, quod semper sit secundum eadem et eodem modo pulchrum : et neque oritur, neque occidit ; neque augetur, neque interit ; neque hoc quidem loci pulchrum, alibi vero deforme ; neque alias est, alias non ; neque ad aliud quidem pulchrum, ad aliud vero est fœdum ; neque hic quidem est, ibi vero non est ; quasi quibusdam sit pulchrum, aliis non : sed ut ipsum in se ipso atque secum, uniforme semper est pulchrum, et ut pulchri omnis principalem pulchritudinem excellentissime in se ipso ante omnia habens. Simplici etenim et præexcellenti pulchrorum omnium naturæ, pulchritudo omnis atque omne pulchrum uniformiter secundum causam præadest.

Ex hoc quoque pulchro iis quæ sunt omnibus provenit ut sint pro modo suo pulchra singula ; efficitque pulchrum istud rerum omnium congruentias et amicitias ac societates, pulchroque isto conjunguntur omnia. Initiumque omnium id est, veluti effectiva causa, et movens omnia et continens amore pulchritudinis propriæ ; finisque est omnium et diligibile, ut finalis causa (pulchri enim gratia omnia fiunt), et exemplar, quia juxta id definiuntur omnia. Quocirca pulchrum idem esse quod bonum, perspicuum est. Pulchrum enim et bonum per omnes causas cuncta desiderant, neque est aliquid in substantiis rerum, quod pulchri et boni non sit aliquatenus particeps. Et illud item dicere disserendo præsumimus : id quoque quod non est, pulchri et boni particeps esse. Tunc enim et ipsum pulchrum est ac bonum, quum in Deo per omnium privationem supersubstantialiter celebratur. Istud unum bonum atque pulchrum, omnium multorum pulchrorum ac bonorum est singulariter causa. Ex hoc eorum quæ sunt, substantiales essentiæ sunt, conjunctiones, discretiones, identitates, alteritates, similitudines, dissimilitudines ; societates fœderaque contrariorum, et eorum quæ uniuntur, inconfusæ distinctiones ; superiorum providentiæ, æqualium alternæ ad invicem vicissitudines, conversiones inferiorum, omniumque suimet ipsorum servatrices atque immobiles mansiones ac sedes ; rursusque omnium in omnibus pro singulorum modo societates et congruentiæ inconfusæque amicitiæ, et convenientiæ universi ; et quæ in mundo sunt contemperantiæ, indissolubilesque rerum continentiæ, indeficientes nascentium successiones ; status omnes atque motus spirituum, animarum, corporum : status enim est omnibus ac motus, quod super statum omnem omnemque motum, unumquodque in sui ipsius ratione firmat, et agit ad proprium motum.

Et moveri sane altissimi illi dicuntur spiritus : circulariter quidem, dum æternis illis principio ac fine carentibus pulchri ac boni fulgoribus conjunguntur ; per rectam vero lineam, quando ad inferiorum providentiam prodeunt, recta omnia peragentes ; reflexe autem, quia et inferiorum providentiam agentes, in sua identitate nusquam discedendo perdurant, circa identitatis auctorem pulchrum ac bonum indesinenter choream ducentes. — Porro animæ quidem motus circularis, ingressus est in se ipsam ab exterioribus omnibus, spiritualiumque sui virium uniformis glomeratio veluti in orbe quodam, et ut nusquam aberret largiens, eamque ab externis erroribusque plurimis convertens et colligens primum in se ipsam, deinde ut uniformem effectam, singulariter conjunctis virtutibus jungens, atque ita ad pulchrum illud et bonum ducens quod super omnes substantias est, unum atque idem, principioque et fine carens. Oblique vero movetur anima, in quantum sibi ipsi convenienter divinas notiones, non spiritualiter et singulariter, verum rationaliter et latius, ac veluti promiscuis transitoriisque actionibus haurit. Recta vero linea movetur, quum non in se ingrediens, neque singulari spiritus effectu acta (hoc enim est, ut dixi, in orbem moveri), sed ad ea quæ sunt circa se prodiens, ab exterioribus veluti a quibusdam signis variis ac multiplicibus, ad simplices atque conjunctas intelligentias promovetur.

Harum itaque etiam sensibilium in mundo isto trium motionum, et multo prius cujusque mansionum statuumque ac firmitatum, causa est et continens et finis, pulchrum ipsum atque bonum quod supra omnem statum omnemque motum est, et per quod status omnis atque motus est, et ex quo, et in quo, et ad quod, et cujus gratia sunt omnia. Ex ipso namque et per ipsum, et substantia et vita omnis est et sensus et animæ ; naturæque omnis decrementa, æqualitates, augmenta ; mensuræ omnes et proportiones rerum, et congruentiæ et contemperamenta ; integritates, partes ; totum unum atque multitudo ; colligationes partium, omnes multitudinis conjunctiones, integritatum perfectiones ; quale, quantum, quotum, infinitum ; comparationes, discretiones ; infinitas omnis, omnis finis, termini omnes ; ordines, eminentiæ, elementa, species ; omnis substantia, omnis virtus, omnis operatio, omnis habitus, omnis sensus, sermo omnis, omnis intelligentia, tactus omnis, omnis scientia, omnis unio ; simpliciterque, omne quod est, ex pulchro est et bono, et in pulchro et bono, et ad pulchrum bonumque convertitur ; et omnia quæcumque sunt et fiunt, ob pulchrum et bonum sunt et fiunt ; ipsumque adspiciunt omnia, et ab ipso moventur atque continentur, et ipsius gratia, et per ipsum ; et in ipso est principium omne a quo exempla ducuntur, principium consummans, efficiens formaleque atque materiale. Prorsusque omne principium, continentia omnis, omnis finis, sive ut perstringam breviter, omnia quæque sunt, ex pulchro et bono sunt ; et quæ non sunt, omnia supersubstantialiter in pulchro sunt et bono. Estque ipsum initium omnium et finis, omne principium omnemque superans finem ;
Rom. XI, 36. quia ex ipso, et per ipsum, et in ipso, atque in ipsum omnia sunt, ut sacra testantur Eloquia.

Omnibus igitur est pulchrum ac bonum desiderabile et amabile ac diligibile ; et per ipsum atque ipsius gratia, et inferiora conversionis ratione præstantiora amant, et paria socialiter æqualia diligunt, et præstantiora minoribus providendo amore junguntur, et ipsa se amant singula suæ ratione continentiæ ; et omnia quæcumque faciunt et volunt, pulchri et boni desiderio et faciunt et volunt. Confidenter id quoque verissima ratione dicemus, quod ipse quoque auctor omnium pro bonitatis magnitudine omnia amat, omnia facit, omnia perficit, omnia continet, convertitque omnia. Est etiam et divinus amor bonus, et boni, et propter bonum. Ipse enim auctor beneficus entium amor, quum antea in bono excellenter esset, nequaquam ipsum in se ipso manere

infecundum permisit, sed ipsum ad operandum movit per excellentiam cuncta gignentem.

Et nemo nos arbitretur præter Scripturæ sacræ auctoritatem amoris cognomen introducere. Est enim, ut reor, perquam sane irrationabile atque perversum, non vim inspicere ac sensum, sed affigi dictionibus ; idque fuerit hominum non plane divina intelligere cupientium, sed simplices captantium sonos, eosque aure tenus ita continentium, ut ad intima nequaquam penetrare permittant, nec scire volentium quidnam istiusmodi significet verbum, et quomodo oporteat illud per alia æquivalentia et planiora verba declarari. Affiguntur enim elementis et litteris haud intelligentiæ perviis, et syllabis ac verbis ignotis, neque animæ suæ intelligentiam penetrantibus, sed extra circum labia et aures perstrepentibus : quasi non liceat quaternarium numerum per bis duo signare, aut simplices lineas per lineas rectas exprimere, sive maternam humum per patriam exponere, seu aliud quodlibet ex his quæ in plurimis orationis partibus tantumdem significant. Sciendum enim est juxta rectam rationem, quod elementis, et syllabis, et vocabulis, et scripturis, et sermonibus utimur sensuum gratia. Ubi vero anima nostra spiritualibus actionibus ad intelligibilia moveri jam cœperit, superflui jam sunt cum rebus sensibilibus sensus : quemadmodum etiam spirituales virtutes vacare dicuntur, quando anima divina specie dignata per ignotam conjunctionem, inaccessibilis lucis radios luminum nequaquam sensibilium jactibus hauserit. Quum vero mens nostra per sensibilia agi ad intelligibiles studuerit motus, illi prorsus in honore sensus præferuntur, qui liquidius nostram intelligentiam adjuvant, quemadmodum et apertiores sermones, et quæque sunt ex visibilibus clariora : quippe si obscura sunt quæ adjacent sensibus, ne ipsi quidem animo rite suggerere sensibilia poterunt.

Sed enim ne ista dicere videamur vim Scripturæ sacræ inferentes, audiant illam qui amoris vocabulum in jus trahunt : Ama illam, inquit, et servabit te ; circumda illam tibi, et exaltabit te ; honora illam, ut complectatur te : et quæque alia in sacris Litteris amatoria celebrantur. Atqui visum est plerisque ex tractatoribus nostris, divinius esse amoris quam dilectionis nomen. Scribit enim et divinus Ignatius : Amor meus crucifixus est. Et in primis Scripturarum institutionibus quemdam de sapientia divina dixisse comperies : Amator factus sum formæ illius. Non ergo metuamus hoc amoris nomen, neque nos ullus perturbet sermo, terrorve concutiat. Mihi enim videntur theologi commune quidem arbitrari dilectionis et amoris nomen, ceterum idcirco divinis magis verum amorem assignare, ut hujusmodi hominum stultam præsumptionem feriant. Convenientissime enim quum verus amor non a nobis modo, verum et a Scripturis ipsis celebretur, turbæ nequaquam capientes uniforme illud amatoriæ in Deo appellationis, pro infirmitate sua, ad dividuum et corporalem divisumque delapsæ amorem sunt : qui verus amor profecto non est, sed imago potius, seu magis a vero amore prolapsio. Est enim incapax multitudini unicum illud et singulare divini atque unius amoris. Quocirca, ut quod videatur multis ingratius nomen in divina sapientia ponitur, ad eos subvehendos atque intendendos ad veri amoris scientiam, et ut eo errore liberentur. In nobis autem rursus, ubi crassiores quique obscenum aliquid opinari possent, honestiori (ut videtur) vocabulo Scriptura utitur. Cecidit enim, ait quidam, dilectio tua super me, sicut dilectio mulierum. Et id tamen apud eos qui divina recte audiunt, tantumdem valet ; neque a theologis differenter ponitur dilectionis et amoris nomen, quando illi divina exponere pergunt. Estque hoc virtutis cujusdam unificæ et connexivæ, et distincte atque inconfuse adunativæ, quæ in pulchro et bono propter pulchrum et bonum antea substitit, et ex pulchro et bono

Prov. IV, 6, 8.

Epist. 15.

Sap. VIII, 2.

II *Reg.* I, 26.

pulchri et boni causa emanat ad nos, continetque æqualia sociali invicem connexione, et priora ad inferiorum providentiam movet, inferioraque superioribus conversione firmiter jungit.

Est autem mentis excessum ecstasimque faciens divinus amor, amatores sui juris esse non sinens, sed in ea quæ amant penitus transferens. Idque indicant superiora quidem, quæ inferiorum esse providentiæ devoverunt; æqualia vero, quod se mutuo contineant; inferiora porro, quia ad prima diviniori conversione contendunt. Idcirco et Paulus ille magnus quum divino amore flagraret, excessivæ illius virtutis particeps factus, sacro ore: Vivo, inquit, jam non ego, vivit vero in me Christus: tanquam verus amator mentis excessum patiens, ut ipse sit Deo vivens, et non suam sed amatoris vitam, ut valde diligibilem. Audebimus et id pro veritate loqui, quod ipse quoque auctor omnium, pulchro et bono amore omnium pro amatoriæ bonitatis magnitudine extra se fit, ad omnia quæ sunt providentiæ multiplicis pertingendo ratione; et veluti bonitate ac dilectione et amore mulcetur, et ex supremo illo statu quo supra omnia et ab omnibus exceptus est, ad id ut inter omnia sit, excellenti illa supersubstantiali virtute sua qua nusquam ab se progreditur, semet demittit. — Quocirca zeloten illum hi qui divina probe callent appellant, ut vehementem ad ea quæ sunt clementer amanda, et ut ad zelum excitantem amatorii ipsius desiderii, et ut ipsum quoque amoris desiderium appetibile monstrantem, per quem et quæ desiderantur sunt expetenda; et ut qui eorum quæ providentia reguntur, zelotes sit, eaque pariter illi in amore sint. Prorsusque pulchri et boni est ut sit amabile atque amor, et in pulchro ac bono sedem suam fixit, et pulchri et boni gratia est et fit.

Galat. II, 20. II Cor. V, 13.

Quid autem sibi volunt theologi, qui aliquando amorem ipsum ac dilectionem vocant, aliquando vero amabilem ac diligibilem dicunt? Alterius nempe auctor et veluti productor et genitor, alter vero ipse est; atque altero quidem movetur, altero autem movet; sive quia ipse sui ipsius et sibi ipsi provocator ac motor est. Hinc diligibilem quidem ipsum atque amabilem vocant, ut pulchrum atque bonum; amorem vero rursus vocant ac dilectionem, ut qui sit movens simul et ut provehens virtus ad se ipsum, quod solum ipsum per se pulchrum ac bonum est, et veluti qui sit sumet per se ipsum expressio, et eximiæ illius conjunctionis benignus processus, atque amatorius motus simplex, se movens, per se operans: qui ante erat in bono, et ex bono substantiis emanans, ac rursus se ad bonum convertens. In quo quidem, quod fine careat atque principio, divinus amor excellenter ostendit, veluti circulus quidam sempiternus, propter bonum, ex bono, in bono, et ad bonum, certa et nusquam oberrante glomeratione circuiens, et in eodem ac secundum idem, et procedens semper et manens ac remeans. Ista et inclytus noster in sanctis Litteris institutor, in amatoriis hymnis, divinis afflatibus exposuit: quæ profecto in memoriam revocare non indignum fuerit, et veluti sacrum quoddam caput nostro de amore sermoni inserere.

[illegible]

« Amorem, sive divinum, sive angelicum, sive spiritualem, sive animalem, sive na-
» turalem dixerimus, insitivam * quamdam intelligamus commiscentemque virtutem:
» superiora quidem moventem ad inferiorum providentiam; æqualia vero rursus, ad
» socialem sui invicem communionem; ac postremo loco inferiora, ut ad potiora et
» sublimiora convertantur, adigentem. »

[illegible]

« Quoniam plurimos amores ex uno profluentes disposuimus, diximusque deinceps
» cujusmodi sint mundanorum eorumque qui supra mundum sunt amorum, cognitio-
» nes ac virtutes (quibus supereminent, juxta assignatam orationis intentionem, spiri-
» tualium atque intelligibilium amorum ordines atque distinctiones: post quas qui per

« se intelligibiles sunt ac divini, pulchri* ibi veraciter amores antistant, et a nobis « pro viribus proprie sunt celebrati) : nunc rursus resumentes, omnes in unum et « conglobatum amorem, ipsorum omnium parentem, colligamus simul atque congre- « gemus ex multis, primum in duas omnino ipsum contrahentes amatorias vires, ex « quibus obtinet atque dominatur omnibus causa illa absolutissima amoris omnis, « omnia longe antecellens, et ad quam intenditur pro modo cujusque substantiæ, amor « ille integer atque universus qui ex his quæ sunt omnibus nascitur. »

* pulchros

« Age itaque et has rursus in unum colligentes, dicamus ut una quædam est sim- « plex virtus se ipsam movens ad insitivam quamdam concretionem, ex summo « bono ad extremam usque substantiam, a qua rursus deinceps per omnia ad bonum « ipsum, ex se ipsa et per se ipsam et in se ipsa se ipsam circuiens, atque in se « ipsam semper eodem modo remeans. » EJUSDEM EX EISDEM AMATORIIS HYMNIS.

Atqui dixerit quispiam : Si omnibus et pulchrum et bonum amabile est et desiderabile ac diligibile (desiderat enim ipsum et quod non est, ut antea diximus, et in ipso ferme esse contendit ; ipsumque est quod speciem etiam informibus facit, et in ipso etiam quod non est, supersubstantialiter dicitur et est) : quomodo dæmonum turba pulchrum ac bonum non desiderat, sed affixa materiæ, et circa bonum expetendum angelica identitate delapsa, malorum omnium causa et sibi ipsi et aliis quæque malitiæ dederunt manus, esse dicitur ? Quo item pacto, quum ex bono deducta sit dæmonica cohors, boni speciem nequaquam præfert ? Aut quomodo bona ex bono facta, mutata est ? et quid est quod ipsam efficit malam ? Et omnino quid est malum ? et ex quo initio subsistit ? et in qua substantiarum est ? Et qua ratione, qui summo bonus est, ipsum producere voluit, vel si voluit, potuit ? Et si alia ex causa dicitur malum, quænam alia his quæ sunt, præter summum bonum, est causa ? Quomodo vero Providentia quum sit, malum est, aut omnino fit, aut certe non tollitur ? Et quo pacto ipsum, aliquid ex his quæ sunt, bono omisso, desiderat ?

Ista quidem forte dicturus est quispiam, hujusmodi dubitationibus motus. At nos contra orabimus ut in rerum adspiciat veritatem. Ac primum quidem istud confidenter dicemus, quod malum ex bono nequaquam est ; et si ex bono sit, malum profecto non est. Neque enim proprium est ignis refrigerare, neque boni non bona producere. Et si quæ subsistunt omnia ex bono sunt (natura est enim bono, producere atque servare ; malo autem, corrumpere ac perdere), nulla igitur substantia ex malo est. Neque quidem ex malo ipsum erit malum, siquidem sibi ipsi sit malum : quod nisi ita sit, malum non omnino erit malum, sed boni quamdam (secundum quam subsistat) habebit portionem. Et si quæ sunt, pulchrum bonumque desiderant, et omnia quæcumque faciunt, propter id quod videtur bonum faciunt, omnisque substantiæ destinatio principium habet ac finem bonum illud (neque enim quidquam mali naturam adspiciens, ea facit quæ facit) : quomodo ergo erit inter substantias malum ? aut quo pacto substantia est, quum sit istiusmodi bono appetitu destitutum ? Et si quæ sunt omnia ex bono sunt, bonumque ipsum omnia superat, est quidem in bono et quod non est substantia. Malum vero neque substantia est (alioqui non omnino malum est), neque non substantia est : nam nihil erit quod omnino substantia non sit, nisi in summo bono per substantiæ superexcessum dicatur. Igitur bonum quidem erit longe prius et eo quod simpliciter est, et eo quod non est, atque excellentius fixum. Malum vero neque in his quæ sunt, est, neque in his quæ non sunt ; sed ipso quoque quod non est, a bono alienius est malum, multoque a substantia remotius.

Unde ergo malum est ? dicet quispiam. Nisi enim sit malum, virtus et vitium idem erit : omnisque virtus ipsum erit quod tota vitiositas, et quæ particularis est virtus hoc

erit quod vitium itidem particulare; aut neque quod virtuti adversatur, erit malum. Atqui contraria castitati luxuria est, justitiæque injustitia; neque profecto dixerim justum et injustum, castumque et luxuriosum idem esse. Verum et antequam foris appareat virtutis adversus improbitatem dissidentia, in ipsa longe prius anima prorsus distant a virtutibus vitia, perturbationesque contra rationem rebellant; atque ex his necesse est dare aliquod contrarium bono malum. Neque enim sibi ipsi adversatur bonum, sed veluti ex uno initio unaque causa genitum, societate et conjunctione et amicitia gaudet. Et neque minus bonum majori contrarium est; quia nec minus calidum aut frigidum, amplius calido adversatur aut frigido. Est igitur inter substantias, atque subsistit, oppositumque adversatur bono malum. Et si corruptio substantiarum est, non id excludit a substantia malum, sed erit ipsum quoque substantia, et substantias generans. An vero non sæpe alterius corruptio, alterius generatio fit? Eritque malum ad totius perfectionem conferens, atque universo, ne imperfectum sit, per se ipsum præstans.

Dicet ad hæc vera ratio, malum qua parte est malum, nullam substantiam aut generationem facere, solumque violare atque corrumpere, quoad in ipso est, substantiam rerum. Quod si quis ipsum dicat generationis auctorem, quod alterius corruptione alteri generationem largiatur: respondebimus verissime, quod non qua parte corrumpit, tribuit generationem, sed qua corruptio et malum est, corrumpit ac violat solum; generatio vero atque substantia propter bonum fit: et erit malum ex se quidem corruptio, generationis autem efficiens propter bonum. Et qua parte quidem est malum, neque substantia est, neque substantiarum efficiens; propter bonum autem, et substantia et bonum et bonorum efficiens erit. Imo vero neque erit idem in eodem et bonum et malum, neque erit ejusdem corruptio et generatio eadem secundum idem virtus, neque ipsa virtus aut ipsa corruptio. Quod enim ipsum malum est, neque substantia neque bonum neque generans neque substantiarum aut bonorum efficiens est. Bonum vero quibuscumque se perfecte insinuaverit, perfecta facit et mera atque integra bona; quæ vero minus ipsi participant, per defectum boni et imperfecta sunt et mixta bona. Neque est omnino malum, neque bonum, neque beneficum; sed quod magis aut minus appropinquat bono, pro modo suo erit bonum. Nam quæ per omnia pergit perfecta bonitas, non ad eas solum quæ circa se sunt eximie bonas substantias penetrat, verum ad extremas quoque pertingit: aliis penitus præsens, aliis inferiore modo, atque aliis in fine, ut singula capere possunt. Atque alia omnino participant bono, alia vero magis eo minusve privata sunt, alia autem perexiguam habent participationem, atque aliis extremo modo adest bonum. Nam nisi pro captu cujusque singulis adesset bonum, augustissima quæque et antiquissima, extremorum profecto tenerent ordinem. Et qui fieri posset ut uno modo omnia bono participarent, quum non sint idonea omnia ad ejus participationem exactissimam provehi? At nunc ista est excellens magnitudo virtutis boni, quod ea quoque quæ privata sunt et sui ipsius privationem sustentat, ut integre ad ipsius participationem admittantur. Et si confidentius adstipulari oportet veritati, etiam quæ illi repugnant, ipsius virtute et sunt et repugnare possunt.

Imo ut brevius loquar, quæ sunt omnia, in quantum sunt, et bona et ex bono sunt; in quantum vero privata sunt bono, neque bona sunt, neque subsistunt. Nam sub aliis quidem affectionibus subsistunt, puta calore aut frigore, ut quæ calefacta sunt perstant etiam ubi eis deseruerit calor; et vitæ ac sensus pleraque expertia sunt; et substantiam supereminet Deus, et est supersubstantialiter. Atque simpliciter, in aliis quidem omnibus, jam aliquanto labascente neque omnino indito habitu, substantiæ

sunt et subsistere possunt. Quod autem per omnem modum bono privatum est, nusquam nequaquam neque fuit, neque est, neque erit, neque esse potest. Verbi gratia: impudicus etsi per irrationabilem concupiscentiam bono privatus est, in eo quidem non est, neque concupiscit ea quæ sunt; juxta tamen ipsam conjunctionis atque amicitiæ vel tenuem imaginem, est particeps boni. Et ira item boni est particeps ex ipso motu quo appetit, quæ videntur mala, ad id quod videatur bonum dirigere atque convertere. Et ipse qui deterrimam appetit vitam, ut qui omnino vitam desideret, etiam quæ sibi videatur optima, ex eo quod desiderat, vitamque desiderat, et ad optimam adspicit vitam, boni est particeps. Et si omnino sustuleris bonum, neque substantia erit, neque vita, neque desiderium, neque motus, neque aliud quidquam. Itaque et quod ex corruptione fiat generatio, non est mali virtus, sed minoris boni præsentia. Sicuti et morbus defectus est ordinis, non omnis: nam si hoc sit, neque morbus iste subsistet. Manet autem et est morbus, substantiam habens minimum ordinem, et in ipso fere subsistens. Nam quod est omnino expers boni, ipsum neque est, neque inter substantias est; quod autem mixtum est in rebus, boni causa secundum id quoque inter substantias est atque subsistit, in quantum est particeps boni. Imo vero quæ sunt omnia, in tantum magis minusve erunt, in quantum ad boni consortium accedunt. Nam et in eo quod esse ipsum est, quod nusquam nulloque modo est, ne erit quidem. Quod autem alicubi est, alibi vero non est, in quantum quidem ab eo quod semper est decidit, non est; in quantum vero ut esset accepit, in tantum est, et eo ipso id totum quidquid ipsius est, et etiam quod ipsius non est, tenetur atque servatur. Nempe malum, id quidem quod bono penitus excidit, neque inter magis neque inter minus bona erit; quod autem alicubi bonum, alibi non bonum est, adversatur quidem bono cuidam, non autem integro et absoluto bono, teneturque et ipsum participatione boni. Substantiamque addit bonum ipsum etiam privationi suæ aliqua participatione sui. Nam si bonum prorsus abscedat, neque omnino bonum erit, neque mixtum, neque ipsum malum. Nam si malum imperfectum est bonum, per universam absentiam boni et imperfectum et perfectum aberit bonum: tuncque solum erit atque apparebit malum, quum aliis quidem est malum quibus adversatur, ab aliis vero tanquam bonis exceptum est. Pugnare enim ad invicem eadem secundum eadem in omnibus, possibile non est. Non igitur substantia est malum.

Sed neque est in substantiis malum. Nam si quæ subsistunt omnia ex bono sunt, et in omnibus substantiis est et omnia continet bonum; non igitur erit malum in substantiis, aut in bono erit malum. Atqui in bono non erit: quippe neque in igne frigidum est. Neque quidem erit malum eo ipso quod bonum efficit malum. Si igitur erit, quomodo erit in bono malum? Si quidem ex bono esse dicatur, ineptum simul id est et impossibile. Neque enim potest, ait Veritas, arbor bona fructus malos facere, *Matth.* VII, neque item econverso. Si autem ex ipso non est, ex alio profecto principio et alia ex 18. causa erit si est. Nam aut malum ex bono erit, aut ex malo bonum; aut si et id ipsum possibile non est, ex alio initio et causa erit et bonum et malum. Nulla enim dualitas principium est; unitas vero dualitatis erit initium. Ac fieri non potest ut ex uno atque eodem duo penitus contraria prodeant, et ut sit ipsum principium non simplex et singulare, sed divisum et præferens dualitatem, contrariumque sibi ipsi atque immutatum.

Nempe neque duo rerum contraria principia esse possibile est, et ea in se mutuo et in mundo esse repugnantia. Nam si hoc detur, erit Deus quoque non exsors difficultatis atque molestiæ, si quidem sit aliquid quod ipsum quoque perstringat. Deinde cuncta erunt inordinata semperque pugnantia, quum certe bonum ipsum quæ sunt

Ephes. II, 14; Coloss. I, 20. omnia amicitiæ fœdere copulaverit, ipsaque pax et pacis largitor celebratur a theologis sanctis. Quocirca et bona omnia, amicitiæ nectuntur fœdere sibique consentiunt, una ex vita progenita atque ad unum compacta bonum, et placida atque similia et pari appellatione conjuncta. Itaque non est in Deo malum, et malum divinum non est. Sed neque est ex Deo malum. Aut enim bonus non est, aut bona facit et bona producit. Neque aliquando quidem atque aliqua, aliquando vero non, et non omnia; pateretur enim in hoc mutationem ac varietatem etiam circa id quod est omnium augustissimum atque causa. Sin autem in Deo bonum substantia est, et in eo malum, erit quidem transiens ex bono Deus, aliquando ens, aliquando vero non ens. Quod si participatione bonum habet, et ab alio habeat necesse est; sicque aliquando habebit, aliquando vero non. Non igitur ex Deo malum est, neque in Deo, neque simpliciter, neque secundum tempus.

Sed ne in angelis quidem est malum. Nam si enuntiat divinam bonitatem boni speciem præferens angelus, illud per participationem exsistens secundo loco, quod secundum causam est id quod enuntiatur primo; imago Dei est angelus, manifestatio invisibilis lucis, speculum purum, lucidissimum, nitidum, incoinquinatum, immaculatum, suscipiens in se totam (si fas est dicere) pulchritudinem divinæ speciei præclare insignitæ, et in se ipso sincere insinuans, ut possibile est, secretioris adytorum silentii bonitatem. Itaque neque in angelis est malum. An vero ideo sunt mali, quod puniunt peccatores? Ea ratione et qui peccantes plectunt, mali erunt, et qui de sacris ordinibus profanos a divinis mysteriis arcent. Atqui plecti non malum est, sed dignum supplicio fieri; neque pro merito sacris arceri, sed scelestum et profanum fieri, et indignum qui ad sacramenta admittatur.

Sed neque dæmones natura mali sunt. Nam si sunt per naturam mali, neque ex bono sunt, neque inter substantias sunt, neque item ex bonis per naturam mutati, semperque mali sunt. Deinde, sibi an aliis sunt mali? Si quidem sibi, etiam se ipsos perdant. Si autem aliis, quomodo corrumpunt, aut quid corrumpunt? substantiam, an virtutem, aut operationem? Si substantiam, primum quidem non ultra naturam: nam quæ per naturam sunt incorruptibilia, nequaquam corrumpunt, sed quæ corruptionem admittunt. Deinde ne istud quidem omnibus et omnino malum est. Sed neque quidquam corrumpitur ex his quæ sunt, in quantum substantia et natura est; sed defectu naturalis ordinis, congruentiæ et commensurationis infirmatur ratio, quum eodem modo manere debeat. Infirmitas vero perfecta non est. Nam si perfecta esset, et corruptionem perimeret atque subjectum, essetque hujusmodi corruptio, suimet quoque corruptio. Atque istiusmodi non esset malum, sed deficiens bonum. Nam quod omnino expers boni est, neque inter substantias erit. Eadem et de corruptione virtutis atque operationis ratio est.

Deinde quonam modo dæmones a Deo facti, mali sunt? Bonum enim bona producit et statuit. Ac mali dicuntur, dixerit quispiam, sed non secundum quod sunt (ex bono enim sunt, bonamque sortiti substantiam), sed ex eo quod non sunt, quod juxta sacra Judæ 6. Eloquia, infirmati sunt ad servandum suum principatum. In quo enim, obsecro, malos fieri dæmones dicimus, nisi in vacatione divinorum bonorum habitus atque operationis? Præterea, si natura mali sunt dæmones, semper ergo mali: atqui malum instabile est. Itaque si semper eodem modo se habent, non sunt mali: semper enim idem esse, boni proprium est. Si autem non semper mali, non natura mali sunt, sed angelicorum bonorum indigentia. Neque tamen omnino exsortes boni sunt, quia et sunt, et vivunt, et intelligunt, estque in eis quidam desiderii motus. Mali vero esse dicuntur, quod circa naturalem operationem infirmentur. Aversio itaque est illis ma-

lum (quod exciderint, potitique non sint naturalibus bonis) imperfectioque et imbecillitas, et infirmitas ac fuga et prolapsio virtutis conservantis eis inditam perfectionem. Ad hæc, quidnam est in dæmonibus malum? Furor irrationabilis, demens concupiscentia, imaginatio præceps atque proterva. Verum ista quanquam in dæmonibus sunt, non prorsus neque in omnibus neque ipsa secundum se mala sunt. Namque in aliis animantibus, non ista habere, sed his carere, potius corruptio est animantis et malum : sicuti contra his niti salvat, et esse facit istis subnixam animantis naturam. Non itaque mala est dæmonum gens qua parte secundum naturam est, sed qua parte non est. Neque immutatum est traditum illis totum bonum, sed ipsi dato sibi toto bono exciderunt. Neque indulta illis angelica munera immutata dicimus ; verum sunt et integra, et lucidissima perstant, licet ipsi non videant, occlusis scilicet viribus quibus bona sua intueri possint. Itaque quod sunt, et ex bono sunt, et boni sunt ; et pulchrum bonumque desiderant, ut sint et vivant et intelligant quæ subsistunt desiderantes. Ceterum privatione atque effugio prolapsioneque convenientium eis bonorum, mali dicuntur ; et sunt mali in quo non sunt, et quod non est appetentes, malum profecto desiderant.

Ac animas quispiam esse dixerit malas. Si quidem ideo quia attendunt invigilantque malis, ut provideant atque salvent, hoc malum non est, sed bonum, et ex bono proveniens, quod malum etiam efficit bonum. Et si malas fieri animas dicimus, in quo fiunt malæ? nisi in bonarum qualitatum operationumque defectu, atque proveniente ex infirmitate propria privatione ac prolapsione fruendi bonis suis. Nam et circumfusum nobis aerem offundi tenebris dicimus, defectu atque absentia lucis ; ipsa vero lux semper lux est, quæ etiam illuminat tenebras. Itaque neque in dæmonibus neque in nobis est malum quasi exsistens, sed ut defectus ac desertio consummationis propriorum bonorum.

Sed ne in mutis quidem animantibus est malum. Nam si sustuleris iram et concupiscentiam, et cetera quæ dicuntur (et non sunt simpliciter per sui naturam) mala : leo fortitudine et ferocitate amissa, leo esse desistet ; blandus item omnibus effectus canis, canis non erit : quippe latrare canis proprium est, et domesticos admittere, alienosque propellere. Itaque naturam non corrumpi, malum non est. Naturæ vero corruptio, infirmitas est ac defectus naturalium qualitatum et operationum atque virtutum. Et si cuncta quæ nascuntur, perficiuntur in tempore, ne imperfectum quidem omnino per universam comperias naturam.

Sed neque in tota natura est malum. Si enim omnes naturales rationales ab universali natura ducuntur, nihil est quod illi adversetur. Porro singulari naturæ partim secundum naturam erit, partim non. Est enim præter naturam alii aliud, et quod huic secundum naturam, alteri præter naturam est ; naturæ vero vitium, quod præter naturam est, ipsaque privatio naturalium. Non est itaque natura mala ; sed hoc est naturæ malum, quod naturæ suæ propria nequit efficere. — At enim ne in corporibus quidem est malum. Fœditas enim et morbus, defectus est speciei et privatio ordinis. Hoc vero non usquequaque malum, sed minus pulchrum est. Nam si fiat omnino pulchritudinis et speciei ordinisque solutio, peribit ipsum quoque corpus. Quod autem neque malitiæ causa sit corpus animæ, ex eo constat quod etiam sine corpore malitia possit irrepere, sicuti in dæmonibus. Est enim hoc et spiritibus et animabus et corporibus malum, si infirmentur et excidant bonorum suorum habitu.

Sed ne in materia vulgatissimum quidem est (ut aiunt) malum, in quantum materia est. Et ipsa enim ad ornatus et pulchritudinis et speciei accedit consortium. Si autem extra hæc materia exsistens in se ipsa, qualitatem speciemque desiderat : quo

pacto facit aliquid materia, quæ nec ut pati possit, secundum se ipsam habet? Præterea, quomodo malum est materia? Nam si quidem nusquam nulloque pacto est, neque bonum profecto est neque malum. Sin autem quomodolibet est, et quæ sunt omnia, ex bono sunt, et ipsa ex bono sit necesse est ; et aut bonum mali efficiens erit ; aut malum quasi ex bono sit, bonum erit ; aut malum erit efficiens boni, sive etiam bonum, ut ex malo ductum, malum erit, aut duo rursus erunt principia, et hæc alio quodam dependentia capite atque principio. Si autem asserunt materiam ad perfectionem mundi totius fuisse necessariam, quomodo erit materia malum? Aliud est enim malum, aliud necessarium. Qua enim ratione bonus ex malo aliqua ad generationem ducit? Aut quomodo malum bono necessarium? Fugit sane boni naturam malum. Quomodo item gignit ac nutrit naturam materia, si mala est? Malum enim, ut quæ malum est, nullius est gignens aut nutriens, aut omnino efficiens aut servans. Quod si dixerint ipsam quidem in animabus malitiam non facere, verum eas attrahere : quomodo hoc verum erit? Plurimæ namque ex his bonum intuentur : at id qui fieri posset, si eas materia ad malum prorsus attraheret? Non itaque ex materia malum animabus provenit, sed ex inordinato et delinquente motu. Si autem et hoc asserant omnino materiam sequi, estque necessaria instabilis materia his quæ in se ipsis figi non valent : quomodo malum est necessarium? aut quomodo necessarium malum? — At neque id quod dicimus privationem, viribus propriis reluctatur bono. Nam privatio si universa ponitur, viribus omnino destituitur ; singularis vero, non ex eo quod privatio est, vires habet, sed quia privatio perfecta non est. Nempe enim si privatio boni particularis sit, non usquequaque malum est ; qua abeunte, simul et mali natura discedit.

Atque ut paucis expediam : Bonum ex una et tota causa, malum ex multis particularibusque proficiscitur defectibus. — Novit Deus malum ut bonum, atque apud ipsum malorum causæ virtutes beneficæ sunt. — Quod si malum sempiternum est, et creat, et potest, et est, et agit : unde sibi ista? An ex bono? an bono ex malo? an vero ambobus ex causa alia? — Omne quod secundum naturam est, ex definita nascitur causa. Si autem malum causa ac definitione caret, secundum naturam non est. Neque enim naturæ inest, quod est præter naturam ; neque inertiæ in arte est ratio. — Num ergo anima malorum est causa, sicuti calefaciendi ignis, et omnia quibus se insinuarit, malitia replet? an vero bona est quidem animæ natura, operationes vero suas aliquando sic peragit, aliquando non sic? Nempe si per naturam est animæ mala substantia, unde illi substantia est? An ex causa illa bona conditrice omnium? Sed si ex ea, quomodo per substantiam mala? Bona sane sunt omnia quæ ab illa progenita sunt. Sin autem per operationes, neque istud est immutabile : alioqui unde illi virtutes inessent, nisi boni hausisset speciem? Restat igitur ut malum infirmitas sit atque a bono defectio. — Bonorum causa una est. Et si bono malum contrarium, mali causæ sunt plurimæ : non tamen efficientes malorum rationes atque virtutes, sed impotentia et infirmitas, et dissimilium incongrua permixtio. Neque vero immobilia et eodem modo se semper habentia mala sunt, sed infinita et indeterminata, et in aliis aliter pervagantia, et ipsis quoque infinitis.

Omnium etiam malorum initium et finis bonum erit. Boni enim gratia omnia sunt, et quæque bona, et quæque contraria. Et hæc enim appetitu boni aggredimur : nemo etenim in malum intuens, agit quæ operatur. Idcirco neque substantia nititur malum, sed substantiæ simulacro, dum boni gratia et non sui ipsius geritur. — Malo secundum accidens est applicanda substantia, et propter aliud, non ex initio proprio : ut quod quum fit, rectum quidem esse videatur, quia boni gratia fit ; revera autem

rectum non sit, quia quod bonum non est, arbitramur bonum. Ostensum est aliud esse quod expetitur, aliud vero quod agitur. Itaque malum est præter viam, præter intentionem, præter naturam, præter causam, præter initium, præter finem, præter definitionem, præter voluntatem, præter substantiam. Est igitur malum privatio et defectio, infirmitas, inconvenientia atque frustratio; destinatione*, pulchritudine, vita, sensu, ratione, perfectione ac sede et causa privatum; indefinitum, infecundum, otiosum, imbecillum, inordinatum, dissimile, infinitum, tenebrosum carensque substantia, et ipsum nullo modo, nusquam et nil exsistens. *intentione

Quomodo potest omnino aliquid malum? Permixtione boni. Quod enim boni prorsus expers est, neque est quidquam, neque quidquam potest. Nam profecto si bonum substantia est, et consilio ac valentia et actione præditum: quomodo quod huic adversatur, aliquid poterit, substantia, prudentia, virtute atque operatione privatum? — Non omnia omnibus et prorsus eadem secundum idem mala sunt: verum dæmoni malum est, quod boni specie insignem animum repulit; animæ, quod a ratione defecit; corpori vero, quod a natura descivit.

Si Providentia est, quomodo omnino sunt mala? Non est malum (qua parte malum) neque substantia neque inter substantias; nihilque in rebus Providentiæ gubernatione deseritur. Neque enim malum substantia est conspicua et in aperto in bono subsistens. Et si nihil in rebus exsistentibus boni participatione caret, malum vero est a bono defectio (nihil revera in substantiis bono usquequaque privatum est); in omnibus quæ subsistunt, divina providentia est, nihilque ex his non Providentia agitur. Sed his quoque qui fiunt mali, benigne Providentia utitur ad illorum sive aliorum communem seu privatam utilitatem, et proprie cuique substantiæ providet. Ideo et absurdam plane multorum rationem non admittimus, qui asserunt oportuisse Providentiam invitos etiam nos ad virtutem ducere. Neque enim est Providentiæ violare naturam. Quocirca, ut Providentia cujusque naturæ est servatrix, eis quæ per se moventur, ut libero aguntur arbitrio providet, omnibusque et singulis proprie, ut omnium singulorumque natura capit; et totius ac universæ providentiæ, pro modo cujusque providentissimas bonitates impertit.

Non igitur est substantia malum, neque est inter substantias malum. Nusquam enim malum est, qua parte malum; et fieri malum, non virtutis, sed infirmitatis est. Atque dæmonibus, quod sunt quidem, et ex bono simul et bonum est. Malum vero illis est a propriis bonis prolapsio atque defectio; et immutatio identitatis atque habitus, infirmitas est, quæ illis consentanea esse debet perfectionis angelicæ. Atque expetunt bonum, qua parte esse et vivere et intelligere appetunt: et non appetunt bonum, dum quod non est appetunt; neque est istud appetitio, sed vere frustratio appetitionis.

Eos autem in scientia peccantes Scriptura vocat, qui circa boni notionem haud eos
latentem atque actionem infirmantur; et qui sciunt voluntatem, et non faciunt: qui Luc. XII,
audierunt quidem, sed infirmantur circa fidem aut operationem boni, quum nolint 47. Jacob. IV, 17.
quidam intelligere ut bene faciant, ex perversione sive infirmitate voluntatis. Prorsus- Luc. XIII,
que malum est, ut sæpe jam quoque diximus, infirmitas et imbecillitas, ac defectus 13. Ps. XXXV, 4.
vel scientiæ, vel notionis, vel fidei, vel appetitionis, vel operationis boni. At dixerit quispiam: Non puniri meretur infirmitas, sed contra veniæ digna est. Nempe nisi licuisset obsistere, non ignava esset ratio. Si autem bonum illud suppeditat vires, quod
juxta Scripturæ fidem, dat omnibus omnino congrua; laudandum non est si ex Jacob. I, 5.
bonorum nostrorum habitu a summo permanente bono frustremur et avertamur et effugiamus atque decidamus per ignaviam nostram. Sed hæc in his quæ scripsimus

de justitia judicioque divino, satis pro viribus dicta sunt; quo in sacro opere, Scripturæ veritas sophisticas et injustitiam ac mendacium contra Deum loquentes rationes, ut stolidas omnino confutavit et repulit. — Nunc autem pro captu nostro satis laudatum est bonum ut vere admirandum, ut principium omnium ac finis, ut quod contineat omnia, ut speciem his faciens quæ non sunt, ut bonorum omnium causa, ut malorum non causa, ut providentia et absoluta bonitas, et quæ sunt et quæ non sunt omnia superans, et mala secundum boni privationem in bonum convertens, omnibus expetendum et amabile ac diligibile; et quæque alia in superioribus verax (ut reor) oratio demonstravit.

CAPITULUM V

DE ENTE, IN QUO ETIAM DE EXEMPLARIBUS.

TRANSEUNDUM jam ad eminentissimam ejus qui vere est substantialem appellationem juxta theologiæ fidem explicandam, si prius admonuerimus, nos nequaquam intendere supremam illam ineffabilemque substantiam, qua parte est supersubstantialis, exponere (id enim et ineffabile est, et cognitionem nostram omnino expositionemque refugit, et ipsam unionem antecellit), sed substantificum divinæ principalisque substantiæ ad ea quæ sunt omnia laudare progressum. Nam boni quidem divina appellatio, causæ omnium processus omnes exponens, et ad ea quæ sunt et quæ non sunt extenditur, et super omnia quæ sunt et quæ non sunt eminet... Porro vitæ denominatio ad viventia cuncta porrigitur, et supra viventia est. Sapientiæ quoque appellatio ad spiritualia omnia et rationalia sensibiliaque pertenditur, et super hæc omnia est. Has itaque laudare nostra cupit oratio quæ providentiam explicent divinas appellationes. Neque enim ipsam eminentem substantiis omnibus bonitatem et deitatem et substantiam vitamque ac sapientiam supersubstantialis ipsius Deitatis pollicetur eloqui, quæ super bonitatem, deitatem et substantiam, vitamque et sapientiam, in *Ps. xvii, 12.* occultis (ut Scriptura ait) superne locata est; sed patentem beneficamque providentiam, supremamque bonitatem et bonorum omnium celebrat causam, et quod est et vitam et sapientiam, substantiæ effectricem et causam vivificam sapientiæque indultricem iis quæ substantiæ ac vitæ et mentis et rationis et sensus capacia sunt. Non autem aliud esse bonum docet, aliudque quod est, et aliud vitam sive sapientiam; neque plures causas, et aliorum alias effectrices deitates superiores et inferiores; sed unius Dei bonos processus omnes, et eas quæ celebrantur a nobis divinas appellationes; et hanc quidem omnino unius Dei providentiæ esse enuntiatricem, alias vero generaliorum, et alias magis particularium ejusdem interpretes dici.

Ac dixerit quispiam, cujus rei gratia, quum esse vitam vitaque antecellat sapientiam, et iis quæ sunt solum, ea quæ vivunt, et viventibus, sensibilia, et iis, quæ rationalia, et rationalibus angelici spiritus præcellunt, et circa Deum sunt magis, quæ * *et* illi plus appropinquant? Attamen oportebat quæ majora munera a Deo acceperunt, præstantiora quoque esse, cæterisque præeminere. Atqui si quidem substantia et vita carere spiritualia quispiam poneret, recte istud diceretur. Sin autem et sunt divini spiritus supra reliqua quæ subsistunt, et vivunt supra viventia reliqua, intelliguntque

et agnoscunt supra sensum supraque rationem, et super omnia quæ sunt pulchrum ac bonum desiderant ac capiunt; ipsi magis circa bonum sunt, ut qui eo uberius fruuntur, majoraque ex ipso dona percipiunt : sicuti et rationalia sensu præditis eminent vincuntque rationis excellentia, et ultra sentiendi facultatem ea quoque superant, et alia vita. Estque (ut reor) equidem hoc verissimum, quod quæ unius et infinitis muneribus præditi Dei participatione feliciora sunt, illi et viciniora sunt et diviniora quam quæ minus illud perceperunt.

Quoniam vero et de his satis dictum est, age, bonum ipsum ut veraciter ens, et omnibus quæ sunt substantiam largiens, laudare pergamus ipsum. Qui est, essentiæ totius supersubstantiali virtute fundatrix causa est atque opifex : exsistentis, subsistentiæ, substantiæ, essentiæ, naturæ principium ; et mensura sæculorum, atque temporum entitas, et æternitas entium, et tempus eorum quæ fiunt ; esse autem iis quæ quomodolibet sunt, et generatio iis quæ quomodocumque gignuntur. Ex eo enim qui est, sæculum est, et essentia, et ens, et tempus, et generatio, et quod gignitur, et ea quæ in exsistentibus sunt, et quæ quomodolibet subsistunt atque exstant. Nam Deus non quoquo pacto est ens, sed simpliciter et incircumscripte totum in se esse pariter ambit et præambit superapprehendens. Idcirco etiam Rex sæculorum dicitur, ut 1 *Tim.* I, 17.
in quo et circa quem totum esse et ens subsistensque versetur. Et neque erat, neque erit ; neque fuit, neque fit, neque fiet. Imo vero neque est, sed iis quæ sunt, esse ipse est ; neque ea quæ sunt solum, verum ipsum quoque eorum esse, ex eo est qui est ante sæcula. Ipse vero est sæculum sæculorum, qui ante sæcula est. Resumentes itaque dicamus ut iis quæ sunt omnibus et sæculis, esse ab eo est qui ante est ; et omne quidem sæculum ac tempus ex eo est. Omnis autem sæculi ac temporis, et omnis quod quomodolibet est, is qui ante est, initium et causa est. Omniaque ipso participant, et a nullo exsistente discedit ; ipseque est ante omnia, et omnia in ipso consistunt. Prorsusque si quid quomodolibet est, in eo qui ante est, et est et noscitur atque servatur.

Et ante alias ipsius participationes, esse præpositum est ; et est ipsum per se esse, antiquius quam ipsam vitam ipsamque sapientiam et ipsam similitudinem divinam esse. Aliis quibuscumque participantia, ante hæc omnia ipso esse participant. Imo et ipsa per se omnia, quibus ea quæ sunt participant, ipso per se esse participant ; nullumque ens est cujus non sit substantia et sæculum, ipsum atque per se esse. Merito igitur reliquis aliis principalius, ut qui est, Deus ex antiquiore aliis ipsius donis celebratur. Etenim ipse præesse et superesse ante habens et supereminenter habens, id ipsum (dico ipsum per se esse) præeminere fecit, atque per id ipsum esse, quidquid quomodolibet est, ut subsisteret effecit. Enimvero et rerum principia omnia, ipsius esse participatione et sunt et principia sunt ; et prius quidem sunt, et subinde principia sunt. Et si velis vitam ipsam, viventium, ut viventium, initium dicere ; et similium, ut similium, similitudinem ipsam ; et conjunctorum, ut conjunctorum, ipsam per se unionem ; et ordinatorum, ut ordinatorum, per se ordinem ; et aliorum quæque hujus vel illius, vel amborum, vel plurium participatione gaudent, et hoc aut illud, aut ambo, vel multa per se participata : invenies profecto ipsas participationes primum ipso esse participare, et eo ipso esse primum exsistentes, mox vero hujus aut illius principia esse, et ipso esse participando, et exsistere et participatas esse. Si autem ista, participatione ipsius esse sunt, multo magis et ea quæ ipsorum participia sunt. Primum igitur ipsius esse munus ceteris præponens ipsa suprema bonitas, ipso esse, antiquiore quidem et prima participationum, celebratur.

Estque ex ipsa et in ipsa, et ipsum esse, et principia rerum, et quæ sunt omnia, et

quæ quomodocumque ab ipso esse sunt contenta; idque immensurate, involute atque unice. Namque in monade omnis numerus uniformiter præest, habetque monas omnem in se numerum unice; et omnis numerus, complicatus quidem in monade est; quantum vero a monade progreditur, tantum discernitur et multiplicatur. Et in centro omnes circuli lineæ in unitione præexstiterunt, habetque punctum omnes in se ipso rectas lineas uniformiter junctas ad se invicem, et ad unum initium ex quo processere; atque in ipso quidem centro perfecte conjunctæ sunt; modice vero ab ipso discedentes, modice quoque discernuntur; magisque recedentes, magis. Prorsusque quanto centro viciniores sunt, tanto plus et illi et sibi invicem junguntur; quo vero se ab illo dimovent magis, eo etiam ab invicem distant. Sed et in tota ipsa universorum natura, omnes naturæ cujusque rationes collectæ sunt per unam inconfusam unionem; et in anima uniformiter virtutes partium omnium totius corporis gubernatrices, conglobatæ atque complicatæ sunt. Nihil itaque alienum a nostro instituto facimus, si per exiles imagines ad auctorem omnium causam ascendentes, purgatissimis et mundo superioribus oculis inspiciamus omnia in omnium causa, et ad invicem contraria, uniformiter atque conunite. Est enim principium rerum, ex quo est et ipsum esse et omnia quæ quomodolibet sunt; omne initium, omnis finis; omnis vita, immortalitas omnis, omnis sapientia, omnis ordo, harmonia omnis; omnis virtus, omnis custodia, firmitas omnis, omnis distributio; omnis intelligentia, omnis ratio, omnis sensus, habitus omnis; omnis status, omnis motus; omnis unio, temperamentum omne, omnis amicitia, omnis continentia; discretio omnis, omnis definitio; et alia quæque ab ipso esse quum sint, quæ sunt omnia exsculpunt.

Ex eadem quoque omnium causa ducuntur angelorum sanctorum intelligibiles spiritualesque substantiæ, et animarum totiusque mundi naturæ, et quæ quoquo pacto vel in aliis subsistere vel secundum intelligentiam esse dicuntur. Denique sanctissimæ illæ antiquissimæ virtutes, quum verissime sint et veluti in valvis supersubstantialis Trinitatis collocatæ, ab ipsa et in ipsa ut sint et ad Dei effigiem sint, acceperunt; et quæ post illas inferiores sunt, inferiori quoque modo ut sint, habent; extremæque, extremo modo quantum ad angelos, quantum ad nos autem, excellenter et supermundane. Animæ item et alia quæque sunt omnia, eadem ratione et ut essent et ut bene essent acceperunt. Suntque et bene sunt, ab eo qui ante est, ut et sint et bene sint, consecuta; atque in ipso sunt et bene sunt; et quum ex ipso initium ceperint, in ipso servantur, atque in ipsum finiuntur. Ac munera quidem ipsius esse honorabilissima, præstantioribus substantiis dividit, quas etiam æternas Scriptura vocat; ipsum vero Ps. [illegible]
esse, iis quæ sunt omnibus nunquam omnino destituitur. Et ipsum quoque esse, ex eo qui ante est ducitur; et ipsius essentia est, non ipse essentiæ; atque in ipso essentia, non ipse in essentia est; ipseque essentiam, non ipsum habet essentia. Et ipse est ipsius esse sæculum et initium et modus atque mensura; qui et ante essentiam est, et entis et sæculi et omnium, substantificum principium et medium ac finis est. Ideoque in sanctis Litteris qui vere ante est, per omnem rerum multiplicatur intelligentiam, atque in ipso et erat, et est, et erit, et fit, et fiet, proprie laudantur. Hæc Apoc. I, 8.
enim omnia iis qui convenienter intelligunt, per omnem intelligentiam ipsum supersubstantialiter esse significant, et eorum quæ sunt ubilibet causam. Nam profecto non istud quidem est, illud vero non est; neque alicubi est, alicubi non est; sed omnia est, ut omnium causa, et in se omnia initia, omnes conclusiones et terminos rerum omnium continens et antehabens. Et super omnia est, ut qui ante omnia per substantiæ eminentiam præest. Idcirco et omnia ipsius sunt simulque prædicantur, et nihil est omnium; omni figura et omni specie præditum, formaque carens ac specie.

Principia et media et fines rerum immense et eminenter in se ante comprehendit, omnibusque esse per unam et supreme conjunctam causam, sine contaminatione infulget atque infundit. Si enim visibilis sol sensibilium substantias et qualitates, permultas licet atque differentes, ipse tamen unus quum sit, et uniformem infundendo lucem, renovat, nutrit, servat, perficit, discriminat, conjungit, refovet, fecundat, auget, immutat, firmat, implet, sustollit vivificatque omnia; et quodlibet ex omnibus modo sibi congruo unius ejusdemque solis est particeps, plurimorumque participantium sol unus in se ipso causas ante uniformiter cepit : multo magis omnium exemplaria rerum, una supersubstantiali unitate in solis et omnium causa ante subsistere, est concedendum, quia et substantias producit secundum quod a substantia excedit.

Exemplaria vero esse dicimus rationes in Deo substantificas rerum et singulariter ante subsistentes : quas prædestinationes Theologia vocat, et bonas divinasque voluntates, eorum quæ sunt definitrices atque effectrices, secundum quas ipse supersubstantialis Deus quæ sunt omnia prædestinavit atque produxit. *Rom.* VIII, 30, *Ps.* CX, 2. Si autem et philosophus Clemens vult etiam ad aliquid dici exemplaria, quæ sunt in rebus magis principalia, procedit quidem illi oratio non per propria et absoluta et simplicia nomina. Ceterum ut concedamus et hoc recte dici, meminerimus quid sacra protestentur Eloquia, Quia non ea tibi ostendi ut post illa incederes, sed ut per rationalem horum scientiam ad omnium causam, prout possumus, provehamur. *Deut.* IV, 15-20.

Omnia igitur ipsi, quæ sunt, secundum unicam omnibus eminentem unitatem accepta, sunt referenda : quandoquidem ab essentia substantifici processus atque bonitatis inchoans, et per omnia pergens, et cuncta ex se ipsa essentia implens, atque in omnibus quæ sunt exsultans, omnia quidem in se ante complectitur, per unam simplicitatis excellentiam omne renuens duplex; cuncta vero similiter continet secundum superexpansam simplicem infinitatem suam; atque ab omnibus unice participatur, quemadmodum et vox una quum sit atque eadem, a multis auribus ut una percipitur. Omnium itaque initium et finis rerum est, qui ante est : initium quidem, ut auctor; finis vero, ut cujus gratia : finisque omnium, atque infinitas totius infinitatis et finis excellenter, quæ velut opposita sunt. In uno enim, ut sæpe jam dictum est, quæ sunt omnia, et ante habet et subsistere facit : omnibus et ubique præsens et secundum unum atque idem et secundum idem omne; et ad omnia prodiens, et manens in se ipso; et stans et se movens, et neque stans neque se movens; neque initium habens, aut medium, vel finem. Neque in aliquo subsistentium est, neque aliquid est subsistentium. Et neque ei ulla ratione competit aliquid eorum quæ æterne sunt, aut quæ temporaliter subsistunt; sed tempore et sæculo, et iis quæ in tempore et sæculo sunt, omnibus eminenter excipitur : quia et ipsum sæculum et quæque sunt, et mensuræ rerum et quæque sub mensuras cadunt, per ipsum et ab ipso sunt.

CAPITULUM VI

DE VITA

SED de his quidem in aliis opportunius dicatur. Nunc vero celebranda laudibus est vita æterna, ex qua ipsa vita et vita omnis est, et a qua in omnia quæ vitam quomodolibet fuerint, vivere pro modo cujusque diffunditur. Nempe et ipsa immortalium angelorum vita et immortalitas, et constantia illa angelici sempiterni motus nunquam deficiens, ex ipsa et per ipsam est atque subsistit. Quocirca viventes semper immortalesque dicuntur; et rursum non immortales, quia non ex se habent ut immortales sint et sempiterne vivant, sed ex vivifica et vitæ omnis efficiente atque continente causa. Et sicuti in ente dicebamus quod ipsius quoque esse ipsum est sæculum, ita et hic rursus, quod vitæ ipsius quoque supereminens illa et divina vita, vitæ est auctor atque substantiæ; et vita omnis ac vitalis motus ex vita illa ducitur, quæ est supra omnem vitam et omne totius vitæ principium. Ex ipsa et animæ immortalitatem habent, et animantes omnes, et plantæ juxta extremam vitæ harmoniam, ut Ps. CIII, 29, 30. vivant acceperunt. Qua sublata, juxta Eloquium, omnis deficit vita; et ad quam ipsa quoque quæ participandæ ipsius infirmitate defecerunt, si rursum convertantur, rediviva fiunt.

Ac largitur primum quidem ipsi per se vitæ ut sit vita, et omni vitæ et particulari, ut sit unaquæque id ipsum proprie quod esse a natura habet : atque supercœlestibus quidem vitis spiritualem et divinam immutabilemque immortalitatem, et nusquam vergentem aut inclinantem sempiternum motum ; sese etiam per bonitatis copiam ad dæmonum usque vitam superextendens : neque enim vita illa ab alia provenit causa, sed ex ipsa, et quod sit vita et quod perseverans sit, habet. Sed et viris quoque ut promiscuis, quantum licuit, angelicam condonans vitam, superabundantia pietatis a se aversos nos convertit atque ad se revocat. Quod vero longe divinius est, nos totos (animas dico et socia corpora) ad perfectam vitam et immortalitatem transferre pollicetur. Quod veteribus quidem præter naturam fortasse videatur : mihi vero tibique et veritati, et divinum et supra naturam, ut est, videtur. Supra naturam nostram dixerim visibilem, non supra omnipotentem, illi per se et divinæ vitæ æqualem. Ipsi quippe, ut quæ sit vitarum omnium natura, maximeque sacratiorum, nulla vita præter naturam aut supra naturam est. Itaque dementissimi Simonis hac de re contradictorii libri, procul a choro divino tuaque sancta anima pellantur. Fugit enim illum, puto, et quidem quum sapientem se existimaret, non oportere eum qui recte sentiat, manifesta sensus ratione inniti adjutrice contra invisibilem omnium causam. Et hoc est quod ei dicendum : id esse præter naturam dicere. Ipsi enim nihil contrarium est. Ex ipsa vivificantur et confoventur et animantes cunctæ atque arbores. Et sive spiritualem dixeris, sive rationalem, sive sensitivam, sive nutritivam, sive vegetativam, sive quamlibet vitam, aut vitæ initium aut vitæ substantiam, ex ipsa et vivit et vivificat quæ supra omnem vitam est, et in ipsa secundum causam uniformiter ante subsistit. Nam vita illa suprema et principalis, et vitæ omnis est auctor, et fecundat et replet et dividit vitam, et omni ex vita prædicanda est pro omnium fecunditate vitarum, ut omnigena omnique vita intelligentia comprehensa laudataque, ut nullius egens :

imo vitæ affatim plena, per se vivens, et ut supra omnem vitam, ut vitam vivificans vitaque superior, sive quomodocumque ineloquibilem vitam quisque humano more laudare velit.

CAPITULUM VII

DE SAPIENTIA, SENSU, RATIONE, VERITATE, FIDE.

AGE vero, ipsam (si placet) veram perennemque vitam, et ut sapientem et ut sapientiam ipsam celebremus : imo ut toti sapientiæ substantiam largientem, et supra omnem sapientiam intelligentiamque longe eminentem. Non enim solum est sapientiæ exuberans Deus, et sapientiæ ejus non est numerus, sed et supra *Ps. CXLVI, 5.* sermonem omnem et mentem et sapientiam locatus eminet. Intellexit hoc mirabiliter profecto divinus vir, communis noster nostrique præceptoris sol, qui stultum Dei *I Cor. I, 25.* sapientius hominibus dixit : non modo quia humana mens omnis, firmitati et stabilitati divinarum exactissimarumque intelligentiarum comparata, error quidam est ; verum quia etiam solenne theologis est, passione reciproca in Deo quæ sunt privationis asserere. Ita et invisibilem aiunt sanctæ Litteræ clarissimam lucem ; eumque qui cele- *I Tim. I, 17.* berrimus est, et eum qui multis insignis nominibus est, ineffabilem et sine nomine *Job XXXVII, 23 ; Prov. XXX, 4.* appellant ; præsentemque omnibus, et qui invenitur ex omnibus, incomprehensibilem atque investigabilem dicunt. Hoc modo nunc quoque divinus Apostolus stultitiam Dei *Job XI, 7 ; Rom. XI, 33.* laudare perhibetur, quod in ea irrationabile indignumque videtur, ad ineffabilem rationemque omnem præcellentem referens veritatem. Verum (quod in aliis dixi) quæ supra nos sunt si more nostro accipiamus, familiaribusque inversemur sensibus, divina nostris conferentes, fallimur, qui divinum illud arcanum juxta visibilem speciem persequamur, quum scire profecto debeamus animum nostrum partim habere intelligendi virtutem, per quam intelligibilia adspicit ; partim unionem mentis naturæ præcellentem, per quam his quæ sunt supra se jungitur. Hæc itaque divina oportet intelligamus, non humano more, sed toti integre a nobis ipsis excedentes, atque prorsus in Deum transeuntes. Præstat enim Dei esse, quam juris nostri. Sic denique tradi divina nobis poterunt, si cum Deo fuerimus.

Hanc itaque irrationabilem et amentem stultamque sapientiam eminentia singulari prædicantes, dicamus omnis sensus et rationis omnisque sapientiæ et intelligentiæ auctorem esse, ipsius esse omnium consilium, atque ab ipsa omnem scientiam intelligentiamque profluere, et in ipsa omnes esse thesauros sapientiæ et scientiæ abscon- *Col. II, 3.* ditos. Atque ut ab his quæ supra jam diximus non discedamus, causa illa supreme atque omnium omnino sapiens, sapientiam ipsam et totam et particularem subsistere facit. — Ex ea intelligibiles angelicorum spirituum intellectualesque virtutes, simplices et beatas intelligentias habent : non in divisibilibus aut a divisibilibus sive sensibus sive verbis latioribus divinam colligentes scientiam, dum neque consortio aliquo ad hæc ipsa agglutinantur, et materia omni ac multitudine persistunt puræ, spiritualiter et extra materiam uniceque intelligibilia divina penetrant. Estque in eis spiritualis virtus et operatio, impermixta et immaculata irradiata munditia, contemplatio divinorum sensuum individua et spiritualis, et quæ augustiore illo singulari, ad

divinum ac sapientissimum et sensum et verbum pro viribus formatur. Per divinam item sapientiam et animæ ratiocinandi vim habent, discursione et longo ambitu ad rerum veritatem annitentem; atque in eo singularibus illis spiritibus inferiores, quod divisibilibus atque omnigenis varietatis utuntur signis; in eo vero quod plurima in unum colligant, intelligentiis quoque æqualibus angelis, quantum fas est animabus ad id adspirare, illustrari promerentur. Ac sensus ipsos quoque si quis sapientiæ aliqua ex parte dicat esse participes, non errabit extraque propositum aget. Certe et dæmoniacus sensus ex ipsa ducitur, in quantum sensus est; in quantum vero sensus est irrationalis, (cui id quod appetit nesciens ac nolens), rectius a sapientia defectio potest appellari.

Sed enim quod sapientiæ ipsius et omnis mentis et omnis rationis ac sensus omnis, divina sapientia et initium et causa sit, et substantia et perfectio, et custodia et finis, dictum sit. Verum Deus ipse, qui est plusquam superque sapiens, quomodo sapientia, sensus, et ratio et cognitor laudatur? Quomodo enim intelligibile aliquid sentiet, quum intellectualibus operationibus careat? aut quomodo sensibilia noscet, qui sensu
[illegible] omni superior eminet? Atqui scire illum omnia Scriptura testatur, nihilque divinam scientiam fugere. Verum (quod sæpius dixi) divina digne Deo sunt intelligenda. Sane animi sensusque privatio, excellentiam in Deo, non defectum, signat; sicque accipi oportet, quemadmodum etiam irrationale ei applicamus, qui supra rationem est; et imperfectionem ei, qui summe perfectus est excellentia et duratione; et intangibilem invisibilemque caliginem inaccessibilis lucis, per excellentiam visibilis luminis. Itaque divina mens omnia continet cunctis supereminente scientia, secundum omnium causam, omnium in se notionem ante complexa, priusquam angeli fierent, sciens angelosque producens, et alia omnia ab intimis et ab ipso (ut sic loquar) initio noscens,
Dan. xiii, atque ad substantiam ducens. Et hoc arbitror id signare quod dicitur, qui novit omnia
42. antequam fiant. Non enim ex iis quæ sunt ea quidem discens, divina mens novit, sed ex se et in se secundum causam, omnium notionem et scientiam atque substantiam anticipat et ante comprehendit: non singula ex cujusque specie ducens, sed secundum unicam causæ complexionem omnia sciens et continens, sicuti et lux secundum causam in se ipsa tenebrarum scientiam præambit, non aliunde quam ex luce tenebras noscens. Se ipsam itaque divina sapientia noscens, omnia scit, materialia sine materia, et individue quæ divisionem admittunt, et unice plurima, uno ipso cuncta sciens et producens. Nam si secundum unam causam Deus omnibus esse impertit, una eadem profecto causa sciet omnia, ut quæ ex se ipso sint, et in ipso ante subsistant; neque ex his quæ sunt, eorum capiet notionem, sed et ipsis singulis suæ et aliorum aliis scientiæ erit indultor. Non habet itaque Deus peculiarem scientiam sui, aliam vero communem omnia comprehendentem. Ipsa enim se ipsam omnium causa cognoscens, qua tandem ratione quæ ab se sunt et quorum est causa ignorabit? Hac itaque Deus cuncta cognoscit, non rerum, sed sui profecto scientia. Namque et angelos ea scire quæ in terra sunt, Scriptura testatur: non ea sensu haurientes quæ quidem sunt sensibilia, sed propria ad Dei imaginem efficta mentis virtute atque natura.

Ad hæc quærendum quomodo nos Deum scimus, qui neque intelligibilis, neque sensibilis, neque omnino quidquam intelligibilium est? Forte id veraciter dicemus: nos Deum non ex ipsius natura cognoscere (id nempe ignotum est, omnemque superat rationem ac sensum), sed ex creaturarum omnium ordinatissima dispositione, ut ab ipso producta, et imagines quasdam ac similitudines divinorum ipsius exemplarium præ se ferente, ad id quod omnia transcendit, via et ordine pro viribus scandimus in omnium eminentissima privatione, atque in omnium causa. Idcirco et in omnibus

Deus agnoscitur, et seorsum ab omnibus ; et per scientiam et per ignorationem noscitur Deus. Estque ipsius et intelligentia et ratio et notio, et tactus et sensus, et opinio et imaginatio et nomen, et alia omnia ; et neque intelligitur, neque dicitur, neque nominatur. Neque est aliquid eorum quæ sunt, neque in aliqua creatura cognoscitur ; et in omnibus omnia est, atque in nihilo nihil, et ex omnibus cunctis agnoscitur, et ex nullo nemini. Enimvero et ista de Deo rectissime dicimus, et ex substantiis omnibus celebratur juxta omnium rationem, quarum est auctor. Et est item augustissima Dei scientia, quæ per ignorationem scitur in conjunctione illa quæ superat sensum, quando mens omnia alia transiliens, et se ipsam demum linquens, conjuncta fuerit lucidissimis radiis, inde atque illic inscrutabili sapientiæ profundo illustrata. Et ex omnibus quidem, ut dixi, ipsa noscenda est. Ipsa enim est, juxta Scripturæ fidem, effectrix [Sap. VII, 21; Prov. VIII, 30.] omnium, et semper cuncta coaptans, ipsiusque omnium indissolubilis convenientiæ atque ordinis causa, semper priorum fines sequentium initiis jungens, unamque mundi conspirationem et congruentiam decentissime moliens.

Ratio quoque Deus dicitur in sanctis Litteris, non modo quia et rationis et sensus et sapientiæ indultor est, sed quia et omnium causas in se uniformiter ante complexus est ; et quia per omnia pergit, penetrans (ut scriptum est) usque ad omnium finem ; et [Sap. VII, 24; Hebr. IV, 12.] supra hæc etiam, quia supra simplicitatem omnem divina expanditur ratio, estque ab omnibus supra omnia, supremæ substantiæ ratione, absoluta. Hæc ratio est simplex vereque subsistens veritas, circa quam ut liquidam et nusquam oberrantem scientiam omnium, divina fides est, stabilis credentium sedes, quæ hos in veritate locat in ipsisque veritatem, impersuasibili identitate certam et simplicem veritatis notionem habentibus iis qui crediderunt. Nam profecto, si scientia cognoscentium et cognitorum conjunctrix est, ignorantia vero mutationis semper et ex se ignoranti suæ divisionis est auctor ; eum qui in veritate credit, juxta Scripturæ fidem, nihil removebit a veræ [Rom. VIII, 38, 39.] fidei auctore, in quo constantiam immobilis atque immutabilis identitatis habebit. Novit enim penitus is qui veritati conjunctus est, quam bene se habeat, etiam si plures illum corripiant quasi amentem et extra se factum. Fugit enim (quemadmodum et par est) illos, quomodo velut ex errore ille per intemeratam fidem veritati unitus, extra se fit ectasimque patitur. Porro novit ipse se ipsum veraciter non (quod illi aiunt) insanire, sed ab instabili ac variabili circa latissimam erroris varietatem motu, per simplicem et semper secundum eadem et eodem modo se habentem veritatem, evasisse liberum. Ita denique nostratis divinæ sapientiæ principes ac duces, pro veritate moriuntur omni die, testimonium perhibentes (ut dignum est) et verbo et omni opere, [Ps. XLIII, 22; Rom. VIII, 36.] singulari Christianorum veræque scientiæ, omnibus hanc esse et simpliciorem et diviniorem, imo ipsam esse solam veram et unicam et simplicem divinam notionem.

CAPITULUM VIII

DE VIRTUTE, JUSTITIA, SALUTE, REDEMPTIONE ; IN QUO ET DE ÆQUALITATE ET INÆQUALITATE.

VERUM enim quoniam divinam veritatem supremamque sapientiam, ut virtutem theologi celebrant et ut justitiam, salutem quoque ipsam et redemptionem appellant ; age ista pro viribus divina nomina explicare pergamus. Nempe enim quod Deitas summa virtute omni, quomodolibet aut est aut intelligitur, eminentissime superior sit, neminem reor qui divinis Litteris sit inversatus, ignorare. Plurimis enim in locis Scriptura sacra, etiam dominationem illi virtutum quoque cœlestium assignans tradidit. Quomodo igitur illam theologi etiam ut virtutem laudant, quæ virtute omni longe eminenter excipitur ? Aut quomodo in ipsa virtutis accipimus nomen ? Dicamus ergo quoniam virtus est Deus : qui omnem in se virtutem supreme habet et tempore et excellentia ; et ut omnis virtutis auctor, omniaque per virtutem nusquam inclinantem atque incircumscriptam producens ; et sicut ejus quæ est virtus sive universalis sive particularis, causa efficiens ; et ut infinitæ virtutis, non modo quod virtutem proferat omnem, verum et quod supra omnem et ipsam quoque virtutem sit, et quod excellentissime possit, et infinite infinitas præter eas quæ sunt, alias proferre virtutes, eo quod nullo modo possint vel infinitæ vel in infinitum productæ virtutes, supreme infinitam vim ipsius potentissimæ virtutis obtundere. Ac vero ineloquibili et incognito atque inexcogitabili modo supereminentis omnia virtutis suæ, sive per potentiæ copiam, infirmitatem quoque corroborat, extremasque substantias continet ac potenter firmat ; sicuti et in iis quæ sensuum sortita sunt potentiam, cernimus superlucentia lumina ad hebetiores quoque acies penetrare ; majoresque crepitus aiunt in aures quoque obtusiores et haud facile sonitus haurire idoneas, ingredi. Quod enim audiendi officio penitus vacat, neque auris est ; et quod omnino non videt, neque acies est. Hæc denique infinite potens divina distributio, in omnia quæ sunt se intendit atque permeat ; et nihil est in rebus quod non sit virtuti alicui percipiendæ idoneum, sed aut spiritualem, aut rationalem, aut sensibilem, aut vitalem, aut substantialem habet virtutem. Ipsum quoque esse, si fas sit dicere, virtutem ut sit, a supersubstantiali virtute consequitur.

Ex ipsa sunt altissimæ angelicarum distinctionum virtutes ; ex ipsa, ut et sint sine lapsu, habent, omnesque spirituales suos atque immortales sempiternos motus, ipsamque constantiam bonique desiderium inviolabile, ab infinitæ bonitatis virtute perceperunt, ipsa illis largiente ut possint, et ista sint, et semper esse desiderent, ipsumque desiderare posse ut semper possint. Procedunt ipsius indeficientis virtutis effectus ad homines quoque, et animantes, et arbores, totamque mundi naturam ; et conjuncta corroborant ad amicitiam mutuam ac societatem, et quæ discreta sunt, ut sint singula juxta rationem propriam ac definitionem inconfusa atque impermixta, custodit ; mundique ordines et dispositiones in proprio conservat bono. Atque immortales angelicarum unitatum vitas inviolabiles, et cœlestes luminarium siderumque substantias atque ordines, immutabiles servat : ac sæculum ut esse possit indulget ; temporum quoque orbitas progressu distinguit, et reditu colligit ; ignisque vires inexstinguibiles facit, et aquarum fluenta perennia ; aeriam quoque fusionem terminat ; et terram

super nihilum firmat, ejusque vivificos partus incorruptibiles custodit; elementorumque congruentiam et temperantiam inconfusam atque individuam servat; et animæ ac corporis continet nexum; arborum quoque virtutes, quibus nutriuntur et crescunt, movet; substantialesque omnium roborat vires, et mundi indissolubilem constantiam tutatur; deificumque ipsum statum condonat, virtutem ut hoc possint, iis qui in Deum transeunt, præstans. Prorsusque nihil in substantiis est quod ipsius omnipotens divina virtus non tutetur atque contineat. Quod enim omnino nulla virtute fulcitur, neque est, neque aliquid est, neque est penitus ipsius ulla positio.

Atqui inquit Elymas magus : Si est omnipotens Deus, quomodo a vestro theologo aliquid non posse dicitur? beatum insimulans Paulum, qui ait Deum se ipsum negare non posse. Illud autem si adjiciam, vehementer timeo ne ut amens ridear, qui puerorum ludentium structuras et supra arenam fundatas et infirmas evertere moliar, atque hujus rei divinum sensum, veluti arduum aliquid ac perdifficile, intentius aperire aggrediar. Nempe enim se ipsum negare, a veritate decidere est. Porro veritas Deus[1] est, et a veritate cadere, a Deo est cadere. Si igitur veritas Deus est, veritatisque negatio est a Deo prolapsio; a Deo cadere Deus non potest, et non esse (ut sic dixerim) non est, et non posse non potest, et non nosse (secundum privationem) non novit. Id sapiens ille non intellexit, imitaturque athletas imperitos qui sæpe imbecillos sibi adversarios esse suadentes, contraque absentes ipsos fortiter adumbrata pugna dimicantes, et aerem cassis ictibus constanter ferientes, adversarios ipsos superasse arbitrantur, seque victores buccinantur, quum neque illorum noverint vires. At nos divinum ipsum Paulum pro viribus assequentes, eum qui supra virtutem est, Deum ut omnipotentem celebramus, ut beatum solumque potentem, ut dominantem in virtute sua sæculo, ut qui in nullo a substantiis exciderit, imo quæque sunt omnia excellenter et ante tempora habeat supersubstantiali virtute sua : qui iis quæ sunt omnibus, ut esse possint et hoc sint, excellentis virtutis copia et exuberanti profusione largitur.

II Tim. ii, 13.

Justitia vero rursus Deus, ut omnibus secundum merita retribuens, dicitur, mensuramque et pulchritudinem et ordinem ac dispositionem omnesque distributiones atque ordinationes juxta verissimam ac justissimam definitionem singulis segregans, et omnibus quibusque proprii operis auctor exsistens. Cuncta enim divinæ justitiæ legibus ordinat atque determinat, et omnia ex omnibus mera atque impermixta custodiens, pro singulorum meritis iis quæ sunt omnibus congrua cuique largitur.

Hæc vero si recte dicuntur, qui divinam justitiam insimulant, dum non advertunt, suam injustitiam apertissime damnant. Aiunt enim immortalitatem inesse debere mortalibus, imperfectisque perfectionem, et iis quæ ex se moventur, necessitatem qua aliunde moveantur, mutabilibusque identitatem, et infirmis, quæ perfectæ virtutis sunt, adesse oportere; item sempiterna esse temporalia, et immutabilia quæ natura moventur, temporariasque voluptates oportere esse æternas : et omnino quæ aliorum sunt, aliis reddunt. Verum in hoc operæ pretium est cognoscere divinam justitiam veram esse justitiam, quod omnibus quæ sua sunt tribuit pro singulorum merito, et cujusque naturam in suo ordine servat atque virtute. — At dixerit quispiam, non esse justitiæ quod viri sancti sine adjutorio dimittantur a pessimis conteri. Ei dicendum, quod si quidem terrena, quæ carnalibus in studio sunt, diligunt hi quos sanctos appellat, divino amore prorsus exciderunt, et nescio quo pacto sancti appellari possint

[1] Ubi hic, Deus, et, a Deo, frequenter dicitur, originale habet nomen Dei ON, hoc est, Ens, et, Qui est; et, non esse, non posse, non nosse, nominaliter intelliguntur. (Edit. Colon.)

qui amabilia veraciter ac divina injuriis afficiunt, dum ea quæ neque amari neque haberi in studio merentur, minus plane honeste congerunt minusque reprobant. Sin autem quæ vere sunt, amant, lætari convenit eos qui aliqua capiunt, quando fruuntur optatis. An vero non tunc magis angelicis propinquant virtutibus, quum divinorum desiderio pro viribus ab omni carnalium affectione discedunt, atque ad hoc viriliter multum exercentur, dum pressuras casusque varios honesti gratia tolerant? Itaque ut verum dixerim, hoc magis est divinæ justitiæ proprium, nequaquam emollire atque enervare optimorum quorumcumque masculum sensum largitione carnalium, neque si quis id conetur agere, eos sine adjutorio linquere, sed illos in præclaro inflexibilique statu solidare, eisque quum sint hujusmodi, secundum merita reddere.

Hæc denique divina justitia, salus quoque omnium prædicatur, propriam cujusque et sinceram ab aliis substantiam et ordinem servans atque custodiens, causaque pure exsistens propriæ in quibusque actionis. Si quis vero salutem laudet (ut etiam ne a deterioribus quidem abstineat) cuncta salvando rapientem, et hunc ipsi laudatorem profusissimæ salutis perlibenter admittemus. Et hanc sane primam universorum salutem ipsam definire cupiemus; quæ omnia in se ipsis immutabilia neque dissidentia et nusquam deflectentia ad deteriora præservet, custodiatque omnia sine pugna et bello, singula suis rationibus ordinibusque distincta, et inæqualitatem omnem et alienam actionem ex omnibus eliminet, et cujusque proportiones ad id confirmet, ut in diversa cadere aut commigrare nequaquam possint. — Verum enim profecto et hanc salutem non præter intentionem Scripturæ sanctæ, ut bonitate cuncta salvante, quæ sunt omnia ab suorum prolapsione bonorum redimentem, prædicare merito possumus, quantum cujusque salvandorum admittit natura. Idcirco etiam redemptionem illam theologi nominant, ex eo quod non sinit quæ vere sunt, ad id cadere ut non sint; ex eo item quod et si quid deliquerint, et ab ordine suo aberraverint, et imminutionem aliquam perfectionis bonorum suorum passa fuerint, hæc etiam in parte a passione et imbecillitate ac privatione redimit, implens quod deest, et paterno affectu infirmitatem supplens, atque a malo erigens, imo in pulchro sistens, et quod effluxerat bonum reparans ac disponens, et ordinis quod deest in illo atque positionis exornans, integrumque perficiens, et ab omnibus absolvens inconcinnitatibus. — Sed de his quidem et de justitia dictum est, secundum quam omnium æqualitas emetitur atque terminatur, omnisque inæqualitas quæ secundum privationem est ejus quæ in ipsis singulis est æqualitatis, extorris agitur. Verum enimvero inæqualitatem si quis differentias omnium ad omnia in omnibus accipiat, hujus quoque justitia servatrix est, non permittens promiscua omnia fieri ac perturbari, sed custodiens quæ sunt omnia secundum speciem in qua singula quæque esse acceperunt.

CAPITULUM IX

DE MAGNO, PARVO, EODEM, ALTERO, SIMILI, DISSIMILI, STATU, MOTU, ÆQUALITATE.

QUONIAM vero et magnum et parvum auctori omnium applicatur, idemque et alterum, simile quoque ac dissimile, et status et motus; age, et hæc nominum divinorum signa liquide (quantum possumus) speculemur. Magnus itaque Deus in sacris Litteris prædicatur et in magnitudine, et in aura tenui, divinam signante parvitatem. Atque idem dicitur (sicuti quum Scriptura dicit: Tu autem idem ipse es), alter quoque, quando multiformis multisque figuris a sacris Eloquiis fingitur: et similis, ut similium et similitudinis opifex, et dissimilis omnibus, ut cui similis non sit; et stans atque immobilis et sedens in æternum, et mobilis, ut qui omnia penetret: et quæque alia divina nomina tantumdem valentia a sacris prædicantur Eloquiis. Ps. cxliv. 3 III Reg. xix. 12. Ps. ci. 28.

Magnus quidem appellatur Deus juxta propriam ipsius magnitudinem, quæ magnis omnibus suimet consortium tradit, et extrinsecus super omnem magnitudinem funditur, et supra expanditur, omnem continens locum, omnem transcendens numerum, omnem transiliens infinitatem, et per ipsius plenitudinis exuberantiam, principaliaque ipsius dona, qua parte ipsa ab omnibus participata per infinitam donorum profusionem, sine diminutione omnino perdurant, eamdemque habent plenitudinis exuberantiam, neque participationibus minuuntur, sed magis ac magis exundant. Magnitudo hæc et infinita est, et quantitate caret et numero; atque hæc est excellentia secundum absolutam et superne expansam incomprehensibilis magnitudinis redundantiam. — Parvum vero sive tenue in eo dicitur, quod molem omnem excedit atque distantiam, et quod absque impedimento per omnia pergit. Enimvero omnium causa pusillum est: nusquam enim invenies pusilli speciem imparticipatam. Ita igitur in Deo pusillum accipiendum, ut quod in omnia et per omnia sine impedimento pergat et operetur, atque pertingat usque ad divisionem animæ et corporis, compagum quoque et medullarum, et discernens cogitationum et intentionum cordis, imo eorum quæ sunt omnium: non enim est creatura invisibilis in conspectu ejus. Hoc itaque pusillum et quantitate caret et qualitate, tenetur nullo, infinitum est et interminatum, comprehendens omnia, et ipsum comprehensibile nulli. Hebr. iv. 12. Ibid. 13.

Idem vero supersubstantialiter æternum est, invertibile, in se ipso manens, semper secundum eadem et eodem se habens modo, omnibus eodem modo præsens; ipsumque secundum se ipsum in se ipso firmiter et intemerate in pulcherrimis excellentis identitatis finibus collocatum; immutabile, casui minime obnoxium, forte et constans, invariabile, impermixtum, immateriale, simplicissimum, nullius egens, quod augeri minuique non possit; ingenitum, non quasi nondum genitum seu quasi imperfectum sit, seu non sit ab hoc, aut hoc non sit, neque ut quod nusquam nulloque modo sit, sed ut quod super omnia ingenitum et absolute ingenitum semperque sit, et in se perfectum sit, atque idem sit secundum se ipsum, atque a se ipso uniformiter eademque specie determinatum; idemque illud ex se ipso omnibus participare idoneis insinuans, et alia connectens aliis, copia identitatis et causa, in se ipso etiam contraria eodem modo ante habens secundum unam atque unicam totius identitatis supereminentem

nostrum causam. — Porro alterum dicitur, quia omnibus providentiæ ratione Deus adest, et omnia in omnibus pro omnium salute fit, in se ipso et in sua identitate manens, et nusquam progrediendo per unam indeficientemque operationem stans, et se ipsum, virtute nusquam inclinabile, ad eos qui conversi sunt, in Deum assumendos, largiens. Alteritatem quoque variarum Dei juxta multiformes visiones figurarum, alia quædam per ea quæ videntur, præter id quod videtur, significare putandum est. Quemadmodum enim si animam ipsam corporali specie vellemus effingere, partesque ipsi individuæ applicare corporeas, aliter cogitaremus in ea partes ei circumductas, ab individuo animæ non discedendo ; ut caput quidem intelligentiam, cervicem vero opinionem, ut in medio rationalis atque irrationalis positam, pectus iram, ventrem concupiscentiam, crura et pedes naturam diceremus, nominibus partium virtutum signis utentes ; multo sane magis in eo qui supereminet omnibus, alteritatem formarum atque figurarum piis et Deo congruis sacratioribusque explanationibus ut purgemus oportet. Et si velis triplices figuras corporum, ei qui tactum figuramque refugit, Deo applicare ; latitudo divina dicenda, amplissima Dei ad cuncta progressio ; longitudo vero, virtus pervagans omnia ; profundum autem, abdita illa virtus atque ignoratio his quæ sunt omnibus incomprehensibilis. Verum enim ne imprudentes, dum variis formis ac figuris exponendis insistimus, incorporalia divina nomina signorum carnalium nominibus confundamus, de eis ipsis profecto in Significativa theologia jam diximus. Nunc divinam alteritatem, non immutationem aliquam invertibilis identitatis suspicemur, sed multiplicationem ipsius singularem, atque uniformes ad omnia fecunditatis divinæ processus.

Enimvero similem Deum si ita quispiam acceperit, ut totum per omnia sibi firmiter atque individue eumdem atque conformem, aspernanda non erit similis in Deo appellatio. Porro theologi eum qui est super omnia, Deum (qua parte ipse est) nemini similem esse aiunt, ipsum vero divinam largiri similitudinem his qui ad ipsum convertuntur, eum imitando pro viribus, qui supra definitionem omnem ac rationem est. Et est divinæ similitudinis virtus, per quam quæ producuntur omnia ad auctorem convertuntur. Hæc denique Deo similia dicenda sunt, et ad divinam imaginem ac similitudinem ficta. Non autem illis similis dicendus est Deus, quia neque homo est imagini suæ similis. In his nempe quæ sunt æqualia, possunt et ipsa sibi invicem esse similia, et ad utraque potest similitudo converti, ut sint invicem ambo similia secundum principalem similis speciem. In causa vero atque causalibus conversionem nequaquam admittemus. Non enim his solis aut illis ut sint similia donatum est, sed omnibus quæ similitudinem admittunt, ut similia sint Deus auctor est. Est autem ipsius quoque suæ similitudinis opifex, et quod est in omnibus simile, vestigio quodam divinæ similitudinis simile est, eorumque conjunctionem complet. — Et quid de hoc dicere oportet ? Ipsa nempe Theologia ipsum esse dissimilem prædicat et extra ordinem omnium, ut ab omnibus alterum : et quod est profecto mirabilius, nihil illi simile esse ait. Et certe non adversatur istud propositæ divinæ similitudini. Nam eadem Deo et similia sunt et dissimilia : illud quidem, quia pro viribus ei participant qui non potest participari ; hoc autem, quia causalia auctore suo multum inferiora sunt, et infinitis et non comparandis mensuris ab eo longe absunt.

Quid autem de divino statu sive sessione dicemus ? quid ? nisi quod ipse in se ipso Deus manet in sua immobili identitate stabiliter fixus atque fundatus, secundumque eadem et circa eadem eodemque modo operatur, penitusque subsistit, nusquam ex se ipso migrando, et mutatione omni ac motu omnino carendo : istaque ineffabili modo. Ipse enim est omnium status ac sessionis auctor, qui supra sessionem omnem

ac statum est; et in ipso consistunt omnia, atque a bonorum suorum statu immota servantur. — Quid autem quando hunc procedere ad omnia et moveri theologi dicunt, qui est immobilis? Nonne id quoque pie est intelligendum? Moveri enim eum religiose putandum est, non per corruptionem, aut immutationem, aut variationem; seu successorium localemve motum, non rectum, non orbicularem, non ex utrisque constantem; non intelligibilem, non animalem, non naturalem: sed ex eo quod ad substantiam perducat Deus et cuncta contineat, et modis omnibus omnium providentiam gerat, adsitque omnibus, cuncta absolute continens providentissimis suis ad ea quæ sunt processibus atque operationibus. Sed et motus immobilis Dei digne et pie laudari conveniet: ac rectum quidem, intelligere oportet in Deo indeflexibilem constantiam, processumque actionum nusquam inclinantem, et quæ ex eo prodit omnium generationem; porro flexuosum progressum, stabilem fecundumque statum; orbicularem vero, identitatem, et quod continet media atque extrema, quæ ambiunt atque ambiuntur, et eorum quæ ab ipso processerunt, ad ipsum conversionem. — Si quis autem vel identitatis (in sanctis Litteris) vel justitiæ divinam appellationem in æquo accipiat, dicendum æquum esse Deum, non modo ut individuum et nullam in partem vergentem, sed ut ad omnia et per omnia æque pergentem, atque ut ipsius ac per se æqualitatis auctorem, per quam ut universa per se invicem similiter permeent, et ut participantia pro cujusque captu æqua ratione participent, et æque pro meritis ad omnia divina profluant munera, æque operatur per id sane quod æqualitatem omnem, intelligibilem, spiritualem, rationalem, sensibilem, substantialem, naturalem, voluntariam, eximio et singulari modo in se ipso ante comprehenderit virtute illa sua superante omnia totius æqualitatis auctore.

CAPITULUM X

DE OMNIPOTENTE, ANTIQUO DIERUM: IN QUO ET DE SÆCULO, ET DE TEMPORE.

TEMPUS jam admonet ut præditum multis nominibus Deum, ut omnipotentem, ut antiquum dierum, celebremus. Enimvero omnipotens dicitur, quod ipse sit quæ potest omnia omnium sedes, omnia continens atque complectens, et cuncta stabiliens, fundans atque constringens, et hoc omne indisruptum atque indissolutum in se ipsa perficiens; et ex se veluti ex omnipotenti radice cuncta producens, atque ad se ut ad omnitenens profundum universa convertens atque conservans, ut omnium sedes omnicapax, quæ continentur omnia una cuncta excellenti virtute communiens, neque sinens ea ab se cadere, ne tanquam exactissimo domicilio mota dispereant. Dicitur autem omnipotens summa illa Divinitas, et ut omnia superans, et omnibus quæ providentia reguntur mere imperans, atque ut omnibus amabilis atque desiderabilis perstans, et immittens omnibus voluntarias leges, dulcesque partus divini et omnipotentis ac tranquillissimi suæ bonitatis amoris insinuans. — Antiquus vero dierum Deus prædicatur, quod sit ipse omnium et sæculum et tempus, et ante dies, et ante sæculum ac tempus. Quamvis et tempus, et diem, et momentum, et sæculum, eum convenientissime appellare possimus, ut qui per omnem motum incommutabilis atque immobilis sit, quique cum semper moveatur, in se ipso manet, ut sæculi et

temporis ac dierum auctor. Quocirca et in sacris mysticarum visionum apparitionibus, et antiquus et novus effingitur: seniore quidem antiquitatem ejus quæ ab initio est; juniore autem, inconsenescibilitatem signante ipsius; utroque vero, eum ab initio ad finem usque per cuncta procedere monstrantibus. Sive ut divinus noster institutor ait, utrumque divinam eminentiam subinsinuante: seniore quidem eminentiam temporis; juniore vero, numeri præstabilitatem præ se ferente. Unum enim et quæ ab uno vicinius pendent, in longum progressis numeris et principaliora et præstabiliora sunt.

Operæ pretium autem est, ut reor, et sæculi et temporis naturam ex sacris Litteris discere. Non enim omninò et absolute ingenita sunt ac vere æterna, ubicumque dicuntur æterna, sed incorruptibilia potius atque immortalia et immutabilia, et eodem
Ps. XXIII, 7. modo sese habentia: sicuti quum dicitur, Elevamini portæ æternales; et similia. Sæpe vero etiam antiquissima, sæculi appellatione signantur; et tota rursus interdum nostri fugacis temporis series, sæculum appellatur. Verum sæculi proprietas est antiquum et immutabile et totum impartibiliter secundumque totum esse metiens. Tempus autem vocant, quod in generatione et corruptione et variabilitate, et alias aliter se habet. Idcirco nos quoque, quibus est id definitum tempus, sæculi fore participes Theologia pollicetur, quando incorruptibile et eodem modo semper se habens attigerimus sæculum. Interdum vero et temporale sæculum Scriptura concelebrat, et sæculare tempus; quanquam scimus magis apud eam et rectius quæ sunt, sæculi, et quæ nascuntur, temporis appellatione et dici et intelligi. Non itaque simpliciter Deo, qui ante sæcula est, coæterna putanda sunt quæ sæcularia seu æterna dicuntur: sed sacratissimis Eloquiis tenaciter inhærendo, sæcularia quidem ac temporalia juxta cognatos ac proprios modos intelligenda; media vero eorum quæ sunt et quæ nascuntur, quæque alicubi sæculi, alicubi vero participant temporis. Enimvero Deum et ut sæculum et ut tempus laudare convenit, quippe qui temporis totius ac sæculi auctor sit; et ut antiquum dierum, ut qui ante tempus et supra tempus sit, et momenta immutet et
Ps. CXLIV, 13. tempora; et ante item sæcula subsistat, quia et ante sæculum et supra sæculum est, ejusque regnum regnum omnium sæculorum. Amen.

CAPITULUM XI

DE PACE, ET QUID SIBI VELIT IN DEO IPSUM ESSE, QUÆ SIT IPSA VITA, QUÆ IPSA VIRTUS, ET QUÆ HUNC IN MODUM DICUNTUR.

AGE itaque, divinam complectentemque omnia pacem pacificis efferamus laudibus. Hæc est enim quæ cuncta connectit, concordiamque omnium atque consensum gignit et efficit. Cujus rei gratia ipsam quoque desiderant omnia, ut quæ divisibilem ipsorum multitudinem ad totam convertit unitatem, intestinumque mundanæ machinæ bellum, quo fœdere mirabili congruat, efficit. Divinæ participatione pacis, antiquiores unientium virtutum et ipsæ ad se ipsas et ad invicem conjunguntur, atque ad unam omnium principatum gerentem pacem. Etiam et quæ sibi subjecta sunt, jungunt, ipsaque et ad se et ad invicem et ad unum atque perfectum omnium pacis initium auctoremque stringuntur. Hic itidem non per partes cuncta perlustrans, quæ divisa sunt veluti vectibus quibusdam adstringentibus conciliat,

finit, terminat atque communit; nec permittit divisa in infinitum interminatumque diffundi, neque inordinata, et sede carentia, Deoque destituta, suique egressa unitate, invicem confuse misceri.

De ipsa ergo (quidquid tandem illa est) divina pace, quiete et silentio, quam sanctus Justus ineloquibilitatem vocat et ad omnem noscibilem processum immobilitatem, quo pacto quiescat agatque silentium ; utque in se et intra se sit, et tota ad se totam eminenti ratione jungatur ; et neque dum in se ingreditur seque multiplicat, suam linquit unionem, sed et procedit ad omnia, tota intrinsecus manens per excellentiam cuncta superantis unionis : neque dicere cuiquam neque cogitare, neque fas est neque possibile. Verum enim istud quoque ut neque eloquibile neque noscibile, ipsi applicantes cuncta sane transilienti, participationes ejus quæ et intelligi et dici possunt, et id quoque ut possibile est viris, et nobis potissimum, qui multis bonis viris inferiores sumus, inspiciamus.

Ac primum quidem id dicendum, quod ipsius per se pacis et universæ et particularis illa est auctor, omniaque ad invicem temperat atque commiscet juxta inconfusam ipsorum unionem : per quam absque divisione ulla distantiaque conjuncta, integra nihilo minus in sua quæque specie durant, nihil adversantium admixtione turbata, neque quidquam confœderatricis illius diligentiæ ac puritatis offendentia. Unam igitur quamdam ac simplicem pacificæ conjunctionis intueamur naturam, sibi et eis atque invicem cuncta jungentem, servantemque omnia inconfuse, continendo ea et mera et commixta. Per quam divini spiritus suimet intelligentiis inserti, his quoque quæ intelligunt, conjunguntur, rursusque ad incognitam scandunt eorum quæ menti supereminent, conjunctionem. Per quam animæ varias suas nectentes rationes atque ad unam spiritualem puritatem congregantes, procedunt sibi congrua via atque ordine per spiritualem individuamque intelligentiam, ad conjunctionem illam quæ omnem intelligentiam superat, annitentes. Ob quam una omnium indissolubilisque connexio juxta divinam ipsius subsistit congruentiam, concentuque mirabili et concordia perfecta atque consensu coaptatur, dum et sine confusione colligitur, et sine divisione atque dissolutione continetur. Nimirum perfectæ pacis integritas ad ea quæ sunt omnia per simplicissimam ipsius et meram unificæ virtutis præsentiam penetrat, conjungens omnia, et extremis extrema per media connectens per unam quidem cognatam amicitiam copulata ; atque ultimis quoque mundanæ machinæ molitionibus ut se fruantur indulgens, cognataque efficiens omnia unitatibus, identitatibus, insitionibus, collectionibus ; quandoquidem divina pax nulli divisioni perstat obnoxia, et in uno indicat omnia, et per omnia pergit, et nusquam a propria identitate discedit. Sane ad cuncta procedit, suique participationem omnibus tradit pro singulorum modo, ac pacificæ copia fecunditatis exuberat, manetque per unionis excellentiam tota ad totam et per totam se ipsam supreme conjuncta.

Et quo pacto, dixerit quispiam, cuncta desiderant pacem, quando plurima alteritate ac discretione gaudent, neque sponte quiescere volunt ? Atqui si alteritatem ac discretionem, qui sic loquitur, cujusque rei proprietatem dicit, quum hanc et eorum quæ sunt ne unum quidem quod exsistens est, unquam perire velit ; ne nos quidem id refragabimur, verum id ipsum quoque pacis desiderium esse statuemus. Amant enim omnia ad se ipsa et habere pacem et esse conjuncta, atque in eo esse statu ut a se ipsis et suis moveri decidereque non possint. Enimvero perfecta illa et cuncta perficiens pax, meræ atque impermixtæ per singula proprietatis custos atque servatrix est, pacificis providentiis suis omnia seditione et confusione vacua et ad se ipsa et ad invicem servans, cunctaque stabili et constanti virtute ad propriam ipsorum pacem

atque immobilem constantiam figens. Nempe enim si quæ moventur omnia, non feriari otioque torpere, sed operari semper pro eorum motu, cupiunt, id profecto divinæ omnium pacis desiderium est, quæ omnia in se ipsis ne possint cadere servat, et cunctorum quæ moventur proprietatem ac mobilem vitam, ne dimoveatur neve decidat, custodit, dum quæ moventur ad se ipsa pacem servantia et eodem modo se semper habentia, quæ sui sunt muneris peragunt. Ceterum si alteritatem ex pacis prolapsione venientem dicat, asseratque non esse amabilem omnibus pacem : maxime quidem nihil est quod omni prorsus conjunctione deciderit. Quod enim penitus instabile et infinitum et nusquam consistens prorsusque indefinitum est, neque ipsum est, neque in his quæ sunt, est. Verum si eis dicat pacem pacisque bona adversari, qui litibus et furoribus et immutationibus atque instabilitatibus gaudent : illi quoque perexiguis quibusdam pacifici desiderii simulacris detinentur, dum perturbationibus variis aguntur, quas imperite desiderant sistere ; et arbitrantur se pacem habere, si semper fluentibus voluptatibus hauriendis insistant, perturbanturque, si eis quæ se ipsos obtinuere, frustrentur.

Quid vero de Christi pacem profundente clementia dicemus? per quam discimus non ultra bellare, neque nobiscum, neque ad invicem, neque adversus angelos ; sed cum ipsis potius divina pro viribus agemus, juxta Jesu providentiam : qui omnia in omnibus operatur, facitque pacem a sæculo prædestinatam, et nos sibi in Spiritu reconciliat, et per se ipsi quoque conciliat Patri. De quibus excellentissimis donis in Theologicis informationibus satis disseruimus, adstipulantibus assertioni nostræ sacris Eloquiis.

Verum enim, quando alias quoque me per epistolam rogasti quidnam esse putarem ipsum esse, ipsam vitam ipsamque sapientiam ; dixistique te multum moveri, quod aliquando Deum ipsam dixerim vitam, aliquando vitæ ipsius auctorem : operæ pretium existimavi, sancte vir Dei, hac te de nobis concepta hæsitatione liberare. Ac primum quidem, ut quæ alias latius diximus nunc quoque paucis repetamus, non sibi adversatur Deum ipsam virtutem ipsamque vitam dicere, et ipsius vitæ seu pacis seu virtutis auctorem. Nam partim quidem ex his quæ sunt, et ex his maxime quæ primo sunt condita, ut omnium quæ sunt auctor appellatur ; partim, ut ipse qui super omnia, etiam primo condita, supreme et supersubstantialiter est. Quid autem, inquies, ipsum esse aut ipsam vitam dicimus, aut quæque absolute esse ac principaliter et ex Deo primo subsistere ponimus. At istud quidem curvum non est, sed rectum, simplicemque habet explanationem. Neque enim substantiam aliquam divinam seu angelicam esse dicimus ipsum atque per se esse, quod quidem causa est ut sint quæ sunt omnia (verum ipsum quoque esse, quod supersubstantiale est, initium et substantia et causa est) ; neque vivificam deitatem aliam præter supremam illam divinamque vitam omnium quæ vivunt, et ipsius quoque vitæ causam. Neque, ut breviter dixerim, dicendum est principales rerum conditrices essentias cœlestes atque substantias, quas non defuerunt qui creaturarum deos atque opifices sibi protinus effingerent et dicere auderent ; quos, ut vere proprieque dixerimus, neque ipsi noverunt (quippe qui non sunt), neque patres eorum. Ceterum ipsum esse ipsamque vitam et ipsam deitatem, dicimus principaliter quidem ac divine et secundum causam, unum principia cuncta excellens et supersubstantiale principium et causam ; participabiliter vero, virtutes suas illas providentissimas ex Deo minime communicabili provenientes, ipsam scilicet substantificationem, ipsamque vivificationem, et ipsam per se deificientiam ; quibus dum congrue sibi modo creata participant, et exsistentia et viventia et divina et sunt et merito prædicantur, et eodem item modo alia. Quocirca etiam eorum quæ prima

sunt, auctor esse qui supreme bonus est, dicitur, deinde ipsorum integre omnium, deinde ipsorum particularium, tum eorum quæ integre ipsis pleneque participant, tum vero eorum quæ ipsis ex parte communicabunt. Et quid me plura de his dicere necesse est? quandoquidem nonnulli ex nostris divinis præceptoribus, ipsius quoque bonitatis ac deitatis auctorem eum dicunt qui supreme bonus ac summus est Deus : ipsam bonitatem ac deitatem esse dicentes beneficum illud atque deificum ex Deo proveniens donum; ipsamque pulchritudinem, pulchritudinis effectricem largitatem; et totam pulchritudinem, et particularem pulchritudinem, et omnino pulchra, et in parte pulchra, et quæque alia eodem modo dicta sunt atque dicentur, providentiasque ac bonitates quæ a creaturis participantur indicantia, ex Deo nequaquam participabili profusione copiosa procedentes atque emanantes : ut qui auctor est omnium, ultra omnia profecto sit; et qui omnem substantiam naturamque transcendit, eis prorsus emineat quæ substantiæ ac naturæ quomodocumque participant.

CAPITULUM XII

DE SANCTO SANCTORUM, REGE REGUM, DOMINO DOMINORUM, DEO DEORUM.

VERUM enimvero quoniam quæcumque de his dicenda erant, congruum (ut reor) finem acceperunt, laudare jam convenit infinitis nominibus præditum, et ut Sanctum Sanctorum, et Regem regum, et regnantem in sæculum et in æternum et ultra, et Dominum dominorum, Deumque deorum. Ac primo quidem dicendum quid ipsam sanctitatem esse putemus, quid regnum, quid dominationem, quidve deitatem; et quid Scriptura hac geminatione nominum significare velit. Itaque sanctitas quidem est, ut secundum nos loquamur, omni scelere libera perfectaque et penitus incoinquinata munditia. Porro regnum est omnis termini et ornatus legisque et juris ordinisque distributio. Dominatio vero, non modo inter deteriores eminentia, verum omnis quoque honestorum ac bonorum perfecta possessio, veraque indemutabilis firmitas : unde et a libera potestate dominandi facienda, et dominatio et dominus et dominans dicitur. At deitas (Græce θειότης) itidem, quod prospiciat cuncta providentia bonitateque mirabili, et circum omnia currat cunctaque contineat, et se omnia repleat, atque universa transcendat quæ providentia illius utuntur. Hæc igitur in supereminente omnibus causa absolute laudanda sunt, appellandumque illam excellentem sanctitatem et dominationem, regnumque supremum, et simplicissimam deitatem. Ex ipsa enim continuo ac repente exorta est et distributa omnis mera diligentia totius sinceræ munditiæ; omnis rerum ordo, lex atque distinctio, inconcinnitatem et inæqualitatem atque incongruentiam eliminans, et ad ordinatissimam identitatem ac rectitudinem gestiens, et quæ ipsius participationem promeruerunt, circumagens; omnis perfecta bonorumque omnium exacta possessio; omnium benigna providentia inspectrix, et omnia continens quæ providentur, se ipsam ad eos qui convertuntur in Deum assumendos, clementer insinuans.

Quoniam vero exuberanter plenissimus est omnium auctor per unam excellentem cuncta excellentiam, Sanctus Sanctorum prædicatur, et reliqua similiter, per exuberantissimam causam præcipuamque eminentiam. Ac si dicamus : Quantum excellunt

his quæ non sunt, ea quæ sunt sancta aut divina aut dominantia sive regnantia; quantumque rursus participantibus eminent participationes ipsæ, tantum his quæ sunt omnibus, is qui super omnia est superior emicat; participantibusque omnibus atque participationibus imparticipabilis auctor. Sanctos autem et reges et dominos et deos Scripturæ appellant quæ in singulis sunt magis principales distinctiones, per quas secundæ atque sequentes divina percipientes munera, distributionis illarum simplicitatem circa suas multiplicant differentias; quarum primæ varietatem provide ac divine ad suam colligunt unitatem.

CAPITULUM XIII

DE PERFECTO ET UNO.

ISTA et de his dicta sufficiunt. Jam vero ad id quod est validissimum (si placet) disserendum pergamus. De auctore sane omnium Scriptura divina et omnia et simul omnia prædicat, et ut perfectum ipsum et ut unum celebrat. Perfectum quidem est, non solum ut in se ipso et per se perfectum, et seorsum uniformiter per se ipsum separatum, totumque per totum perfectissimum; verum et ut perfectionem superans, ex eo quod supereminet omnibus, omnemque terminat infinitatem, et supra omnem expanditur finem, atque a nullo capitur seu comprehenditur, sed pertingit ad omnia simul et super omnia indeficientibus largitionibus et nunquam desinentibus operationibus. Perfectum item dicitur, et ut incrementa non capiens, semperque perfectum, et ut imminui nescium: quippe ut in se ipso omnia antea excellenter habens, atque exuberans secundum unam indesinentem et eamdem plenissimamque et nunquam imminuibilem largitatem, per quam omnia perfecta consummat suaque perfectione replet.

Unum vero Deus est, quia omnia unice est secundum unicam eminentiam unitatis; omniumque unum est causa, nunquam egrediendo discedendoque ab uno. Nihil enim ex his quæ sunt, unius expers est: cæterum, ut numerus omnis est monadis particeps, et una dualitas unaque dicitur decas, et dimidium unum, et tertium et decimum unum; sic omnia et omnis omnium particula, unius est particeps, et quia est unum, sunt cuncta quæ sunt subsistentia. Neque enim unum illud omnium causa, unum ex pluribus; sed ante unum omne omnemque multitudinem, uniusque omnis ac multitudinis definitivum. Neque enim est multitudo quæ unius sit expers; sed id quidem quod plura partibus est, unum est toto; et quod plura accidentibus, unum subjecto est; quodque plura numero aut virtutibus, unum est et specie; et quod plura speciebus, unum est genere; et quod plura processibus, unum principio est: nihilque est in rebus quod non unius aliqua ex parte sit particeps, ejus scilicet quod singulare per omnia, omnia et tota omnia, etiam adversantia, singulariter quoque coapprehendit. Et sine uno quidem multitudo non est; erit vero unum sine multitudine, sicuti et monadem ante omnem multiplicatum numerum ponimus. Et si omnibus omnia conjuncta omnitaque quis ponat, erunt omnia toto unum. Et id præterea sciendum, quod secundum uniuscujusque speciem ante animo præconceptam, conjuncta esse dicuntur quæ conjuncta sunt; estque unum omnium veluti elementum. Denique si unum tollas,

neque totum erit, neque pars aliqua, neque aliud quidquam in rebus: omnia enim in se ipso unum uniformiter præaccipit atque complectitur.

Hac nempe ratione sacra Eloquia Divinitatem totam, ut omnium causam, unius appellatione concelebrant, et unus Deus ac Pater, et unus Dominus Jesus Christus, et unus atque idem Spiritus, per excellens totius divinæ unitatis individuum eminentemque simplicitatem, in qua sunt omnia singulariter collecta atque conjuncta, et ante supersubstantialiter comprehensa. Quocirca et omnia ad ipsam juste referuntur atque rediguntur, a qua, et ex qua, et per quam, et in qua, et ad quam, omnia sunt, et constituta sunt, et permanent, et continentur, ac implentur, atque convertuntur. Nihil denique in his quæ sunt invenies quod non uno secundum quod omnis Divinitas supersubstantialiter nominatur, sit id quod est, et perficiatur atque servetur. Et expedit ut nos quoque a multis ad unum virtute divinæ unitatis conversi, unice laudemus totam atque unam Deitatem, unum, omnium causam: quod ante omne unum omnemque multitudinem, et partem et totum, et terminum et indeterminationem, finemque et infinitatem est; quod omnia quæ sunt ipsumque esse determinat; quod omnium et totorum omnium, simul et ante omnia et super omnia singulariterque est causa; quod super ipsum unum est, ipsumque quod unum est terminat. Namque unum quod est, inter ea quæ sunt connumeratur; porro numerus, substantiæ particeps est: unum vero illud supersubstantiale, et unum quod est et omnem numerum terminat, ipsumque est et unius et numeri, et quæ sunt omnium, principium et causa, et numerus et ordo. Idcirco et unitatis ac trinitatis appellatione celebratur quæ est super omnia Deitas. Neque unitas neque trinitas aut a nobis aut a quovis alio cognita est: verum ut et ineffabilem ipsius unionem et divinam fecunditatem celebremus, trinitatis atque unitatis sacratissima appellatione omne nomen excedentem appellamus, subsistentibusque supersubstantialem nominamus. Porro nulla monas aut trinitas, neque numerus neque unum, neque fecunditas, neque aliud quidquam conditum aut creaturæ alicui cognitum, arcanum illud (quod sermonem omnem et intelligentiam superat) summæ Deitatis quæ super omnia altissime eminet, aperit; neque nomen ipsius est, neque sermo, sed inaccessibilis emicat. Et ne ipsius quidem bonitatis, quasi congruum, illi nomen offerimus; sed affectu ac desiderio aliquid de ineffabili natura illa intelligendi ac dicendi, reverentiæ plenum in primis illi nomen dedicamus. In quo tamen a theologis non dissentimus, licet multum a rerum veritate destituamur. Idcirco ipsi quoque ascensum qui fit per negationes prætulerunt: utpote animam a cognatis sibi avertentem, et per omnes divinas intelligentias incedentem, a quibus excipitur longe quod super omne nomen est omnemque sermonem atque scientiam; postremo autem omnium ipsi conjungentem, quantum et nobis illi jungi fas est.

I Cor. viii, 6; xii, 11.

Rom. xi, 36.

Istas nos intelligibiles divinas appellationes congessimus, et ut potuimus, explanare studuimus: non modo non satis digne ac diligenter id munus exsecuti (id enim veraciter et de se angeli dicerent), neque quidem angelicas laudes assecuti (quandoquidem extremis etiam angelis præstantissimi theologi nostri sint inferiores), neque theologis ipsis aut ipsorum philosophiam assequentibus et consequentibus pares; verum ne his quidem qui nostri ordinis sunt, accedentes, illis ipsis longe inferiores sumus. Itaque, si quidem rite ista diximus, et pro modulo nostro divinis explicandis nominibus satis animo invigilavimus; auctori bonorum omnium res tanta accepta referatur, qui dedit primo ut diceremus, deinde ut bene diceremus. Sed et si quid a nobis omissum est, ex his quæ tantumdem valent, illud quoque eisdem rationibus eisdemque intelligentiæ modis supplere oportebit. Porro, si hæc aut minus recte aut minus plene

diximus, et a veritate seu in toto seu in parte deviavimus; erit humanitatis tuæ corrigere non sponte ignorantem, scientiamque tradere discere cupienti, atque ferre opem non satis nervorum habenti, et curare nolentem ægrotare; et alia quidem ex te ipso inventa, alia vero ab aliis mutuata, cuncta autem a summo bono accepta, transfundere in nos. Neque pigeat amicum fovere beneficio. Vides nempe ut nos quoque nihil ex traditis nobis sacerdotalibus rationibus intra nos ipsos continuimus, sed integras illas atque in nullo violatas et tibi et sanctis aliis viris tradidimus; faciemusque id, quoad et nos dicere sufficiemus, et hi quibus dicitur idonei erunt ad audiendum, in nullo traditionem violantes, nisi forte ad intelligendum aut eloquendum infirmiores erimus. Verum ista quidem, ut Deo placitum erit, explicabuntur. Erit autem iste spiritualium Dei nominationum, quantum ad susceptum opus pertinet, finis. Transibimus autem nunc, Deo duce, ad Significativam theologiam conscribendam.

COMMENTARIA IN LIBRUM
DE MYSTICA THEOLOGIA

PRÆFATIO

D*OMINUS dixit ut habitaret in caligine.* II Par. vi, 1.

Deum incomprehensibilem esse, universitas sanctorum theologorum ac meliorum philosophorum testatur. Ait quippe Apostolus : Lucem habitat in- I *Tim.* vi, 16.
accessibilem. Verumtamen beatissimi illi cœlestis regni concives, comprehensores vocantur, quoniam vident Deum sicuti est. De quibus in Apocalypsi fertur : Videbunt I *Joan.* iii, 2.
faciem ejus. Viatoribus ergo incomprehensibilis est ; Beatis autem aliquo modo in- *Apoc.* xxii, 4.
comprehensibilis, et quodammodo comprehensibilis perhibetur. Etenim vident ejus essentiam in se ipsa clare et immediate ; attamen non tam plene, lucide ac perfecte ut ipsa ex sua natura, actualitate et infinitate cognoscibilis visibilisque consistit : imo inde deficiunt in immensum.

Hinc Deus omnipotens in caligine dicitur habitare : quæ caligo aliud prorsus non est, nisi incircumscripta et penitus interminata atque impenetrabilis exuberantia, et supereffluentissima plenitudo, ac supersplendidissima copia, pulchritudo, serenitas et dulcedo lucis æternæ quoad suam immensitatem invisibilis omni menti creatæ. Ad cujus beatificam intuitionem incomparabiliter desiderabilem ac suavem, jugiter adspirare, incessabiliter festinare, ferventissime nos præparare debemus : quatenus futuram illam superdignissimam felicitatem, in præsenti quoque prout fieri valet prægustemus, inchoemus ac contemplemur, quemadmodum de Sanctis veteris Testamenti ad Hebræos legitur : Juxta fidem defuncti sunt omnes isti, non acceptis repromissioni- *Hebr.* xi, 13, 14.
bus, sed a longe eas adspicientes et salutantes, et confitentes quia peregrini sunt et advenæ super terram : qui enim hæc dicunt, significant patriam se inquirere.

Denique de hac supergloriosissimi Dei contemplatione, non utique naturali, informi, insipida, philosophica, intellectuali tantum, speculativa atque scholastica, sed supernaturali, formata, suavi, theologica, affectiva, infusa, in hoc libro tractat Theologus : ad quam mentis puritate ac ferventissima pertingitur caritate, imo actualissimæ caritatis ardore, cooperantibus humilitatis profundo omniumque virtutum profectu seu potius perfectione.

S. DIONYSII AREOPAGITÆ

MARTYRIS, ATHENARUM EPISCOPI ET GALLIARUM APOSTOLI

DE MYSTICA THEOLOGIA

AD TIMOTHEUM EPHESINÆ CIVITATIS EPISCOPUM

INTERPRETE JOANNE SCOTO

CAPITULUM PRIMUM

QUÆ DIVINA SIT CALIGO.

COMPRESBYTERO Timotheo, Dionysius presbyter salutem. — Trinitas superessentialis, et superdeus, et superoptime Christianorum inspector theosophiæ, dirige nos in mysticorum Eloquiorum superincognitum et superlucentem et sublimissimum verticem, ubi nova et absoluta et inconversibilia Theologiæ mysteria, secundum superlucentem absconduntur occulte docentis silentii caliginem, in obscurissimo quod est supermanifestissimum supersplendentem, et in qua omne relucet, et invisibilium superbonorum splendoribus superimplentem invisibiles intellectus. Mihi quidem hæc opto. Tu autem, o amice Timothee, circa mysticas speculationes corroborato itinere, et sensus desere et intellectuales operationes, et sensibilia et invisibilia, et omne non ens et ens; et ad unitatem (ut possibile) inscius restituere ipsius qui est super omnem essentiam et scientiam. Ea enim te ipso et omnibus immensurabili et absoluto puræ * mentis excessu, ad superessentialem divinarum tenebrarum radium, omnia deserens et ab omnibus absolutus, ascendes. * pure

His autem vide quomodo nemo indoctorum auscultet. Indoctos autem dico, in his quæ sunt conformatos, et nihil super exsistentia superessentialiter esse imaginantes, sed his quidem hi quos videre, ea quæ secundum se ipsos est scientia, oportet tenebras latibulum ejus. Si autem super hos sunt divinæ in mysteria [illegible] introductiones, quid quis dixerit de aliis ardentibus, quicumque omnibus superpositam causam, ex ipsis (in his quæ sunt) novissimis characterizant, et nihil eum superare aiunt ab ipsis fictarum impietatum et multiformium formationum? In ipsa etiam oportet omnes exsistentium ponere et affirmare positiones, veluti om-

ulam causas, et magis eas potentius negare, tanquam super omnia superexistente; et non æstimare depulsiones oppositas esse intentionibus, sed multo prius ipsam super privationes esse, quæ est super omnem ablationem et positionem.

Sic igitur divinus Bartholomæus ait, et multam Theologiam esse et minimam, et Evangelium latum et magnum, et iterum correptum. Mihi quidem videtur supernaturaliter intelligens, quia et multiloqua est optima omnium causa, et breviloqua simul et sine verbo, quomodo neque verbum neque intelligentiam habet, eo quod omnibus ipsa superessentialiter superposita est, et solis incircumvelate et vere manifesta, polluta omnia et munda transgredientibus, et omnem omnium sanctarum summitatum ascensionem superascendentibus, et omnia divina lumina et sonos et verba cœlestia superantibus, et in caliginem occidentibus, ubi vere est, ut Eloquia aiunt, omnium summitas.

Ps. xvii, 12

Etenim non simpliciter divinus ipse Moyses primum mundari jubetur, et iterum ab his qui tales non sunt, segregari; et post omnem purgationem audit multivocas tubas, et videt luminaria multa aperte fulgurantia et multum fusos radios; deinde multis segregatur, et cum electis sacerdotibus in summitatem divinarum ascensionum præcurrit, et his sic manentibus, fit Deo; contemplatur vero non ipsum (invisibilis est enim), sed locum ubi stetit. Hoc autem arbitror significare, divinissima et sublimissima visibilium et intelligibilium hypotheticos quosdam esse sermones subjectorum omnia superanti, per quæ super omnem intelligentiam ipsius præsentia ostenditur, intelligibilibus summitatibus sanctissimorum ejus locorum supergrediens; et quod ipsis absolvitur visibilibus et videntibus, et in caliginem ignorantiæ occidit vere mysticam, per quam docet omnes gnosticas receptiones, et in qua omne relucet; et invisibili innascitur, omni quod est in omnium summitate; et a nullo, neque a se ipso neque ab altero. Omnino autem ignoto omni scientia, in otio secundum id quod melius est intellectus; et nihil cognoscendum super animum sic cognoscentium.

Exod. xix et xx, seq.

Exod. xxiv, 1, 2

COMMENTARIA DIONYSII CARTUSIANI

IN LIBRUM

DE MYSTICA THEOLOGIA

ARTICULUS PRIMUS

ELUCIDATIO INITII HUJUS PRIMI CAPITULI : INVOCATA SS. TRINITATE, DOCET AUCTOR AD MYSTICAM CONTEMPLATIONEM, NOSTRI RERUMQUE OMNIUM ABDICATIONE ASSURGENDUM ESSE.

QUONIAM mystica theologia est unitiva sapientia, flammigera theoria, donumque sapientiæ secundum gradum suum supremum in hac vita, et vere supernaturalis perfectio hominis; ac divina possessio ejus, arduissimum donum ad quod nemo propriis ac naturalibus potest pertingere viribus, sed præcipuo adjutorio gratiæ Dei, quod ferventi oratione acquiritur; recte auctor ab oratione hunc incipit librum, dicendo :

Trinitas superessentialis, et superdeus, et superoptime Christianorum inspector theosophiæ : id est, o tu Deus unus ac trinus, qui es super omnem creatam essentiam, et infinite perfectioris essentiæ quam capere aut eloqui valeamus, « et superdeus », id est incomprehensibiliter excellentius Deus ac Deitas quam intelligere quispiam queat, « inspector », id est approbator et cognitor, dator et confirmator, sapientiæ « Christianorum », quorum sapientia est doctrina evangelica, notitia credendorum, sapientia salutaris, quæ donum Spiritus Sancti est et mystica theologia secundum tertium et eminentiorem gradum suum.

Dirige nos in mysticorum Eloquiorum superincognitum et superlucentem et sublimissimum verticem, id est ad profundissimum intellectum « superincognitum », id est valde ignotum quoad plenam intelligentiam, attamen in se ipso valde radiosum ac lucidum. Vertex quoque « mysticorum Eloquiorum » istorum, id est secretorum sermonum Scripturæ mysteriorumque Christi, et eorum quæ de occultis Dei judiciis in Scripturis dicuntur, est ipsemet supersapientissimus Deus, atque clarissima horum notitia, quæ habetur perfecte in cœlis, et partim in visione mysticæ theologiæ.

Ubi nova et absoluta et inconversibilia Theologiæ mysteria, secundum superlucentem absconduntur occulte docentis silentii caliginem. Id est : in quo vertice « mysteria Theologiæ », id est sacra secreta Scripturæ, « nova » quantum ad tempus evangelicæ legis, quod est tempus gratiæ (unde dixit Apostolus : Nox præcessit, dies autem appropinquavit), « et absoluta », id est libera ab onere legalium observantiarum veteris Testamenti, juxta illud : Si Filius vos liberaverit, vere liberi eritis. Ista sunt Verbi incarnati mysteria ab omni labe peccati liberrima, « et inconver-

sibilia », id est immutabilia quoad præordinationem infinitæ sapientiæ Dei, prout ad Ephesios ac aliis frequenter tangit Apostolus. (Ephes. I, 5 et seq.) « Absconduntur », id est, æternaliter præcognoscuntur et continentur in imperscrutabilibus thesauris sapientiæ atque scientiæ Dei, (Coloss. II, 3.) « secundum superlucentem caliginem », id est juxta tenorem supersplendidissimæ ac infinitæ et imperscrutabilis notitiæ, « silentii », id est quietissimæ præcognitionis et contemplationis mentis divinæ, « docentis occulte », id est, instruentis corda fidelium sine sono strepituque formarum juxta illud in Job : Ad me dictum est verbum absconditum, et quasi furtive suscepit auris mea venas susurri ejus. (Job IV, 12.) Jeremiæ quoque Dominus est locutus : Clama ad me, et annuntiabo tibi grandia et firma quæ nescis. (Jerem. XXXIII, 3.) Hinc in Matthæo fatetur Salvator : Confiteor tibi, Pater, Domine cœli et terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis. (Matth. XI, 25.) De cujus occulte docentis silentii informatione ait Scriptura : Unctio ejus docet vos de omnibus ; (I Joann. II, 27.) et rursus : Audiam quid loquatur in me Dominus Deus ; (Psalm. LXXXIV, 9.) itemque : Beatus homo quem tu erudieris, Domine. (Psalm. XCIII, 12.)

« Silentii », inquam, « docentis » *in obscurissimo quod est supermanifestissimum supersplendentem* : hoc est, docentis « supersplendentem », id est radiantissimam lucem increatam, « in obscurissimo », id est in ipso incomprehensibili et ignotissimo vertice jam præfato, in quo instruitur mens de Deo, prout infra tangetur : quod obscurissimum est et ignotissimum nobis, quantum ad quid est ; « supermanifestissimum », id est clarissimum et cognoscibilissimum, ex sua natura, entitate et actualitate. Juxta quem modum dixit etiam Philosophus, quod intellectus noster se habet ad speculationem manifestissimorum naturæ quemadmodum visus noctuæ ad inspectionem radii solis.

Et in qua omne refulget, id est, in qua caligine, id est supersplendidissima Deitatis luce, cuncta idealiter virtualiterque A resplendent, tanquam in supersapientissimo fonte et superpulcherrimo speculo, juxta illud Joannis : Omnia per ipsum facta sunt ; quod factum est in ipso vita erat. (Joann. I, 3, 4.) Apostolus quoque : Ex ipso, inquit, et per ipsum, et in ipso sunt omnia. (Rom. XI, 36.)

Et invisibilium superbonorum splendoribus superimplentem invisibiles intellectus, hoc est, supersplendentem caliginem « superimplentem », id est, desuper ac copiose implentem, « intellectus invisibiles », id est mentes angelicas, « splendo- B ribus », id est fulgentissimis contemplationibus, « superbonorum invisibilium », id est incomprehensibilium attributorum et æternalium perfectionum Altissimi, de quibus ad Romanos habetur : Invisibilia Dei a creatura mundi per ea quæ facta sunt intellecta, conspiciuntur, sempiterna quoque virtus ejus et divinitas ; (Rom. I, 20.) et ad Hebræos : Fide intelligimus esse aptata sæcula, ut ex invisibilibus visibilia fierent. (Hebr. XI, 3.) De hujusmodi splendoribus fertur in Psalmo : Tecum principium in die virtutis tuæ, in C splendoribus Sanctorum. (Ps. CIX, 3.) Isaias etiam ait : Requiem tibi dabit Dominus, et replebit splendoribus animam tuam. (Is. LVIII, 11.)

Mihi quidem hæc opto, id est, perfectionem istam mihi desuper dari desidero.

Tu autem, o amice Timothee, circa mysticas speculationes corroborato itinere, id est, processu considerationis tuæ confortato per fidei lumen, virtutum munditiam, et per sapientiæ donum, circa adipiscendas contemplationes mysticæ sapientiæ, *et sensus desere et intellectuales operatio-* D *nes, et sensibilia et invisibilia, et omne non ens et ens*, id est, cuncta creata transcendas, hoc est vires sensitivas et intellectivas, operationes quoque earum atque objecta : ita ut illis non sis intentus, nec detinearis in ipsis, sed tam amorose et clare ac valide infigaris et intentus sis increato objecto, ut aliorum nihil actualiter apprehendas et penses, sed totus ac totaliter in Deum demersus sis, secundum illud Apostoli : Nos revelata facie gloriam Domini speculantes, in eamdem imaginem (II Cor. III, 18.)

transformamur a claritate in claritatem tanquam a Domini Spiritu : et denuo :
II Cor. v, 13. Mente excedimus Deo.

Et ad unitatem, ut possibile est, justius * *restituere ipsius qui est super omnem essentiam et scientiam*, id est, ad unionem ferventem ac claram ejus ac cum eo, videlicet Dei et cum Deo, « qui omnem essentiam et scientiam » creatam transcendit, « restituere », id est, reducaris et convertaris a Deo, et pro posse reduc et præpara temetipsum (juxta illud :
Ps. cxiv, 7. Convertere, anima mea, in requiem tuam ;
Osee xiv, 2. et : Convertere ad Dominum Deum tuum, quoniam corruisti in iniquitate tua), « justius », id est integrius ac purius.

* inscius

Ea enim te ipso et omnibus immensurabili et absoluto puræ mentis excessu, id est, supergressione « mentis » depuratæ libera ac simplici a « te ipso » et cunctis creatis, hoc est elevando te super te et
A universa quæ facta sunt, « ea », id est per unionem prætactam, *ad superessentialem divinarum tenebrarum radium, omnia deserens et ab omnibus absolutus, ascendes*, id est, contemplando te eriges « ad radium superessentialem », id est ad lumen increatum ac splendifluum ejus intuitum, « tenebrarum divinarum », id est incomprehensibilium claritatum et illustrationum ipsius activarum, derelinquendo et supergrediendo hæc « omnia, et ab omnibus absolutus », id est ab omni
B inspectione, affectione et occupatione ad ea. Nempe quum dicat Philosophus, Contingit plura scire, sed unum intelligere ; non potest mens actualiter, limpide ac perfecte uni simplicissimo Deo esse intenta, nisi prætacto modo abstracta ab aliis. Nam et vis unita fortior est quam dispersa ; et ad unionem perfectam cum Deo, requiritur simplificatio maxima.

ARTICULUS II

MYSTERIA INDOCTIS NON PRODENDA ; OMNIA AUTEM DE DEO PONENDA, OMNIA REMOVENDA.

C *His autem vide quomodo nemo indoctorum auscultet*, id est, attende in his, et cave ne quis insipientium atque carnalium hominum videat aut audiat ista.

Indoctos autem dico, in his quæ sunt conformatos, id est, illos certe voco « indoctos » ac dono sapientiæ destitutos et omni salutari sapientia carentes, « conformatos », id est, qui per affectum assimilati sunt, « his quæ sunt », id est rebus sensibilibus et mundanis, quas ipsi præcipue appretiantur, et quibus intenti sunt,
D *et nihil super exsistentia superessentialiter esse imaginantes*, id est, non reputantes « esse » aliqua « superessentialiter » spiritualia ac divina « super exsistentia » ista inferiora.

Sed his quidem hi quos videre, ea quæ secundum se ipsos est scientia, oportet tenebras latibulum ejus. Hoc aliæ translationes evidentius exprimunt. Una sic, Putant scientia sua assequi eum qui posuit tenebras latibulum suum : id est, per scientiam propriam præsumunt se satis cognoscere Deum, qui posuit tenebras, id est incomprehensibilitatem suæ superpræclarissimæ lucis, « latibulum » suum, id est sui ipsius spiritualem absconsionem seu occultationem, juxta illud Isaiæ : Vere tu Is. xlv, 15
es Deus absconditus, Deus Israel. Denique verbum hoc sumptum est ex psalmo in quo legitur : Qui posuit tenebras latibu- Ps. xvii, 12.
lum suum. Porro alia translatio continet, Putantes scire ea quæ secundum se ipsos

est cognitione, eum qui posuit tenebras latibulum suum : et est idem sensus.

Si autem super hoc sunt divinae in mysteria introductiones, id est, quum « introductiones », instructiones seu doctrinae « divinae », ducentes nos ad sacra et arcana noscenda, elevata ad Deum et divina, sint altiores quam imaginationes hominum praefatorum carnalium, *quid quis dicerit de aliis insanientibus*, id est mente furentibus et insanientibus, *quicumque manifeste superpositam causam*, id est Deum excellentissimum universorum causale principium *ex ipsis (in his quae sunt) novissimis characterizant*, id est, figurant « ex ipsis novissimis », id est infimis et vilissimis rebus, « quae sunt in his » sensibilibus rebus ac entibus, *et nihil eam superexstare ab ipsis fictarum impietatum et multiformium formationum*, id est, dicunt causam illam altissimam excedere « nihil », id est per nullam realitatem, seu nil penitus, « impietatum ab ipsis fictarum », id est vanitatum et falsarum deitatum quas miserrimi illi finxerunt, « et formationum multiformium », id est figurationum variarum formationum. De quibus ad Romanos scripsit Apostolus :
Rom. I, 23. Qui mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, et volucrum et serpentium et quadrupedum, etc. De qua impiissima idololatria in Isaia, Jeremia atque Ezechiele multa leguntur.

Consequenter ponit modum cognoscendi Deum ex suis effectibus per viam positionis, hoc est affirmative.

In ipsa enim oportet omnium* existentium ponere et affirmare positiones*, id est perfectiones omnium creaturarum necesse est Deo adscribere, *velut omnium causa*, id est tanquam fontali omnium principio, *et omnes eas potentius negare*, *tanquam super omnia superexistente*, id est, easdem perfectiones oportet principalius auferre et « negare » de Deo, tanquam de ente omnia incomparabiliter transcendente. In hoc insinuatur alius modus cognoscendi Deum ex creaturis, per omnium ablationem ab eo. *Et non aestimare depulsiones*, id est negationes seu ablationes, *oppositas esse intentionibus*, id est affirmationibus in divinis. Idcirco quum dicimus, Deus est bonus, et Deus non est bonus, non est contradictio ; quia extrema istarum propositionum difformiter capiuntur, non tamen aequivoce. *Sed multo prius ipsam super privationes esse*, id est causam primam omnem privationem et negationem praecedere, *quae est super omnem ablationem et positionem*, quoniam esse increatum et independens, est ante omne aliud esse et non esse, aeternitate, causalitate infinitaque dignitate.

ARTICULUS III

DE HOC QUOD DIXIT S. BARTHOLOMAEUS, THEOLOGIAM ESSE MAXIMAM ET MINIMAM, ATQUE EVANGELIUM LATUM ET CONCISUM.

SIC ergo divinus Bartholomaeus ait, et multam Theologiam esse et minimam :* id est, S. Bartholomaeus apostolus asseruit Scripturam seu locutionem de Deo tractantem, « esse multam », id est copiosam in verbis, quoniam omnia affirmantur de eo, secundum expositiones praehabitas, et etiam ab eodem negantur : quod fit per plurima verba ; « et minimam », quoniam nihil convenit Deo per modum quo nos intelligere possumus ; *et Evangelium latum et magnum*, id est, simili sensu per-

hibuit quod sermo evangelicus sit extensus et grandis, *et iterum correptum*, id est breve. Quod consequenter exponitur.

Mihi quidem videtur supernaturaliter intelligens, id est, mihi apparet quod beatissimus Bartholomæus istud « supernaturaliter » intellexit juxta revelationem divinam, non secundum rationem humanam ac naturalem, quæ non attingit ad hanc veritatem, saltem tam perfecte et clare ut supernaturalis illuminatio fideique doctrina, *quia et multiloqua est optima omnium causa*, id est, per multa verba et nomina designatur, *et breviloqua simul*, id est paucissimorum nominum quæ eam proprie et complete notificent, *et sine verbo, quomodo neque verbum neque intelligentiam habet*, id est, nec verbo plene et proprie nominatur, neque intellectu comprehenditur sicuti est et quid est in se ipsa, *eo quod omnibus ipsa superessentialiter superposita est*, id est, incomparabiliter et incomprehensibiliter eminet universis.

Et solis incircumvelate et vere manifesta, polluta omnia et munda transgredientibus, id est, innotescit duntaxat « vere » et clare eis qui per intellectum se elevant ultra cuncta sensibilia, et terrena, vana, vitiosa, erronea, *et omnem omnium sanctarum summitatum ascensionem superascendentibus*, id est, qui non solum hæc inferiora, vana, fœda transcendunt, imo etiam mente transvolant omnem speculationem et apicem nobilissimarum creaturarum, supermundanorum videlicet animorum, *et omnia divina lumina*, id est charismata gratiæ et gloriæ, virtutes, dona, fructus, beatitudines, et consimilia splendida Dei dona, *et sonos et verba cælestia* intus seu foris formata *superantibus*, id est supergredientibus, *et in caliginem occidentibus*, id est, in supersplendidissimam ac incomprehensibilem nobis ignotam claritatem intrantibus, et quasi absorptis forisque perditis et sibimet mortuis, *ubi vere est, ut Eloquia aiunt, omnium* Ps. xvii, 2.
summitas, id est, in qua caligine veraciter « est », manet ac habitat Deus incomparabiliter summus, qui nullibi verius est quam in se ipso, et inaccessibilem lucem I Tim. vi,
inhabitat, estque in regione lucis immensa. 16.

ARTICULUS IV

QUÆ SIT DIVINA CALIGO, ET QUOMODO AD EAM INGREDIENDUM.

CONSEQUENTER gradum et modum seu formam hujus contemplativi ascensus declarat per simile corporale, utpote per processum quo Moyses ascendit ad Deum in vertice montis Sinai, prout in Exodo recitatur.

Etenim non simpliciter, id est non sine spirituali significatione ac certo mysterio, *divinus ipse Moyses primum mundari jubetur*. Jussit etenim Dominus populo Is-
Exod. xix, rael ut vestimenta sua lavarent, neque
10, 11, 15. uxoribus suis approximarent, sicque sanctificarent se et præpararent in occursum Domini descendentis de cœlo in Sinai montem; et Moyses jussus est se ipsum primo mundare et sanctificare. *Et iterum ab his qui tales non sunt, segregari*, id est a non sanctificatis se elongare, *et post omnem purgationem* sui ipsius ac plebis, *audit multivocas tubas*, id est buccinas diversorum sonorum, *et videt luminaria multa aperte fulgurantia et multum fusos radios*, id est claritates copiose diffusas. Hinc in Exodo legitur : Jam advene- Exod. xix,
rat dies tertius, et ecce cœperunt audiri 16.
tonitrua, ac micare fulgura, et nubes den-

tissima operire montem, clangorque buccinæ vehementius perstrepebat. De quibus ad Hebræos scribit Apostolus. (Hebr. XII, 18-19.)

Deinde multis segregatur, id est, a communi populo Moyses, Deo jubente, secessit, *et cum electis sacerdotibus in summitatem divinarum ascensionum præcurrit*, id est, cum Aaron et filiis ejus sacerdotibus aliisque nonnullis præcessit ad quædam altiora loca montis Sinai, in cujus superioribus fuit accessus ad ascensiones, elevationes et revelationes divinas; (Exod. XXIV, 1.) *et ex tunc ascensionibus in loco medio montis, fit Deo*, id est, Moyses specialiter conjungitur Deo, ascendendo ad ipsum in supremo vertice montis illius, ut scriptum est in Exodo. (Ibid. 2.)

Contemplatur vero non ipsum, id est, Moyses pro tunc non vidit Deum in propria essentia aut persona, sed in creatura subjecta; *invisibilis est enim*, id est, Deus sic ab homine viatore nequit videri de lege communi, ipsoque homine vivente vita sensitiva humana. Unde in Exodo legitur quod cum Moyses Dominum exorasset, Si inveni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi faciem tuam; (Ibid. XXXIII, 13.) Dominus majestatis respondit: Faciem meam videre non poteris, non enim videbit me homo, et vivet. (Ibid. 20.) *Sed locum ubi stetit*, id est, non ipse Dominus in propria persona, sed angelus in persona Dei apparens et loquens, quem Moyses videndo et alloquendo, Dominum vidisse facie ad faciem et familiariter allocutus, frequenter narratur. (Ibid. XXXIII, 11. Num. XII, 8. Deut. XXXIV, 10.) Præterea in Exodo Dominus ait ad Moysen: Est locus apud me, et stabis in foramine petræ. (Exod. XXXIII, 21-22.)

Hoc autem arbitror significare, divinissima et sublimissima visorum * *et intelligibilium hypotheticos quosdam esse sermones subjectorum omnia superanti*, id est: quod Moyses vidit non ipsum Deum, sed locum in quo stetit, reor figurare quod « divinissima » atque altissima creata, inspecta et intellectualiter cognita, sunt æquivalenter quasi « sermones » et verba, id est signa et repræsentativa, hypothetica, id est suppositiva et significativa « subjectorum », id est, rerum quæ subjectæ sunt et inferiores, « superanti omnia », id est Deo altissimo, qui universa excedit; *per quæ super omnem intelligentiam ipsius præsentia ostenditur*, id est, « per quæ » creata monstratur « præsentia » Dei, seu Deus ubique præsens, sicut causa ostenditur per effectum; quæ præsentia, seu qui præsens, excedit omnem intellectum mentis creatæ; *intelligibilibus summitatibus sanctissimorum ejus locorum supergrediens*, id est, supereminens omni spirituali altitudini ac supremitati mentium angelicarum, quæ sunt veluti sedes et loca et receptacula Omnipotentis residentis ac stantis in eis, juxta illud: Deus stetit in synagoga deorum. (Psal. LXXXI, 1.) Propter quod ipsius impressiones et efficientiæ tanquam quædam vestigia in illis apparent ac lucent, ipsumque repræsentant.

* visibilium.

Et quod ipsis absolvitur visibilibus et videntibus: id est, quod Moyses tandem segregatur et abit a sacerdotibus ac ceteris quos viderat et a quibus videbatur; spiritualiter vero abstrahitur a cunctis sensibilibus et intelligibilibus, et actibus quibus circa illa versabatur.

Et in caliginem ignorantiæ occidit, id est, intrat et absorbetur, sicut expositum est, *vere mysticam*, id est secretam, imo abditissimam, quia caligo illa invisibilis est et ignota; *per quam docet omnes gnosticas receptiones*, id est, per illam caliginem et in ea Deus instruit mentem cunctas rationes sapientiales et spirituales significationes atque influxiones, *et in qua omne relucet*, id est, in illa caligine seu incomprehensibili ac supersplendidissima luce æterna, « omne » ens creatum idealiter causaliterque « relucet ».

Et invisibili innascitur, id est, incomprehensibili Deo immergitur, cum quo per caritatem et mysticam visionem unum efficitur, *omni quod est in omnium summitate*: id est, in ente illo perfecto, quod est in omnium vertice supremo aliqualiter cernitur, tanquam causa omnibus superexaltata et omnium conservativa; *et a*

nullo, neque a se ipso neque ab altero, id A est, summum illud incomprehensibile « a nullo » clare conspicitur, « neque ab ipso » caliginem introeunte, neque ab alio.

Omnino autem ignoto omni scientia, id est, ente illo incomprehensibili permanente prorsus « ignoto » quoad quid, « omni scientia », id est, ita quod nulla scientia comprehenditur, *in otio secundum id quod melius est intellectus*, id est, in vacatione, cessatione seu « otio » ab omni actione et operatione circa creata objecta versante, supple, cognoscitur id increa- B tum, « secundum id quod est melius » in intellectu, id est per apicem intellectivæ potentiæ, prout potentia illa elevata est super tempus et omne corporeum, habens respectum et ordinem ad increatum illud lumen æternum, cujus ipsa est quoddam signaculum et imago, habens sibi impressum et insignitum lumen vultus divini, et Ps. IV, 7. habitum rectitudinemque synderesis malo jugiter remurmurantis. *Et nihil cognoscendum super animum sic cognoscentium*, id est, ab homine nil altius aut clarius potest cognosci de Deo, quam [quod] de eo cognoscitur ab intellectu Deum sic cognoscente. Altissima namque contemplatio quæ habetur a mente humana in hac vita, est hæc visio seu contemplatio mysticæ theologiæ, ut patuit pleniusque patebit.

TRANSLATIO MARSILII FICINI

TRINITAS essentia, deitate, bonitate superior, divinæ Christianorum sapientiæ dux, dirige nos in ipsum superignotum et præfulgens excelsumque mysticorum Eloquiorum culmen, ubi simplicia et absoluta immutabiliaque Theologiæ mysteria latent adoperta, præfulgente quadam silentii clam sacra docentis caligine : quæ quidem ubi maxime videtur obscura, ibi supra modum lucem profert exuberantem. Illic sane quod tangi viderique nullo modo potest, splendoribus plusquam pulchris ad exuberantiam implet omnes quasi captos oculis intellectus. Hæc equidem oraverim. Tu vero, amice Timothee, intentissimo circa mystica spectacula studio linque sensus intellectualesque actiones, et sensibilia et intelligibilia omnia, et quæ sunt et quæ non sunt ; atque ut ipsi jungaris quod omni essentia et cognitione superius est, te ipsum intende pro viribus quasi cognitione vacantem. Sola enim extensione quadam tum a te ipso tum ab omnibus expedita, ad ipsum divinæ caliginis radium essentia subliminorem, sublatis omnibus et absolutus ex omnibus, evolabis.

Hæc autem cave ne quis profanus audiat. Eos autem sic appello, qui occupati duntaxat in his quæ sunt atque entia nominantur, nihil excelsius entibus, ut ita dixerim, superessentialiter esse putant, sed arbitrantur cognitione sibi propria illum apprehendere qui tenebras posuit latibulum suum. Jam vero si hos divina mysteria Ps. XVII, 12. supereminent, quidnam de illis quispiam dixerit, qui longe profaniores, supremam illam omnium causam ex infimis quoque rebus effingunt, nihilque hanc antecellere putant impia simulacra vel imaginamenta variis formis a se conficta ? Debemus sane omnes rerum positiones affirmare de Deo tanquam de omnium causa, vicissimque potiori quadam ratione easdem omnes de Deo negare tanquam cunctis excelsiore. Neque vero putandum est negationes hujusmodi affirmationibus repugnare, sed ipsam universi causam, quæ omni non solum ablatione sed etiam positione altior est, longe prius privationes omnes exsuperare.

Hac igitur ratione divinus Bartholomæus ait Theologiam esse plurimam atque paucissimam, ipsumque Evangelium esse tum latum magnumque, tum concisum. Mihi quidem mirifice intellexisse videtur, eum qui circa bonam omnium causam versatur, rite posse tum multis verbis uti, tum etiam paucis, tum denique nullis; quippe quum penes eam et verbum et intelligentia etiam pura esset, propterea quod quadam super essentiam ratione omnia supereminet, solisque illis sublato velamine reveraque fulget, qui omnia quæ non solum impura sed etiam pura transilierunt, omnemque omnium sanctorum culminum ascensum jam transcenderunt, et cuncta divina lumina et sonos sermonesque cœlestes deseruerunt, atque eam protinus caliginem subiere, ubi
Ps. xvii, 12. ille revera est, ut sacra tradunt Eloquia, qui omnibus est excelsior.

Exod. xix, xx. Jure igitur divinus Moyses divinitus admonetur primo quidem ut mundetur ipse, rursumque ut se separet ab immundis; atque post omnem expiationem, buccinarum varios clangores audit, cernitque lumina multa puros atque multiplices radios diffun-
Ibid. xxiv, 2. dentia. Post hæc a turbis vulgaribus segregatur, atque cum electis sacerdotibus ad divinarum ascensionum fastigia sese confert; ibique non cum ipso quidem Deo commercium habet, nec ipsum cernit (non enim est visibilis), sed locum potius ubi stetit. Hoc autem (ut reor) significat, divinissima et suprema quæque visibilium atque intelligibilium esse rationes quasdam suppositorias significasque eorum quæ subjecta sunt omnia transcendenti Deo, per quæ Dei præsentia omnem intelligentiam superans [demonstratur], super intelligibiles sanctissimorum ipsius locorum summitates incedens. Tunc igitur quæque ipsa visibilia et videntia intelligibiliave dimittens, ipsam ingreditur ignorationis mysticam revera caliginem, ubi omnes cognitorias perceptiones excludit, atque in eo qui tactum penitus visumque refugit, jam consistit, totusque evadit ipsius qui omnia supereminet. Tunc sane nec sui juris est, nec est alterius; sed ipsi qui penitus est incognitus, cognitionis omnis vacatione per aliquid cognitione præstantius, est unitus. Ex eo enim quod cognoscit nihil, intelligentiam transcendendo cognoscit.

PARAPHRASIS ABBATIS VERCELLENSIS

TRINITAS supersubstantialis, superdea et superbona, inspectrix per approbationem divinæ sapientiæ Christianorum, quæ est opti-
Luc. x, 42. ma pars Mariæ, cui ancillatur sapientia gentilium philosophorum, dirige nos ad contemplationem æterni Verbi, quod est summus vertex fontalis sacrarum Scripturarum superignotus et supersplendens: in quo Verbo profunda mysteria Scripturarum æternaliter et incomprehensibiliter sunt clausa et abscondita, et in arce simplicissima coarctata, et a verborum sive symbolorum involucris absoluta et omnino invariabilia. Sunt autem cooperta per caliginem, id est inaccessibilem B lucem Verbi quod Pater ineffabiliter loquitur, supersplendentem et facientem Deum superclarissimum supersplendere in summa invisibilitate et incomprehensibilitate, et desursum A superinfluentem mentibus superintellectualiter unitis superpulchras claritates, ubi neque ratio investigando palpat neque intelligentia contemplando considerat. Hæc igitur oratione postulo pro mea et lectorum illuminatione. Tu autem, amice Timothee, ad hoc quod capax fias mysticarum contemplationum, quas in hoc libro docere intendo, sic cooperare radio divino: derelinque sensus et sensibilia exercitia, et etiam intellectuales operationes, et omnia sensibilia et intelligibilia, et omnia exsistentia et non exsistentia, forti conatu mentis hæc comprimente; et sicut est tibi B possibile consurge ignote et supersubstantialiter ad unitionem Dei quæ est super omnem substantiam et cognitionem. Quum enim te ipsum et omnia per mentis excessum nullo inferiori retinaculo præpeditus transcenderis,

ab omni concupiscentia et cura absolutus et purgatus; tunc tandem sic cuncta auferens, et ab omnibus expeditus, sursumageris ad supersubstantialem radium divinæ incomprehensibilitatis.

Cave autem ne quis indoctorum ista audiat. Indoctos autem dico eos qui secundum philosophiam mundanam, cognitioni exsistentium ad obtinendam Dei cognitionem et veram sapientiam firmiter innituntur, existimantes nihil esse supersubstantialiter super exsistentia omnia et super ipsum ens. Unde putant se per investigationem exsistentium creaturarum sibi connaturalem comprehendere Deum, qui ponit tenebras latibulum suum, id est, supersubstantialem incomprehensibilitatem suam omni cognitioni subtrahit, et volucres quoque cœli latet. Si autem doctrinæ divinarum profunditatum, tantorum philosophorum scientiam incomprehensibiliter excedunt : quanto magis scientiam aliorum minus intelligentium ? qui per idololatriæ errorem figurant Deum (qui est superposita omnium causa) ex extremis materiis, scilicet lapidibus et metallis, quæ inferiora sunt animatis et animalibus per naturam; neque putant Deum aliquid in se habere sublimius figuris et formis quas ipsi impie composuerunt*. Qui autem de Deo recta sentiunt, omnem formam et figuram et exsistentiam et omnino omnem creaturam Deo attribuunt, tanquam omnium causæ; et eadem omnia ab ipso magis proprie removent, tanquam super omnia superexsistente. Neque illæ negationes sunt illis affirmationibus contrariæ. Causa enim omnium incomparabiliter excedit omnem negationem et affirmationem : unde ipsa secundum se nulla affirmatione ponitur, nulla negatione aufertur.

Ps. xvii, 12. — *Job xxviii, 21.* — * confinxerunt

Quoniam ergo recte omnia Deo attribuuntur secundum unum modum, et secundum alium modum eadem omnia recte ab eo removentur; ideo dicit B. Bartholomæus apostolus, Theologiam et prolixam esse et coarctatam, et Evangelium latum esse et magnum, et iterum arctum esse et parvum. In quibus verbis, ut mihi videtur idem Apostolus supernaturaliter intendit quod causa bona omnium et multis sermonibus designatur et tractatur, et iterum paucissimis in quantum neque ratione capitur neque intellectu eo quod ipsa supersubstantialiter sit omnibus superposita, et illis solis revelate et vere apparet qui per mentis excessum non solum transcendunt sensibilia et imaginabilia, sed pure quoque intelligibilia, et superant omnem ascensum summorum spectaculorum intelligibilium et omnia divina lumina, et derelinquunt etiam inspirationes revelatorias, intellectuales, ambiguas vel certas, et intrant in caliginem, id est, uniuntur incomprehensibilitati divinæ, in qua vere et proprie est Deus, ut dicit Scriptura, quia est super omnia.

Ps. xcvi, 2.

Quod innuitur in eo quod Moyses non solum jubetur in se ipso mundari ad hoc ut præ ceteris Deum contempletur, sed etiam ab immundis separari ; et post omnem mundationem audit sonitum buccinæ et tonitrua, et videt fulgura micantia et emittentia multos et multum effusos radios; tandem segregatus a multitudine populari cum Aaron et Nadab et Abiu et septuaginta senioribus Israel, ascendit ad videndum Deum : quamvis per hæc Moyses nondum sit cum Deo, sed videt non ipsam Dei substantiam, quæ invisibilis est, sed locum ubi Deus est. Cujus loci nomine arbitror designari summas et æternas archetypias sive rationes sive exemplaria omnium creaturarum quæ sunt in Verbo æterno, quorum intellectuali speculatione Deum cognoscimus. Unde dicuntur ejus loca divinissima, quibus nihil divinius oculis intellectualibus intuemur. Istæ autem sunt rationes omnium subjectorum Deo, qui cuncta excedit, et per has cognitive præsens fit nobis Deus, nobis desuper infundens et manifestans principaliores et superiores earumdem rationum, quæ tamen nobis sunt speculative intelligibiles. Sed adhuc restat principalior ejus cognitio, quæ figuratur in eo quod Moyses post prædicta separatur ab his qui Dei locum secum viderant, et subtrahitur ipsis visis et intrat ad caliginem ignorantiæ, id est, unitur incomprehensibilitati divinæ, quam non penetrat intelligentia : quæ vere est omnium clausiva et in se claudit et secretissime celat omnes comprehensivas cognitiones, tanquam in prima omnium causa. Et per eam omnis unitus Deo, qui est super omnia, constituitur in excellentia quam neque ratio investigat neque intellectus speculatur, et ab omnibus et quasi a se ipso segregatur et per unitionem dilectionis quæ effectiva est veræ cognitionis, unitur Deo intellectualiter ignoto, cognitione multo meliori quam sit cognitio intellectualis, et in eo quod intellectualem cognitionem derelinquit, super intellectum et mentem Deum cognoscit.

Exod. xix, 10 et seq. — *Ibid. xxiv, 1, 2.*

CAPITULUM II

QUOMODO OPORTET ET UNIRI ET HYMNOS REFERRE OMNIUM CAUSÆ ET SUPER OMNIA.

Juxta hanc nos fieri superlucentem oramus caliginem, et per invisibilitatem et ignorantiam videre et cognoscere ipsum super Deum et scientiam. Hoc non videre et scire, id ipsum est vere videre et cognoscere, et superessentialem superessentialiter laudare per omnium existentium ablationem : sicut per se ipsum naturale agalma facientes, auferunt ea quæ superadjecta sunt, puræ occulti visione vetantia, et ipsam in se ipsa ablatione sola occultam manifestant formam. Oportet autem, ut arbitror, ablationes in contrarium positionibus laudare. Etenim illas quidem a præstantissimis inchoantes, et per media in novissima descendentes, apponimus. Hinc vero a novissimis ad principalissima ascensiones facientes, omnia auferimus, ut incircumvelate cognoscamus illam ignorantiam ab omnibus ignorantibus in omnibus existentibus circumvelatam, et superessentialem illam videamus caliginem ab omni in existentibus luce occultatam.

ARTICULUS V

ELUCIDATIO CAPITULI HUJUS SECUNDI : DE NOTITIA DEI PER CALIGINEM, ET DIVERSO POSITIONUM ET ABLATIONUM USU.

Ex profunda consideratione contemplationis mysticæ theologiæ, auctor rursus quasi recenter desiderio ejus succensus, denuo deprecatur ad ipsam gratiose perduci :

Juxta hanc, inquiens, *nos fieri superlucentem oramus caliginem*, id est, petimus ut Deus dignetur nos ad prætactam secum unionem sustollere, et suæ superclarissimæ et incomprehensibili luci sic applicare ; *et per invisibilitatem et ignorantiam videre et cognoscere ipsum super Deum et scientiam* : id est, cognoscendo limpide « invisibilitatem » et incomprehensibilitatem ipsius, cognoscendo quoque « ignorantiam » ejusdem, id est ignorantiam nostram, qua ab ipsius clare in se ipso cognitione deficimus, « videre » nunc per speculum in ænigmate, « et cognoscere » per fidem ac donum sapientiæ, « ipsum » qui est superdeus, id est infinite excellentius omnium Dominus et provisor quam quis capere queat : qui item est super omnem creaturæ « scientiam ». Quum enim in libro Job scriptum sit, Memento quod ignores opus ejus de quo cecinere viri : quanto magis ipsum immensæ potestatis factorem nescimus? Hæc scientia Dei conforta-

I Cor. XIII, 12.
Job XXXVI, 24.
Ps. CXXXVIII, 6.

ta est, id est firmissima, et non poterimus ad eam.

Hoc non videre et scire, id est, Deum intueri et apprehendere ut tam invisibilem quoad quid est, est « non videre et » non « scire » : non quod sit pura negatio, nec pura privatio visionis cognitionisque Dei, de quo in Job asseritur : Omnes homines vident Deum, unusquisque intuetur procul. Cognitio quoque exsistendi Deum, omnibus naturaliter est inserta.

Job xxxvi, 25.

Id ipsum est vere videre et cognoscere, et superessentialem superessentialiter laudare per omnium exsistentium ablationem, ita ut superessentialitas laudationis hujus perpendatur ex laudati, non ex laudantis, parte : quoniam creatura laudans, quum sit in genere certo determinataque specie, nequit habere actum transcendentem limites suæ naturæ ac creatæ essentiæ.

Itaque superessentialiter Deum laudare, est reverentialiter recognoscere ac fateri quod ipse incomparabiliter eminet super cuncta creata, et super omne genus ac ordinem rerum. Et quanto quis clarius cernit hoc, quo reverentialius id fatetur mente, ore ac opere, tanto Deum perfectius honorat atque limpidius contemplatur. Denique quanto quis abundantius desuper illustratur, tanto sincerius speculatur et clarius inspicit quod Deus prorsus incomprehensibilis sit. Hinc Eunomius et Photinus præsumptuosissimi hæresiarchæ, asserunt se Deum in præsenti plene comprehendere, et quid sit, cognoscere, quoniam ab omni illuminatione piissima Spiritus Sancti fuerunt penitus alieni, et miserabiliter excæcati, quum etiam teste Philosopho, intellectus noster ita se habeat ad cognitionem substantiarum immaterialium, ut oculus vespertilionis ad intuitum luminis solis.

Sicut per se ipsum naturale agalma, id est imaginem seu statuam, *facientes, auferunt ea quæ superadjecta sunt, pura occulti visione velantia,* id est, quemadmodum artifices abscindunt a lignis partes exteriores prohibentes seu impedientes visum a pura et clara inspectione latentis agalmatis, quod præerat potentialiter in interioribus partibus ligni, non actu, *et ipsam in se ipsa ablatione,* id est amputatione, *sola occultam manifestant formam,* supple, artificialem.

Deinde circa hæc introducit congruum documentum. *Oportet autem, ut arbitror, ablationes in contrarium positionibus laudare,* id est, prædicata affirmativa et negativa attribuenda sunt Deo opposito ordine : non quod unum tale sit contrarium alteri, quum simul conveniant Deo.

Etenim illas quidem a præstantissimis inchoantes, et per media in novissima descendentes, apponimus : id est, affirmativa Deo adscribimus incipiendo ejus præconia a communissimis aut principalissimis prædicatis : sicut quum dicimus, Deus est ens, Deus est bonus, Deus est unus, Deus est verus ; seu ista in abstracto ei attribuendo, et item dum dicimus, Deus est intellectus, Deus est sapientia, Deus est beatitudo et sanctitas. Nempe ista et consimilia magis sunt a materia elongata, seu magis indeterminata, ideo simplicissimo et illimitatissimo Deo amplius competunt.

Hinc vero a novissimis ad principalissima ascensiones facientes, omnia auferimus, id est, ascendendo ab indignioribus attributis seu prædicatis ad præclariora, « auferimus hinc », id est, negamus de Deo hæc inferiora et viliora, dicendo : Deus non est corpus, Deus non est brutum aut lapis ; *ut incircumvelate,* id est sine phantasmatum involutione et sensibilium velatione, *cognoscamus illam ignorantiam,* id est Deum ignotum, *ab omnibus ignorantibus in omnibus exsistentibus circumvelatam,* id est in cunctis entibus velatum et occultatum : quia quamvis in omnibus sit per essentiam suam, præsentiam atque potentiam, propria tamen supersubstantialitate et incomprehensibilitate omnibus intellectibus occultatur et manet absconditus quantum ad quid est,

tamen per suos effectus patescit; et eam pervenerabilem illam videmus caliginem, id est supercandidissimam et nobis incomprehensibilem lucem, ab omni in existentibus luce occultatam, id est, obscuram notam « ab omni luce », id est intellectuali mente, in universis quæ sunt.

Itaque ex incomprehensibili infinitaque A plenitudine et claritate luminis increati et imbecillitate mentis creatæ, caligo ista nomen suum sortitur, et quasi resultat ac integratur: præsertim primo, quamvis utrumque istorum interdum separatim caligo vocetur. Ad horum demum intelligentiam clariorem valebunt quæ infra dicentur.

TRANSLATIO MARSILII FICINI

HANC nos perlucidam caliginem ingredi precamur, atque per visus cognitionisque vacationem, videre et nosse quod est visione notitiaque superius, ex hoc ipso videlicet, quod nec videamus aliquid nec cognoscamus. Hoc enim est revera videre ac nosse, et eum qui essentia eminentior est, modo quodam super essentiam, ex omnium videlicet quæ sunt ablatione, laudare: quemadmodum qui statuam indigenam fabricant, auferentes omnia quæ circum apposita, impediunt perspicuum formæ latentis intuitum, solaque ablatione pulchritudinem ipsam in se pandentes occultam. Oportet autem ablationes, ut arbitror, contra ac positiones celebrare. Positiones enim, inchoantes a primis ac per media ad ultima descendentes, adhibebamus. At in auferendo vicissim a postremis ad prima dispositis gradibus ascendentes, omnia tollimus, ut sublato velamine, ignorationem illam cognoscamus, quæ sub omnibus cognoscibilibus in entibus omnibus delitescit, illamque caliginem essentia superiorem perspiciamus, quæ ab universo lumine in his quæ sunt emicante nobis occulitur.

PARAPHRASIS ABBATIS VERCELLENSIS

IN hac superlucenti caligine precamur nos constitui, et per mentis excessum ubi intellectus neque videt neque aliquo modo cognoscit superintellectualiter cognoscere Deum per intellectualis cognitionis remotionem qui est super omnem visionem et cognitionem, et precamur nos laudare posse supersubstantialem supersubstantialiter per ablationem omnium existentium: sicut artifices facientes aliquam imaginem de qualibet materia inanimata, sculpendo vel incidendo auferunt exteriores partes ipsius materiæ quæ occultant et cooperiunt et videri prohibent illam puram imaginem quæ naturaliter et potentialiter est interius, et per solam ablationem talium offendiculorum, sine aliqua additione, manifestantes imaginis pulchritudinem in B propria specie quæ prius latebat in occulto. Alio autem ordine hic utendum est, ubi Deum laudamus per ablationem omnium, quam in libris superioribus fecimus, ubi laudavimus eum per affirmationem. Ibi enim a positione principaliorum inchoantes, per media descendimus ad ultima. Hic autem ab ultimorum ablatione incipientes, usque ad ablationem principaliorum seriatim per media ascendimus et iterum ad ultima reflexi omnia pariter ab eo auferimus: ut non sub velis creaturarum, sed per unionem ad ipsam, cognoscamus divinam incomprehensibilitatem laten- C tem sub mysticis velis omnium exsistentium quæ possunt dici vel cogitari, et contemplemur illam supersubstantialem caliginem occultam in creaturis ab omni lumine.

CAPITULUM III

QUÆ CATAPHATICÆ ET APOPHATICÆ (HOC EST AFFIRMATIVÆ ET NEGATIVÆ) THEOLOGIÆ.

IN Theologicis igitur characteribus potentissima affirmativæ theologiæ laudavimus : quomodo divina et optima natura unica dicitur, quomodo triadica ; quæ secundum ipsam dicta et paternitas et filiolitas ; quid ergo est, aut quid vult declarare in Spiritu Theologia ; quomodo ex immateriali et impartibili optimo in corde bonitatis germinata sunt lumina, et quomodo ipsius in ipso et in se ipsis et inter se invicem coæternæ in germinatione mansionis servaverunt reditum ; quomodo superessentialis Jesus humanis naturalibus veritatibus essentia factus est : et quæcumque alia ab Eloquiis expressa sunt secundum theologicos characteres. In eo autem qui est de divinis nominibus, quomodo optimus nominatur, quomodo ens *, quomodo vita et sapientia et virtus, et quæcumque alia intelligibilis sunt divinæ nominationis. In Symbolica vero theologia, quæ sunt a sensibilibus in divina transnominationes : quæ divinæ formæ, quæ divinæ figuræ et partes et organa ; qui divini loci et mundi ; qui furores, quæ tristitiæ et maniæ, quæ ebrietates et crapulæ ; quæ juramenta, quæ exsecrationes ; qui somni, quæ vigiliæ : et quæcumque aliæ symbolicæ sunt divinæ similitudinis sacre figuratæ formationes.

* ὤν

Et te arbitror considerasse quomodo verbis copiosiora magis sunt novissima primis. Etenim oportebat Theologicos characteres et Divinorum nominum reserationem breviorem verbis esse Symbolica theologia. Quoniam quidem quantum ad superiora respicimus, tantum verba contemplationibus invisibilium coarctantur : sicut et nunc in ipsam super intellectum occidentes caliginem, non brevem sermonem, sed sermonis defectum et nominationis inveniemus. Et ibi quidem desursum ad novissima descendens sermo, juxta quantitatem ejus, quæ est universaliter ad proportionalem multitudinem, inventus est. Nunc autem ab his quæ deorsum sunt ad superpositum ascendens, secundum mensuram invii corripitur ; et post omne invium totus sine voce erit, et totus adunabitur voce carenti. Quare autem omnino, inquis, et præstantissimo ponentes divinas positiones, a novissimis inchoamus divinam ablationem ? Quia quid super omnem ponentes positionem, ex magis ipsi cognatioribus * conditionalem affirmationem oportuit ponere ; quid autem super omnem ablationem auferentes, ex magis ipso distantibus auferre. Annon magis est vita et bonitas, quam aer et lapis ? et non magis non crapulæ et non maniæ, quam non dici neque intelligi ?

* [illegible]

ARTICULUS VI

ELUCIDATIO SEXTI CAPITULI HUJUS TERTII : QUID IN LIBRIS THEOLOGICORUM CHARACTERUM, DIVINORUM NOMINUM ET SYMBOLICÆ THEOLOGIÆ DICTUM SIT.

* ergo IN *Theologicis ergo* characteribus*, id A est in libro de Divinis characteribus, seu increatis et distinctis ac distinctivis proprietatibus divinarum et æternalium Personarum, *potissima affirmativæ theologiæ laudavimus*, id est, dignissima prædicata ac nomina quæ summæ Trinitati singulisve Personis in Scripturis attribuuntur, affirmativo sermone expressimus.

Quomodo divina et optima natura unica dicitur, quomodo trina, id est trina : quamvis non proprie appelletur trina B nisi quia tribus Personis communis ; *quæ secundum ipsam dicta et paternitas et filiatio*, id est, quomodo paternitas et filiatio conveniant Patri æterno et Unigenito ejus secundum naturam divinam ; *quid ergo est, aut quid vult declarare in Spiritu Theologia*, id est, quid Scriptura velit nos docere de Spiritu Sancto.

Quomodo ex immateriali et impartibili optimo, id est qualiter ex simplicissimo et summo bono, videlicet Deo Patre, *in corde bonitatis germinata sunt lumina*, C id est, productæ sunt productione ad intra luminosissimæ Personæ « in corde bonitatis », id est in mente aut voluntate fontalis paternæque bonitatis seu Dei Patris : de cujus intellectu emanat Verbum æternum atque de cujus voluntate procedit Spiritus Sanctus, qui profluit ab utroque. Etenim nec in creaturis amor procedit a voluntate, nisi a verbo seu notitia. *Et quomodo ipsius in ipso et in se ipsis et inter se invicem coæternæ in germinatione mansionis remanserunt redi-* D *tione*, id est, qualiter supergloriosissimæ et superbenedictissimæ istæ Personæ æternaliter invariabiliterque intra se tenuerint conversionem seu reditionem unius ad aliam et ad se ipsam, et inter se mutuo (nam Pater æternaliter amat et inspicit Filium, et econverso, et unusquisque se ipsum ; ambo etiam Spiritum Sanctum, et econverso : singulæ quippe Personæ in singulis vere et inconfuse ac circumincessibiliter sunt), « in germinatione mansionis coæternæ », id est in emanatione illa æterna ad intra qua coæternaliter manent et quiescunt in invicem.

Quomodo superessentialis Jesus, qui secundum divinitatis naturam coessentialis et consuperessentialis est Patri, *humanis naturalibus veritatibus essentia factus est*, id est, incarnatus et natus est ex supermundissima Virgine in humanitatis essentia, in corpore vere humano et in anima vere rationali ; *et quæcumque alia ab Eloquiis expressa sunt secundum theologicos characteres*, id est, secundum proprietates Personarum divinas : hæc, inquam, in libro illo tractavimus. In quo etiam diximus Spiritum Sanctum a Patre procedere, non cum explicita additione, quod et a Filio : quia tunc nondum fuit error exortus dicentium quod Spiritus Sanctus procedit solum a Patre.

In eo autem qui est de divinis nominibus, id est in libro sic intitulato, diximus *quomodo optimus nominatur, quomodo ens, quomodo vita et sapientia et virtus*, id est, qualiter nomina ista competant Deo, *et quæcumque alia intelligibilis sunt divinæ nominationis*, id est, qualiter consimilia nomina intellectualia et spiritualia dicantur de Deo.

In Symbolica vero theologia, id est,

in libro ubi descripsimus qualiter quædam dicuntur de Deo transumptive, metaphorice et improprie, diximus *quæ sunt a sensibilibus in divina transnominationes*, id est, quæ nomina ex rebus sensibilibus et humanis accepta, Deo attribuantur; *quæ divinæ formæ*, id est sensitivæ formationes, *quæ divinæ figuræ et partes et organa ; qui divini loci et mundi*, id est, quæ sunt loca et sæcula quæ in Scripturis Deo adscribuntur, *qui furores, quæ tristitiæ et maniæ*, id est iracundiæ furibundæ. Mania namque species est furoris, secundum Damascenum, libro secundo. *Quæ ebrietates et crapulæ*, juxta illud Psalmi : Excitatus est tanquam dormiens Dominus, tanquam potens crapulatus a vino ; (Ps. LXXVII, 65.) *quæ juramenta, quæ exsecrationes*, secundum illud Psalmi : Et abominatus est Dominus populum suum ; (Ps. CV, 40.) *qui somni, quæ vigiliæ : et quæcumque aliæ symbolicæ sunt divinæ similitudinis sacræ figuratæ formationes*, id est, imaginariæ descriptiones quæ positæ sunt sancte et divine in Scripturis ad insinuandum simile quid in Deo.

ARTICULUS VII

SERMONEM IN ALTIORIBUS SEMPER CONTRAHI, ET OPPOSITUM ESSE ORDINEM AFFIRMATIONUM ET NEGATIONUM.

E*T te arbitror considerasse quomodo verbis copiosiora magis sunt novissima primis*, id est, tractatus describentes qualiter Deo conveniant materialia et humana, copiosiores sunt verbis, quia loquuntur de notioribus rebus.

Etenim oportebat Theologicos characteres et Divinorum nominum reserationem breviorem verbis esse, id est libros de Divinis characteribus et de Divinis nominibus « esse » in « verbis » breviores, *Symbolica theologia : quoniam quidem quantum ad superiora respicimus*, id est, quanto plus de altioribus ac divinioribus rebus loquimur et tractamus, *tantum verba contemplationibus invisibilium coarctantur*, id est, tanto plus « verba » abbreviantur in « contemplationibus » supernorum, præ altitudine ac difficultate illorum ; *sicut et nunc in ipsam super intellectum occidentes caliginem*, id est, ingredientes præfatam tenebrositatem, quæ omnem intellectum et lucem infinite excedit, et quam intrando, deficimus et a nobis ipsis defluimus ac alienamur, *non brevem sermonem, sed sermonis defectum et nominationis inveniemus*, id est, tandem reperiemus non breviloquium tantum, sed omnimodam innominationem, ineffabilitatem, silentium, uniti Altissimo, tanquam prorsus ineffabili, innominabili et ignoto.

Et ibi quidem, id est in theologia affirmativa, ut in libro de Divinis nominibus, *desursum ad novissima descendens sermo*, id est a pertractatione nominum digniorum ad materialia, quæ transumptive de Deo dicuntur, *juxta quantitatem ejus, quæ est universaliter ad proportionalem multitudinem, inventus est*, id est, ipse sermo factus est extensior et magis diffusus « juxta quantitatem » materiæ, quæ generaliter versatur circa « multitudinem proportionalem », id est circa materialia ista, quæ proportionaliter et commensurate sunt multa secundum divisionem materiæ nobis notam.

Nunc autem ab his quæ deorsum sunt ad superpositum ascendens, id est, pertractatio ista a creaturis ad Creatorem se elevans, *secundum mensuram incrementorum*

coarctatur, id est, juxta gradum supergressionis, quæ certam viam non habet, abbreviatur. Nam et elevatio ista per ardentissimum fit amorem. Locutiones autem plurimum amorosæ truncatæ sunt et defectivæ, quia prædominatio dilectionis verba abrumpit. *Et post omnem ascensum*, id est post plenam et summam supergressionem puta in ipsa cum dilecto unione et in caliginis intuitione, *totus sine voce erit*, id est absque nominatione, *et totus adunabitur voce carenti*, id est, obmutescet et absorbebitur in Deo silentissimo et quietissimo, qui intra se loquitur inaudibiliter et quiete. B

Deinde tangitur quædam quæstio Timothei.

Quare autem omnino, inquis, a præstantissimo ponentes divinas positiones, id est, cur superdignissimo Deo adscribentes nomina affirmativa ipsum decentia, incipiendo a præstantioribus, *a novissimis inchoamus divinam ablationem*, id est, a vilioribus incipimus negationes de Deo? sicut jam dictum est. Et respondet :

Quia quod super omnem ponentes positionem, id est, aliquid attribuentes ei qui C

A omnem affirmationem transcendit, *ex magis ipsi cognatioribus conditionalem affirmationem oportuit ponere*, id est, necesse fuit accipere nomina positiva seu affirmativa conditionalia, id est, quæ ei adscribuntur si et in quantum sic congruit, salva superexcellentia Dei, « ex magis ipsi » Deo « cognatioribus », id est a sublimioribus Deitati congruentibus et indeterminatioribus, ut est tactum. *Quod autem super omnem ablationem auferentes*, id est, aliquid negantes a summo,

B qui omnem quoque negationem excedit, *ex magis ipso distantibus auferre*, id est, oportuit ablationem hanc inchoare ab his quæ difformiora et distantiora ab ipso consistunt. Quod probat :

Annon magis est vita et bonitas, quam aer et lapis? tanquam dicat : Convenientius dicitur Deus vita et bonitas, quam aer et lapis. *Et non magis non crapulæ et non maniæ*, id est, aptius dicimus quod Deus non est crapulosus nec furiosus, *quam non dici neque intelligi?* id est,

C quam quod non dicitur nec intelligitur, vel quod non est verbum nec intellectus.

TRANSLATIO MARSILII FICINI

IN eo libro quem de Theologicis institutionibus inscripsimus, quæ sint affirmantis theologiæ præcipua diximus : quomodo divina bonaque natura dicitur unica, quomodo ibidem trinitas ; quæ penes hanc ipsam naturam sit ipsa Patris, quæ Filii notio ; quid significet Spiritus Sancti theologia ; qua ratione ex incorporeo individuoque bono intima bonitatis lumina pullularunt, permanentque intus, non exeuntia, nec discedunt a mansione in ipso et in se ipsis et invicem, quippe quum hæc ipsa permansio pullulationem perpetuo comitetur ; quo item pacto superior essentia Jesus veram possidet humanæ naturæ substantiam : et quæcunque alia a sacris Litteris demonstrata, in eo opere celebravimus. Sed in libro de Divinis nominibus, quomodo bonus appelletur, quomodo ens, vita, sapientia, potestas, ceteraque ejusmodi ad appellationem divinam, scilicet intelligibilem, pertinentia. In theologia vero per figuras significativa, tractavimus quæ sint a rebus quæ sentiuntur appellationes ad divina translatæ : quæ formæ divinæ, quæ figuræ, membra, instrumenta : quæ loca divina, quæ ornamenta ; qui furores, quæ tristitiæ, indignationes, ebrietates, crapulæ, jura-

menta, exsecrationes, somni, experrectiones : et quæcumque aliæ significativæ theologiæ figurantis Deum formationes, sunt sacra ratione confictæ.

Reor autem te deprehendisse extrema verbis esse prolixiora supremis. Oportebat sane theologicas institutiones explicationemque nominum divinorum, breviori quam theologiam significativam sermone tractari. Quatenus enim ad sublimiora contendimus, eatenus sermones ipsis intelligibilium conspectibus contrahuntur : quemadmodum nunc caliginem illam subeuntes quæ superat intellectum, non solum in sermonis brevitatem, sed etiam in silentium omnino vacationemque intelligentiæ protinus incidemus. Jam vero illic quidem a supremo ad infima descendens oratio, pro quantitate descensus ad latitudinem descensui congruam gradatim extendebatur. Nunc autem ab inferioribus ad sublime sermo conscendens, pro modo ascensus paulatim evadit angustior. Itaque post omnem ascensum obmutescet omnino, totusque ineffabili conjungetur. Fortasse quæres, quare quum a primo divinas positiones inchoare soleamus, vicissim auferre ab extremis incipiamus. Quoniam videlicet quando ponimus circa illud quod positionem omnem exsuperat, suppositoriam affirmationem, oportet ab eo quod est illi cognatius exordiri ; contra vero, quando circa illud auferimus, quod ablationem omnem excedit, ab his quæ longius ab eo distant, rite inchoamus ablationem. Nonne Deus magis est vita et bonitas, quam aer atque lapis ? vicissimque potius non crapulatur nec irascitur, quam nec dicitur nec intelligitur ?

PARAPHRASIS ABBATIS VERCELLENSIS

IN libro siquidem de Divinis characteribus, **A** id est personalibus distinctionibus, maxime usi sumus affirmationibus sive positionibus in laudibus divinis : ostendentes quod divina natura singularis est in essentia et trina in personis ; et qualiter intelligenda est in Deo paternitas et filiatio, et proprietas Spiritus Sancti ; et quomodo plenitudo æternorum invisibilium divinæ bonitatis in corde Patris fixe manens, pullulat ex illo immateriali et simplici bono, id est persona Patris, scilicet per generationem Filii et per processionem Spiritus Sancti, quorum uterque a Patre accepit eamdem plenitudinem per hoc quod Filius **B** et Spiritus Sanctus manent in Patre et in se ipsis, et omnes tres Personæ in se invicem.
[*, ipsaque] Ipsa* luminum plenitudo in Filio et Spiritu Sancto permanet coæterna Patri, a quo uterque ipsorum originem habet quæ tamen nihilo minus tota manet in Patre In eodem libro etiam tractavimus quomodo Jesus, qui est supersubstantialis secundum deitatem, factus est homo secundum veram humanitatem ; et alia plura ibi tractavimus juxta expressa Scripturæ testimonia. In libro autem de Divinis nominibus, tractavimus quomodo dicitur Deus bonus, quomodo exsistens, quomodo vita aut sapientia, et sic de aliis intelligibilibus Dei nominationibus. In Symbolica autem theologia, tractavimus transumptiones vocabulorum rerum sensibilium ad designandum anagogice invisibilia divina, ostendendo qualiter accipiendum sit quod Deo attribuantur formæ aut figuræ (quasi leæna), aut partes ; aut in- [*Osee* XIII, 7.]
strumenta (ut trulla cæmentarii) ; aut loca ; [*Amos* VII, 8.]
ornatus, ut zona aurea ; aut furores, aut tri- [*Apoc.* I, 13.]
stitiæ, aut insaniæ ; aut ebrietas et crapulæ ; juramenta, aut maledictiones ; aut somni, aut **B** evigilationes : et sic de aliis compositis formationibus Deo attributis in libro de Symbolica theologia.

Te autem arbitror conspexisse quomodo libri posteriores plus abundant in verbis quam priores. Oportuit enim libros de Divinis characteribus et de Divinis nominibus minus esse prolixos in verbis quam Symbolicam theologiam Quanto enim tractamus materiam profundiorem et remotiorem sensu vel imaginatione tanto minus utendum est verbis sensibilibus, et magis exercendus est intel-

luminalis oculus. Unde et in præsenti libro ubi tractamus de divina incomprehensibilitate quæ est super omnem intelligentiam, invenimus non solum brevitatem verborum, sed et perfectam irrationabilitatem et imprudentiam, id est rationis et prudentiæ incomparabilem excessum. Et in prædictis quidem libris sermo noster a superioribus ad inferiora descendens, secundum majorem vel minorem descensum dilatabatur ad majorem vel minorem verborum prolixitatem; hic autem ab inferioribus ad superiora conscendens secundum mensuram ascensionis contrahitur: et quum ad summum excessum perventum fuerit, tunc deficit omnis* sermo et mentis et corporis, neque restat menti nisi uniri Verbo ineffabili et æterno. Forte autem quæris quæ sit ratio quare positiones incipimus a dignioribus, et ablationes ab inferioribus. Hæc autem est ratio: quia quando volumus per positionem designare Deum, qui est super omnem positionem, congruit ut ipsi digniora et magis ei propinqua attribuamus principalius, quando vero Deum volumus designare per ablationem, primo congruit ab eo illa auferre quæ magis ab ipso videntur distare. Verbi gratia: propinquius et congruentius ei attribuitur vita vel bonitas, quam aer aut lapis, aut* congruentius evidentiori removetur ab eo crapula et insania, quam dici vel intelligi.

* [illegible]

* et

CAPITULUM IV

QUIA NIHIL SENSIBILIUM, OMNIS SENSIBILIS PER EXCELLENTIAM CAUSALIS.

DICAMUS igitur sic: omnium causa et super omnia ens, neque carens essentia est, neque carens vita; neque irrationabilis est, neque insensualis; neque corpus est, neque figura, neque species; neque qualitatem aut quantitatem aut tumorem habet; neque in loco est, neque videtur; neque tactum sensibilem habet, neque sentitur, neque sensibilis est; neque inordinationem habet neque perturbationem a passionibus materialibus commota; neque impotens est, sensibilibus succumbens casibus; neque indigens est lucis; neque mutationem, aut corruptionem, aut partitionem, aut privationem, aut fluxum, neque aliud quid sensibilium est neque habet.

ARTICULUS VIII

EXPOSITIO CAPITULI HUJUS QUARTI: QUO PACTO SENSIBILIA OMNIA A DEO REMOVEANTUR.

QUIA præhabitum est quod omnia de Deo negantur, ita quod ipse est super omne ens, et verius atque subtilius omnia ab ipso auferuntur quam affirmentur de ipso, qui universa et singula excedit in infinitum: idcirco nunc explicat auctor, quod nihil ex rebus sensibilibus atque corporeis vere aut proprie enuntietur de ipso: nec est ulla difficultas in isto capitulo.

Dicamus ergo * *sic*, id est, sicut subjungitur. *Omnium causa et super omnia ens*, id est quod Deus omnium rerum creator, et super cuncta creata per infinitam excellentiam exsistens, *neque carens essentia est, neque carens vita*, id est, non caret essentia neque vita, imo ipse est sua essentia et vita purissima. Hoc præmittit, ne putetur velle asserere quod Deus penitus non sit neque vivat. *Neque irrationabilis est*, quum sit auctor rationis et fons totius discretionis, *neque insensualis*, id est non sine sensu spirituali. Unde aliæ litteræ habent : Neque sine mente.

Neque corpus est, neque figura, neque A *species*, id est corporea pulchritudo, *neque qualitatem aut quantitatem aut tumorem habet; neque in loco est* circumscriptive, *neque videtur* oculo corporali; *neque tactum sensibilem habet, neque sentitur* corporaliter, *neque sensibilis est; neque inordinationem habet neque perturbationem a passionibus materialibus commota; neque impotens est, sensibilibus succumbens casibus; neque indigens est lucis; neque mutationem, aut corruptionem, aut partitionem, aut privationem, aut fluxum, neque aliud quid* B *sensibilium est neque habet*. Ista satis patent.

* igitur

TRANSLATIO MARSILII FICINI

CAUSA omnium, omnia supereminens, nec essentia nec vita nec ratione nec mente capta est; neque est corpus, nec figuram vel speciem, nec qualitatem aut quantitatem aut molem habet; nec est in loco, neque cernitur; neque sensibilem tactum habet, nec sentit, neque est sensibilis; neque perturbationi ordinis experti obnoxia est, a passionibus videlicet materialibus agitata. Rursus nec est invalida, sensibilibus videlicet subjecta casibus; nec luminis indiga; nec alterationem vel corruptionem, aut divisionem aut privationem ullam admittit; nec aliud quidquam sensibilium aut est aut habet.

PARAPHRASIS ABBATIS VERCELLENSIS

PRIMO ergo a remotissimis incipientes, auferimus a Deo non substantiatum, aut non ens, quod remotius est his quæ tantum sunt, nec vivunt, et carens ratione et mente, quod remotius est his quæ sunt et vivunt nec ratiocinantur neque intelligunt. Deinde removemus ab eo omne corporeum, vel omnia corpora, vel corporea accidentia, ut est figura, forma, qualitas, quantitas pondus, localitas, C visibilitas sensuum tangibilitas et activa et passiva inordinationem carnalis concupiscentiæ aut completionem * turbidam materialis passionis. Et removemus ab eo invaletudinem subjectam casibus sensibilibus et luminis indigentiam et generationem et corruptionem aut divisionem aut passibilitatem et fluxum temporalem. Neque enim Deus est aliquid istorum, aut in se habet etiam aliquid sensibilium.

* complexionem

CAPITULUM V

QUIA NIHIL INTELLIGIBILIUM, OMNIS INTELLIGIBILIS PER EXCELLENTIAM CAUSALIS.

ITERUM autem ascendentes, dicamus quod ˜ΩΝ neque anima est, neque intellectus; neque phantasiam aut opinionem aut verbum aut intelligentiam habet; neque ratio est, neque intelligentia; neque dicitur, neque intelligitur. Neque numerus est, neque ordo, neque magnitudo, neque parvitas, neque aequalitas, neque similitudo aut dissimilitudo; neque stat, neque movetur, neque silentium ducit; neque habet virtutem, neque virtus est, neque lux; neque vivit, neque vita est; neque ousia est, neque saeculum, neque tempus; neque tactus est ejus intelligibilis, neque scientia; neque veritas est, neque regnum, neque sapientia, neque unum, neque unitas, neque deitas, neque bonitas; neque spiritus est sicut nos scimus; neque filiolitas, neque paternitas, neque aliud quid nobis aut alicui exsistentium cognitum; neque quid non exsistentium neque quid exsistentium est; neque exsistentia eam cognoscunt an ipsa sit, neque ipsa cognoscit exsistentia an exsistentia sint. Neque verbum ejus est, neque nomen, neque scientia; neque tenebrae est, neque lumen, neque error, neque veritas. Neque est ejus universaliter positio, neque ablatio; sed eorum quæ post eam sunt, positiones et ablationes facientes, ipsam neque auferimus neque ponimus : quoniam et super omnem positionem est perfecta et singularis omnium causa, et super omnem ablationem excellentia omnium, simpliciter perfectione et summitas omnium.

ARTICULUS IX

ELUCIDATIO CAPITULI HUJUS QUINTI : CUR ET QUOMODO INTELLIGIBILIA OMNIA DE DEO NEGENTUR.

QUEMADMODUM præinducto capitulo A Theologus docuit, sensibilia omnia negari de Deo : quod difficultatem non habet; ita hic edocet, universa quoque intelligibilia separata incorporalia, de omnium superexcellentissimo Creatore auferri : quod difficilius est, et mirabilius sonat.

Iterum autem ascendentes a particularioribus ad universaliora, et a causatis ad omnium causam, *dicamus quod* ˜ΩΝ *neque anima est, neque intellectus*, id est, quod Deus non est anima rationalis, nec angelus; *neque phantasiam aut opinionem aut verbum aut intelligentiam habet.*

Phantasia namque est sensus interior visque organica, quæ in supersimplicissimo Deo locum non habet; opinio quoque est cognitio imperfecta cum formidine de opposito, quæ non inest nec convenit infinitæ sapientiæ Deo; nec « habet verbum » intra se substantialiter diversum a se, nec « intelligentiam », id est actum intelligendi, a se realiter differentem. Nec ista, sicut nec consequentia, vere enuntiantur de ipso secundum quod comprehendi possunt a nobis, sed modo infinite sublimiori et perfectiori. Unde subjungitur : *neque ratio est*, quæ est vis discursiva, *neque intelligentia*, id est actio intellectiva, aut separata substantia; *neque dicitur*, id est, significari non potest secundum quod est in semetipso, *neque intelligitur* prout in sua subsistit natura.

Neque numerus est, secundum eumdem sensum : quamvis trinitas personarum in ipso sit, et ipse sit Trinitas secundum quod creditur, non prout nos concipere possumus; *neque ordo*, in quo sunt prius et posterius : quamvis in divinis esse dicatur ordo originis per modum comprehensibilem nobis; *neque magnitudo, neque parvitas, neque æqualitas, neque similitudo aut dissimilitudo*. Quamvis enim ista et multa sequentia vere conveniant et affirmentur de Deo in propositionibus affirmativis, et ex rei natura, omni imperfectione seclusa, nihilo minus magis proprie negantur de ipso : quoniam non secundum quod nos capere aut intelligere ea valemus competunt ei, sed incomparabiliter eminentius.

Neque stat, neque movetur situaliter sive localiter, *neque silentium ducit*, qui æternaliter intra se loquitur; *neque habet virtutem, neque virtus est, neque lux; neque vivit, neque vita est* cum rebus creatis univoce; *neque usia est, neque sæculum, neque tempus*, quum hæc proprie inter sensibilia computentur; *neque tactus est ejus intelligibilis*, id est, nec spiritualiter tangi potest modo comprehensibili nobis, *neque scientia; neque veritas*
A *est, neque regnum, neque sapientia, neque unum, neque unitas, neque deitas, neque bonitas; neque spiritus est sicut nos scimus*, id est prout cognoscere possumus : per quod breviter tangitur qualiter omnia sint intelligenda.

Neque filiolitas, neque paternitas, neque aliud quid nobis aut alicui exsistentium cognitum a priori, et quoad quidditatem ipsius; *neque quid non exsistentium neque quid exsistentium est*, tanquam in ordine aut genere exsistentium compre-
B hensum; *neque exsistentia eam cognoscunt* plena comprehensione et secundum suam essentiam in præsenti, *an ipsa sit, neque ipsa cognoscit exsistentia an exsistentia sint. Neque verbum ejus est, neque nomen, neque scientia; neque tenebræ est, neque lumen.* Ista frequenter exposita sunt. *Neque error* in ea est, quamvis de ea sint multi errores, *neque veritas.*

Neque est ejus universaliter positio, neque ablatio, id est, nec affirmatio alicujus de ea convenit ei, neque negatio, *sed eo-*
C *rum quæ post eam sunt, positiones et ablationes facientes, ipsam neque auferimus neque ponimus*, id est, ea quæ sunt citra Deitatem, de ea negantes simpliciter, vel de ea affirmantes per causam et supereminentiam, « ipsam neque auferimus neque ponimus », id est, de ea secundum quod in se ipsa est, nil affirmamus neque negamus secundum quod nos illud concipere possumus : non enim sic convenit illi, sed excellentius infinite; nec aliquid proprie inest illi, quum simplicissima sit.

D *Quoniam et super omnem positionem*, id est affirmationem et perfectionem de ea affirmatam, *est perfecta et singularis omnium causa* : « singularis », quia nequaquam multiplicabilis, et per se ab omnibus summe distincta ac differens, sicut in libro de Causis asseritur, quod causa prima est de se maxime hæc, estque quoddam separatissimum esse, et est superior omni narratione et super nomen quo designatur, et non pertinet ad eam diminutio neque completio, quum ipsa sit su-

per omne complementum; *et super omnem ablationem excellentia omnium*, id est, ratione excellentiæ suæ super omnia, excedit etiam « omnem ablationem » quæ fit de ea, ut quod non est sensibilium quidquam, *simpliciter perfectione et summitas omnium*, id est, ipsa hæc Deitas prima causa, est « summitas omnium », vertex superaltissimus universorum « perfectione simpliciter », id est ratione suæ perfectionis absolute acceptæ ac penitus infinitæ.

TRANSLATIO MARSILII FICINI

ITERUM ascendentes, dicimus Deum nec esse animam, nec habere sensum, vel phantasiam, vel opinionem, vel rationem, vel intelligentiam; nec esse intellectum, neque intelligentiam; nec dici, nec intelligi; nec esse numerum, nec ordinem, nec magnitudinem, nec parvitatem, nec æqualitatem, neque similitudinem vel dissimilitudinem; nec stare, nec moveri vel quietem agere; nec habere potentiam, nec esse potentiam, neque lumen, neque vitam, nec essentiam, nec æternitatem aut tempus; nec esse tactum ipsius intelligibilem, neque scientiam. Quinetiam neque est veritas, nec regnum, nec sapientia, nec unum, nec unitas, nec bonitas, nec deitas; nec spiritus est quemadmodum ipsi perpendimus, nec paternitas est ejusmodi, nec ratio filii, neque aliud quidpiam eorum quæ nobis vel aliis rebus ullis sunt cognita; nec est aliquid eorum quæ non sunt, vel eorum quæ sunt. Item, nec ea quæ sunt, Deum sicut est ipse cognoscunt, nec Deus res pro ipsa rerum conditione cognoscit. Nec ipsius Dei sermo est, neque nomen, neque cognitio; neque tenebræ, neque lumen est, neque error, neque veritas. Nec est ipsius positio prorsus ulla, nec ablatio. Verum nos quæ post Deum sunt ponentes auferentesve, nec ipsum ponimus nec auferimus: quippe quum omni positione superior sit singularis illa et omnino perfecta omnium causa, et omni rursum ablatione altior excellentia illius qui ab omnibus est simpliciter absolutus totisque superior.

PARAPHRASIS ABBATIS VERCELLENSIS

ITERUM etiam incipientes negationes ab altioribus dicimus quod omnium causa neque est anima neque mens, neque habet phantasiam inferiorem aut superiorem neque opinionem, neque rationem neque intellectum, neque est ratio neque intellectus, neque dicitur neque intelligitur. Et ut decurramus per media ad extrema, neque est numerus, neque ordo neque magnitudo, neque parvitas, neque æqualitas, neque similitudo, neque dissimilitudo, neque stat neque movetur. Et ut ad summa per quædam media revertamur, et in summis negationes terminemus, neque virtutem habet, neque est virtus, neque lumen, neque vivit, neque vita est, neque substantia est, neque ævum, neque tempus, neque etiam intelligibiliter tangibilis secundum essentiam suam, neque scientia, neque veritas, neque regnum neque sapientia, neque unum, neque unitas, neque bonitas, neque deitas, neque spiritus secundum quod nos intelligimus spiritum, neque filiatio, neque paternitas, neque aliquid aliud plene cognitum a nobis vel ab aliquo exsistente scili-

cet homine puro vel angelo. Sed neque Deus est aliquid non exsistentium, aut aliquid exsistentium; neque exsistentia ipsum cognoscunt secundum quod ipse est, neque ipse cognoscit ea secundum quod ipsa sunt in se ipsis, sed secundum quod sunt in Verbo. Neque est ipsius rationalis investigatio, neque nomen, neque cognitio; neque ipse est tenebræ a lumine deficientes, neque est lumen A intelligibile, neque est error, neque veritas. Et omnino nulla est ipsius aut positio aut ablatio; sed quum aliqua quæcumque sub ipsa sunt, ponimus vel negando auferimus, ipsum neque ponimus neque auferimus, quoniam et super omnem positionem est perfecta et unica omnium causa et super omnem ablationem est excessus ipsius ab omnibus absoluti et super omnia eminentis.

S. DIONYSII AREOPAGITÆ

DE MYSTICA THEOLOGIA

TRANSLATIO JOANNIS SARRACENI

PROLOGUS

JOANNIS SARRACENI AD ODONEM S. DIONYSII ABBATEM, IN LIBRUM DE MYSTICA THEOLOGIA.

Ante Mysticam theologiam Symbolica theologia esset transferenda : nam post librum de Divinis nominibus ipsam esse compositam, ex verbis B. Dionysii declaratur. Sed in partibus illis Græciæ in quibus fui, ipsam sollicite quærens, non inveni. Quod si forte per illum vestrum monachum qui in Græciam profectus esse dicitur, ipsam et alios libros de quibus fratri Guillelmo verba feci, obtinueritis, rogo quatenus mihi vestro clerico id designetis. Interim a me translatam Mysticam suscipite theologiam. Videtur autem dici mystica, quasi occulta et clausa : quia quum juxta eam per ablationem ad Dei cognitionem ascenditur, tandem quid sit Deus, clausum et occultum relinquitur. Potest etiam dici mystica, quia multa de Deo doctrina sic quoque aperitur. Μύω *vero, unde mystica dicitur, et claudo et disco et doceo interpretatur.*

Cf. cap. 13 in fine de Divinis nominibus.

CAPITULUM PRIMUM

DE MYSTICA THEOLOGIA.

COMPRESBYTERO Timotheo, Dionysius presbyter salutem. — Trinitas supersubstantialis et superdea et superbona, inspectrix divinæ sapientiæ Christianorum, dirige nos ad mysticorum Eloquiorum superignotum et supersplendentem et summum verticem, ubi simplicia et absoluta et inconversibilia Theologiæ mysteria cooperta sunt secundum supersplendentem occulte docti silentii caliginem, in obscurissimo superclarissimum supersplendere facientem, et in omnino impalpabili et invisibili

superpulchris claritatibus superimplentem non habentes oculos mentes. Igitur ista mihi quidem sint oratione postulata. Tu autem, o amice Timothee, circa mysticas visiones forti contritione et sensus derelinque et intellectuales operationes, et omnia sensibilia et intelligibilia, et omnia non exsistentia et exsistentia, et sicut est possibile, ignote consurge ad ejus unitionem qui est super omnem substantiam et cognitionem. Etenim excessu tui ipsius et omnium irretentibili et absoluto, munde ad supersubstantialem divinarum tenebrarum radium, cuncta auferens et a cunctis absolutus, sursumageris.

Vide autem ut nullus indoctorum ista audiat. Istos autem dico qui in exsistentibus sunt formati, nihil super exsistentia supersubstantialiter esse opinantes, sed putantes
Ps. xvii, 12. scire ea quæ secundum ipsos est cognitione, eum qui ponit tenebras latibulum suum. Si autem super istos sunt divinæ doctrinæ mysteriorum, quid dicat quidem aliquis de magis indoctis, quicumque omnibus superpositam causam et ex postremis in exsistentibus figurant, et nihil ipsam habere dicunt super compositas ab ipsis impias et multiformes formationes ! Oportet enim in ipsa et omnes exsistentium ponere et affirmare positiones, sicut omnium causa, et omnes ipsas magis proprie negare, sicut super omnia superexsistente ; et non negationes oppositas opinari esse affirmationibus, sed multo prius ipsam super privationes esse, quæ est super omnem et ablationem et positionem.

Ita igitur divinus Bartholomæus dicit, et multam Theologiam esse et minimam, et Evangelium latum et magnum, et rursus concisum : ut mihi videtur, illud supernaturaliter intendens, quia et multorum sermonum est bona omnium causa, et brevium dictionum simul et irrationabilis, sicut neque rationem habens neque intellectum, propter hoc quod omnibus ipsa supersubstantialiter est superposita, et solis non velate et vere apparet his qui et immunda et munda transeunt, et omnem omnium sanctarum extremitatum ascensum superveniunt, et omnia divina lumina et sonos et sermones
Ps. xcvi, 2. cælestes derelinquunt, et ad caliginem introeunt, ubi vere est, sicut Eloquia dicunt, qui est super omnia.

Exod. xix, 15 et seq. Etenim non simpliciter divinus Moyses mundari ipse primum præcipitur, et rursus a non talibus segregari, et post omnem mundationem audit multarum vocum buccinas, et videt lumina multa cum fulgore emittentia mundos et multum effusos radios ; postea
Ibid. xxiv, 1, 2. a multis segregatur, et cum electis sacerdotibus ad summitatem divinarum ascensionum pertingit : quamvis per hæc quidem non fit cum Deo, sed contemplatur non ipsum (invisibilis est enim), sed locum ubi est. Hoc autem puto significare, divinissima visorum et intellectorum esse subjectas quasdam rationes subjectorum omnia excedenti, per quæ præsentia ejus, quæ est super omnem cogitationem, monstratur intelligibilibus summitatibus sanctissimorum locorum ejus superveniens. Tunc et ab ipsis absolvitur visis et videntibus, et ad caliginem ignorantiæ intrat, quæ caligo vere est mystica : in qua claudit omnes cognitivas susceptiones, et impalpabili omnino et invisibili fit omnis exsistens ejus qui est super omnia, et nullius, neque sui ipsius neque alterius ; omnino autem ignoto vacatione omnis cognitionis secundum melius unitus, et eo quod nihil cognoscit, super mentem cognoscens.

CAPITULUM II

QUOMODO OPORTET ET UNIRI ET HYMNOS REPONERE OMNIUM CAUSÆ ET EXSISTENTI SUPER OMNIA.

IN hac superlucenti caligine fieri nos precamur, et per non videre et per ignorare, videre et cognoscere eum qui est super omnem visionem et cognitionem in ipso non videre et non cognoscere : et supersubstantialem supersubstantialiter laudare per omnium exsistentium ablationem : sicut ipsius naturæ insigne facientes, auferentes prohibitiones officientes mundæ occulti visioni, et ipsam in se ipsa, ablatione sola, occultam manifestantes pulchritudinem. Oportet autem, sicut arbitror, ablationes laudare contrarie quam positiones. Etenim illas a primis incipientes, et per media et ultima descendentes, ponebamus. Hic autem ab ultimis ad principaliora ascensus facientes, et per media rursus ad extrema, omnia auferimus, ut revelate cognoscamus illam ignorantiam ab omnibus noscibilibus in omnibus exsistentibus circumvelatam, et supersubstantialem illam videamus caliginem ab omni lumine in exsistentibus occultatam.

CAPITULUM III

QUÆ SINT AFFIRMATIVÆ THEOLOGIÆ, QUÆ NEGATIVÆ.

IGITUR in Theologicis quidem hypotyposibus maxime propria affirmativæ theologiæ laudavimus : quomodo divina et bona natura singularis dicitur, quomodo trina : quæ secundum ipsam dicta paternitas et filiatio, quid vult monstrare Spiritus theologia ; quomodo ex immateriali et simplici bono, in corde manentia bonitatis pullulaverunt lumina, et quomodo a mansione in ipso et in se ipsis et in se invicem coæterna pullulatione permanserunt inegressibilia ; quomodo supersubstantialis Jesus humanæ naturæ veritatibus substantia factus est : et quæcumque alia ab Eloquiis expressa in Theologicis hypotyposibus laudantur. In libro autem de Divinis nominibus, quomodo bonus nominatur, quomodo exsistens, quomodo vita et sapientia et virtus, et quæcumque alia intelligibilis sunt Dei nominationis. In Symbolica autem theologia, quæ sunt a sensibilibus ad divina Dei nominationes ; quæ sunt divinæ formæ, quæ figuræ divinæ et partes, et instrumenta ; quæ divina loca, et qui ornatus ; qui furores, quæ tristitiæ et insaniæ, quæ ebrietates et crapulæ ; quæ juramenta, et quæ maledictiones ; qui somni, et quæ vigilationes : et quæcumque aliæ sanctæ formationes compositæ sunt symbolicæ deiformationis.

Et te arbitror conspexisse quomodo plurium sermonum sunt ultima quam prima. Etenim oportebat theologicas hypotyposes et divinorum nominorum reserationem, pauciorum sermonum esse quam symbolicam theologiam ; quoniam quantum ad superius

respicientes, tantum sermones conspectibus intelligibilium contrahuntur; quemadmodum et nunc in caliginem quæ est super mentem intrantes, non sermonum brevitatem, sed irrationabilitatem perfectam et imprudentiam inveniemus. Et illic quidem a superiori ad extrema descendens sermo, secundum quantitatem descensus ad proportionalem dilatabatur multitudinem. Nunc autem ab inferioribus ad supremum ascendens, secundum mensuram ascensionis contrahitur; et post omnem ascensionem, totus sine voce erit, et totus unietur ineffabili. Dicis autem: Quare totaliter a primis ponentes divinas positiones, ab ultimis inchoamus divinam ablationem? Quoniam hoc quod est super omnem positionem ponentes, a magis ipsi cognato suppositivam affirmationem oportebat ponere; illud autem quod est super omnem ablationem auferentes, a magis distantibus ab ipso auferre. Annon magis est vita et bonitas, quam aer et lapis? et magis non est crapula et non insania, quam non dicitur neque intelligitur?

CAPITULUM IV

QUOD NIHIL SENSIBILIUM EST, QUI EST OMNIS SENSIBILIS CAUSA SECUNDUM EXCESSUM.

DICIMUS igitur quod omnium causa et super omnia exsistens, neque sine substantia est, neque sine vita, neque sine ratione, neque sine mente; neque corpus est, neque figura, neque forma; neque qualitatem aut quantitatem aut pondus habet; neque in loco est, neque videtur; neque tactum sensibilem habet, neque sentitur, neque sensibile est; neque inordinationem habet neque turbationem a passionibus materialibus perturbata; neque impotens est, sensibilibus subjecta casibus; neque indigentia est luminis; neque variationem, aut corruptionem, aut divisionem, aut privationem, aut passionem, aut fluxum, aut aliquid aliud sensibilium, neque habet neque est.

CAPITULUM V

QUOD NIHIL INTELLIGIBILIUM EST, QUI EST OMNIS INTELLIGIBILIS CAUSA SECUNDUM EXCESSUM.

RURSUS autem ascendentes, dicimus quod neque anima est, neque mens; neque phantasiam aut opinionem aut rationem aut intellectum habet; neque ratio est, neque intellectus; neque dicitur, neque intelligitur. Neque numerus est, neque ordo, neque magnitudo, neque parvitas, neque æqualitas, neque similitudo, neque dissimilitudo; neque stat, neque movetur, neque silentium agit; neque virtutem habet, neque virtus est, neque lumen; neque vita est, neque vivit; neque substantia est, neque ævum, neque tempus; neque tactus est ejus intelligibilis, neque scientia; neque

veritas, neque regnum, neque sapientia, neque unum, neque unitas, neque deitas aut bonitas ; neque spiritus est sicut nos videmus ; neque filiatio, neque paternitas, neque aliquid aliud cognitum a nobis aut ab alio quodam exsistentium ; neque est aliquid exsistentium, neque aliquid non exsistentium est ; neque ipsam cognoscunt exsistentia secundum quod ipsa est, neque ipsa cognoscit ea quæ sunt exsistentia secundum quod exsistentia sunt. Neque ratio ipsius est, neque nomen ; neque cognitio est, neque tenebræ, neque lumen, neque error, neque veritas. Neque est ipsius universaliter positio, neque ablatio : sed eorum quæ sunt post ipsam, positiones et ablationes facientes, ipsam neque ponimus neque auferimus : quoniam et super omnem positionem est, perfecta et unitiva omnium causa, et super omnem ablationem est, excessus ab omnibus simpliciter absoluti et super tota.

S. DIONYSII AREOPAGITÆ

DE MYSTICA THEOLOGIA

TRANSLATIO AMBROSII ABBATIS CAMALDULENSIS ORDINIS

CAPITULUM PRIMUM

QUÆNAM SIT DIVINA CALIGO.

COMPRESBYTERO Timotheo, Dionysius presbyter. — Trinitas supersubstantialis, deitate ac bonitate superior, divinæ Christianorum sapientiæ præsul, dirige nos ad mysticorum Eloquiorum supreme incognitum et lucidissimum atque eminentissimum verticem, ubi simplicia et absoluta atque invertibilia Theologiæ mysteria secundum superluminosam silentii in occulto docentis superliquidissimamque caliginem sunt adoperta, in densissimis tenebris eum qui plusquam excellentissime splendet, superillucentem, et in refugiente omnino tactum atque invisibili, honestissimis fulgoribus et plusquam pulchris excellenter implentem vacuos oculis spiritus. Hæc interim paucis oraverim. Tu vero, Timothee carissime, intentissima contuendis spectaculis mysticis exercitatione, et sensus linque et intellectuales operationes, et sensibilia et intelligibilia omnia, et quæ non sunt et quæ sunt omnia; et ut illi jungaris qui super omnem substantiam omnemque scientiam est, ignote pro viribus te ipsum intende. Enimvero abs te ipso atque ab omnibus libere et absolute ac pure excedendo, ad supersubstantialem divinæ caliginis radium, sublatis omnibus et absolutus ex omnibus, evolabis.

Hæc autem cave ne quis imperitus ac rudis exaudiat. Eos autem sic appellaverim, qui visibilibus affixi, nihil supra ea quæ obtutibus ac sensibus patent, supersubstantialiter esse arbitrantur, putantque scientia sua illum assequi qui posuit tenebras latibulum Ps. xvii, 12 suum. Si vero eos qui sunt hujusmodi, longe supereminent divinorum mysteriorum notiones: quid de illis dicemus qui longe imperitiores, supremam illam omnium causam ex infimis quoque creaturis effingunt, nihilque hanc excellere fictis ab se impiis variisque sculptilibus autumant? quum debuerint potius ipsi omnium causæ omnes etiam rerum applicare atque affirmare positiones, rectiusque de ea illas omnes (ut quæ super omnia sit) negare; neque arbitrari negationes adversari affirmationibus, sed longe prius ipsam supra privationes esse, quæ super omnem et ablationem et positionem est.

Sic itaque divinus Bartholomæus ait, et plurimam Theologiam esse et minimam,

Evangeliumque et latum et magnum, rursusque concisum. Mihi quidem illud mirifice intellexisse videtur, quia et plurimis verbis exprimitur bona omnium causa, et brevibus simul et nullis, ut quæ neque verbum, neque intelligentiam admittat, quod omnibus supersubstantialiter et excellenter emineat, solisque illis amoto velamine veraciter luceat, qui impura omnia et pura transiliunt, omnemque omnium sanctarum summitatum ascensum transcendunt, cunctaque divina lumina et sonos sermonesque Ps. XVII, 12 cœlestes deserentes, caliginem subeunt, ubi veraciter ille est, ut Scriptura ait, qui supra omnia est.

Exod. XIX, 10 et seq. Neque enim ab re divinus Moyses primum ut mundetur, admonetur, et rursus, ut ab iis qui non sunt hujusmodi separetur; et post omnem illam expiationem, buccinarum clangores varios exaudit, cernitque lumina plurima plures atque multifidos Ibid. XXIV, 1, 2 vibrantia radios; mox vero segregatur a vulgaribus turbis, et cum electis sacerdotibus ad summitatem ascensionum divinarum contendit; ibique non ipsi congreditur Deo, neque ipsum cernit (est enim invisibilis Deus), sed locum ubi stetit. Hoc autem (reor) insinuat, augustissima quælibet et suprema visibilium atque intelligibilium rationes congruas ac signa quædam esse eorum quæ subjecta sunt omnia transcendenti Deo, per quæ ipsius præsentia omnem intelligentiam superans, demonstratur supra spirituales sanctissimorum ipsius locorum summitates supergressa. Tum vero ipsa quoque visibilia atque intellectualia contemplator linquens, ingreditur ignorationis mysticam profecto caliginem, in qua omnia scientiæ et cognitionis præsidia terminans, totus in eo fit qui tactum penitus visumque refugit transcenditque omnia, et qui nullius est, neque suimet neque alterius, penitus autem ignoto, scientiæ omnis et cognitionis vacatione, præstantiori modo conjunctus, et eo quoque ipso quod nihil cognoscit, supra sensum mentemque cognoscens.

CAPITULUM II

QUOMODO OPORTET ET CONJUNGI ET LAUDES REFERRE AUCTORI OMNIUM CUNCTA EXCELLENTI.

AD hanc nos perlucidam liquidissimamque caliginem admitti oramus, et per visus scientiæque privationem, videre ac scire eum qui adspectum omnem scientiamque transcendit. Et hoc ipsum non videre et non scire, est veraciter videre ac scire, et eum etiam qui substantia superior est, supersubstantialiter ex omnium quæ sunt ablatione celebrare, veluti qui nativam effigiem ex quavis materia faciunt, omnia tollentes quæ impedire possunt liquidum latentis decoris intuitum, ipsamque in se ipsa pulchritudinem occultam sola sublatione pandentes. Oportet autem, ut reor, ablationes contra ac positiones collaudare. Illas enim a primis inchoantes, et per media ad extrema descendentes, ponebamus. Hic autem ab extremis ad prima gradibus factis ascendentes, omnia tollimus, ut ignorationem illam velamine amoto noscamus, quæ a noscibilibus cunctis in iis quæ sunt omnibus operta monstratur, supersubstantialemque caliginem illam intueamur, quæ ab omni in substantiis emicante luce occultatur.

CAPITULUM III

QUÆNAM IN THEOLOGIA SINT AFFIRMANTIA, QUÆ NEGANTIA.

ITAQUE in eo quidem opere quod de theologicis institutionibus scripsimus, quæ sint affirmantis theologiæ in primis propria celebravimus : quomodo divina illa benignissimaque natura, unica, quomodo item trina dicitur; quænam secundum hanc sit Patris, quænam Filii appellatio; quid itaque istud est, aut quid significare vult Sancti Spiritus theologia; quo pacto ex spirituali individuoque bono, in cordis intimo, bonitatis exorta sunt lumina, quo item modo in ipso et in se ipsis atque invicem, coæterna mansionis germinatione* permanent, nusquam ab se excedendo persistunt ; quomodo supersubstantialis Jesus humanæ naturæ veritatem substantiamque suscepit : et quæque alia a sacris Litteris exposita, in memorato opere celebrata sunt. Porro in libro de Divinis nominibus, quomodo bonus appelletur, quomodo ens, quomodo vita et sapientia et virtus, et istiusmodi cetera ad spiritualem divinamque appellationem pertinentia, diximus. In Significativa autem theologia, quænam sint a sensibilibus ad divina deductæ appellationes : quæ formæ divinæ, quænam divinæ figuræ, quæ membra et instrumenta ; quæ divina loca, qui ornatus; qui furores, quæ tristitiæ et iræ, quænam ebrietates et crapulæ; quæ juramenta, et quæ maledictiones; qui somni, et quæ evigilationes : et si quæ aliæ significantis figurationis, sacratius fictæ formationes exprimuntur.

* mansione germinationi

Et te arbitror deprehendisse ut sint extrema prolixiora prioribus. Oportebat enim theologicas institutiones divinorumque explicationem nominum, minus habere verborum brevitatique studere magis quam significativam theologiam. Nam quanto ad altiora contendimus, tantum ipso contuitu intelligibilium, verba contrahi necesse est : quemadmodum nunc quoque caliginem illam subeuntibus quæ omnem intelligentiam superat, non brevitas, sed defectus omnino sermonis atque intelligentiæ occurret. Atque illic quidem a supremo ad infima derivans oratio, pro quantitate descensus, ad congruam latitudinem extendebatur. Nunc vero ab inferioribus ad id quod supremum eminet conscendens, pro modo ascensus breviatur; et post ascensum omnem, omnino obmutescet, atque ineloquibili illi tota jungetur. Sed fortassis inquiras, cur a primo positiones divinas inchoare pergentes, divinam ablationem ab extremis inchoamus. Ob id scilicet, quod quum id ponamus quod super omnem positionem est, ejus rei significantem affirmationem oportuit ponere quæ sibi propinquior sit; quum vero id tollimus quod omni ablationi eminet, ab iis quæ magis ab eo distant, auferre. An vero non magis est vita et bonitas, quam aer et lapis ? et magis non crapulatur et non furit, quam non dicitur et non intelligitur ?

CAPITULUM IV

QUOD NIL SENSIBILIUM EST, QUI SENSIBILIS OMNIS EMINENTER EST AUCTOR.

DICIMUS itaque ut omnium causa super cuncta quum sit, neque sine substantia neque sine vita est, neque ratione neque mente caret; neque corpus est, neque figura, neque species; neque qualitatem aut quantitatem aut molem habet; neque in loco est, neque cernitur, neque tactum sensibilem habet, neque sentit, neque sensibilis est, neque temeritati et perturbationi est obnoxia, a carnalibus agitata passionibus; neque invalida est, sensibilibus subjecta casibus; neque indiga luminis est; neque immutationem aut corruptionem seu divisionem sive fluxum admittit; neque aliud quidquam sensibilium aut est aut habet.

CAPITULUM V

QUOD NIL INTELLIGIBILIUM EST, QUI INTELLIGIBILIS OMNIS REI AUCTOR EST.

RURSUS autem ascendentes, dicimus ut neque anima est, neque sensus; neque imaginationem aut opinionem aut rationem aut intelligentiam habet; neque ratio est, neque intelligentia; neque dicitur, neque intelligitur. Neque numerus est, neque multitudo, neque ordo, neque magnitudo, neque parvitas, neque æqualitas, neque similitudo, neque dissimilitudo; neque stat, neque movetur, neque agit quietem, neque virtutem habet, neque virtus est, neque lux est; neque vivit, neque vita est; neque substantia est, neque sæculum, neque tempus; neque tactus est ipsius spiritualis, neque scientia; neque veritas est, neque regnum, neque sapientia, neque unum, neque unitas, neque deitas aut bonitas; neque spiritus est, quantum scire ipsi possumus; neque filii neque patris est denominatio, neque aliud aliquid ex iis quæ nobis aut alteri cuiquam in mundo sunt cognita; neque aliquid eorum quæ non sunt, neque eorum quæ sunt, est; neque ea quæ sunt illam sciunt sicut ipsa est, neque scit ipsa quæ sunt sicuti sunt. Neque sermo ipsius est, neque nomen, neque scientia; neque tenebræ, neque lux est, neque error, neque veritas. Neque est ipsius ulla omnino positio, neque ablatio. Ceterum quum eorum quæ post ipsam sunt, positiones et ablationes faciamus, ipsam neque ponimus neque auferimus : nam et super omnem positionem est perfecta et singularis omnium causa, et super ablationem omnem excellentia ipsius illius qui simpliciter absolutus ab omnibus et ultra omnia est.

DIFFICULTATUM PRÆCIPUARUM

PRÆCEDENTIUM LIBRORUM

ABSOLUTIONES BREVES AC NECESSARIÆ

ARTICULUS PRIMUS

QUÆ DEI COGNITIO SEU VISIO HABERI POSSIT IN PRÆSENTI VITA VEL FUTURA.

NUNC circa præhabita tam in libro isto A quam præcedentibus, movendæ sunt aliquæ quæstiones, ex quarum solutione omnia ista clarius intelligentur.

Quumque in libris his magni Dionysii frequenter jam dictum sit, quod Deus sit prorsus innominabilis, ineffabilis, incognoscibilis, invisibilis, indefinibilis; quæritur utrum et qualiter vera sint ista, præsertim quum nulla res tot nominibus nominetur, exprimatur, et describatur, ut Deus, nec aliqua res ex tot repræsentativis et similitudinibus, effectibus et exemplis, B ex tot rationibus, argumentis et mediis, ex tot vestigiis et doctrinis agnoscatur, ut ipse.

Porro, si ad ista respondeatur, ut plurimi responderunt, quod idcirco innominabilis et ineffabilis appellatur, quia ab ejus cognitione deficimus, et imperfecte eum cognoscimus, quoniam non nisi ex creaturis cognoscimus ipsum ; objicitur quod fides et Scriptura potissime sunt de his quæ ex revelatione divina innotuerunt hominibus. Quum ergo Deus se ipsum C plenissime noscat, nomina quæ ipse nobis de se ipso revelavit, ei vere ac proprie competunt. Ipse autem Moysi sciscitanti, Quod est nomen tuum ? respondit : Ego sum qui sum ; hæc dices filiis Israel : Qui est, misit me ad vos. Et rursus ibidem : Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac et Deus Jacob ; hoc nomen mihi in æternum, et hoc memoriale meum in generationem et generationem. Denuo quoque in Exodo : Nomen (inquit) meum Adonai non indicavi eis. Atque per Isaiam : Ego (inquit) sum Dominus ; hoc est nomen meum. Idem argui potest de hoc nomine Dei tetragrammaton, quod designat essentiam Dei nude in se. Sic et de unigenito Dei Filio Isaias, Spiritu Sancto revelante, præfatus est : Vocabitur nomen ejus, Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis.

Exod. III, 14. — *Exod.* III, 15. — *Ibid.* VI, 3. — *Is.* XLII, 8. — *Ibid.* IX, 6.

Præterea aliqui dicunt, quod Deum non cognoscimus nisi ex creaturis, quæ omnes a perfecta repræsentatione bonitatis divinæ deficiunt infinite. Idcirco per eas seu ex eis non valemus Deum perfecte cognoscere nec nominare. In nominibus quoque duo possunt perpendi, videlicet res significata, et modus significandi. Quumque nomina a nobis imposita sint, semper deficiunt a repræsentatione perfectionis divinæ quantum ad modum significandi, quia significant perfectiones divinas secundum modum quo participantur a creaturis. Si autem consideremus rem nomine designatam, invenimus quædam imposita

ad significandum principaliter ipsam perfectionem exemplatam ac derivatam a Deo, non concernendo in sua significatione specialem modum participandi. Quædam vero invenimus imposita ad significandum perfectionem receptam seu participatam, secundum modum participandi talem aut talem : quemadmodum nomen hoc, sensus, significat cognitionem derivatam per modum materialis receptionis ; porro hoc nomen, cognitio, in principali sua significatione non includit specialem modum participandi notitiam. Hinc nomina imposita ad significandum perfectionem aliquam absolute, proprie dicuntur de Deo, et per prius conveniunt ei quantum ad res seu perfectiones significatas, quamvis non quoad modum significandi : ut bonitas, veritas, sapientia. Alia autem non dicuntur de Deo proprie, sed metaphorice, in quantum aliquid perfectionis continetur ac repræsentatur in rebus per ea signatis.

Verum, ut tactum est, his objici posset, quod plura supernaturalia et ex sola revelatione divina de Deo cognoscimus, et quæ omnino cadunt sub fide, seu quæ ex infusa nascuntur scientia. — Denique, si nomina designantia perfectionem simpliciter, principaliter designarent perfectiones exemplatas et derivatas a Deo, etsi eas [non] significant secundum modum quo participantur a creaturis, nullo modo competerent Deo, nec prædicari possent de eo. Perfectiones namque exemplatæ et derivatæ, sunt participatæ, limitatæ, finitæ et imperfectæ : quas constat Deo non convenire. Et rursus, si nomina hujusmodi significant perfectiones divinas secundum modum quo participantur a creaturis, non possunt enuntiari de Deo, cui nequaquam secundum illum modum conveniunt ; nec hujusmodi nomina essent Deo et creaturis communia, quia in sua ratione includerent imperfectionis modum, participationem et limitationem, quæ enti primo simpliciterque perfecto ac infinito non competunt. — Præterea, sicut in Hebræo sunt aliqua

A nomina Deum essentiamque divinam significantia nude et absolute in se, absque habitudine et circumvestitione seu comparatione ad creaturas, ita et in Latino. Et si dicatur quod non, negari non potest quin possint. Nempe juxta prætacta, secundum quod Deum cognoscimus, ipsum significare jam possumus. Quumque sciamus quod Deus est in se ipso esse purissimum, simplicissimum, separatum, immensum, et bonitas pura, sapientia in se subsistens, beatitudo penitus infinita, ens

B absolute perfectum : possumus eum per nomina significantia hæc nominare ; et si instituta non sunt, possumus ea instituere, quia nominibus ad placitum utimur.

Circa hæc scribit Albertus circa exordium expositionis suæ super librum de Divinis nominibus : Dicimus quod substantiam Dei, *quia est*, omnes Beati videbunt ; quid autem sit, nullus creatus intellectus videre poterit. Quum enim cognitio *quod est*, per principalem sit causam, oporteret, si cognosceretur *quod quid est*, ut

C circumspicerentur termini essentiæ ejus, et totum esse clauderetur in intellectu creato ; et per consequens, intellectus creatus Deo consisteret major, quum omne claudens majus sit eo quod in ipso clauditur.

Verum istud non videtur rite sonare, quia cognitio *quia est*, habetur de Deo etiam in præsenti ; estque talis cognitio obscura, et per speculum in ænigmate, quæ mentem creatam contentare et quietare non valet. Præterea in Scripturis pro-

D mittitur nobis pro præmio agnitio Dei clara et immediata, quam vocat Apostolus facie ad faciem : Ex parte, inquit, cognoscimus ; quum autem venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est ; videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem : nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam sicut et cognitus sum. Unde in prima sua Canonica sanctus testatur Joannes : Videbimus eum sicuti est. Amplius in Numeris scriptum est : Dixit Dominus ad Aaron et

I Cor. XIII, 9. 10. 12.

I Joann. III, 2.

Num. XII, 6-8.

Mariam : Si fuerit inter vos propheta Domini, in visione apparebo ei, aut per somnium loquar ad eum : at non talis servus meus Moyses, qui in omni domo mea fidelissimus est : ore enim ad os loquor ei, et palam, et non per ænigmata, videt Deum. Ex quibus verbis Augustinus in libro de Videndo Deum, probat et asserit, quod Moyses in hac vita vidit Deum per speciem, hoc est clare et immediate divinam essentiam. Nec obstat quod in Exodo Dominus legitur illi dixisse, Faciem meam videre non poteris, non enim videbit me homo, et vivet : quia quod ibi narratur ei negatum, postmodum fuit ei concessum, ut in Numeris fertur. Hoc ipsum affirmat Augustinus libro præallegato, de Paulo apostolo pro tempore illo quo fuit raptus in tertium cœlum. Si ergo hi famuli Dei adhuc in carne mortali viventes, viderunt ita divinam essentiam, quanto magis Beati in patria beatifice et incessabiliter intuentur eamdem?

Exod. xxxiii, 20. — *Num. xii, 8.* — *II Cor. xii, 2.*

Et quamvis fortassis aliquando licuit circa hoc diversimode opinari, nunc tamen postquam determinavit Ecclesia quid circa hoc sentiendum sit, non licet aliter opinari. At vero in constitutione et definitione Benedicti Papæ duodecimi, inter cetera continetur : Post passionem Christi Sancti viderunt, vident et videbunt in regno cœlorum divinam essentiam visione intuitiva et etiam faciali, nulla creatura mediante habente se in ratione visi objecti, sed divina essentia immediate, nude et clare se illis ostendente, quam qui vident, eadem divina essentia perfruuntur : ex qua visione atque fruitione, sunt et sine fine erunt vere beati. Hæc ibi. Et certe, ut in secunda secundæ, tractatu de fide, Thomas fatetur, contra determinationem Romani Pontificis nulli doctorum licet suam opinionem defendere.

Insuper de hac ipsa materia Albertus, vir valde catholicus, in aliis locis melius scripsit. Nam ut in expositione Mysticæ theologiæ, quæstione qua quærit an Moyses vidit Deum, in accessu videlicet ad divinam caliginem et ad Deum, respondet : Videre faciem Dei contingit dupliciter. Primo, in se absque velamine : sicque videtur in patria : et sic Moyses non vidit Deum in visione de qua in Exodo agitur. Secundo, in nobilissimis suis effectibus, scilicet gratiis theophaniarum, quæ sunt expressæ similitudines bonitatis divinæ : et ita tunc Moyses vidit Deum, juxta illud Exodi : Loquebatur Dominus ad Moysen facie ad faciem, sicut solet loqui homo ad amicum suum.

Exod. xxxiii, 11.

Amplius, Thomas super quartum Sententiarum scribit his consonanter : Quidam (dicens) theologi posuerunt quod intellectus humanus nunquam potest ad hoc pervenire ut Deum per essentiam videat. Quod dictum nullatenus stare potest, quia repugnat auctoritati Scripturæ canonicæ, ut in libro de Videndo Deum asserit Augustinus. Alii quidam dixerunt, non ipsam divinam essentiam increatamque lucem immediate videri in patria, sed quemdam ejus fulgorem seu radium. Quod eadem ratione destruitur. Idcirco dicendum, quod Beati in patria clare et immediate vident divinam essentiam, per hoc quod ipsamet divina essentia ipsis unitur quasi intelligibilis species, similitudo seu forma, non per inhærentiam : sicque divina essentia est Beatis objectum et forma seu quasi medium intelligendi. De hoc loquitur Thomas ibidem et alibi satis diffuse. Verumtamen de isto non est hic principalis intentio, quomodo scilicet vel utrum Deus videatur per essentiam a Beatis, sed qualiter in visione mysticæ theologiæ conspiciatur. Idcirco de illo pertranseo.

ARTICULUS II

QUOUSQUE MENS HUMANA CONTEMPLANDO DEUM, PERTINGERE SEU PROFICERE QUEAT.

QUÆRITUR ergo, an mens humana in visione et contemplatione mysticæ theologiæ videat seu intelligat vere et objective ipsummet Deum. Et si sic, an videat ipsum intuitive, an abstractive. Et insuper, an habeat de Deo conceptum distinctum, ac proprium vel quidditativum, an solum confusum seu generalem. Ex quorum solutione patebit responsio ad quæsita præfacta.

Quod autem in contemplatione tam theologiæ affirmativæ seu proprie dictæ (de qua tractat Theologus libro de Divinis nominibus, et Magister Sententiarum libro primo), quam theologiæ negativæ seu mysticæ, de qua jam in libro de Theologia mystica actum est, Deus vere et objective intelligatur, probatur sic : In omni intellectione actuali, reali et vera, est aliquod verum et reale objectum. Sed utraque ista Dei cognitio, est vera, realis et actualis intellectio Dei. Ergo habet verum et reale objectum circa quod versatur, et cui infigitur ac intendit : alioqui esset apprehensio vana, phantastica et frivola. Hoc ergo objectum reale, vel est ens creatum, aut increatum : si increatum, habet propositum ; si creatum, omnes illæ cognitiones seu contemplationes sunt falsæ, quum nullum ens creatum proprie dicatur, prædicetur aut verificetur de superbeatissimo infinitæ excellentiæ Deo.

Præterea, quum verbi gratia dico : Deus est ens omnifarie perfectum seu perfectionaliter infinitum, Deus est actus purus, Deus est universorum creator : istæ et consimiles propositiones sunt veræ atque catholicæ, ac proprie dictæ, non metaphorice aut symbolice seu translative. In omnibus autem his, apprehendendo æternum et increatum objectum, de quo solo verifican- A tur, et illud aliquo modo intelligo et agnosco ; ergo et illud intueor, quum istud intelligere sit mentaliter intueri. Unde et distinctum ac proprium de hoc objecto conceptum apprehendo, formo ac habeo, qui de alio nullo verificatur, et ad Dei essentialia pertinet, in quo nullum est accidens. — Similiter in propositionibus mysticæ theologiæ quum dico : Deus non est ens nec esse neque essentia, nec vivens nec vita ; item, Deus non est unus nec unitas, nec trinus nec trinitas, nec sapiens B nec sapientia, nec virtus neque omnipotens, nec verus nec veritas : in his et consimilibus propositionibus non est pura privatio, quæ locum non habet in invariabili Deo ; nec pura negatio : alioqui non plus esset dicere, Deus non est verus nec veritas, etc., quam, Deus non est chimæra neque non chimæra ; vel quam dicere, chimæra neque chimæra. Imo in hujuscemodi propositionibus negativis relinquitur ac supponitur seu præsupponitur positio et affirmatio aliqua sensusque positivus, C utputa quod supergloriosissimus et superessentialissimus Deus, est ens et esse atque essentia, et Deus ac deitas, unus et unitas, trinus et trinitas, vivens et vita, sapiens ac sapientia, infinite sublimius, perfectius et gloriosius, quam capere valemus : ita quod nihil horum intelligimus, concipimus, intuemur secundum naturam et modum quibus in ipso est, et ei convenit, et est quod ipse est : quia nihil horum intelligimus quantum ad *quid est*, et a priori aut in se ipso, sed ex suis effe- D ctibus et in illis, et quantum ad *quia est*, puta a posteriori. Attamen ipsum ens increatum, est objectum apprehensionum et contemplationum istarum.

In contrarium hujus arguitur primo sic :

Si in præfatis cognitionibus Deus est immediatum proximumque objectum, immediate inspicimus ac cognoscimus eum, et intuemur ejus essentiam, quæ est ipse. — Amplius, S. Dionysius in epistola ad Caium ait : Si quis videns Deum, intellexit quod vidit, non ipsum vidit, sed aliquid eorum quæ sunt circa ipsum, id est aliquid divinorum effectuum. Idem affirmat libro Mysticæ theologiæ. Sed et Damascenus primo asserit libro : Quæcumque dicimus de Deo affirmative, non naturam ejus, sed ea quæ sunt circa naturam ejus, ostendunt. Et iterum : Oportet singulum eorum quæ de Deo dicuntur, non quod ipse est secundum substantiam significare, sed quod non est ostendere : aut habitudinem quamdam, aut aliquid eorum a quibus separatur et distinguitur, aut aliquid eorum quæ assequuntur naturam aut operationem. — Præterea, secundum frequenter præhabita, perfectissima Dei contemplatio in præsenti, est qua conjungimur ei tanquam prorsus incognito : non ergo ipsum objective cognoscimus.

cap. 1.

Verum his denuo contraire videntur quædam verba Sanctorum, ut quod in libro Dialogorum sanctus deprompsit Gregorius : Animæ videnti Creatorem, angusta est omnis creatura. Quamlibet enim parum de luce Creatoris adspexerit, breve fit ei omne quod creatum est : quia ipsa luce intimæ visionis mentis laxatur sinus, tantumque expanditur in Deo, ut superior exsistat mundo. Hieronymus item in Regula sua fatetur se sæpius per hebdomadas raptum fuisse, increatamque lucem, id est ipsam superbeatissimam Trinitatem, conspexisse. Et multi Sanctorum multoties in hac vita rapti fuerunt in divitias gloriæ Dei, et in abyssum lucis immensæ absorpti. Unde et gloriosus pater Bernardus in Epistola ad Fratres de Monte Dei, juxta sublimem suam experientiam, scripsit : Quidquid in via hac de visione et cognitione Dei fidelibus impertitur, speculum est et ænigma, tantum distans a visione futura et cognitione, quantum a veritate distat fides, umbra a luce, tempus ab æternitate, nisi dum aliquando fit quod de Deo in libro Job legitur : Qui abscondit lucem in manibus, et præcipit ei ut rursus oriatur ; et annuntiat de ea dilecto quod possessio ejus sit, et ad eam possit ascendere. Electo etenim et dilecto Dei aliquando lumen quoddam vultus Dei ostenditur, sicut lumen clausum in manibus quodque patet et latet ad tenentis arbitrium : ut per hoc quod quasi in transcursu seu puncto videre permittitur, inardescat animus ad possessionem æterni luminis plenam hereditatemque gloriosam beatificæ visionis. Cui ut aliquatenus innotescat id quod ei deest, nonnunquam quasi pertransiens gratia perstringit sensum amantis, et eripit eum sibi, et rapit in diem qui est sine tumultu, ad gaudia silentii, et pro modulo suo ad momentum ac punctum, id ipsum ostendens ei videndum sicuti est. Interim etiam efficit ipsum in id ipsum, ut sit et ipse pro modulo suo sicut illud est.

Job xxxvi, 32, 33.

Amplius, de hac difficultate tangit Joannes de Gerson in tractatu suo de Mystica theologia : Si divinum (inquiens) Dionysium edoctum a conscio secretorum cœlestium Paulo placet inspicere, ubi de mystica disseruit theologia, cum expositoribus suis, invenimus eum tenere modum avertendi se a phantasmatibus corporeis, ut abnegatis omnibus quæ vel sentiri possunt vel imaginari sive intelligi, ferat se spiritus per amorem in divinam caliginem, ubi ineffabiliter et supermentaliter Deus cognoscitur. Dat exemplum de statuæfico sculptore, qui ex ligno aut lapide abradens format agalma pulcherrimum, hoc est simulacrum, per solam ablationem. Conformiter spiritus removens omnia per abnegationem quæ hic potest cognoscere, quæ suam utique secum gerunt imperfectionem vel potentialitatis, vel dependentiæ, vel privationis, vel mutabilitatis, invenit (omnibus his ablatis) tandem pulcherrimum Dei agalma, id est notitiam rei actualissimæ sine potentialitate, supremæ

sine dependentia, perfectæ et puræ sine privatione, necessariæ sine privatione.

At vero an notitia illa sit solum experimentalis in affectu supremo Deitati per amorem unito, an vero possit dici etiam intellectualis, non quidem intuitiva, sed abstractiva, et non solum comparativa, sed absoluta : consideratione et inquisitione dignissimum esset. Nam habet pars quælibet suos elevatissimos defensores. Sunt nempe qui exponentes Dionysium, primum tenent. Sunt alii dicentes posse haberi ultra prædictam experimentalem seu experimentativam de Deo notitiam, intellectivum conceptum proprium, absolutum, esse divini, quamvis non intuitivum, si imperfectio ab ipso removeatur et abstrahatur. Idem de vita, de bonitate, de sapientia, de potentia et consimilibus prædicatis perfectionalibus dicunt. Flecti videtur in istam sententiam Augustinus in pluribus locis, præsertim de Trinitate, docens ibi ferri in bonum absolutum. Bonaventura quoque in suo Itinerario, capitulo sexto. Unde videtur, quod abstracta ab ipso esse omni potentialitate, dependentia, privatione, et alia omni imperfectione ac finitate, resultet conceptus Dei absolutus ac proprius. Præterea advertendum, quia ut ait etiam in Scripto quarti, abstractio ista potest tot modis contingere, quot modis invenitur dissimilitudo. Primo enim contingit dissimilitudo, dum forma participatur secundum eamdem rationem speciei, sed non secundum eumdem modum seu gradum perfectionis : ut in duobus quorum unus est albior alio. Secundo, dum forma participatur secundum eamdem generis rationem, non speciei : ut inter duos coloratos quorum unus est albus, alius niger. Tertio adhuc minor est similitudo, dum aliqui non conveniunt in genere, sed in analogia, ut est similitudo coloris ad hominem, in hoc quod utrumque est ens : sicque deficiens est omnis similitudo creaturæ ad Deum.

Insuper quidam, ut Rabbi Moyses et Avicenna, dixerunt quod perfectiones creaturarum non conveniunt Deo nisi dupliciter, utpote negative et causaliter. Negative, dupliciter. Primo, ad removendum privationem seu defectum oppositum, ut quum dicimus Deum sapientem, ad innuendum quod in eo non est insipientiæ malum. Secundo, prout ex negatione relinquitur seu consequitur aliquid ; ut ex hoc quod quis dicitur immaterialis, relinquitur quod sit intelligens. Sicque secundum istos, hujusmodi nomina Deo attribuuntur magis ad removendum quam ad ponendum quidquam in eo. Per modum quoque causalitatis, dupliciter : primo, secundum quod causat perfectiones in creaturis, ut dicatur bonus et sapiens, quia sapientiam et bonitatem influit rebus ; secundo, quia ad modum creaturæ se habet, ita quod dicitur volens et pius, quoniam in causando instar volentis et pii se habet, sicut dicimus eum iratum. Et juxta istam positionem, omnia quæ dicuntur de Deo et creaturis, dicuntur de eis pure æquivoce, et nulla similitudo est creaturæ ad Creatorem ex hoc quod creatura vocatur sapiens, justa seu pia, etc. Quod et expresse asserit Avicenna. — Quibus objicitur, quod simili modo Deus posset dici lapis et lignum, quia est causa horum. Nec sic ex cognitione creaturarum duceremur in veram Dei cognitionem. Nec verum videretur quod Dominus dixit : Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram ; (*Gen.* I, 26) quod item in Ezechiele habetur : Tu Cherub, signaculum similitudinis Dei. (*Ezech.* XXVIII, 12) Omnis quoque effectus dicitur participata suæ causæ similitudo. — Verumtamen huic opinioni concordare videtur, quod super Mysticam theologiam scribit Albertus : Deus non habet aliquod commune quod sit in ipso et creaturis, neque ut species, neque ut genus, neque ut analogiæ principium ; sed est ibi tantum imitationis communitas qua creata imitantur Creatorem ut queunt ; et hæc non est vera communitas. Propter quod etiam non est aliqua apud nos prædicatio vera de Deo. Quæ verba inepte sonare censentur, nisi forsitan su-

mat prædicationem veram pro prædicatione proprie dicta.

Est ergo alia positio, quod perfectiones creaturarum sunt in Deo præeminenter : et hoc quantum ad tria. Primo, quantum ad universalitatem : quia in Deo sunt omnes perfectiones adunatæ. Secundo, quantum ad plenitudinem : quia in Deo sunt cum infinita perfectione. Tertio, quoad simplicitatem et unitatem : quæ enim in creaturis sunt diversa ac multa, in Deo sunt unum. Hæc est doctrina sanctorum Dionysii et Anselmi, ac plurium aliorum : quam doctores præcipui, Thomas, Alexander, Bonaventura, Richardus, Petrus, Ægidius, et alii multi sequuntur; rationabilior quoque videtur.

Verumtamen Scotus in Scripto suo super primum Sententiarum, tenet quod conceptus aliquis sit univocus et communis Deo et creaturis, atque quod ens univoce prædicetur de eis. Negat tamen Deum esse in aliquo prædicamento. Aliqui vero dicunt quod in prædicamento exsistat, ut Franciscus de Mayronis, et qui Nominalistæ dicuntur. Quod super primum Sententiarum improbatum est satis. Denique Guillelmus Parisiensis in Divinali suo de Trinitate, et dominus Antisiodorensis in Summa sua, Henricus etiam de Gandavo in Summa sua et Quodlibetis, tuentur Deum in prædicamento non esse, nec aliquid de ipso et creaturis dici univoce, sed analogice tantum. Quæ positio non solum est verior, sed item subtilior, reverentialior et congruentior infinitæ superincomparabili et superessentiali majestati divinæ, ac consonantior beatissimi Dionysii documentis, qui Deum in libris suis tam frequenter supersubstantialem, superessentialem, supermagnum, supersapientem, et prorsus ineffabilem, incognoscibilem, indefinibilem, illimitabilem nominat. Si autem esset in prædicamento, haberet genus et differentiam, ex quibus posset cognosci, describi seu definiri, et notificari.

Ad istud Thomas in pluribus locis respondet, et etiam super Boetium de Trinitate. Et vis omnium responsionum suarum in hoc consistit, quod cognitio fit per formam seu speciem et similitudinem cogniti : idque dupliciter. Primo, per propriam formam seu speciem, juxta illud Philosophi : Lapis non est in anima, sed species ejus. Secundo, per formam alterius similis sibi : ut causa per similitudinem sui effectus, et homo per formam suæ imaginis. Porro per propriam formam aliquid videtur dupliciter. Primo, per formam quæ est ipsamet res : quemadmodum Deus cognoscit se per suam essentiam, similiter angelus per propriam essentiam cognoscit se ipsum. Secundo, per formam quæ est ab ipsa re : sive sit abstracta ab ipsa re, ut quando forma seu intelligibilis species est immaterialior quam res, ut species lapidis abstracta a lapide ; sive sit impressa intelligenti ab intellecto, ut dum res intellecta simplicior est quam species ejus, sicut secundum Avicennam, intellectus humanus cognoscit substantias separatas per impressionem earum in ipsum. Quumque Deum in hac vita non cognoscamus nisi per suos effectus, qui a plena repræsentatione divinæ essentiæ deficiunt infinite, neque adæquant potentiam Creatoris, imo ab adæquatione ac perfecta repræsentatione omnipotentiæ ejus distant atque occumbunt penitus in immensum : non possumus Deum in via cognoscere clare in se et immediate, seu quantum ad quid est, sed solum a posteriori, et quia est. Verumtamen in hac cognitione Dei, *quia est*, est gradus et ordo, ita quod unus ita cognoscentium Deum, cognoscit eum multo perfectius et clarius quam alius. Causa namque ex suo effectu tanto perfectius cognoscitur, quanto per effectum plenius apprehenditur habitudo causæ ad suum effectum : quæ habitudo in effectu non pertingente ad æquationem suæ causæ, attenditur penes tria, videlicet quoad progressum effectus a causa, et secundum hoc quod effectus consequitur plus de similitudine suæ causæ, atque secundum hoc quod deficit a

perfecta ejus consecutione. Sicque mens humana tripliciter proficit in cognitione Dei ex suis effectibus. Primo, secundum quod perfectius cognoscitur efficacia Dei ad producendum. Secundo, prout nobiliorum effectuum noscitur esse causa. Quum enim causata aliquam Dei similitudinem gerant; eminentiora, quæ illi similiora sunt, excellentiam ejus magis commendant. Tertio, prout cognoscitur magis elongatus ac eminens a cunctis creatis, et ab omnibus quæ resplendent et sunt in illis.

Cap. 7. Unde de divinis nominibus Dionysius loquitur, quod cognoscitur Deus ex omnium causalitate, et excessu, et elongatione. In hoc demum cognitionis profectu maxime juvatur mens humana, dum naturale lumen ipsius confortatur supernaturali lumine fidei ac doni sapientiæ et intellectus, ac nova illustratione superna, quæ per mentis puritatem et virtuosam conversationem adipiscuntur, per quæ omnia mens in contemplatione supra se elevatur, in quantum cognoscit Deum esse supra omne quod apprehendit. Verumtamen, quia ad ejus essentiam videndam nequit pertingere, dicitur in se ipsa quasi reflecti ab illius lumine superexcellenti, juxta illud in Genesi: Vidi Dominum facie ad faciem. (Gen. xxxii, 30.) Quocirca scribit Gregorius: Visus animæ dum in Deum intenditur, immensitatis illius coruscatione reverberatur.

Ex his certum censetur, quod in cognitione Dei per propriam speciem atque essentiam, qua superpræstantissimus Deus clare et objective, quidditative et intuitive cognoscitur: non tamen simpliciter comprehensive, id est, non tam clare et plene sicut ex natura cognoscibilis est. Etenim sicut infinitæ est actualitatis, entitatis et perfectionis, ita et infinitæ est cognoscibilitatis; sicque sibi solus comprehensibilis et cognitus est. A qua comprehensione omnes Beati infinite deficiunt; attamen plenarie contentantur et quietantur, quoniam vident illum sicuti est (I Joan. iii, 2), et tota ipsorum naturalis capacitas impleta est et superimpleta. Hinc et comprehensores vocantur. — At vero in contemplatione Dei in vita præsenti per affirmativa de ipso proprie (non metaphorice) dicta, de quibus in libro de Divinis nominibus agitur, cognoscitur Deus modo prætacto *quia est*; attamen objective et immediate, ita quod non est medium per quod, in ratione objecti; est tamen medium per quod, in ratione speciei intelligibilis, quia per formas similitudinesque creatas, et non clare in se ipso, cognoscitur; ita quod sua essentia sit quod et quo, seu objectum et species per quam.

In contemplatione autem seu visione mysticæ theologiæ, qua Deus per omnium ablationem et abnegationem cognoscitur, clarius et sublimius noscitur et videtur quam in contemplatione prædicta per affirmationes, ideo et objective: non tamen quid est, sed quia est; sed per appropinquationem grandem ad notitiam quidditatis. Veruntamen in hac contemplatione fertur apex mentis et intelligentiæ vertex Deo uniri tanquam omnino ignoto, in omnimoda quoque caligine fieri, nihilque penitus de illo cognoscere: non quod ab illius inspectione omnifarie vacet, præsertim quum ista sit altissima, clarissima, perfectissima ac profundissima Deitatis contemplatio, cognitio, visio huic vitæ possibilis, ut ipsemet magnus Dionysius et expositores ipsius testantur; sed quia in hac contemplativa et sapientialissima ac ferventissima unione cum Deo, mens acutissime et limpidissime conspicit quam superincomprehensibilis et supersplendidissimus et superluminosissimus et superpulcherrimus et superamabilissimus et supergaudiosissimus sit ipse Dominus Deus omnipotens et immensus, atque quam infinite et indicibiliter a plena illius cognitione, et beatifica ejus fruitione, visioneque faciali, immediate et clare intuitiva, distet, deficiat et occumbat. Ideo præ admiratione et amore deficit et defluit a se ipsa, gaudiose quoque ac dulciter absorbetur, obdormit et quiescit in superdilectissimo Deo, creatore, salva-

tore ac miseratore, imo et supergratissimo suo sponso, totius beatitudinis suæ superpiissimo fonte, omnipotentissima et liberalissima causa.

Præterea advertendum, quod S. Thomas in hujus quæstionis determinatione, sicut et alibi sæpe, imo sæpissime, multum affirmat et fortiter tenet, quod intellectus noster intelligere nequit nisi speculando phantasmata. Quod quamvis ubertim et evidenter ac copiose improbatum sit, præsertim super secundum Sententiarum, et in Elementatione philosophica seu Compendio philosophiæ, hic tamen aliqua sunt addenda vel potius repetenda.

Itaque super Boetium et alibi ait multoties : Intellectus noster secundum statum viæ habet habitudinem determinatam ad phantasmata, quoniam comparatur ad ea sicut visus ad colores : phantasmata autem ab exterioribus formis abstrahuntur. Idcirco non potest Deum in hoc statu per essentiam ipsius cognoscere, nec per aliquam speciem spiritualem quæ sit Dei similitudo, propter ipsius intellectus connaturalitatem ad phantasmata. — Quibus objicitur, quia ut ipsemet Doctor sanctus affirmat ac bene idonee probat in Summa contra gentiles, anima rationalis adhuc manens in corpore, quantum ad vires suas inorganicas, immateriales, intellectivas, supremas, super corpus est elevata et per se subsistens, nec quoad totum suum esse, comprehensa a corpore. Nec enim potentiæ ejus sunt nobiliores aut elevatiores quam sua essentia, ut Proclus insolubiliter probat. Ergo vires illæ superiores jam actuatæ scientia competenti et intelligibili forma, agere queunt ex sua natura sine communione et conversione ad corporale phantasma, et absque adminiculo virium sensitivarum, quum modus agendi sequatur modum essendi, et proprietas actionis, naturam agentis. — Præterea si istud negetur, non poterit naturali ratione ostendi immortalitas animæ : cujus oppositum S. Thomas sæpius scripsit.

A Nempe ut libro de Anima ait Philosophus, si anima rationalis in vita hac non habet aliquam operationem liberam, propriam, ac separatam a corpore, non potest extra corpus subsistere ; si autem habet actionem hujusmodi, potest a corpore separari. Quod si dixeris, quod separata habet alium modum essendi, ergo et operandi : jam præsupponis quod restat probandum. — Amplius, in ipsa scientia rei et intelligibili specie ejus, sufficienter relucet natura objecti, etiam purius et illimitatius quam

B si species illa ad phantasma retorqueatur : ergo per speciem illam purius cernitur. Quod et experimento docetur in his qui interdum omnino abstrahuntur a corpore.

Verum quoniam Thomas pro se quandoque allegat et beatissimi Dionysii verba, potissime illud, Non est possibile aliter nobis lucere radium divinum, nisi circumtectum variis tegumentis sensibilium formarum : quod supra expositum est atque solutum (quia intelligendum est quantum ad primam intellectus informa-

C tionem, sicut et illud Philosophi : Intelligentem oportet phantasmata speculari) ; nunc tamen ex dictis in Mystica theologia ostendendum est istud de mente Dionysii non fuisse, sicut hoc supra ostensum est ex aliis ejus libris. Ait quippe primo Mysticæ theologiæ capitulo : Tu circa mysticas visiones forti attritione et sensus derelinque et intellectuales operationes, et omnia sensibilia et intelligibilia, et omnia exsistentia : eo enim tui ipsius et omnium irretentibili et absoluto excessu, ad

D supersubstantialis caliginis radium, cuncta auferens et ab omnibus absolutus, munde et pure sursumageris. Quid fortius, quid sententiosius dicere potuit Sanctus ille? Certe qui phantasmata speculatur, non deserit nec transcendit pure ac penitus omnem sensum et sensibilia universa. Nec tamen in ista mystica contemplatione sufficit ista relinquere, nisi et intelligibilia omnia deserantur et cuncta creata operationesque propriæ, et ipse qui contemplatur nec se ipsum intueatur.

Quid in ista contemplatione conferrent phantasmata, quando jam apex mentis soli increatæ luci intentus est et unitus per theorica lumina, per sapientiæ radium, per impressiones deificas? Rursus eodem dixit capitulo : Omnium causa solis incircumvelate et vere apparet transcendentibus omnia immunda et materialia, et omnes animos supervidentes. Audis quod sit, incircumvelate, id est sine sensibilium formarum velamine? Et si oportet in hac intuitione etiam angelicas purissimas mentes transcendere, quomodo non magis vilia et materialia ista phantasmata?

Adhuc autem, si sine phantasmate nequit mens humana quidquam cognoscere, quomodo vera sunt quæ de anagogica ac pure mentali contemplatione et superna illustratione Sancti locuti sunt et scripserunt? Cur beatissimus David ceteris præfertur Prophetis qui imaginarias visiones sortiti sunt, quum ipse anagogice et pure immaterialiter sine phantasmatum velamento divina prævidit mysteria, et sacra cognovit abscondita. Incerta (inquiens) et occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi? Adverte et perspice quod secundo Regum libro loquitur de se ipso : Spiritus Domini locutus est per me, et sermo ejus per linguam meam, sicut lux auroræ, oriente sole, mane absque nubibus rutilat, et sicut pluviis germinat herba de terra.

Ps. L, 8.

2 Reg. XXIII, 2.

At vero dicunt illi, quod mens humana non illuminatur immediate a mente angelica luce immateriali, sed lux illa unitur phantasmati, et prout relucet in illo, a mente humana conspicitur. Et nonne mens humana simplex, immaterialis, deiformis, capacior est directe et immediate illuminationis ac lucis angelicæ, quam materiale phantasma? Hæc alibi plenius introducta pertranseo.

Cf. tom. XV, p. 29.

Quod autem ex B. Dionysio et Damasceno objicitur, quod ea quæ de Deo et creaturis prædicantur, non ipsum Deum designant, sed aliquid eorum quæ sunt circa ipsum, et quid non est, ita videtur intelligendum, quod non significant Deum pure et plene, prout est in se ipso, sed prout in suis relucet effectibus, seu secundum quod cognoscitur ex eisdem (non quod significent quid increatum in recto, quamvis denotent tale quid in obliquo), et quod aptius negentur de Deo, secundum quod nos ea concipere possumus. Attamen magna est differentia nominum divinorum, et quamvis quædam designent Deum secundum modum proprium sibi, non tamen talia intelligimus quoad significata, nisi quantum ad quia, non quoad quid. Ex quibus rite pensatis et intellectis, solvuntur omnia objecta præhabita.

Denique, si cognitio intuitiva dicatur qua res in se ipsa et quoad suam quidditatem cognoscitur mentaliterque videtur, dicendum est quod Deum in hoc sæculo non valemus intuitive cognoscere. Si autem loquendo extensius, dicatur intuitiva cognitio dum quid objective agnoscitur et quoad essentialia sua seu propria sibi, quamvis non clare ac distincte secundum quod in se ipso est ; potest dici quod in vita hac cognoscimus Deum etiam intuitive, et quoad quia est, non autem quoad quid est, nisi valde obscure et imperfecte. Nihilo minus distinctam de Deo habemus notitiam, ita quod multa de ipso cognoscimus quæ ei soli conveniunt : ut quod est esse increatum, independens, purum, perfectum, et penitus separatum, quamvis ignoremus quid hoc sit. Hinc super librum Boetii de Trinitate, Thomas fatetur : De nulla re potest sciri an est, nisi aliquo modo sciatur de ea quid est, aut perfecte, aut confuse, secundum Philosophum in principio Physicorum.

Ex his quoque apparet dicendum, quod ultra et præter notitiam Dei experimentalem, affectivam et mysticam, haberi etiam potest jam de Deo notitia intellectualis, mystica, abstractiva et absoluta, juxta modum prætactum, abstrahendo ipsum esse ab omni prorsus imperfectione, accipien-

doque illud cum omnimoda excellentia, nobilitate et perfectione ac perfectionali infinitate : quemadmodum etiam Alphorabius et Avempote dixerunt, quod intellectus noster cognoscendo quidditates sensibilium ac materialium substantiarum, abstractissime cognosceret quidditatem substantiæ separatæ : quorum tamen opinio fuit non vera, quia ex tali sensibilium abstractissima cognitione non sciretur propria et ultima differentia cujuscumque separatæ substantiæ, quemadmodum etiam ex prætacta Deitatis abstractiva contemplatione non agnosceretur quidditas esse divini.

Postremo patere videtur ex dictis, quomodo Deus dicatur innominabilis, ineffa- A bilis, indesignabilis : quia videlicet nullo nomine exprimi potest, quo clare et plene insinuari atque intelligi possit quid sit, et qualiter in se ipso sit ens. Nihilo minus innumerabilia nomina sunt ipsius, quæ ipsum aliquo modo imo et variis modis designant, quædam perfectius, quædam minus perfecte. Quod vero in libro de Causis asseritur, quod prima causa non narratur nisi per causas secundas, non est intelligendum quod nomina secundarum causarum proprie et univoce B conveniunt causæ primæ ; sed quod sicut cognoscitur per causas secundas, omni illarum imperfectione tandem exclusa, sic nominatur per eas, verumtamen per excellentiam infinitam.

ARTICULUS III

QUÆ MYSTICÆ THEOLOGIÆ DEFINITIO SIT, ITEMQUE SUBJECTUM ATQUE OBJECTUM.

CONSEQUENTER quærendum, quid sit mystica theologia, et de ejus subjecto atque objecto ; et an sit scientia : et si sic, an speculativa, an practica.

Multi itaque eam definiunt dicentes : Mystica theologia est secretissima mentis cum Deo locutio. Alii, quod sit ardentissima divinæ caliginis intuitio. Quæ descriptio aptior videtur quam prima. Non enim in mystica theologia dirigitur jugiter sermo mentis ad Deum ; sed ipsa mentis in Deum defixio, admiratio majestatis, suspensio animi in lumen immensum ac æternale, ferventissima ac quietissima et transformativa seu absorptiva inspectio Deitatis, est mystica ista theologia, præsertim si accipiatur pro actu. Si autem sumatur pro habitu, realiter idem est quod præstantissimum donum Spiritus Sancti quod sapientia nuncupatur, sumendo sapientiam non ut est donum gratiæ gratis
1 Cor. xii, 8. datæ, de qua ait Apostolus, Alii per Spi- C ritum datur sermo sapientiæ ; sed ut est donum gratiæ gratum facientis supernaturale infusum, caritati inseparabiliter junctum, de quo loquitur Isaias : Requiescet super eum spiritus sapientiæ et intellectus. Is. xi, 2.

Quemadmodum etiam triplex est gradus caritatis, ita et sapientiæ hujus, quæ secundum gradum suum tertium ac supremum, est ipsa mystica theologia : quæ non est proprie scientia, prout scientia est habitus acquisitus aut etiam infusus informis, qui in speculativum practicum- D que dividitur ; imo sapientia ista nunquam informis est, sicut nec caritas.

Hinc, sicut donum sapientiæ realiter ac subjective est in intellectu, quamvis quantum ad suum extrinsecum complementum, quod est ferventissimus amor, in voluntate ponatur ; ita et mystica theologia. Quod etiam constat ex hoc quod vocatur visio, contemplatio, intuitio, interiorque locutio : quæ omnia spectant ad

intellectum, et in ipso realiter esse censentur, quamvis aliqui videantur aliter æstimasse. Nam et Joannes de Gerson in libro suo de Mystica theologia, ait quod theologia speculativa est in intellectu, mystica in affectu seu voluntate : quum tamen ipsemet dicat quod theologia mystica est experimentalis cognitio de Deo per amoris unitivi complexum ; et rursus : Theologia mystica est sapientia, id est sapida de Deo notitia, etc.

Præterea, quum mystica theologia sit donum sapientiæ secundum gradum suum supremum, non invenitur proprie nisi in personis perfectis, quæ per exercitia vitæ purgativæ et illuminativæ ad viam perfectivam ac unitivam perductæ sunt. Hinc communiter fertur, quod mystica theologia consistit in unione cum Deo per ardentissimum caritatis ardorem, in tantum quod Henricus de Balma in libro suo de Triplici via, asserit quod unio illa amoris, intuitionem seu cognitionem intellectus præcedit. Cujus oppositum in libro de Contemplatione probatum est, quum et voluntatis objectum sit bonum intellectum, id est intellectualiter apprehensum seu cognitum.

ARTICULUS IV

QUALIS FUERIT PRISCORUM PHILOSOPHORUM ALIQUOT THEOLOGICA NOTITIA.

MODO quæritur, an ad mysticam theologiam pervenerunt philosophi. Et apparet quod non, quia philosophorum sapientia fuit insipida et informis : nec enim caritatem habebant. Sanctus quoque Dionysius mysticam theologiam appellat Christianorum sapientiam, quia fidelibus, non infidelibus, condonatur.

Et respondendum, quod meliores philosophi, præsertim Plato et Socrates, et eorum sequaces, erant virtutibus politicis, naturalibus moralibus, acquisitis valde intenti, naturali quoque Dei amori, ad quem ceteras ordinaverunt virtutes et actus illarum. Quod Augustinus in libro de Civitate Dei per diversa capitula ex verbis Platonis probat : quæ alibi frequenter sunt allegata. Porro ad supernaturalem Dei amorem, qui caritas nominatur, sapientiamque infusam, quæ donum est Spiritus Sancti, non pervenerunt : ideo nec ad mysticam theologiam ; sed ad aliquid simile, hoc est ad sapientiam seu divinorum notitiam quæ ex consideratione rerum creatarum ac ordinis universi potest acquiri, quæ naturalis et philosophica nuncupatur : in qua felicitatem hominis speculativam constituerunt. Unde et Aristoteles asseruit eamdem, speculationem optimi speculabilis. Qui etiam fassus est et expertus, quod philosophia admirabiles habet delectationes in actibus suis. Denuo quoque acutius dixit, quod vita nostra interdum ad modicum talis est, qualis est vita primi entis invariabiliter. Hinc nono de Civitate Dei sanctus recitat Augustinus : Summus Deus, teste Apuleio, sic a Platone laudatur, quod imbecillitate atque penuria humani sermonis exprimi nequit, et humano intellectu attingi vix potest, et hoc a sapientibus, dum se toto ad hoc conatu præcinxerint : quibus nonnunquam velut in altissimis tenebris rapidissimo coruscamine intermicans supercandidissimum lumen raptim apparet. lib. IX, c. 16.

Porro viri fideles heroici et perfecti, longe sublimius mysticam theologiam sortiuntur, experiuntur, venantur per supernaturalia charismata Spiritus Sancti : quod et dupliciter accidere solet. Primo, per

eorum præparationem, cooperationem et conatum ad hoc, dando se ipsos ad abstractionem a cunctis creatis et ad fervidam unionem cum Deo, per recollectionem mentis suæ ad intra, et per affectuosissimam divini invocationem auxilii, et considerando inflammativa divini amoris. Secundo fit istud modo mirabiliori et eminentiori, quamvis forsan non magis meritorio semper, videlicet dum fervens amator absque conamine proprio præparationeque prævia repente prævenitur, præstringitur, inflammatur et super se tollitur, contemplationisque luce exuberanter perfunditur, præoccupatur ac vincitur, in tantum ut etiam si velit, resistere nequeat, neque evadere possit supergratiosissimi spirituum sponsi amplexum, a quo in regione luminis infiniti transfertur, in quo vere idem sunt regio ipsa et habitator.

De his, libro de Consideratione, horum expertus deprompsit Bernardus : Quidam
ant. I, 3. trahuntur, qui dicere possunt : Trahe me post te. Nonnulli ducuntur, qui dicunt :
id. II, 4. Introduxit me rex in cellam vinariam. Alii rapiuntur. Et primi quidem felices, qui
Luc. XXI, in patientia sua possident animas suas.
I. LIII, 8. Secundi feliciores, qui ex voluntate sua confitentur Domino. Tertii felicissimi : qui in profundissima Dei misericordia quasi sepulta arbitrii libertate, in divitias gloriæ in spiritu ardoris rapiuntur; qui spreto ac supergresso adminiculo rerum ac sensuum usu, non ascensoriis gradibus, sed inopinatis instantaneisque excessibus feruntur in Patrem ac Dominum lumi- *Jacob.* I, 17.
num, in quo et aliquando non ad momentum tantum, sed et diutius detinentur in elevatione tam supernaturali, mira, deifica, quousque sibimetipsis restituantur.

Denique quidam his raptibus anagogicis et amorosis excessibus assueti, de contemplativis exercitiis scriptitando, secundum spiritus sui fervorem interdum scripserunt satis extense. Quod alii quidam non advertentes, illos immoderate et indiscrete reprehenderunt : quemadmodum et Joannes prætactus in tractatu suo de Mystica theologia redarguit acriter nimis et non vere, devotissimum virum innocentemque Joannem Rusbrochium, quod voluerit quorumdam hæreticorum renovare errorem in libro suo de Spiritualibus nuptiis. Sic et redarguit inconsiderate quædam verba Joannis Climaci. Et in opusculo de Abstinentia ab esu carnium, persuadere conatus est, quod Cartusienses non peccarent mortaliter carnibus vescendo. Quod in tractatulo de Laude et approbatione ordinis Cartusiensis, evidenter a me est reprobatum : nisi in casu necessitatis extremæ.

ARTICULUS V

QUO COMPENDIO MYSTICÆ THEOLOGIÆ CULMEN OBTINENDUM.

QUALITER ad adipiscendum mysticæ theologiæ culmen ordinatius ac compendiosius sit tendendum, nunc prout Dominus dederit, breviter tangam : nempe de his in opusculis aliis ac pluribus locis multa conscripsi.

Summatim igitur perstringendo, nil nos a Deo reprehensibiliter separat et elongat, nisi propria culpa. Qui igitur cupit Deo approximare, ad amicitiam ejus pertingere, divino amore succendi, ad divinarum illuminationum fulgores pertingere, mysticam theologiam gustare et experiri, Deo familiaris ac intimus fieri, et tanquam secretarius et consiliarius ejus constitui : studeat incessanter in præsentia summi

ac tremendissimi judicis sui, omnipotentis cunctaque inspicientis, considerantis ac judicantis Dei, sollicite ambulare, timorate incedere, reverentialiter se habere, hoc est omnem ignaviam, acediam et torporem tanquam infernalia mala vitare, et ne Deum suum offendat in aliquo, jugiter cum incessabili diligentia præcavere, præsentiam Omnipotentis assidue intueri ac ponderare, et coram illo se ipsum sæpissime increpare, dicendo : O tu miser et negligens, quomodo tam irreverenter et intimorate, tam dissolute et infructuose habes te coram Deo, cui exercitus cœli adstat, psallit atque obsequitur cum tremore? Ubi est quod sanctus deprompsit Apostolus : Cum metu, timore et tremore vestram salutem operamini? Itemque : Serviamus Deo cum metu et reverentia? Cui consonans Psalmographus : Servite (ait) Domino in timore, et exsultate ei cum tremore. Nonne Dominus in suo obsequio despicit indevotum, evomit tepidum, detestatur somnolentum et pigrum? Adspiremus cum gemitu omni hora ad Dominum, vehementer dolentes quod majestati suæ immensæ tam imperfecte servimus, tam instabiliter adhæremus, tam parum afficimur ; sicque imperfectum nostrum videant ac deplorent oculi nostri. Luctum unigeniti fac tibi, planctum amarum.

Philipp. II, 12. — Hebr. XII, 28. — Ps. II, 11. — Apoc. III, 16. — Ps. CXXXVIII, 16. — Jer. VI, 26.

Certe talis compunctio, hujusmodi spiritus nostri quotidiana scopatio, hæc adspiratio jugis ad Dominum, plus confert ad cordis munditiam, ad omnem gratiam impetrandam, ad mysticam theologiam degustandam, quam mille libros percurrere et studere. Quam multæ et magnæ universitates in Christianitate fuerunt et sunt! quam multa studentium millia fuerunt et sunt in illis! Et tamen solus Thomas de Aquino ex illis canonizatus videtur, paucissimi alii. Cur hoc? nisi quoniam altiora se quæsierunt, et fortiora se scrutati sunt; quæ autem Deus præcepit ipsis, non debite ideo non tam perfecte adverterunt. Veruntamen oculi nostri sint semper ad Dominum; ipsum toto corde ferventissime diligamus. Ad quod certissime cito perveniemus, si juxta modum prætactum coram ipso timorati, sollicití, custoditi fuerimus, atque nos ipsos non nisi in Deo sapienter dilexerimus ac sincere, omnia æquanimiter tolerantes, hilariter patientes, per quæ a vitiis nostris purgari, Deo placere, in sancta religione proficere possumus ; hoc est privatum amorem, qui vere sui ipsius est odium, penitus exstirpare, subjectione et abjectione gaudere ; non sequi Diotrephen, qui amavit gerere primatum inter fratres, nec primum illum apostatam qui traxit post se tertiam partem stellarum ; sed unicum illum magistrum qui dixit, Discite a me quia mitis sum et humilis corde ; qui quæsitus ut promoveretur in regem, fugit ; quæsitus ut ignominiosissimam et acerbissimam mortem subiret, sponte occurrit.

Eccli. III, 22. — III Joan. 9. — Apoc. XII, 4. — Matth. XI, 29. — Joan. VI, 15. — Ibid. XVIII, 4.

Heu, heu! quam multi in sancta religione perdunt animas suas, ac pereunt in æternum! Hi plane qui in subjectionis statu locati, non satagunt juxta suæ vocationis seu professionis exigentiam digne Deo conversari, proficere, reformari ; et pro eo quod deberent de die in diem humiliores magisque custoditi ac pavidi fieri, non verentur nec erubescunt quotidie dissolutiores et sæculariores animo effici. Porro his gravius dilabuntur et horribilius damnabuntur, qui in gradu præsidentiæ constituti, non audent præceptum paternæ correctionis ac fraternæ correptionis intrepide adimplere, nec sine personarum acceptione, delinquentes, negligentes, pigros, somnolentos, verbosos et garrulos, impatientes ac duros, debite increpare, hortari, disciplinare : et hoc, timore carnali mundano, ne a statione sua expellantur, ne a suo ministerio deponantur. Siquidem propriis commodis, solita libertate, consueto honore privari verentur. Hi cum morte fœdus percusserunt, malentes Dei injurias, animarum pericula, ac propriæ salutis gravissima dispendia dissimulare, sufferre ac pertransire, quam in valle hac lacrimarum, in loco hujus exsilii humi-

Is. XXVIII, 15.

liari ac subjici, et coram Deo vere discutere, recognoscere et emendare se ipsos. Heu! quam infelicissima et immensa est horum ambitio, insipientia, excæcatio! Redite, prævaricatores, ad cor, et pensate quod sanctus dixit Gregorius : Unusquisque præsidens toties ad apostasiæ crimen collabitur, quoties præesse hominibus delectatur.

(Is. xlvi, 8.)

Numquid tales sunt mysticæ theologiæ capaces? Nos igitur horum abhorrentes consortia, detestantes exempla, fugientes vestigia, in omnibus verissime cognoscamus proprias nostras miserias, defectuositates, irrationabiles motus, quotidianos defectus, multiplices quoque excessus, et revera innumerabiles culpas. Ex quorum diligentissima consideratione profundissime humiliemus, cordialissime contemnamus, assidue deploremus nos ipsos; operibus pœnitentiæ strenue insistamus, carnem cum vitiis et concupiscentiis crucifigamus, virtutum profectui infatigabiliter insudemus; in indefessa recordatione, exercitatione, compassione, imitatione dominicæ passionis, sit nostra præcipua philosophia; zelo divini honoris, desiderio boni communis, generalis reformationis salvationisque omnium inexstinguibiliter ardeamus. Ad laudem et gloriam Omnipotentis, qui est super omnia Deus sublimis et benedictus. Amen.

(Galat. v, 24.)

COMMENTARIA
IN EPISTOLAS S. DIONYSII

PRÆFATIO

VIDETE *quoniam non solum mihi laboravi, sed omnibus exquirentibus veritatem*. Eccli. XXIV, 47.

Ex Evangelio edocemur, quod qua mensura mensi fuerimus proximis nostris, (*Matth.* VII, 2.) remetietur nobis divinitus. Ideirco qui dona desuper sibi concessa proximis caritative liberaliterque communicat, id meretur ut Deus omnipotens gratiarum suarum charismata ei munificenter impertiatur. Hinc beatissimus Apostolorum princeps hortatur : Unusquisque sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes. (I *Petr.* IV, 10.) Itaque homines studiosi, præsertim etiam cœlitus illustrati eminenterque eruditi, non sibi dumtaxat laboraverunt, sed ceteris quoque qui informari desiderant. Propterea, Salomone testante, Pretiosi spiritus vir eruditus; et juxta Scripturam, Sapientes in populo hereditabunt honorem. (*Prov.* XVII, 27. *Eccli.* XXXVII, 29.)

Tales ab exordio Ecclesiæ populo christiano fuerunt. Quorum unus non mediocriter gloriosus, fuit magnus ac divinus Dionysius : ad quem in dubiis suis recursum habuerunt non tantum mediocres, sed magni quoque et apostolici viri, Titus, Timotheus, ac alii plures, atque Caius iste ad quem et S. Joannes apostolus tertiam suam scripsit (III *Joann.* 1.) epistolam canonicam, ex qua habetur quod fuit caritativus hospes peregrinorum ac (*Ibid.* 5, 6.) devotorum. De quo putatur S. Paulus scripsisse : Salutat vos Caius hospes meus. (*Rom.* XVI, 23.) Qui postmodum caritate succensus majori, cunctis relictis, factus est monachus, et informationem a B. Dionysio petiit super his quæ in libro de Mystica theologia, de divina caligine et ingressu in eam locutus est.

S. DIONYSII AREOPAGITÆ

MARTYRIS, ATHENARUM EPISCOPI ET GALLIARUM APOSTOLI

EPISTOLÆ AD DIVERSOS

JOANNE SARRACENO ET AMBROSIO CAMALDULENSI INTERPRETIBUS[1]

EPISTOLA PRIMA

AD CAIUM MONACHUM.

TENEBRÆ occultantur lumine, et magis multo lumine; ignorantiam occultant cognitiones, et magis multæ cognitiones. Hæc excessive sed non secundum privationem accipiens, enuntia supervere quod latet habentes exsistens lumen, et exsistentium cognitionem secundum Deum ignorantia; et superpositæ ipsius tenebræ et cooperiuntur omni lumini et absconduntur omni cognitioni. Et si quis videns quidem Deum, intellexit quod vidit, non ipsum vidit, sed aliquid eorum quæ sunt ejus, quæ exsistunt et cognoscuntur. Ipse autem super mentem et super substantiam supercollocatus, in ipso universaliter non cognosci neque esse, et est supersubstantialiter et super mentem cognoscitur. Et secundum melius perfecta ignorantia cognitio est ejus qui est super omnia quæ cognoscuntur.

[1] In plerisque Areopagitæ epistolis elucidandis, Dionysius noster usus est versione Sarraceni, in nona vero et decima, Camaldulensis. Versio autem Joannis Scoti post commentarium uniuscujusque epistolæ invenietur.

COMMENTARIA DIONYSII CARTUSIANI

IN

EPISTOLAS S. DIONYSII

ARTICULUS PRIMUS

ELUCIDATIO HUJUS PRIMÆ EPISTOLÆ AD CAIUM MONACHUM : QUOMODO IGNORANTIA QUADAM COGNOSCATUR DEUS, ET QUOMODO VISUS SIT AB ILLIS QUI VIDISSE EUM LEGUNTUR.

TENEBRÆ *occultantur lumine*, id est, A ipsæ tenebrositates tam in spiritualibus quam in corporalibus, expelluntur et quasi in nihilum rediguntur luce adveniente : quamvis tenebræ positive nihil sint, sed tantum privatio luminis ; *et magis multo lumine*, id est, lumine copioso plenius depelluntur et effugantur : quod et in spiritualibus ita est. Unde subjungitur : *ignorantiam occultant cognitiones*, id est, illuminationes atque notitiæ veritatum exstirpant et fugant imperitiam et nescientiam mentis, quemadmodum nitor B gratiæ maculam culpæ, *et magis multæ cognitiones*, id est, veritatum scientiæ quo fuerint ampliores, eo magis removent ignorantiæ nebulas. Hinc alia translatio clarius continet : Tenebræ luce vanescunt, eoque magis, quo major fuerit copia luminis : ignorantiam agnitiones excludunt, atque eo itidem magis, quo illæ fuerint plures. Denique in Scripturis peccata tenebræ appellantur, similiter peccatores, juxta illud Apostoli : Fuistis aliquando tenebræ ; atque in Joanne : Lux in tenebris lucet, et C tenebræ eam non comprehenderunt. Hinc alibi scriptum est : Qui odit fratrem suum, in tenebris est, et in tenebris ambulat, et nescit quo eat, quoniam tenebræ obcæcaverunt oculos ejus.

Ephes. v, 8. Joan. i, 5. I Joan. ii, 11.

Ista videntur fuisse verba Caii objicientis verbis Dionysii quibus dixit abundantiam incomprehensibilem lucis divinæ tenebras appellari. Cui objectioni respondet Theologus.

Hæc excessive : id est, quod dixi lucem illam divinam immensam tenebras, dixi propter infinitum excessum lucis illius, quæ sua plenitudine superat atque reverberat omnem aciem mentis creatæ : propter quod inaccessibilis dicitur. Hinc alia littera habet : Hæc supereminenter. *Sed non secundum privationem accipiens, enuntia*, id est, loquere de ista materia, « non accipiens », id est, non intelligens quod dixi de divina caligine, « secundum privationem », id est, ita quod Deus dicatur caligo ob imperfectionem et carentiam claritatis.

Supervere quod latet habentes exsistens lumen, id est, lux divina est lux « supervere », id est superclarissime et incomparabiliter, « lumen » purum « exsistens », « quod latet habentes », id est, eos qui

illud habent in se per gratiam et aliqualem notitiam, quia non valent plene cognoscere ac penetrare id ipsum; *et exsistentium cognitionem secundum Deum ignorantia*, id est, lux illa tam infinita, latens « cognitionem exsistentium », scilicet rationalium creaturarum, nominatur « ignorantia secundum Deum », id est, secundum quod de Deo ignorantia fertur haberi, et caligo in ipso reponi : quia lux illa ignota est et ignorata a creaturis quoad suam interminabilitatem, sicque ignorantia dicitur, quoniam causa est quod nescitur ob suam inaccessibilitatem et incomprehensibilitatem. Propter quod scri-
Ps. xvii, 12. ptum est quod ponit tenebras latibulum suum.

Et superpositur ipsius tenebræ, id est excellentissima plenitudo incomprehensibilisque immensitas luminositatis Dei, *et cooperiuntur omni lumini*, id est, intellectui creato quantumcumque claro ac luminoso velantur ac manent ignotæ, *et absconduntur omni cognitioni*, id est, omni notitiæ intellectuali, præ infinita sua puritate, actualitate, incognoscibilitate, incomprehensibiles sunt. Nulla namque proportio est naturalis ac proprie dicta creatæ potentiæ ac limitatæ virtutis, ad increatum ac infinitum illud objectum.

Et si quis videns quidem Deum, id est, si quis Deum cognoscens per naturalem rationem aut fidem seu sapientiæ donum in sæculo isto, *intellexit quod vidit*, videlicet Deum, prout in vita præsenti potest intelligi; vel, si plenarie comprehendit id « quod vidit », id est, rem et formam in qua et per quam Deum cognovit, *non ipsum vidit*, id est, Deum « non vidit » immediate, clare et comprehensive in semetipso, *sed aliquid eorum quæ sunt ejus*, id est, aliquid divinorum effectuum in quo artifex ille summus aliquo modo repræsentatur, cernitur ac refulget, juxta
Sap. xiii, 5 illud libri Sapientiæ : A magnitudine creaturæ, creator horum intelligi poterit. *Quæ* creata *exsistunt et cognoscuntur* per propriam speciem, aut per adæquatum effe-

A ctum seu intentionem menti impressam, seu aliquo modo possibili.

Ipse autem super mentem et super substantiam supercollocatus, id est Deus omnem mentem substantiamque creatas infinite transcendens, *in ipso universaliter non cognosci neque esse*, id est, in ipso reperimus quod omnino incognoscibilis est, ac super omne genus ac ordinem rerum sit superessentialiter in se ipso, ut frequenter expositum est. Unde subjungitur : *et est supersubstantialiter et super*
B *mentem cognoscitur*, id est, hoc scitur de eo, quod omni mente ac mentali cognitione sit altior.

Et secundum melius perfecta ignorantia, cognitio est ejus, id est, illa nescientia ejus qua in contemplatione mysticæ theologiæ intelligendo dicitur prorsus nesciri, quia non cernitur quid sit, nec cognoscitur clare in se, « cognitio est ejus secundum melius », id est, perfectior ac melior ejus notitia qua in præsenti conspici potest, *qui est super omnia quæ cognoscun-*
C *tur*, dignitate, non loco. Et tanto perfectius eum cognoscimus in hac via, quo clarius atque profundius intuemur quam incomprehensibilis nobis sit : tum quoniam causam non habet, quia scire est rem per causam cognoscere; tum propter incomparabilem simplicitatem ipsius, quia in ipso sunt idem, esse et posse et agere ; tum propter omnimodam invariabilitatem ejus, quum tamen libere ac sponte operetur ad extra (imo et in se ipso ab æterno multa libere ordinavit, sta-
D tuit, prædestinavit, reprobavit, voluit et dilexit); tum propter incomprehensibilia Rom. xi, 33.
sua judicia et imperscrutabiles suas vias; tum et maxime propter incomprehensibiles emanationes et communicationes ejus ad intra, in quibus cum reali distinctione emanantium et communicantium se Personarum, stat unitas vera essentiæ ac summa simplicitas supergloriosissimæ Deitatis.

Postremo circa hæc scribit Albertus, quod intellectus creatus nunquam limpide videbit claritatem luminis increati, sed

in quadam obscuritate, propter defectum sui luminis naturalis, et rursus, tam in via [nequit] quam in patria verum est quod intellectus creatus confuse et deficienter videt Deum. Sed certe, ut in quæstionibus circa mysticam theologiam expressum est, omnes Beati in patria vident Deum distincte, clare seu limpide, et immediate in se ipso sicuti est, secundum Joannem, et facie ad faciem, juxta Paulum; verumtamen non penitus comprehensive, neque tam plene ac limpide sicut Deus omnipotens et immensus ex sua natura cognoscibilis est : imo ab infinitate claritatis et gloriæ cognitionis et intuitionis increatæ qua Deus se in se æternaliter contemplatur, deficiunt infinite. Sicque comparative loquendo, vident Deum aliquo modo obscure, nec limpide ; et quoad hoc pie potest interpretari quod ait Albertus. Attamen absolute est concedendum quod vident superpræstantissimum Deum facialiter, immediate ac limpide, defectu naturalis luminis non obstante : quoniam naturale lumen juvatur, confortatur ac elevatur in ipsis lumine gloriæ. Divina quoque essentia unitur felicissimis mentibus illis vice seu loco intelligibilis formæ, estque *quod* et *quo*, in beatifica visione : quemadmodum etiam in hac vita in omni meritoria actione cooperatur, movet et excitat etiam immediate Spiritus Sanctus, juxta illud Apostoli : Deus operatur in vobis velle et perficere.

1 Joann. III, 2. — 1 Cor. XIII, 12. — *Philipp.* II, 13.

TRANSLATIO JOANNIS SCOTI

TENEBRÆ quidem obscuræ fiunt lumine, et magis multo lumine ; ignorantiam occultant scientiæ, et magis multæ scientiæ. Hæc supereminenter sed non secundum privationem accipiens, approba supervere : quia latet habentes ὂν lumen, et vera scientia secundum Deum ignorantia ; et superpositæ ipsius tenebræ et velantur ab omni lumine et abscondunt omnem scientiam. Et si quis videns Deum, intellexit quod vidit, non ipsum contemplatus est, sed quid eorum ab ipso exsistentium et cognitorum. Ipse autem super animum et essentiam supercollocatus, universaliter non cognoscendo neque videndo, et est superessentialiter et super animum cognoscitur. Et ipsa secundum quod melius perfectissima ignorantia, scientia est ejus super omnia cognita.

EPISTOLA II

AD EUMDEM CAIUM.

QUOMODO qui est super omnia, et super Thearchiam est et super boni principatum ? Si deitatem et bonitatem intellexeris id quod est usus benefici et deifici doni, et non imitabilis imitationem et superdei et superboni, secundum quam deificamur et boni efficimur. Etenim si hoc principium sit deificandi et bonos faciendi deificatos et bonos factos, qui est superprincipalis omni principio :

ita ut supra prædictam deitatem et bonitatem est, sicut thearchiam et boni principatum, in quantum non imitabilis et incomprehensibilis excedit imitationes et habitudines et imitantium et participantium.

ARTICULUS II

ELUCIDATIO HUJUS EPISTOLÆ SECUNDÆ AD CAIUM MONACHUM : QUO SENSU DICATUR DEUS SUPER DEITATEM PRINCIPALEM ET SUPER BONITATEM.

Cap. XI, circa finem.

IN libro de Divinis nominibus S. Dionysius scripserat, quod Deus est super Deitatem principalem, et super bonitatem principalem. Ex quibus verbis etiam S. Timotheus motus fuit ad quærendum et objiciendum, ut in illius patuit expositione voluminis. Similiter Caius illa verba admirans, pro illorum declaratione secundam scripsit S. Dionysio epistolam, ad quam sanctus pater Dionysius epistolam istam rescripsit.

Quomodo ... est...?

*Quoniam quidem** *super omnia, et super Thearchiam est et super boni principatum.* Ista fuit objectio Caii. Tanquam dicat : « Quoniam quidem », ut scripsisti in libro præfato, Deus est « super omnia », imo « et super Thearchiam », id est principalem Deitatem, « et » etiam « super principatum boni », id est super bonitatem principalem, ergo est super se ipsum. Unde alia habet translatio : Quonam modo is qui universa transcendit, ipsam quoque celsitudinem Deitatis ac bonitatis transcendit? Id est, hoc sciscitaris. Ad quod Theologus mox respondit :

Si deitatem et bonitatem intellexeris id quod est usus benefici et deifici doni, id est, si nomine deitatis ac bonitatis intelligas usum, id est participationem, « doni benefici » atque « deifici », id est deitatis ac bonitatis creaturis communicatæ, per quam formaliter bonæ ac divinæ seu deificatæ efficiuntur, *et non imitabilis imitatio** *et superdei et superboni*, id est, deitatem et bonitatem intelligas id quod

* imitatio ... n

A est « imitatio » seu assimilatio « non imitabilis superdei et superboni », id est perfectæ et summæ veræque Deitatis, quam nulla creatura potest plene et consubstantialiter imitari, quæ etiam est superdeus et superbonus, id est, infinite eminentius Deus et bonus quam comprehendere valeamus ; *secundum quam deificamur et boni efficimur*, id est, per « quam » imitationem seu assimilationem divini efficimur formaliter, « et boni », id est virtuosi.

B *Etenim si hoc*, id est, si ita acceperis, *principium fit** *deificandi et bonos efficiendi** *deificatos et bonos factos, qui est superprincipalis*, id est, tunc ille « qui est superprincipalis », id est Deus vere æternus ac summus, « fit », id est, esse asseritur et sequitur quod sit, « principium » effectivum deificationis participatæ ac bonificationis creaturarum intellectualium, quæ divinæ ac virtuosæ dicuntur : « superprincipalis », inquam, *omni principio*, id est auctoritate, ratione ac jure

* sit
* faciendi

C primævitatis ac fontalitatis qua ipse universorum effectivum, exemplare ac fontale principium perhibetur.

*Et** *supra prædictam deitatem et bonitatem est*, id est, præfatam participatam deitatem ac bonitatem excedit, *sicut thearchiam et boni principatum*, id est tanquam divinitatem quamdam secundariam, participatam, principantem sub vera et simpliciter summa Deitate ; *in quantum non imitabilis et incomprehensibilis*, id

* ita et

est, secundum quod absolute summa Deitas a nullo potest plenarie imitari et comprehendi, *concedit imitationes et habitudines*, id est participationes participatasque bonitates, perfectiones atque divinas proprietates ac respectus et dispositiones, *et imitantibus et participantibus*, id est omnium secundorum quæ participant et imitantur bonitatem et perfectionem superaltissimi Dei, qui solus reliqua universa A incomparabiliter incomprehensibiliterque transcendit.

In hoc stat ista solutio, quod duplex est principium deificans : unum effectivum, videlicet summus Deus ; aliud formale, quod est bonitas seu divinitas vel divina proprietas participata, et hujus causa est prima veraque Deitas ; idcirco est super eam causalitate, æternitate et perfectione immensa.

TRANSLATIO JOANNIS SCOTI

QUOMODO omnium summitas et super Divinitatem est et super bonitatem ? Si deitatem et bonitatem intelligas ipsam rem benefici et deifici muneris, et inimitabilem imitationem superdei et superoptimi, secundum quam deificamur et optime agimur*. Etenim si hoc principium fit deificandi et bonos faciendi deificatos et optime factos, omnis principii superprincipalis et sic dictæ deitatis et bonitatis, ut divinitatis et bonitatis est summitas, quantum inimitabilis et immensurabilis superat imitationes et participationes, et imitantes et participantes.

EPISTOLA III

AD EUMDEM CAIUM.

SUBITO est quod est præter spem, et non ex apparente ad manifestum eductum. In benignitate autem secundum Christum et hoc arbitror Theologiam significare, ex occulto supersubstantiali ad nostram manifestationem humanæ substantiam factum pervenisse. Occultus autem est et post manifestationem, aut, ut divinius dicam, et in manifestatione. Et hoc enim Jesu absconditum est, et nullo sermone, nulla mente, quod secundum ipsum eductum est mysterium ; sed et dictum ineffabile manet, et intellectum ignotum.

ARTICULUS III

ELUCIDATIO HUJUS EPISTOLÆ TERTIÆ AD CAIUM MONACHUM : QUOD NON MODO DIVINITATIS, SED ET HUMANITATIS CHRISTI MYSTERIUM, ET DICTU ARCANUM SIT, ET INTELLECTU IGNOTUM.

CAIUS iste ex gentilitate conversus, studiosus fuit in Scripturis. Dubiumque concepit ex eo quod scriptum est in Malachia : Statim veniet ad templum suum Dominator quem vos quæritis, utputa Christus. Hoc enim diu ante fuerat prophetatum, ergo non venit statim, nec subito, ut in Græco habetur. Idcirco super hoc petiit a divino Dionysio informari. Qui rescripsit illi :

Subito est quod est præter spem, id est, quod inopinate et insperate contingit, dicitur subito fieri sive accidere, *et non ex apparente ad manifestum eductum*, id est, id quod ex occulto aut ignoto perducitur in manifestum.

In benignitate autem secundum Christum, id est in mysterio incarnationis Christi benignissime factæ, *et hoc arbitror Theologiam significare*, id est, Scripturam reor id insinuare, quum dicit ipsum subito advenisse, *ex occulto supersubstantiali*, id est ab incomprehensibili sua deitate omnem substantiam excedente, *ad nostram manifestationem humanam* substantiam factum pervenisse*, id est, descendisse de cœlo ac Patris sinu, et « factum substantiam humanam », id est hominem verum, ad hominum præsentiam et conspectum, juxta illud Baruch : Post hæc in terris visus est, et cum hominibus conversatus est. Qui in Proverbiis prædixit : Deliciæ meæ esse cum filiis hominum.

Porro ex supersubstantiali occulto venit non penitus illud relinquendo. Nam subditur : *Occultus autem est et post manifestationem*, id est, Unigenitus Dei adhuc incomprehensibilis est etiam post incarnationem et cum hominibus conversationem. Verumtamen non tam occultus ut ante : imo secundum utramque suam naturam notior factus est, juxta illud Psalmi : Notum fecit Dominus salutare suum ; atque ad Titum : Apparuit benignitas et humanitas Salvatoris nostri Dei. Descendit demum, non locum mutando, sed naturam humanam assumendo, seque in ea hominibus præsentem præbendo, juxta illud Isaiæ : Propter hoc sciet populus meus nomen meum in die illa, quia ego ipse qui loquebar, ecce adsum. *Aut, ut divinius loquar**, id est, mirabilius ac subtilius fidei veritatem pronuntiem, *et in manifestatione*, id est, dum actualiter se monstravit præsentem, fuit et mansit ignotus, quamvis non penitus. Unde scriptum est : Medius vestrum stetit, quem vos non scitis. Perfectam quoque sui manifestationem Christus promisit nobis pro præmio, loquens : Qui diligit me, diligetur a Patre meo, et ego diligam eum, et manifestabo ei me ipsum.

Et hoc enim Jesu absconditum est, id est, mysterium incarnationis Filii Dei occultum est, non plene comprehensum, *et nullo sermone, nulla mente, quod secundum ipsum eductum est mysterium*, id est, incarnatio Verbi æterni nullo potest sermone plene et limpide insinuari, nec aliquo intellectu creato perfecte comprehendi, quomodo scilicet in unitate personæ Christus est Deus et homo, quomodo in esse increato hypostatico Verbi æterni natura humana est supposita ; multaque alia incomprehensibilia creduntur de ea.

* humanæ

* dicam

Hoc autem « mysterium eductum est » de secreto in publicum, per Christi et Apostolorum doctrinam, « secundum ipsum » et magnificentiam ejus. De quo item mysterio secundum quemdam Sanctorum exponitur et illud Isaiæ : Generationem ejus quis enarrabit ? Isa. LIII, 8

Sed et dictum ineffabile manet, id est, prædicatum et descriptum prout ab hominibus exprimi potuit et describi, manet indicibile : quia secundum magnitudinem rei nequit condigne ac plene effari ; *et intellectum*, id est, cognitum prout a viatoribus poterat capi, *ignotum*, id est, manet incognitum modo jam dicto.

At vero aliquid dicitur subitum, ultra modum præhabitum, quia instantaneum aut celerrime factum.

TRANSLATIO JOANNIS SCOTI

EX occulto est quod contra spem, et ex eo usque obscurum in manifestum deductum. Ast secundum Christi humanitatem et hoc arbitror Theologiam declarare, ex occulto superessentialem in nostram manifestationem humanitus essentiatum pervenisse. Occultus autem est et post manifestationem, aut, ut hoc divinius dicam, et in manifestatione. Et hoc enim Jesu occultatur, et nullo verbo neque intellectu secundum ipsum investigatur mysterium ; sed et dictum ineffabile manet, et intellectum incognitum.

EPISTOLA IV

AD EUMDEM CAIUM.

QUOMODO dicis, Jesus qui est super omnia, omnibus est hominibus substantialiter coordinatus ? Non enim sicut causa hominum hic dicitur homo, sed sicut ipse secundum substantiam totam vere homo exsistens. Nos autem Jesum non humane definimus : neque enim homo est tantum, neque supersubstantialis ut homo tantum ; sed homo vere qui differenter est amator hominum, super homines et secundum homines, ex substantia hominum, qui est supersubstantialis, substantia factus. Est autem nihilo minus supersubstantialitate superplenus, qui semper est supersubstantialis : videlicet hujus abundantia et ad substantiam vere veniens, super substantiam est substantia factus, et super hominem operatur ea quæ sunt hominis. Et monstrat : Virgo supernaturaliter concipiens ; et aqua instabilis, materialium et terrenorum pedum sustinens gravitatem, et non succedens, sed supernaturali virtute ad indiffusum consistens. Quid quidem aliquis reliqua exsistentia multa pertranseat, per quæ divinius videns super mentem, cognoscit et ea quæ sunt in benignitate Jesu affirmata, virtutem excedentis negationis habentia ? Etenim,

ut colligentes dicamus, neque homo erat : non sicut non homo, sed sicut ex hominibus, ultra homines et supra hominem vere homo factus. Et reliquum, non secundum Deum divina faciens, non humana secundum hominem, sed Deo homine facto, nova quadam Dei et hominis operatione nobis conversatus.

ARTICULUS IV

ELUCIDATIO HUJUS EPISTOLÆ QUARTÆ AD CAIUM MONACHUM : QUOMODO JESUS, QUI SUPERESSENTIALIS EST, ESSENTIATUS SUBSTANTIATUSQUE DICATUR.

SECUNDO capitulo libri de Divinis nominibus Theologus scripsit, quod Christus in quantum homo, coordinatus est hominibus ceteris, utpote ejusdem rationis cum ipsis quantum ad veritatem naturæ quam induit. Contra hoc Caius arguit, dicens :

Quomodo dicis, id est, Dionysi, « quomodo » tu « dicis », *Jesus qui est super omnia* in quantum Deus, imo etiam secundum naturam humanam ut a Verbo æterno assumptam (hinc scriptum est : Qui de cœlo venit, super omnes est), *omnibus est hominibus substantialiter coordinatus,* id est ejusdem speciei ac ordinis cum hominibus ceteris quoad ipsam humanitatem, qua cum aliis hominibus univoce homo est? *Non enim sicut causa hominum hic dicitur homo,* id est, Christo non convenit esse hominem causaliter, sicut dicitur esse omnium, *sed sicut ipse secundum substantiam totam,* id est secundum veram integramque naturam humanam, *vere homo existens.*

Ad istud respondet : *Nos autem Jesum non humane definimus :* id est, non dicimus Unigenitum Patris incarnatum, esse definitum, circumscriptum, et dignitatis finitæ, ut ceteros homines; nec judicamus de eo sensu humano, sed intellectu divinitus illustrato. Unde et ipsemet in Evangelio ait : Nolite secundum faciem judicare. Apostolus quoque : Et si, inquit, Christum secundum carnem cognovimus, tamen jam nunc non novimus. Unde alia habet translatio : Nos autem Jesum non humana ratione secernimus. At vero Jesus in Scripturis evangelicæ legis supponit increatam personam, hoc est Unigenitum in natura subsistentem humana. Hinc subditur :

Neque enim homo est tantum, id est, non est homo purus, *neque supersubstantialis ut homo tantum,* id est, secundum naturam suam humanam non est super omne genus et speciem. *Sed homo vere qui differenter est amator hominum :* quia ut ait Apostolus, Dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis hostiam et oblationem Deo in odorem suavitatis. Denique Christus sic amator est hominum, quod amor suus increatus, est causa effectiva totius nostri boni ; amor vero suus creatus gratuitus, totius nostri boni gratuiti meritoria causa est.

Super homines, secundum deitatis naturam, per multiplicem quoque gratiam, judiciariam potestatem, excellentiamque sapientiæ atque scientiæ, donorum et fructuum, meritorum, beatitudinum ac virtutum ; *et secundum homines,* quia ut Damascenus testatur, Quidquid plantavit in nostra natura, assumpsit ; *ex substantia hominum.* Factus est enim ex semine David secundum carnem, ut dicitur ad Romanos ; et ex substantia patrum descendit ; atque ut fertur in Symbolo, Homo est ex substantia Matris in sæculo natus,

Joann. III, 31. — Ephes. V, 2. — Rom. I, 3. — Joan. VII, 24. — II Cor. V, 16.

hoc est ex purissimo sanguine sacrosanctissimæ Virginis. *Qui est supersubstantialis*, secundum quod Deus ex substantia Patris ante sæcula genitus, *substantia factus* : quia factus est homo, id est substantia animata, imo et corpus animatum, secundum quod corpus dicit quid totum ; imo ut in Joanne habetur, Verbum caro factum est, sumendo carnem pro homine toto. Simul quippe assumpsit corpus et animam, in ipso assumptionis instanti sibi invicem formaliter counita.

Est autem nihilo minus supersubstantialitate superplenus, id est, non obstante humanitatis suæ humilitate ac humili conditione, fuit verus Deus, et fuerunt in eo ac sunt omnes thesauri sapientiæ ac scientiæ Dei absconditi, habitat quoque in eo omnis plenitudo Divinitatis, *qui semper est supersubstantialis*, utpote æternaliter Deus, qui apud Joannem testatus est : Antequam Abraham fieret, ego sum. Unde et Paulus ait ad Hebræos : Jesus Christus heri et hodie, ipse et in sæcula. Etenim persona Verbi, quæ nominibus istis supponitur, est æterna. Propter quod S. Judas in sua dicit Canonica : Jesus salvans populum de terra Ægypti, secundo eos qui non crediderunt, perdidit.

Videlicet hujus abundantia, id est ex suæ deitatis exuberantissima copia : quia quum esset dives, propter nos egenus factus est ; *et ad substantiam vere veniens*, id est, ad nostræ naturæ assumptionem dignanter descendens, non loco et motu, sed dignatione, miseratione ac opere. Qui in Genesi locutus est : Descendam et videbo. Ad quem ab Isaia clamatum est : Utinam dirumperes cælos et descenderes. *Super substantiam est substantia factus*, id est, incarnatus est supernaturaliter, et « factus est substantia » limitata, utpote homo, qui in quantum Deus, est supersubstantialis, et « super substantiam », imo et super se ipsum quoad naturam assumptam, quæ fuit illi ut habitus et vestis ac tegumentum, quantum ad hoc quod ad subsistentiam ejus non requirebatur. Siquidem teste Apostolo, Exinanivit semetipsum, formam servi accipiens, et habitu inventus ut homo. Unde et dixit : Pater major me est. Verumtamen, quoniam formam seu naturam deitatis non deposuit nec amisit, verissime fassus est : Ego et Pater unum sumus. Hinc alia habet translatio : Ad nostra etiam infirma veraciter descendens, ultra humanum modum substantiam nostræ carnis accepit, ac supra hominem quæ sunt hominis gessit. Hinc subditur :

Et super hominem operatur ea quæ sunt hominis, id est, divina et supernaturali potentia fecit humana, videlicet sui ipsius conceptionem in Virgine et nativitatem ex ea, integerrima ipsa permanente, quemadmodum exivit de clauso sepulcro, ac januis clausis introivit cœnaculum. Unde subjungitur :

Et monstrat : Virgo supernaturaliter concipiens de Spiritu Sancto sine viri consortio, juxta illud Lucæ : Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi : ideoque et quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei. Etenim Spiritus Sanctus Virgini dedit fecunditatem, et conservavit eidem integritatem ; uterumque mysterii ac templum Spiritus Sancti et Matrem veri Dei deinceps ab omni tactu et contagione viri præservavit purissimum et immunem. Nonne tam sublimis et præclarissimus partus decuit Deum ? Erubescat Judæus infelix, erubescat hæreticus maledictus, erubescat omnis incredulus aliter sentiens.

Et aqua instabilis, id est fluida ex sua natura, *materialium et terrenorum pedum sustinens gravitatem*. Hoc miraculum contigit dum Dominus noster Jesus Christus adhuc passibilis super mare ambulavit, ut in Evangelio legitur. *Et non succedens*, id est, indivisa et quasi fixa ac solida habens se, non cedens totius corporis Christi gravitati, *sed supernaturali virtute ad indiffusum consistens*, id est, instar materiæ solidioris habens se. Est namque in omni creatura quædam obedientialis potentia : quæ ad nutum suo

obedit Creatori, et cujus omnipotenti virtute ac libero prorsus imperio facta est, ejusdem voluntate ac nutu mutatur, cedit, obsequitur ad omne quod illi placuerit. Hæc ergo probavit et demonstravit aqua materialiter, quemadmodum inanimata et irrationalia laudant, benedicunt honorantque Deum. Hinc ait et Damascenus libri tertii capitulo quinto decimo : Agebat dominator Christus secundum alterutram naturarum suarum, et agit alterutra natura in ipso cum alterius communione, Verbo operante quæ Verbi sunt, et corpore perficiente et exsequente quæ corporis sunt : quemadmodum supersubstantialiter substantiatus de Virgine natus, ita et super hominem quæ sunt hominum egit, in instabili aqua pedibus ambulans, non terrestri facta aqua, sed deitatis supernaturali virtute consistente ad indiffusibile, et gravedini materialium pedum non cedente.

Quid quidem aliquis reliqua exsistentia multa pertranseat, id est, quid opus est reliqua Christi opera mystica atque mysteria multa commemorare et considerando percurrere, *per quæ divinius videns super mentem*, id est gratiosius illuminatus ac devotius pensans, *cognoscit et ea quæ sunt in benignitate Jesu affirmata*, id est, intelligit illa quæ scripta sunt de piissimis Christi factis et gratiosis mysteriis, *virtutem excedentis negationis habentia*, id est, talia esse quod sunt talia et non talia? Quod consequenter declarat :

Etenim, ut colligentes dicamus, id est, ea quæ de Christo sunt scripta, summarie congregantes ac breviter perstringentes asseramus, *neque homo erat, non sicut non homo*, id est, Christus erat non « homo », « non » tamen sic quod « non » fuit « homo » : hoc est, non fuit homo purus nec homo tantum, sed fuit homo, non factus homo nec conceptus nec natus ordine naturali ac solito modo, sed supernaturali ordine ac virtute. Propterea subditur : *sed sicut ex hominibus, ultra homines et super* * *hominem vere homo factus*, id est, * supra

A incarnatus et natus ex incomparabili et supermundissima Virgine « super hominem » id est supra humanam ac solitam potestatem, tamen « ex hominibus », quum dicatur filius David, filius Abrahæ, sed Matth. I, 1.
« ultra homines », quoniam natus est caput salvatorque hominum, imo Deus et homo.

Et reliquum, id est ultra hæc, *non secundum Deum divina faciens*, id est, miracula operans non pure divine, sed et concurrente operatione suæ humanitatis
B et carnis (sicut tangendo sanavit ægrotos) : quia ejus humanitas fuit instrumentum conjunctum, animatum ac proprium divinitatis Verbi sibi uniti ; *non humana secundum hominem*, id est, faciens humana non humane, sed divine, seu divina et supernaturali virtute : sicut per medium hostium invisibilis fugit, quando volebant eum lapidare, præcipitare, et rapere. *Sed Deo homine facto*, id est Verbo ipso æterno incarnato, *nova quadam Dei et hominis operatione nobis conversatus*, id est, Luc. IV, 40. Joann. X, 39; Luc. IV, 29; Joann. VI, 15.
C cum hominibus et inter homines vixit atque versatus est exercendo operationes ante non visas, quæ processerunt ab una persona agente cujus eædem operationes erant divinæ et humanæ, quia suppositum agens, fuit in unitate personæ Deus et homo. Quas operationes alia translatio vocat deiviriles, alia theandricas. Nam et utraque natura in Christo agebat cum alterius communione, et suppositum agens fuit unum et idem secundum utramque naturam operans. Veruntamen in talibus
D attendendum quid propter quid Christo attribuatur ac affirmetur. Nam et Deus dicitur passus quæ passus est homo, et homo dicitur operatus quæ Deus operabatur : et hoc, propter unitatem suppositi in utraque natura, quia humana natura fuit suppositata et subsistens in hypostatico esse Verbi.

Hæc eadem præallegato capitulo tertii libri sui scribit Damascenus quasi verbis eisdem, ita ut videatur ex ista beatissimi Dionysii epistola verba illa sumpsisse.

TRANSLATIO JOANNIS SCOTI

QUOMODO inquis, Jesus omnium summitas, omnibus est hominibus essentialiter coordinatus? Non enim ut causalis hominum hic dicitur homo, sed ut hoc secundum essentiam totam vere homo ὤν. Nos autem Jesum non humanitus segregamus; neque enim homo tantum, neque superessentialis sit homo tantum; sed homo vere, differenter humanus, super homines et secundum homines, ex hominum essentia superessentialis essentiatus. Est autem nihilo minus superessentialitatis superplenitudo semper superessentialis. Itaque tali magnitudine et in essentiam vere veniens, super essentiam essentiatus est, et super hominem operatur quæ sunt hominis. Et declarat : Virgo supernaturaliter parturiens ; et aqua instabilis, materialium et terrenorum pedum sustinens gravitatem, et non imaginativa sed supernaturali virtute ad insolubile constituta. Quid si quis cetera plurima exsistentia pertranseat, per quæ divinitus videns super animum cognoscet et in humanitate Jesu intentiones virtutem supereminentis depulsionis habentes? Etenim, ut colligentes dicamus, neque homo erat; non ut non homo, sed Deus * ex hominibus hominum summitas, et super hominem vere homo factus. Ceterum non secundum Deum divina operatus est, neque humana secundum hominem; sed humanato Deo, novam quamdam deihumanam operationem nobiscum versatus est.

EPISTOLA V

AD DOROTHEUM DIACONUM : QUÆ SIT DIVINA CALIGO.

I Tim. vi, 16. DIVINA caligo est inaccessibile lumen in quo habitare Deus dicitur, et invisibilis quidem exsistens propter excedentem claritatem, et inaccessibilis idem propter excessum supersubstantialis luminis effusionis. In hac fit omnis qui Deum cognoscere et videre est dignus habitus, per ipsum non videre neque cognoscere in eo qui est vere super visionem et cognitionem factus; hoc ipsum cognoscens, quod post omnia est sensibilia et intelligibilia, et prophetice dicens :
Psalm. cxxxviii, 6. Mirabilis facta est scientia tua ex me; fortis facta est, non potero ad eam. Sic quidem et divinus Paulus cognovisse Deum dicitur, cognoscens ipsum super
Rom. xi, 33. omnem exsistentem intellectum et cognitionem. Propter quod et investigabiles
II Cor. ix, 15. esse vias ejus dicit, et inscrutabilia judicia ejus, et inenarrabilia dona ejus, et
Philipp. iv, 7. pacem ejus excedentem omnem mentem, sicut qui invenit exsistentem super omnia : et hunc super intellectum cognovit, quoniam ultra omnia est, omnium causa exsistens.

ARTICULUS V

ELUCIDATIO HUJUS EPISTOLÆ QUINTÆ, AD DOROTHEUM DIACONUM : QUÆ SIT DIVINA CALIGO.

IN exordio hujus epistolæ, Theologus clare definit quid vocetur divina caligo in mystica theologia.

Divina caligo est inaccessibile lumen in quo habitare dicitur Deus, qui habitat in se ipso, sicut æternaliter est in se ipso, prout supra expositum est, ubi expressum est quidquid hic de ista caligine videretur dicendum : idcirco nec immorandum. *Et invisibilis quidem existens,* id est, Deus invisibilis est, *propter excedentem claritatem,* id est propter infinitam plenitudinem suæ luminositatis seu actualitatis, per quam incomparabiliter excedit capacitatem et facultatem omnis mentis creatæ.

Et inaccessibilis idem, id est, Deus quoque inaccessibilis dicitur, id est incomprehensibilis, ita quod ad eum immediate attingendum et in se ipso clare videndum et cognoscendum quid sit, non valemus in hac vita accedere, nec etiam in futura accedere possumus ad eum comprehendendum, id est ad intuendum eum in propria luce tam perfecte et clare sicut ex sua natura, cognoscibilitate, et actualitate cognoscibilis est. Verumtamen non est penitus nec omnifarie inaccessibilis,
Ps. xxxiii, 6. quum scriptum sit : Accedite ad eum, et
Hebr. xi, 6. illuminamini; itemque ad Hebræos : Accedentem ad Deum oportet credere quia est. Denique præcipimur eum cognoscere atque diligere, et hoc est ipsum accedere. In
Exod. xx, 21. Exodo quoque legitur : Accessit et ingressus est Moyses in caliginem in qua erat Deus. Præfacto igitur modo inaccessibilis est Deus *propter excessum supersubstantialis luminis effusionis,* id est præ improportionata seu infinita magnitudine et exuberantia seu copia et limpiditate suæ naturæ et emanationis suæ ad intra. Hoc est quod ait, « propter excessum effusionis », id est communicationis et emicationis, sui « luminis supersubstantialis ». Imo nec effusionem ejus ad extra plene cognoscere jam valemus, et tamen per illam accedimus ad ipsius Deitatis notitiam. Nam et Apostolus : Gratias (inquit) II Cor. ix, 15.
Deo super inenarrabili dono ejus.

In hac fit omnis qui Deum cognoscere et videre est dignus habitus : id est, « omnis » fidelis quem Deus reputat et facit dignum, secundum mensuram humanæ imbecillitatis, « cognoscere » per speculum in I Cor. xiii, 12.
ænigmate « et videre » per donum sapientiæ seu per visionem mysticæ theologiæ « Deum », qui est finis totius desiderii nostri et fons universæ nostræ scientiæ, « fit in hac », id est, constituitur in ista caligine : omnis, inquam, qui dignus est Deum cognoscere et videre, *per ipsum non videre neque cognoscere in eo qui est vere super visionem et cognitionem factus,* id est, per hoc quod mente conspicit se non posse clare et plene agnoscere Deum, sed penitus caligare ignorantemque fieri in contemplatione illius, « qui factus est », id est elevatus, « super » omnem « visionem et cognitionem » creaturæ ; et videt hoc solum de ipso posse cognosci nunc, quod invisibilis incomprehensibilisque consistit : et quo mens id clarius intuetur, eo ipsum limpidius videt et contemplatur. Hinc alia habet translatio : Ad hanc pertingit eaque absorbetur quisquis Deum videre ac nosse meruerit, eoque ipso quod neque videt neque cognoscit, illi qui omnem visionem et cognitionem transcendit, familiarius jungitur.

Hoc ipsum cognoscens, quod post omnia

est sensibilia et intelligibilia, id est, hoc certissime intuens, quod Deus universa « sensibilia et intelligibilia » præcedit causalitate, æternitate atque immensa perfectione, [et] etiam manet post omnia illa, posito quod illa non sint ac prorsus periissent, et post resolutionem causatorum in primam causam, et item post ordinationem cunctorum in supremum finem, sicque posterius exstat nobilius. Hinc juxta B. Gregorium, Deus est ante omnia non solus, et post omnia non præventus. Verumtamen alia translatio continet : Hoc ipsum noscens, quod posteriora sunt quæ in sensum et intelligentiam cadunt. Quæ translatio non consonat aliis. *Et prophetice dicens*, id est, prophetalia verba decantans, utpote verba Psalmistæ sequentia : *Mirabilis facta est scientia tua ex me*, id est, testimonio ac judicio meo id testor ac patet, quod « scientia tua » o Deus, « mirabilis est » et mirabiliter magna, tam scientia tua increata, quam scientia quæ in Scripturis docetur et datur de te ; *fortis facta est*, id est, capacitatem nostram excedit, *non potero ad eam* perspiciendam attingere. (Psal. CXXXVIII, 6.)

Sicut quidem et divinus Paulus cognoscere Deum dicitur, cognoscens ipsum super omnem existentem intellectum*, id est, sciens Deum excedere infinite omnem mentem creatam, *et cognitionem*. (* Id.)

Propter quod et investigabiles esse vias ejus dicit, et inenarrabilia judicia ejus. Sic etenim ait ad Romanos : O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei ! quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus ! (Rom. XI, 33.) Quæ verba ibidem exposita sunt. *Et inenarrabilia dona ejus.* Hoc alibi dixit, et sumptum videtur ex eo quod in secunda ad Corinthios habetur epistola : Gratias Deo super inenarrabili dono ejus. (II Cor. IX, 15.) *Et pacem ejus excedentem omnem mentem.* Sic enim scribit Apostolus ad Philippenses : Pax Dei quæ exsuperat omnem sensum. (Philipp. IV, 7.) *Sicut qui invenit existentem super omnia*, id est, Paulus apostolus dixit hæc tanquam a Deo illuminatissimus, qui per rationem, contemplationem et dilectionem, ad Deum accessit Deumque attigit, juxta illud in Canticis : Inveni quem diligit anima mea ; (Cant. III, 4.) et alibi : Qui quærit, invenit. (Matth. VII, 8.) *Et hunc super intellectum cognovit*, id est, scivit quod Deus excedit omnem intellectum creatum, *quoniam ultra omnia est, omnium causa existens*.

Circa hæc rursus, sicut in quibusdam aliis locis, scribit Albertus : Intellectus creatus sub quadam confusione conjungitur Deo ut excedenti : quia non potest de Deo accipi quid est ipsius, quia non habet terminationem ; neque propter quid, quia non habet causam ; neque quia sicut determinatum, quia non habet causam remotam, nec effectum proportionatum. Ideo nec in via neque in patria videtur Deus, nisi sicut confusum. — Istud, sicut præhabitum est, est simpliciter falsum, (p. 182 B.) et contra apostolicæ Sedis determinationem ac definitivam sententiam, et contra Scripturam canonicam catholice intellectam, dicente Apostolo : Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam sicut et cognitus sum ; (I Cor. XIII, 12.) itemque : Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem ; (Ibidem.) sancto quoque Joanne : Videbimus eum sicuti est. (I Joann. III, 2.) Ex persuasione etiam tacta videretur sequi quod nec ipsemet Deus essentiam suam cognosceret, quia non habet causam. Idcirco verbum illud Philosophi, Scire est rem per causam cognoscere, est intelligendum in genere certo ac ordine.

TRANSLATIO JOANNIS SCOTI

DIVINA caligo est inaccessibile lumen in quo habitare Deus dicitur : et invisibili exsistente propter supereminentem claritatem, et inaccessibili eodem per superexcellentiam superessentialis luminum manationis, in hoc fit omnis Deum scire et videre dignus, eo non videndo neque cognoscendo, vere in quo super visionem et cognitionem factus : hoc ipsum cognoscens, quia post omnia est sensibilia et intelligibilia, et prophetice videns : Mirabilis facta est scientia tua ex me : confortata est, et non potero ad eam. Sic ergo divinus Paulus cognovisse Deum dicitur, cognoscens eum super omnem exsistentem intellectum et scientiam. Propter quod et investigabiles esse vias ejus ait, et inscrutabilia judicia ejus, et inenarrabiles donationes ejus, et pacem ejus superantem omnem intellectum : sic inveniens super omnia, et hoc super intelligentiam cognoscens, quia omnium est summitas omnium causale ens.

I Tim. vi, 16. — Ps. cxxxviii, 6. — Rom. xi, 33. — II Cor. ix, 15. — Philipp. iv, 7.

EPISTOLA VI

AD SOSIPATRUM SACERDOTEM.

NE opineris hoc victoriam, sancte Sosipater, quod contra religionem aut opinionem non bonam apparentem, facias contumeliam. Neque enim oportet judicare, si ipsam redargueris, jam ea quæ sunt Sosipatri, bona. Possibile enim est, et te et alios, in multis falsis et apparentibus, unum exsistens et occultum verum latere. Neque enim si aliquid non est rubeum, jam est album ; neque si aliquis non est equus, de necessitate est homo. Ita autem facies, mihi credens : abstinebis quidem ne dicas contra alios ; pro veritate autem vere dices, sicut omnino esse irreprehensibilia quæ dicuntur.

ARTICULUS VI

ELUCIDATIO HUJUS EPISTOLÆ SEXTÆ, AD SOSIPATRUM SACERDOTEM : DE DISCRETA REPREHENSIONE.

SANCTUS pater, præsul, doctor ac martyr Dionysius, in epistola ista pie ac dulciter increpat Sosipatrum de aliqua indiscretione in opere bono, quia frequen- A ter et acriter reprehendebat idololatras, quum eis ante non exposuisset rationabiles causas reprobationis sectæ ipsorum, nec rationes credibilitatis fidei christianæ.

Ne æstimaveris hoc victoriam, sancte Sosipater, quod contra religionem aut opinionem non bonam apparentem, facias contumeliam, id est, non putes te infidelibus prævalere per hoc quod religionem et opinionem eorum, quæ tibi videntur superstitiosæ ac falsæ, redarguis per verba asperrima, quæ contumeliosa videntur, et magis ad indignationem quam ad conversionem provocant audientes.

Neque enim oportet judicare, si ipsam redargueris, id est, dato quod idololatrarum superstitionem redargueris recte, ad hoc non « oportet judicare », id est concludere, *jam ea quæ sunt Sosipatri, bona*, id est, quod fides et lex quas tu, Sosipater, tenes, sunt recta. *Possibile enim est, et te et alios, in multis falsis et apparentibus, unum existens et occultum verum latere*, id est, fieri potest ut « te » ipsum ac « alios », inter diversos errores, lateat « unum » salubre, seu unitas veri Dei, « et verum occultum », id est religio vera nondum veraciter publicata. Quod consequenter per similia probat.

Neque enim si aliquid non est rubeum, jam est album, quum inter album et rubeum sit medium (sicut et ipsum rubeum medium est inter album et nigrum) ; alii quoque sunt colores præter istos. *Neque si aliquis non est equus*, ut leo, *de necessitate est homo*.

Sic autem facies, mihi credens, id est, si mihi credideris et acquieveris, facies sicut hortor. *Abstinebis quidem ne dicas contra alios*, id est, a consueta reprehensione cavebis, nec contra alios eris contentiosus : quemadmodum ad Timotheum scripsit Apostolus, Noli verbis contendere, ad nihil enim utile est, nisi ad subversionem audientium ; et alibi, Si quis videtur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei. *Pro veritate autem vere dices*, id est, pro fidei defensione constanter ac discrete loqueris : quemadmodum scriptum est ad Titum de episcopo et sacerdote, Potens sit exhortari in doctrina sana, et contradicentes redarguere ; *sicut omnino esse irreprehensibilia quæ dicuntur*, id est, ita ut probes ac doceas prorsus vera et justa esse quæ in nostra religione tenemus : juxta illud ad Titum, Verbum sanum, irreprehensibile, ut is qui ex adverso est, nihil mali habeat loqui de nobis.

II *Tim.* II, 14. — I *Cor.* XI, 16. — *Tit.* I, 9. — *Ibid.* II, 8.

Itaque qui infideles aut errantem seu iniquum cupit convertere, discrete, pie, caritative, rationabiliter debet procedere, non dure aut aspere nimis.

TRANSLATIO JOANNIS SCOTI

NOLI hoc æstimare victoriam, sacer Sosipater, in religionem aut gloriam injuriam facere non optimam manifestam. Neque enim oportet judicatam eam redarguas, jam Sosipatri bona. Possibile enim, et te et alios multos, falsis et manifestis, unum i. et occultum verum latere. Neque enim si quid non rubeum, jam album ; si quis non equus, ex necessitate homo. Sic autem facies, mihi credens : dimittes quidem hoc secundum alios dicere : pro veritate autem vere dices, sic omni modo esse irreprehensibilia quæ dicta sunt.

EPISTOLA VII

AD POLYCARPUM SUMMUM SACERDOTEM.

EGO quidem non sum adversus Græcos aut adversus alios dicens. Sufficere arbitror sanctis viris, si verum ipsum in se ipso possint et cognoscere et dicere secundum quod vere habet. Hoc enim quodcumque est, secundum legem veritatis recte demonstrato et puro exsistente, omne quod aliter habet et veritatem simulat, reprehendetur et alterum exsistens a vere exsistente, et dissimile, et apparens illud magis quam exsistens. Superfluum igitur est veritatis manifestatorem adversus istos aut illos dimicare. Dicit enim unusquisque se habere numisma regale : et forsan quidem habet quamdam deceptivam imaginem cujusdam * veri numismatis. Et si istum redargueris, rursus et alius et rursus alius de eodem litigabit. Vera autem ipsa posita ratione, et ab aliis omnibus irreprehensibili manente, omne quod non ita secundum omnia se habet, ipsum in se ipso invincibili statione vere veri deponitur. Igitur hoc quidem, sicut arbitror, vere cognoscens, non studui adversus Græcos aut adversus alios dicere ; sed sufficiens mihi (et hoc Deus donet) de veritate scire primum, postea scientem dicere ut oportet.

* cujusdam partis

Tu autem dicis improperare mihi sophistam Apollophanem, et patrum verberatorem appellare, et sicut his quæ sunt Græcorum, contra Græcos non sancte utentem. Et quidem adversus ipsum esset nos verius dicere, quod Græci divinis non sancte contra divina utuntur, per sapientiam Dei tentantes expellere divinam venerationem. Et non multorum ego dico opinionem, affectu materiæ et passibiliter in dictis poetarum permanentium, et creaturæ præter Creatorem divinum cultum exhibentium ; sed et ipse Apollophanes non sancte divinis contra divina utitur. Etenim exsistentium cognitione pulchre dicta ab ipso philosophia, et a divino Paulo sapientia Dei *I Cor. I, 21.* appellata, ad causam et ipsorum exsistentium et cognitionis ipsorum oporteret sursumagi veros philosophos. Et ut non aliorum quam ipsius, propter hoc quod videtur, opinionem reprehendam, oporteret Apollophanem sapientem exsistentem, cognoscere non aliter aliquando posse aliquid verti cœlestis ordinationis et motus, nisi contentorem essentiæ ipsius et causam haberet ad hoc moventem, qui facit omnia et mutat, secundum sanctum sermonem. Quomodo igitur non veneratur cognitum *Dan. II, 21.* nobis et ex hoc et vere exsistentem Deum ? mirans ipsum de omnium causa et superineffabili virtute : quando ab ipso sol et luna, secundum virtutem et stationem supernaturalissimam, simul cum omni ad omnino immobile definiuntur, et tota die in eisdem signis stant omnia (aut tantum quidem, quod amplius *, si totis et melioribus et continentibus ita portatis, non circumagebantur contenta) ; et quando

* aut tanto quidem amplius

altius quidem diem secundum continuitatem fere triplicatur, et in viginti omnibus horis, aut omne tanti temporis contraria portatione regreditur et convertitur ita supernaturalitatibus contrariis circumactionibus, aut sol proprio cursu motum ipsius omnimode in horis decem colligens, resolutive rursus toto illo novam viam quamdam teneat in aliis. Hoc quidem fuit quod et Babylonios convenienter in stuporem movit, et sine pugna Ezechiæ subjecit, sicut cuidam æquali Deo et homines excedenti. Et non dico eas quæ fuerunt in Ægypto magnas operationes, aut alia quædam alibi Dei signa facta, sed communia et cœlestia, in omni et in omnibus triumphalia. Dicit autem omnino Apollophanes non esse ista vera. Igitur maxime quidem hæc Persarum sacerdotalibus effertur memoriis, et adhuc magis * memorialia triplicati solis perficiunt. * magi

Sed liceat illi hæc propter ignorantiam aut inexperientiam non credere. Dic autem ipsi: Quid dicis de defectu facto in cruce Salvatoris? Ambo enim apud Heliopolim tunc præsentes et coadstantes, inopinabiliter soli lunam incidentem videbamus (non enim erat conventus tempus), et rursus ipsam a nona hora usque ad vesperam, ad solis diametrum supernaturaliter restitutam. Rememora autem et quiddam aliud ipsi. Novit enim quod eclipsim ipsam ex oriente vidimus inchoatam, et usque ad solarem terminum venientem, postea regredientem; et rursus non ex eodem et defectum et repurgationem, sed econtrario secundum diametrum factam. Talia sunt ejus temporis supernaturalia, et soli Christo, qui est omnium causa, possibilia:
Job v, 9 qui facit magna et mirabilia quorum non est numerus. Hæc dicta tibi. Et si possibile est, Apollophanes, reprehende et me tunc compræsentem tibi, et simul inspicientem, et simul judicantem, et simul admirantem. Siquidem et divinationem tunc, nescio unde, Apollophanes incepit, et ad me, sicut quæ fiunt conferens, dixit: Hæc, o bone Dionysi, sunt mutationes divinarum rerum. Tanta ut in epistola a nobis sunt dicta. Tui autem erit, sufficienter et deficientia adimplere, et adducere perfecte Deo virum sapientem in multis existentem, et forsitan non dedignaturum mansuete discere supersapientem religionis nostræ veritatem.

ARTICULUS VII

ELUCIDATIO INITII HUJUS EPISTOLÆ SEPTIMÆ, AD POLYCARPUM SMYRNÆORUM EPISCOPUM : ADVERSUS INFIDELES NON EST CONTENTIOSIUS AGENDUM, SED VERITAS STABILIENDA.

POLYCARPUS iste fuit a beatissimo apostolo Joanne conversus, et mirabiliter illustratus, ac martyr præclarus. Cujus intuitu scripsit Theologus istam epistolam, cujus tenor ex ejus expositione patebit. A

Ego quidem non sum adversus Græcos aut adversus alios dicens, id est, nec Græcis nec aliis contentiose, detractorie aut irrationabiliter contradico. *Sufficere arbitror sanctis viris, si verum ipsum in se*

ipso possint et cognoscere et dicere secundum quod vere habet, id est, fidelibus reor ad salutem sufficere veritates catholicæ fidei firmiter noscere et tempore opportuno confiteri prout veritas ipsa se habet, nisi in speciali aliud exigatur; et secundum fidem vivatur. Hinc dixit Apostolus: Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Verum, ut S. Jacobus addit, non prodest fidem habere, et fidei opera non implere. Atque ut denuo testatur: Scienti bonum et non facienti, peccatum est illi.

Rom. x, 10. — Jacob. II, 14. — Ibid. IV, 17.

Hoc enim quodcumque est, secundum legem veritatis recte demonstrato et puro exsistente, id est, eo quod verum est efficaciter declarato, et probato quod verum sit et purum, videlicet sine admixtione erroris ac falsitatis, *omne quod aliter habet,* id est falsum ei contrarium, *et veritatem simulat,* id est, non solum quod manifeste falsum est, sed item quod apparentiam habet veri deceptoriam, *reprehendetur,* id est, falsum esse patebit, *et alterum exsistens a vere exsistente, et dissimile, et apparens illud magis quam exsistens,* id est, hoc cognoscetur de illo, quod alienum et alterum seu distinctum sit a veritate sincera, « et dissimile » ac dissonum ab eadem, apparentiam tantum veritatis, non exsistentiam, continens: sicut sunt vitia quædam quæ videntur esse virtutes, nec sunt. Quemadmodum autem virtutes sunt quædam medietates inter vitiosa extrema, ita et veritas fidei medietas est inter errores extremos.

Superfluum igitur est veritatis manifestatorem adversus istos aut illos dimicare, id est contendere contra adversarios veritatis ac fidei, ac non potius modeste ac rationabiliter loqui ac agere. Verumtamen nonnunquam oportet contra aliorum deceptores ac dyscolos seriose ac fervide disputare (sicut ait Apostolus, Si secundum hominem ad bestias pugnavi Ephesi: id est, quia rationabiliter contra bestiales homines disputavi in Epheso): sic tamen ut servetur quod alibi docetur, Servum Domini non oportet litigare, sed docibilem esse ad omnes, patientem, cum modestia corripientem.

I Cor. XV, 32. — II Tim. II, 24, 25.

Istud consequenter quasi per simile declaratur. *Dicit enim unusquisque se habere numisma regale,* id est bonum nummum imagine regis signatum; *et forsan quidem habet quamdam deceptivam imaginem cujusdam partis veri numismatis,* id est, fortasse habet denarium signatum fallaci figura, partim valentem tantum quantum valet verum numisma. *Et si istum redargueris,* probando quod dixerit falsum, *rursus et alius et rursus alius de eodem litigabit,* id est, plures simul aut successive de eadem re contra te contendent, et requiem non habebis sic corrixando. Sic et quilibet dicit se rectam fidem et legem habere, et qui voluerit contra singulos contendere, turbabit atque turbabitur, et parum proficiet. *Vera autem ipsa posita ratione, et ab aliis omnibus irreprehensibili manente,* id est, introducta jam responsione seu declaratione vere idonea, ita quod ab aliis nequeat rationabiliter reprehendi, *omne quod non ita secundum omnia se habet,* id est, quod non in omnibus consonat hujusmodi rationi, *ipsum in se ipso invincibili statione vere mihi* deponitur,* id est, insuperabili illa ratione stante in suo vigore, dejicitur, et ad profectum seu consolationem meam prosternitur.

* veri

Ergo hoc quidem, sicut arbitror, vere cognoscens, non studui adversus Græcos aut adversus alios dicere,* id est, ad hoc conatus non sum neque intendi, contra quoscumque errantes verbis contendere illosve refutare (quemadmodum de iniquis habetur: Venite, cogitemus contra eum, et radicem verbi inveniamus adversus eum), sed potius ad viam veritatis caritative reducere. *Sed sufficiens mihi (et hoc Deus donet) de veritate scire primum, postea scientem dicere ut oportet:* id est, id reor mihi sufficere (et id tribuat mihi Deus quod hoc mihi sufficiat in hoc casu), « scire » in primis « de

* igitur

Jer. XVIII, 18; Job XIX, 28.

veritate », potissime ad salutem necessaria, puta de fidei veritate, quam oportet cognoscere de eadem per fidem, aut per rationem fide instructam ac regulatam ; deinde me sic cognoscentem, loqui, scribere, disputare de veritate jam cognita : juxta illud in libro Job, Intelligite prius, et sic loquamur.

ARTICULUS VIII

DE PRODIGIIS QUIBUS APOLLOPHANES IN DEUM REDUCI POTERAT : ET PRIMO DE SOLIS STATIONE SUB JOSUE, ET RETROGRADATIONE SUB EZECHIA.

TU *autem dicis improperare mihi sophistam Apollophanem*, id est, mihi respondit quod Apollophanes logicus sophistice agens, mihi improperet. Quod quam iniquum sit, constat ex illo Ecclesiastici : Qui sophistice loquitur, odibilis est, in omni re defraudabitur ; non est illi data gratia a Domino, omni enim sapientia defraudatus est. *Et patrem verberatorem appellare*, id est, quod reprobatorem me nominet magistrorum et seniorum meorum Græcorum, ex quibus et corporaliter natus sum. De hujusmodi spirituali verberatione scribit Apostolus : Peccantes in fratres et percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis. Unde alia littera habet : Et parricidam appellare. Objecit namque Dionysio, quod Græcos irrationabiliter reprobaret, et scientia quam ab eis didicerat, contra ipsos uteretur. Hinc subditur : *et sicut his quæ sunt Græcorum, contra Græcos non recte * utentem*, id est, tanquam perverse utentem documentis Græcorum contra eosdem, quemadmodum David occidit Goliath proprio gladio. Et verum est quod S. Dionysius philosophica sua scientia usus est ad reprobandum quosdam aliquorum Græcorum errores. Hoc tamen egit ex caritate, pro illorum conversione, ad Dei honorem.

Eccli. xxxvii, 23.

I Cor. viii, 12.

* sancte

I Reg. xvii, 51.

Et quidem adversus ipsum esset nos verius dicere, id est, « nos » possemus « verius dicere » contra Apollophanem, *quod Græci divinis non sancte circa * divina utuntur*, id est, naturali scientia abutuntur : ideo subditur, *per sapientiam Dei*, id est, per philosophicam scientiam quam habent de Deo, quod scilicet sit actus purus, ens incommutabile, impassibile et perfectum omnino in se, *tentantes expellere divinam venerationem*, præsertim legem et fidem ac ritum Christianismi, in quibus docetur quod Deus sit incarnatus, passus et mortuus, et item, quod Deus trinus sit in personis.

* contra

Et non multorum ego dico opinionem, id est, modo non profero erroneam « opinionem » plurimorum idololatrarum, *affectu materiæ et passibiliter in dictis poetarum permanentium*, id est, in figmentis poetarum persistentium ex carnali et sensuali affectu, ex quo alliciuntur ad obscœna sacra deorum juxta dogmata poetarum, quæ sunt pabula dæmoniorum, *et creaturæ præter Creatorem divinum cultum exhibentium*, id est, omisso vero veri Dei cultu, colentium varia idolorum ac falsorum deorum portenta. De quibus Apostolus ad Romanos : Coluerunt, inquit, et servierunt creaturæ potius quam Creatori. Rom. i, 25.

*Sed et ipse Apollophanes non sancte divinis circa * divina utitur*, id est, sacrilegus est abutendo divinis circa * divina. *Etenim existentium cognitione pulchre dicta ab ipso philosophia, et a divino Paulo sapientia Dei appellata, ad causam et ipsorum existentium et cogniti-*

* contra

* contra

onis ipsorum oporteret sursumagi veros A *philosophos :* id est, sapientes naturales sua scientia bene utentes, « oporteret » merito elevari ex philosophica notitia creaturarum (quam et Apollophanes convenienter vocat philosophiam, Paulus quoque Rom. I, 18, 19. Apostolus ad Romanos et alibi nominat sapientiam Dei, id est de Deo tractantem : qui I Cor. I, 21. et ad Corinthios scribit, Quia in sapientia Dei non cognovit mundus per sapientiam Deum) ad causam summam omnium rerum, quæ etiam causa est « cognitionis » illarum.

Et ut non aliorum quam ipsius, propter hoc quod videtur, opinionem reprehendam, id est, « ut » pro præsente « non » reprobem nominatim errorem « aliorum quam » Apollophanis istius, ob id « quod » jam « videtur » expediendum, *oporteret Apollophanem sapientem exsistentem, cognoscere non aliter aliquando posse aliquid verti cœlestis ordinationis et motus,* id est, necesse esset quod Apollophanes naturali sapientia vel propria æstimatione sapiens exsistens, perpenderet non posse aliquid variari circa motus cœlestes et naturales cursus ordinantiasque eorum atque cœlestium corporum, *nisi contentorem essentiæ ipsius et causam haberet ad hoc moventem,* id est, « nisi » inordinatio et motio illa cœlestis « haberet » ipsum « contentorem essentiæ ipsius », id est conservatorem sui esse, « et causam moventem » et incitantem ad talem insolitam et supernaturalem mutationem ; *qui facit omnia et mutat, secundum sanctum sermonem,* id est, qui conservator est universorum, factor et conditor, « et mutat » ea secundum beneplacitum suum, juxta Ps. CXXXIV, 6. sacram Scripturam in Psalmo : Omnia quæcumque voluit Dominus fecit in cœlo et in terra ; alibi quoque : Creatori creatura deserviens ; atque alibi : Qui præcipit soli, et non oritur ; et stellas claudit quasi sub signaculo.

Sap. XVI, 21. Job IX, 7

Quomodo ergo [* igitur] *non veneratur cognitum nobis et ex hoc et vere exsistentem Deum?* id est, cur igitur non colit verum Deum nobis jam notum ex illa supernaturali mutatione quæ fuit tempore Josue? ad cujus invocationem, vel potius jussionem, ut ex forma verborum ipsius Josue videtur, sol et luna steterunt in medio cœli spatio unius diei, ut legitur in libro Josue : Dixit Josue Domino : Sol, contra Gabaon ne movearis, et luna contra vallem Aialon. Josue X, 12. Ex quibus error Rabbi Moysis reprobatur, dicentis quod sol tunc revera non stetit, sed secundum quemdam tropum loquendi ; quod item causa longioris B diei fuit, quod Moyses veniens ex Ægypto, quæ est ad meridiem, ad terram promissionis, quæ est ad aquilonem respectu Ægypti, ingressus est latius clima, ideirco et diem longiorem. Quod etsi ita aliqualiter fuerit, illa tamen prolongatio diei fuisset permodica : quod Albertus hic probat diffuse.

Mirans ipsum de omnium causa et superineffabili virtute, id est, ipsum Deum admirans ex sua universali causalitate et indicibili potestate, quæ apparuit in præ- C tacta illa cœlestium motuum mutatione, *quando ab ipso sol et luna, secundum virtutem et stationem supernaturalissimam, simul cum omni ad omnino immobile definiuntur :* id est, quo tempore sol et luna cum cœlo toto arctabantur et determinabantur a Deo figi et stare immobiliter omnino, « secundum virtutem », id est Dei omnipotentiam, « et stationem », id est quietem ad tempus aliquarum horarum, ut infra dicetur, « supernaturalissimam », quia statio et mutatio illa fuit D valde ac multipliciter supernaturalis, ut mox tangetur. Denique circa miraculum istud fuit duplex opinio : una, quod quiescentibus tunc sole et luna, cetera cuncta cœlestia corpora quieverunt ; alia, quod sole et luna tunc stantibus, alia cœlestia corpora motu solito movebantur. Prima autem opinio tangitur in verbis prætactis, quum dicitur : Quando ab ipso sol et luna, secundum virtutem et stationem supernaturalissimam, simul cum omni (id est cum toto cœlestium corporum univer-

sol ad omnium immobile definiebatur. *Et* A *tota illa in eisdem signis stabant omnia*, id est, secundum istam opinionem omnia corpora illa in eisdem signis seu imaginibus quiescebant.

Deinde tangitur secunda opinio : *Aut luminaria quidem, quod mirabilius*, id est, si dicatur quod mirabilius exstitisset, videlicet quod tantum sol et luna steterunt, et cetera movebantur. Unde subjungitur : *ab totis et melioribus et continentibus ita portatis*, id est, ab omnibus aliis corporibus cælestibus, scilicet orbibus et astris B ac planetis, quorum aliqua sunt majora et meliora, id est digniora, sole et luna, utpote ipsi orbes, et sunt continentia, quia intra se continent et ambiunt solem et lunam, « ita portatis », id est solito more vectis, delatis seu motis, *non circumferebantur contenta*, id est, sol et luna contenta et clausa intra illa, non circumferebantur.

Consequenter tangit aliud mirabile et supernaturale, quod contigit circa motum cælestem, sub rege Ezechia, quando illo C optante, et Isaia propheta eximio deprecante, sol retrocessit. (IV Reg. xx, 10, 11.)

Et quando alius quidem dies, id est, contigit et vere creditur factum « quando » id est tempore quodam, « alius quidem dies » tempore ægrotationis Ezechiæ, *secundum continuitatem fere triplicatur*, id est, quasi tantæ durationis et longitudinis efficitur, ut sunt tres dies artificiales. Nam in Josue legitur quod dies illa sub Josue fuit prolongata spatio unius diei : quod de die naturali, id est spatio D viginti quatuor horarum, exponitur. (Josue x, 13.) Si enim de die artificiali, id est, spatio quo sol super nostrum est horizontem, intelligeretur, non videretur verum quod subditur ibi : Non fuit ante et post tam longa dies. (Ibid. 14.) Sub Ezechia namque, ut dicitur hic, dies fuit triplicatus : et hoc secundum continuitatem, quia non incidit notabile aut perceptibile tempus inter regressionem solis et iteratam reditionem. Nihilo minus, ut libro de Auditu physico probat Philosophus, mobile in puncto reflexionis oportet quiescere : ergo in retrocessione et reascensione solis hoc fuit, præsertim si per lineam rectam sic et sic movebatur.

Et in viginti omnibus horis, id est totidem integris horis, sol solus, *aut omne*, id est tota universitas cælestium corporum simul cum sole. Quemadmodum enim juxta jam tacta, duplex opinio est circa stationem solis et lunæ tempore Josue, an scilicet omnia alia cælestia corpora simul steterunt cum sole et luna, an illis duobus stantibus, ipsa continuo movebantur ; sic circa istam retrogradationem solis sunt duæ opiniones : una, quod alia cælestia corpora simul cum sole regressa fuerunt ; alia opinio, quod non. Idcirco nunc subditur : « aut omne », id est totum illud cælestium corporum, *tanti temporis contraria portatione regreditur*, id est, retrocedit « portatione contraria », id est latione opposita, seu motu contrario motui quo ante ascendit, motu, inquam, « tanti temporis », id est decem horarum. Siquidem per decem horas sol rediit, et per alias decem horas mox subsequentes rursus ascendit eadem via qua paulo ante descenderat. Ideo dictum est : « in viginti omnibus horis ».

Unde per Isaiam Dominus ait : Hoc tibi signum erit a Domino, quia faciet Dominus verbum hoc quod locutus est : Ecce ego reverti faciam umbram linearum per quas descenderat in horologio Achaz in sole, retrorsum decem lineis. Et reversus est sol decem lineis. (Is. xxxviii, 7, 8.) De qua re mirabili et præclara etiam scriptum est in quarto Regum libro : Dixit Isaias ad Ezechiam : Vis ut ascendat umbra decem lineis, aut ut revertatur totidem lineis ? Et dixit Ezechias : Facile est umbram crescere decem lineis ; nec hoc volo ut fiat, sed ut revertatur retrorsum decem gradibus. (IV Reg. xx, 9, 10.) De hoc itidem in secundo Paralipomenon libro tangitur. (II Par. xxxii, 24.)

Et convertitur, id est, universitas illa cælestium corporum rediit simul cum so-

le, secundum unam opinionem, *ita supernaturalissimis contrariis circumactionibus*, id est motionibus maxime supernaturalibus, « contrariis » illis motionibus quibus naturaliter solet moveri, et quibus paulo ante ascendit cum sole.

Deinceps tangitur opinio alia. *Aut sol proprio cursu motum ipsius omnimodo in horis decem colligens*, id est, si « sol » solus « proprio cursu motum ipsius », id est proprium motum, « colligens », id est, complens et integrans, spatio decem horarum, in primo suo ascensu seu reditu diei illius, *resolutive rursus toto illo novam viam quamdam terens*, id est, infra spatium totum temporis illius regressionis currens in descendendo miraculose, « terens », id est incedens, « novam quamdam viam », id est insolitum iter prorsus miraculosum, *in aliis* decem regreditur, id est, in decem aliis horis denuo ascendit usque ad id unde cœpit miraculose descendere.

Hoc quidem fuit, id est, opus istud tam multipliciter mirum et supernaturale fuit, *quod et Babylonios convenienter in stuporem movit*, id est, Chaldæos rationabiliter ad vehementem admirationem induxit. Erant enim astronomiæ intenti, et consideraverunt facta illa nimis supernaturalia esse. *Et sine pugna Ezechiæ subjecit, sicut cuidam æquali Deo et homines excedenti*. Quum enim Babyloniorum rex et astrologi ejus percepissent quod ad instantiam Ezechiæ regis Judæorum mirabilia illa contigissent, admirati sunt excellentiam ejus, nec audebant se opponere ei, cui omnipotens Deus tam amicabilis fuit. Propter quod reputabant Ezechiam Deo quasi æqualem, id est multum consimilem, puta Dei amicum, et excedentem in gratia accidentalique dignitate commune hominum genus. Propter quem Ezechiam (IV *Reg.* xix, 35) etiam Deus paulo ante interfecit per angelum sanctum centum octoginta quinque millia hominum paganorum in castris Assyriorum : quod et Chaldæi isti perceperant.

Præterea tot et tanta mirabilia diu postmodum permanserunt in memoriis homi- A num : in tantum quod quum postea diu Nabuchodonosor rex Babylonis obsideret Jerusalem, putabant plurimi quod non obtineret eamdem, quemadmodum Jeremias testatur in Threnis : Non crediderunt gentes et reges terræ, quod ingrederetur hostis per portas Jerusalem. (*Thren.* iv, 12.) Hinc quoque quarto Regum libro narratur quemadmodum rex Babylonis misit Ezechiæ libros, id est epistolas, et munera ; et gentes in circuitu ipsum timebant. (IV *Reg.* xx, 12.) Cur autem rex ille misit legatos suos ad Ezechiam, se- B cundo libro Paralipomenon aperitur, quo legitur : Missi erant ut interrogarent eum de portento quod acciderat super terram, (II *Par.* xxxii, 31.) hoc est de admirabili illa solis retrogressione et reditu.

Et non dico eas quæ fuerunt in Ægypto magnas operationes, id est, pro præsenti non recito admirabilia quæ Deus per Moysen in Ægypto effecit : inter quæ magnificum fuit, quod tribus diebus sol lumen suum retraxit ab ipsis Ægyptiis, non ab Hebræis nec aliis gentibus ; (*Exod.* x, 22, 23.) *aut alia* C *quædam alibi Dei signa facta*, sicut quod tres viri manserunt in æstuantissimo fornace illæsi, Daniel quoque a leonibus intactus ; (*Dan.* iii, 23 et seq. *Ibid.* vi, 22, xiv, 39.) *sed communia et cœlestia, in omni et in omnibus triumphantia*, id est signa ista in cœlestibus facta corporibus, notaque in universo et gentibus cunctis, ut sit distributio pro generibus singulorum, ac convincentia incredulos ad confitendum omnipotentiam ac providentiam Dei.

Dicit autem omnino Apollophanes non esse ista vera, id est, respondebit quod D falsa sint et conficta : quod protinus reprobatur. *Igitur maxime quidem hoc Persarum sacerdotalibus effertur memoriis*, id est, in historiis Persarum et memorabilibus scriptis sacerdotum illorum istud narratur, *et adhuc magis memorialia triplicati solis perficiunt*, id est, perfecte faciunt magis, id est sapientibus, certas memorias « solis triplicati », id est diei illius quasi tam longi ut sunt tres dies artificiales : sicque sol quasi triplex fuit in suo effectu.

ARTICULUS IX

DE ECLIPSI IN MORTE CHRISTI.

SED *forsan illis hæc propter ignorantiam aut inexperientiam non credere*, id est, dato quod non tenetur ad credulitatem istorum, quæ nec vidit, neque expertus est, aut forsan ignorat. *Dic autem quæ*, id est, tu Polycarpe, objice Apollophani: *Quid dicis de defectu*, id est eclipsi, *facto in cruce*, id est in passione, *Salvatoris?*

Ambo enim, scilicet Apollophanes et ego, *apud Heliopolim*, urbem Ægypti, quæ dicitur Civitas solis, *tunc præsentes et consistentes, inopinabiliter soli lunam incidentem videbamus*, id est, ibi conspeximus quod luna inopinate et supernaturaliter se supposuit soli; *non enim erat coitus tempus*, id est, tunc non erat naturale tempus conjunctionis illius, quia non fuit interlunium, imo fuit tunc oppositio et plenilunium. *Et rursus ipsam a nona hora usque ad vesperam, soli diametrum supernaturaliter restitutam*, id est, vidimus lunam hora vesperarum recollocatam in occidente, ex opposito solis quasi per lineam rectam protractam seu imaginatam recte a sole usque ad lunam, ut videmus in oppositione; et ita cœpit luna redire, seque a sole sub quo stetit, retrahere, quia ut ait Evangelista, A sexta hora usque ad nonam tenebræ factæ sunt super universam terram. Quod fuit vehementer supernaturale, et secundum mirabile in illa eclipsi. Matth. xxvii, 45.

Sequitur tertium in eadem mirabile. *Rememora autem et quiddam aliud ipsi*, id est, tu Polycarpe, reduc ad memoriam Apollophani aliud magnum. *Novit enim quod eclipsim ipsam ex oriente vidimus inchoantem*, quoniam luna ab oriente redit versus solem, *et usque ad solarem terminum venientem*, quia paulatim se soli supposuit, quousque totum solem ab inferiori parte operuisse atque hominibus abscondisse videbatur, *postea regredientem*, id est, vidimus lunam se retrahere a parte solis quam ultimo texerat, sicque reverti ad orientem. Sequitur quartum mirabile. *Et rursus non ex eadem et defectum et repurgationem, sed econtrario secundum diametrum factam*, id est, conspeximus non ex eadem parte factam defectionem seu eclipsim, et solis « repurgationem », id est claram resplendentiam, quæ ab obscuratione seu absconsione illa apparebat quasi purgata, sed contraria parte « secundum diametrum ». Incepit enim ab oriente obscuratio solis, ut patuit, et detectio seu illustratio cœpit ab occidente. In naturali enim eclipsi fit contrario modo, quoniam luna partem solis quam primo tegit et occupat, prius dimittit.

Talia sunt ejus temporis supernaturalia, id est, tam magnifica et præclara erant miraculosa opera illa, quæ tempore passionis dominicæ contigerunt, *et soli Christo, qui est omnium causa*, id est unigenito Filio Dei, Patri æquali, et nulli substantialiter a Christo distincto, *possibilia*. Sicque per solum, nec Pater nec Spiritus Sanctus excluduntur. *Qui facit magna et mirabilia quorum non est numerus* nobis cognitus; nihilo minus in numero sibi noto, pondere et mensura constituit universa. Sap. xi, 21. Istud scriptum est in libro Job: Ad Deum ponam eloquium meum, qui facit magna et inscrutabilia et mirabilia absque numero. Job v, 8, 9.

Hæc dicta tibi, id est, hæc dixerim te alloquendo, o Polycarpe. *Et si possibile est, Apollophanes, reprehende et me*, id

est, si rationabiliter potes, redargue, tu Apollophanes, me, *tunc comprœsentem tibi*, id est, qui tunc tecum in Heliopoli eram, *et simul inspicientem, et simul judicantem, et simul admirantem*, id est, qui tecum tunc ista inspexi, mirabilissima judicavi, vehementer mirabar. *Siquidem et divinationem tunc, nescio unde, Apollophanes incepit*, id est, philosophus iste cœpit tunc quasi vaticinari, et de futuris conjicere, quo spiritu, nescio ; *et ad me, sicut quæ fiunt conferens, dixit*, id est, mihi tunc loquebatur, tanquam conferens mecum de his quæ fiebant : *Hæc, o bone Dionysi, sunt mutationes divinarum rerum*, id est, supernaturales hæ variationes operum divinorum ac cœlestium motuum, abditum quid prætendunt.

Tanta ut in epistola a nobis sunt dicta, id est, ista tam compendiose conscripsi, prout in epistola decuit me brevitati studere. *Tui autem erit, sufficienter et deficientia adimplere*, id est, quum sis vir sapiens, spectat ad te supplere si quid minus locutus sum, *et adducere perfecte Deo*, id est ad Deum plene convertere ministerialiter, Deo principaliter agente, *virum sapientem in multis exsistentem*, id est Apollophanem philosophum naturali sapientia et acquisita prudentia eruditum : qualis fuit et Jethro, qui ipsum Moysen de aliquibus erudivit, ut in Exodo narratur; *et forsitan non dedignaturum mansuete discere*, id est, qui forsan non indignabitur nec contemnet patienter ac mititer discere, *supersapientem religionis nostræ veritatem*, id est divinam et supernaturalem theoriam fidei christianæ ac evangelicæ legis, juxta illud Ecclesiastici : Esto mansuetus ad audiendum verbum Dei. Et Jacobus ait : In mansuetudine suscipite insitum verbum, quod potest salvare animas vestras. Nempe ut alibi scriptum est, Auris bona cum omni concupiscentia audiet verbum Dei.

Exod. XVIII, 14 *et seq.*

Eccli. V, 13.

Jacob. I, 21.

Eccli. III, 31.

Postremo, circa hæc scribit Thomas in tertia parte, ubi ex verbis Chrysostomi addit quintum mirabile, quia duravit multo diutius quam naturalis eclipsis. Verumtamen naturalis eclipsis etiam diu durat, quando in epicyclo sol movetur in ipsa eclipsi, quemadmodum vidi. Tunc tamen non fuit plena eclipsis, sed quasi pallidus apparuit color. De his super Josue et quartum Regum ac Isaiam plura conscripsi, ex quibus hæc clarius possent intelligi. Ex quibus constat esse erroneum quod in Scholastica fertur historia.

TRANSLATIO JOANNIS SCOTI

EGO quidem nescio ad Græcos aut alteros dicens, sufficere arbitrans optimis viris, si verum ab ipso in se ipso potuerint et cognoscere et dicere an vere habet. Hoc enim quodcumque est, juxta legem veritatis recte ostenso et puro stante, omne aliter se habens et veritatem affectans, redarguetur et vere alterum ontis *, et dissimile, et opinabile illud magis quam ὄν. Superfluum igitur est veritatis manifestatorem ad hos aut illos dimicare. Dicit enim unusquisque habere numisma regale : et utique habet quamdam puri cujusdam, ejus vere fallacem umbram. Et si hunc redarguas, alter et iterum alter de eodem contendet. Eodem autem vero posito recte ratione, et ab aliis omnibus selecto ridente, omne quod non sic per omnia habens, id ipsum ex se ipso irreprehensibili statu vere vero expellitur. Hoc igitur, ut arbitror, bene cognoscens, non acceleravi ad Græcos aut alteros dicere ; sed idoneum mihi (et hoc Deus det) de veritate scire primum, deinde scientem ut oportet dicere.

* et alterum ὄν vere ontis

Ubi autem inquis maledicere mihi sophistam Apollophanem, et paternam sententiam revocare, tanquam Græcorum in Græcos non sancte utenti; et quidem ad ipsum nos verius erat dicere quomodo Græci divinis non sancte in divina utuntur, per sapientiam Dei divinum expellere tentantes cultum. Et sic non multam ego quidem dico gloriam quibusdam positarum materialiter et passibiliter remanentium, et creaturæ contra Creatorem servientium; sed et ipse Apollophanes non sancte divinis in divina utitur. Ea enim existentium scientia bene dicta ab ipso philosophia, et
I Cor. I, 24 a divino Paulo sapientia Dei vocata, et ad causalem ipsorum exsistentium et scientiæ eorum oportet reduci vere philosophos. Et ut non ipsam aliorum, aut ipsam ipsius aliter quod putandum est redarguam opinionem, oportet considerare Apollophanem, sapiens qui est, non aliter aliquando potuisse cælestem transcendere ordinationem et motionem, si non ipsum causalem ipsam et bene eminentem et causalem habuisset
[illegible] in hoc moventem, facientem omnia et transformantem, secundum sacrum verbum. Quomodo igitur non colit cognitum nobis et ex hoc et vere exsistentem et vere Deum? dicens eum causalitorum et superineffabili virtute, quum sol ab ipso et luna, secundum virtutem et statum supernaturalissimum, simul universo ad omnino immobile defiguntur, et in mensuram diei totius in eisdem stant omnia signis (aut, quod eo amplius, et quidem omnibus et melioribus et continentibus sic evectis, non circumducta sunt quæ continentur); et quum alia quædam dies secundum continuitatem
* pro vices fere triplicatur, et in viginti omnibus horis fit, quod non omni tempore vias * contrarias redit et revertitur. Sic valde supernaturalibus econtrario circumductionibus ad propriæ cursu quinquiformem suum motum in horis decem convolvens, analytice iterum totum in aliis decem novam quamdam semitarum viam retrograditur. Hoc et Babylonios merito inflexit, et sine pugna Ezechiæ subegit, tanquam in æquali Deo quidam et superanti homines. Et neque hic dico in Ægypto magnas operationes, aut alia quædam alicubi divina signa facta, sed communia et cœlestia, et in universo et in omnibus triumphantia. Ait autem omnino Apollophanes non esse hæc vera. Magis quidem hæc Persarum sacerdotibus infertur memoriis, et adhuc magi memoranda triplasii mithri perficiunt.

Sed licitum sit ipsi his propter ignorantiam aut magnam incredulitatem. Dic autem ei: Quid dicis de ipsa in salutari cruce facta eclipsi? Nam utrique tunc juxta Solis civitatem simul advenientes et consistentes, mirabiliter soli lunam incidentem vidimus (non enim erat coitus tempus); iterum autem ipsam a nona hora usque ad vesperas in solis diametrum supernaturaliter econtrario consistentem. Admone autem quiddam et alterum ipsum. Scit enim quia et occasum ipsum ex orientalibus videbamus inchoantem, et usque solarem summitatem venientem, deinde retrogradientem; et iterum non ex eadem et occasum et repurgationem, sed secundum diametrum econtrario factam. Talia sunt tunc temporis supernaturalia, et solo Christo causalissima virtute,
Job v, 9 facienti magna et ampla quorum non est numerus. Hæc, si tibi justum et possibile, dic Apollophani: Redargue et mihi tunc et convenientem tibi et conspeculantem, et compatientem omnia et conferentem. Negligit et divinationis tunc, nescio. Inde Apollophanes abiit, et ad me sicut facta conferens, ait: Hoc, o bone Dionysi, divinarum vicissitudines rerum. Tanta per epistolam a nobis dicta sunt. Tu autem idoneus et quæ desunt adimplere, et adducere perfecte Deo virum sapientem multum exsistentem, et sane non indignantem mansuete discere supersapientem religionis nostræ veritatem.

EPISTOLA VIII

AD DEMOPHILUM MONACHUM.

Hebræorum historiæ dicunt, o nobilis Demophile, et sanctum illum Moysen propter multam mansuetudinem Dei apparitione dignum habitum. Et si aliquando ipsum extra divinam visionem describunt, non ante a Deo excludunt, quam a mansuetudine. Dicunt autem quod valde superbienti et divinis consiliis resistenti, iratus est furore Dominus. *Num. xx, 10-12. Deut. i, 37.* Quando autem ipsum commendabilem faciunt a Deo judicatis dignitatibus, ex præeminenti mansuetudine, boni Dei imitatione, commendatur. Etenim erat mansuetus valde, et propter hoc dicitur famulus Dei, et ad Dei inspectionem universis Prophetis dignior. *Num. xii, 3, 7, 8.* Sed et quando adversus ipsum et Aaron crudeles quidam pro principatu sacerdotii et principatu gentis litigabant, excessit quidem universam jactantiam et ambitionem, et concedebat a Deo judicato populi prælationem. *Ibid. xvi, 1 et seq.* Postquam autem et consurrexerunt in ipsum, et de prioribus improperantes minabantur, et jam pene prævaluerant, invocabat quidem mansuetus bonum ad salvationem. *Ibid. 41 et seq.* Confidebat autem valde mansuete, quod aggressis nullorum erat causa malorum. Sciebat enim quod oportet colloquentem Deo, bono ad quam maxime simillimum (sicut est possibile) figurari, et sibi ipsi conscium esse Deo amabilium operationum. Quid autem et Dei patrem David faciebat Dei amicum? Etenim de isto bono exsistente, et circa inimicos bono, dicit superbonus et amator boni : Inveni virum secundum cor meum. *Act. xiii, 22.* Et quidem et lex bona data est, jumentis inimici providere. *Exod. xxiii, 4, 5.* Et Jacob, sicut innocentiam habens, justificatus est. *Sap. x, 10-12.* Et Joseph de insidiatoribus fratribus non se vindicavit. *Gen. l, 19-21.* Et Abel simpliciter et sine suspicione ambulabat cum fratre occisore. *Ibid. iv, 8.* Et omnis Theologia bonos commendat non præintendentes mala, sed neque ab aliorum malitia ex bono transmutatos, sed econtrario deiformiter malis benefacientes, et extendentes ad ipsos multam ipsorum bonitatem, et ad simile mansuete vocantes.

Sed ad superius respiciamus : non virorum sanctorum mansuetudines, non homines amantium angelorum bonitates enuntiantes, miserantium gentes, et pro ipsis bonum deprecantium, *Zach. i, 12.* et perditas et malum operantes multitudines increpantium, *Judic. ii, 1-4.* et contristatorum quidem in malis, lætantium autem in salvatione ad bona transductorum, *Is. xxxiii, 7. Luc. xv, 7, 10.* neque quæcumque alia de beneficis angelis tradit Theologia; sed vere boni et superboni Christi beneficos radios in silentio recipientes, ab ipsis ad divinas ejus operationes illuminemur. Numquid enim non est ineffabilis et super intellectum bonitatis, quod exsistentia esse facit, quod omnia ipsa ad esse perduxit, et omnia vult semper fieri similia ipsi et participantia his quæ sunt ejus secundum singulorum

opportunitatem? Quid autem quod et resilientes amabiliter habet, et certat et rogat non despici ab amatis et conferentibus se ipsos, et vane incusantes sustinet, et ipse excusat, et magis promittit se curaturum? Et adhuc ipsis longe existentibus, tamen accedentibus, accurrit et obviat, et totus totos amplectens osculatur; et non accusat de prioribus, sed diligit præsentem; et festum facit, et convocat amicos, videlicet bonos, ut sit omnium lætantium habitatio.

Demophilus autem, et si quis alius bonis inimicatur, valde juste increpatur, et edocetur bona, et bonum ei impenditur. Quomodo enim non oportebat (dicit) bonum in salvatione perditorum lætari et vita mortificatorum? Siquidem et super humeros levat difficulter ab errore conversum, et bonos angelos ad lætitiam aggregat; et bonus est ingratis, et oriri facit solem suum super bonos et malos; et ipsam animam suam ponit pro refugientibus. Tu autem, sicut litteræ tuæ monstrant, et procidentem sacerdoti (ut dicis) impium et peccatorem, nescio quo modo contra ipsum præsens, retrusisti. Postea ille quidem deprecabatur, et ad medicinam malorum venisse confitebatur. Tu autem non horruisti, sed et bonum sacerdotem temere cum injuria corporis repulisti, dicens miserabilem esse, qui pœnitentem et impium justificavit. Et ad finem dixisti sacerdoti : Exi cum similibus. Et insiliisti, quum non esset fas, ad adyta, et Sancta sanctorum irrupisti *. Et scribis nobis : Corrumpenda sancta pro vi * salvavi, et adhuc immaculata custodio.

Nunc igitur audi nostra : Non est fas sacerdotem a ministris, qui sunt super te, aut coordinatis tibi monachis, corrigi, quamvis impie agere circa divina videatur, et si aliquid aliud aliorum prohibitorum fecisse redarguatur. Si enim inornatus et inordinatio divinissimarum et definitionum et legum sunt excessus, non habet rationem, pro Deo a Deo traditum perverti ordinem. Non enim in se ipsum Verbum divisum est : quomodo enim stabit regnum ejus? Et si Dei est judicium, ut Eloquia dicunt, sacerdotes autem post hierarchas sunt angeli et recitatores divinorum judiciorum; ab ipsis, sicut tibi convenit, per medios ministros divina edocere, per quos et esse monachus dignus habitus es. Annon sancta signa istud clamant? Etenim non simpliciter ab universis quidem segregata sunt Sancta sanctorum; appropinquat autem magis ipsis sanctitatis perfectorum ornatus, postea sacerdotum ornatus, post illos autem consequenter ornatus ministrorum. Ordinatis autem monachis portæ adytorum sunt segregatæ : juxta quas et perficiuntur et assident, non ad custodiam ipsarum, sed ad ordinationem et cognitionem sui ipsorum, magis quam populus sacerdotalibus propinquantes. Unde sanctus sanctorum ordinationis principatus sancte statuit ipsos sumere de divinis, aliis (videlicet interioribus) ipsorum traditionem imponens. Etenim circa divinum altare stantes (ut significative dicatur), vident et audiunt divina clare ipsis revelata; et procedentes beniformiter ad ea quæ sunt extra divina velamina, subjectis monachis, et sancto populo, et ordinibus qui purgantur, manifestant secundum dignitatem sancta, incontaminata pulchre custodita, donec tyrannice ipsis insiliens, educi tibi Sancta sanctorum non volentia coegisti : et dicis te habere sancta et custodire,

et quidem neque novisti neque audivisti neque habes aliquid convenientium sacerdotibus, sicut neque veritatem Eloquiorum cognovisti, unaquaque die ipsa verbo impugnans in perversionem audientium. Et quidem si de principatu gentis aliquis invasisset quod sibi a rege ordinatum non fuisset, juste puniretur. Et si principem justificantem quosdam aut condemnantem, adsistens aliquis sub ipso ordinatorum redarguere ausus esset (nondum enim dico, contumelia, contactu corporis repellere), simul et a principatu expellere videretur. Tu autem, homo, ita audax es contra mansuetum et pium *, et hierarchicam ipsius legislationem.

* bonum

Et hæc oporteret dicere, quando super dignitatem quis præsumens, tamen convenientia facere videretur : etenim neque hoc desiderabile est ulli. Quid enim inconveniens Ozias faciebat, Deo incensum offerens? quid autem Saul, sacrificans? quid autem tyrannici dæmones, vere theologizantes Jesum ? Sed interdictus est a Theologia omnis alienus episcopus ; et unusquisque erit in ordine suæ ministrationis. Et solus princeps sacerdotum ad Sancta sanctorum ingreditur, et semel in anno : et hoc in omni secundum legem hierarchica munditia. Et sacerdotes cooperiunt sancta, et Levitæ non tangent sancta, ut non moriantur. Et iratus est furore Dominus in protervitate Ozæ. Et Maria leprosa fit, legislatori legem ponere conata. Et in filios Scevæ insiluerunt dæmonia. Et : Non mittebam eos, dicit, et ipsi currebant, et non loquebar ad eos, et ipsi prophetabant ; et impius qui sacrificat mihi vitulum, sicut qui occidit canem. Et ut simpliciter dicatur, non sustinet perversores legis perfecta Dei justitia. Dicentibus autem rursus ipsis, In nomine tuo virtutes multas fecimus : Non novi vos, respondetur ; discedite a me, omnes operatores iniquitatis. Quare non est fas, sicut sancta Eloquia dicunt, neque ea quæ sunt justa, non secundum dignitatem exsequi. Oportet autem unumquemque sibi ipsi attendere, et non altiora et profundiora intendere, deliberare autem ea sola quæ sunt secundum dignitatem ipsi ordinata.

II Par. XXVI, 16 *et seq.* *I Reg.* XIII, 9 *et seq* ; XV, 12 *et seq.* *Marc* III, 11, 12. *Exod.* XXVIII, 1. *II Par.* VIII, 14. *Hebr.* IX, 7. *Lev.* XVI. *Num.* IV, 15. *II Reg.* VI, 6, 7. *Num.* XII, 10. *Act.* XIX, 14-16. *Jer.* XXIII, 21. *Is.* LXVI, 3. *Matth.* VII, 22, 23 ; *Luc.* XIII, 27. *Eccli.* III, 22.

Quid igitur? dicis, non oportet sacerdotes impie agentes, aut de alio quodam inconvenientium reprehensos, castigari, solis autem gloriantibus in lege licebit per transgressionem legis Deum inhonorare? Et quomodo sacerdotes, Dei sunt manifestatores? Quomodo enim annuntiant populo divinas virtutes, ipsarum potestatem non cognoscentes? Aut quomodo illuminabunt qui sunt obtenebrati ? Quomodo autem divinum tradent Spiritum, quum si sit Spiritus Sanctus, habitu et veritate non crediderunt? — Ego autem respondebo tibi ad hæc : etenim non est inimicus Demophilus, neque sustinebo te acquiri a Satana. Etenim unusquisque ornatus eorum qui sunt circa Deum, est divinior magis absistente ; et luculentiora simul et magis illuminantia sunt, magis vero lumini propinqua. Et non localiter accipias appropinquationem, sed secundum recipiendi Deum idoneitatem. Si igitur sacerdotum ornatus est illuminativus, profecto * cecidit a sacerdotali ordine et virtute, qui non est illuminativus ; magis autem, qui non est illuminatus. Et audax quidem mihi videtur talis sacerdotalibus manum apponens ; et non timet neque verecundatur, divina præter dignitatem exsequens, et putans Deum ignorare quæ ipse in se ipso

Rom. II, 23.

* perfecto

agnovit, et decipere æstimat falso nomine ab ipso patrem appellatum, et audet ipsius immundas infamias (non enim dicam orationes) super divina signa christiformiter enuntiare. Non est iste sacerdos, non est, sed inimicus, dolosus, delusor sui ipsius, et lupus super divinum populum pelle ovina armatus. Sed neque Demophilo est fas ista castigare. Si enim Theologia, justa juste præcipit exsequi; justa autem exsequi est, quando attribuere velit aliquis unicuique secundum dignitatem; juste hoc est omnibus exsequendum, non præter dignitatem ipsorum aut ordinem. Quoniam et angelis justum est determinari ea quæ sunt secundum dignitatem; et determinantur; sed non a nobis, o Demophile, sed per ipsos nobis ex Deo, et ipsis per præeminentes amplius angelos. Et ut simpliciter dicatur, in omnibus existentibus, per primos secundis attribuuntur ea quæ sunt secundum dignitatem, ab omnium bene ordinata et justissima providentia. Igitur qui sunt ordinati a Deo ut aliis principentur, distribuunt sequentibus et obedientibus ea quæ sunt secundum dignitatem. Demophilus autem sermoni et furori et concupiscentiæ, ea quæ sunt secundum dignitatem determinet; et non injuriam faciat ipsius ordinationi, sed principetur subjectis superposita ratio. Si enim in foro videntes servum domino, et juniorem seniori, aut et filium patri maledicentem, simul et supervenientem, et plagas imponentem; impie agere videremur, nisi supercurrentes melioribus auxiliaremur, etsi illi quidem forsitan prius injuriam accepissent: quomodo non verecundabimur, sustinentes a furore et concupiscentia injuria affectum verbum, et a principatu a Deo dato expulsum, et in nobis ipsis impiam et injustam inordinationem et litem et inornatam excitantes? Convenienter beatus noster ex Deo legislator, non dignatur Ecclesiæ Dei præponere eum qui propriæ domui bene jam non præfuit. Etenim qui ordinavit se ipsum, et alium ordinabit; et qui alium, et domum; et qui domum, et civitatem; et qui civitatem, et gentem. Et ut simpliciter dicatur, ut Eloquia aiunt, qui est in minimo fidelis, et in multo fidelis erit; et qui est in minimo infidelis, et in multo infidelis erit. Igitur ipse quidem concupiscentiæ et furori et sermoni, secundum dignitatem determina; tibi autem divini ministri, et istis sacerdotes, hierarchæ vero sacerdotibus, et hierarchis Apostoli et Apostolorum successores. Et si aliquis in illis a convenienti deficiat, a coordinatis sanctis corrigetur; et neque pervertetur ordo super ordinem, sed unusquisque in ordine suo et in ministratione sua erit. Tanta igitur a nobis, ut scias et facias quæ ad te pertinent.

Sed de inhumanitate in virum (sicut dicis) impium et peccatorem, nescio quomodo plangam contritionem dilecti mei. Etenim cujus arbitraris famulum te esse a nobis ordinatum? Etenim nisi boni, omnino et a nobis, et a famulatu toto qui est secundum nos, necesse est te esse alienum; et vide tibi et Deum alium quærere et sacerdotes alios, et ab illis deprædari magis quam perfici, et esse amicæ inhumanitatis inflexibilem ministrum. Numquid enim nos ipsi ad omnino sanctum perfecti sumus, et non indigemus divinæ in nobis ipsis benignitatis? aut duplex peccatum, sicut Eloquia dicunt, secundum impios committimus, nescientes in quo offendimus, sed et justificantes nos ipsos, et arbitrantes videre, vere autem non videntes?

Obstupuit cœlum super hoc, et horrui ego, et incredulus sum mihi ipsi. Et bene
scias, nisi tuas nactus essem, sicut nollem, litteras, sed alii quidam de te per-
suadere dignarentur, non persuasissent quod Demophilus putat Deum, qui est
bonus ad omnia, non esse et amatorem hominum, neque se indigere miserantis aut
salvantis, sed et sacerdotes degradat, dignatos bonitate portare ignorantias populi, et
bene scientes quod et ipsi circumvallantur infirmitate. Ceterum thearchicus sanctita- *Hebr.* v, 2.
tis perfector alia profectus est via : et hoc, quum a peccatoribus, ut Eloquia dicunt, *Ibid.* vii, 26.
fuerit segregatus. Et suæ dilectionis demonstrationem facit ovium pascendarum *Joann.* xxi, 15-17.
mansuetissimum officium. Et malignum quidem vocat, non dimittentem conservo *Matth.*
debitum, neque particulariter donantem de donata sibi multa bonitate. Judicat xviii, 23-24.
autem ipsum propria recipere : quod necessarium est timere et me et Demophi-
lum. Etenim et ipsis in eum impie agentibus, in ipsa passione remissionem pro- *Luc.* xxiii, 34.
ducit a Patre. Increpat autem et discipulos qui et immisericorditer precati sunt *Ibid.* ix, 54-56.
judicare de impietate Samaritanos ipsum persequentes.

Hæc quidem multiplex est locutio tuæ temerariæ epistolæ : sursum enim et
deorsum fremis quod non te ipsum, sed Deum vindicasti. Per malitiam, dic mihi,
bonum ? Absit. Non habemus pontificem non valentem compati infirmitatibus no- *Hebr.* iv, 15.
stris, sed et innocens est, et misericors. Non contendet, neque clamabit ; et ipse *Matth.* xii, 19.
est mitis, et propitiatio pro peccatis nostris. Quare non recipimus tuos non zela- *Ibid.* xi, 29.
biles motus, sed neque si millies resumas Phinees et Eliam. Hæc enim audienti I *Joann.* ii, 2.
Jesu non placuerunt tunc mitis et boni spiritus non participes discipuli. Etenim *Luc.* ix, 54, 55.
divinissimus noster sanctitatis perfector, in mansuetudine docet resistentes doctrinæ II *Tim.* ii, 25.
Dei. Doceri enim, non puniri, convenit ignorantes : sicut et cæcos non punimus,
sed manuducimus. Tu autem et viro respicere ad lumen incipienti, contra maxillam
dans impegisti, et cum multa verecundia accedentem, temerarie repulisti. Hoc
igitur multo horrore dignum, quoniam Christus bonus exsistens, in montibus er- *Luc.* xv, 4-5.
rantem inquirit, et fugientem advocat, et inventum difficulter, super humeros levat.
Ne, rogo, ne male ita de nobis ipsis consiliemur, neque in nos ipsos ensem impin-
gamus. Etenim qui injuriam quidem aliquibus facere aut econtrario facere nituntur,
illis quidem non omnino fecerunt quæ voluerunt, sibi ipsis autem malitiam aut
bonitatem conquirentes, aut divinis virtutibus aut inhumanis pleni sunt passio-
nibus. Et isti quidem angelorum bonorum sequaces erunt ; et coambulantes et hic
et ibi cum omni pace et liberatione ab omnibus malis, in ævo semper exsistente bea-
tissimos hereditabunt fines, et cum Deo semper erunt : quod est omnium bonorum I *Thess.* iv, 16.
maximum. Illi vero cadunt a divina simul et sua pace, et hic et post mortem simul
cum crudelibus erunt dæmonibus. Cujus quidem gratia nobis est multum studium
cum Deo bono fieri, et esse semper cum Domino, et non cum malis a Judice se-
gregari, secundum meritum ex nobis ipsis sustinentes : quod ego plus quam omnia
timeo, et rogo non particeps esse omnium malorum.

Et si vis, et divinam visionem sancti cujusdam viri memorabo : et non rideas,
vera enim dicam. Me exsistentem aliquando in Creta, sanctus hospitio recepit Car-

purus vir (et si aliquis alius) propter multam munditiam mentis, ad Dei inspectiones aptissimus. Et quidem neque sanctis mysteriorum perfectionibus manum apponebat, nisi prius in orationibus quæ sunt ante perfectionem, ipsi sancta et amica visio inferretur. Dicebat igitur, quod quum contristasset eum quidam infidelium (tristitia autem hæc erat, quod ab Ecclesia ille quemdam ad infidelitatem errare fecerat), adhuc lætis diebus ipsi factis, oportebat pro utrisque benigne orare, et Deum Salvatorem susceptorem, sumentem, hunc quidem convertere, illum autem bonitate vincere, et non deficere admonentem per vitam omnem usque hodie, et ita ad divinam ipsos circumagere cognitionem, sicut jam et his quæ erant dubia, ipsis indicatis, et quæ irrationabiliter et temerarie fecerant, legali justitia castigari compulsis. Sed in se ipso non prius hoc patiens, nescio quomodo multas quasdam inimicitias et amaritudines intexens, infirmatus est quidem ita male habens. Vespera enim erat. Circa medias vero noctes (consuevit enim in hoc tempore ipse apud se ad divinos hymnos evigilare) consurgit quidem, neque a somnis multis quidem ipsi existentibus et semper incisis, extra turbationem expergiscens. Stans tamen ad divinam locutionem, non religiose tristabatur, et molestatus est, dicens non esse
Act. XIII, 10 justum si vivant homines impii et pervertentes vias Domini rectas. Et hæc dicens, rogabat Deum ut combustione quadam, amborum simul immisericorditer abrumperet vitas. Hæc autem dicens, dicebat apparere videre subito domum in qua stabat, commotam prius ex vertice, in duo mediam divisam, et quamdam fornacem multi luminis in conspectu ejus, et hanc (videbatur ei postea sub æthere locus) ex cœlesti choro usque ad ipsum descendentem. Cœlum autem ipsum vidit apertum, et super dorsa cœli Jesum, infinitis humana specie ipsi adsistentibus angelis : et hæc quidem videre desuper, et ipsum mirari. Deorsum autem inclinatum, se Carpus dixit videre et solum ipsum ad tristem hiatum et obscurum discissum, et viros quidem illos quibus calumniabatur, ante ipsum juxta os adstare hiatus, tremulos et miserabiles, jam pene dejiciendos a propriorum pedum instabilitate ; deorsum autem ab hiatu serpentes subtus repere, et circa pedes ipsorum suppositos, aliquando quidem abstrahere involutos, simul et gravantes et trahentes, aliquando autem dentibus et palatis percutientes et subargentes, et per omne ad tristitiam immittere machinatos ; esse autem et viros quosdam in mediis serpentibus contra viros constitutos, commoventes simul et impingentes et percutientes. Videbantur autem esse casuri illi, partim quidem inviti, partim autem et voluntarii, a malo quidem paulatim coacti simul et persuasi. Dicebat autem et Carpus, se ipsum delectari deorsum inspicientem, superiora vero negligere ; molestari autem et pusillanimem esse, quoniam nondum ceciderant, et rei multoties suppositum, et debilitatum et contristatum fatigari ; et respicientem difficulter, videre quidem rursus cœlum, sicut et prius viderat. Jesum autem miseratum quod fiebat, consurgere ex supercœlesti throno, et usque ad ipsos descendentem, manum bonam extendere, et angelos cum ipso accipientes alium aliumque tenere viros ; et dicere Carpo Jesum : Manu jam extenta percute contra me de cetero, paratus enim sum et rursus pro hominibus salvandis

pati ; et hoc amicum mihi, non quod alii peccent homines : sed vide si bene habet tibi mansionem in hiatu et cum serpentibus commutare pro mansione cum Deo et bonis amatoribus hominum angelis. — Hæc sunt quæ ego quum audierim, credo vera esse.

ARTICULUS X

ELUCIDATIO INITII HUJUS EPISTOLÆ OCTAVÆ, AD DEMOPHILUM MONACHUM : DE MANSUETUDINE MOYSIS, DAVID, ALIORUMQUE PRÆCIPUORUM DEI AMICORUM.

Demophilum istum reprehendit Theologus de indiscretione et ira ac cordis duritia, sicut ex processu epistolæ innotescit.

Hebræorum historiæ dicunt, id est libri Scripturæ veteris Testamenti primo datæ Hebræis per Moysen, *o nobilis Demophile,* qui quamvis in aliquibus reprehensibilis sis, in aliis tamen virtutibus clarus es, *et sanctum illum Moysen propter multam mansuetudinem Dei apparitione dignum habitum.* Mansuetudo namque tranquillam et quietam efficit mentem, sicque ad divinam illuminationem et apparitionem ac revelationem disponit eamdem, præsupposita caritate aliisque virtutibus. Jam enim est mentio de mansuetudine infusa, quæ fidei, spei et caritati, aliis quoque virtutibus, est annexa atque formata. De
Eccli. III, 19. qua in Ecclesiastico edocetur : Fili, in mansuetudine opera tua fac, et super gloriam hominum diligeris. Denique, quoniam Deus decrevit sanctum Moysen illum præficere in prælatum durissimo populo Judæorum, contulit ei præcipuam mititatem, imo et caritatem, pietatem, patientiam, omniumque perfectionem virtutum. Gregi enim duræ cervicis, necessarius talis est prælatus.

Et si aliquando ipsum extra divinam visionem describunt, id est, dum interdum referunt eum privatum consueta apparitione et familiaritate divina, *non ante a Deo excludunt,* id est, non prius aiunt

A ipsum Dei visitatione et gratia destitutum, *quam a mansuetudine,* id est, quam referunt ipsum Moysen a mansuetudine defecisse. *Dicunt autem quod valde superbienti et divinis consiliis resistenti, iratus est furore Dominus.* Quod fuit ad aquas Contradictionis, ubi turbatus et exasperatus est Moyses, victus durissimi populi Num. XX, 10, 11.
improbitate. Unde Dominus dixit ad eum ac Aaron : Quia non credidistis mihi, non Ibid. 12.
introducetis hos populos in terram quam daturus sum eis.

B *Quando autem ipsum commendabilem faciunt,* id est, ubi Scripturæ ipsum commendant, *a Deo judicatis dignitatibus,* id est, per hoc quod dignus effectus est primatum et honorificentiam tantæ plebis habere, *ex præeminenti mansuetudine, boni Dei imitatione, commendatur,* id est, de excellenti mititate laudatur, per quam imitatus est piissimum Deum, de quo in Psalmo : Quoniam tu, Domine, suavis et Ps. LXXXV, 5.
mitis ; ac alibi : Benignus et misericors Joel II, 13.
est, patiens et multæ misericordiæ, et
C præstabilis super malitia.

Etenim erat mansuetus valde. Sic quippe scriptum est : Erat Moyses vir mitissi- Num XII, 3.
mus super omnes homines qui morabantur in terra. *Et propter hoc dicitur famulus Dei,* per excellentiam quamdam. Nam Josue Dominus ait : Moyses servus Josue I, 2.
meus mortuus est. Et ad Hebræos : Moyses Hebr III, 5
fidelis erat in tota domo Dei tanquam famulus, Christus vero tanquam filius. *Et*

ad Dei inspectionem meruerunt Prophetiæ dignitatem. De qua inspectione in Exodo legitur : Loquebatur Dominus Moysi facie ad faciem, sicut loqui solet homo ad amicum suum ; alibi quoque : Ore ad os loquor ei, et palam et non per ænigmata videt Deum. Ubi et Dominus ait ad Aaron ac Mariam : Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad eum ; at non talis servus meus Moyses, qui in omni domo mea fidelissimus est. Unde et in Deuteronomio dicitur : Non surrexit Propheta ultra in Israel sicut Moyses, etc.

Exod. xxxiii, 11. Num. xii, 8. Ibid. 6, 7. Deut. xxxiv, 10.

Sed et quando adversus ipsum et Aaron contendebant quidam pro principatu sacerdotii et principatu gentis litigabant, videlicet Dathan et Abiron ac Hon, nati ex Ruben primogenito Jacob, qui ratione primogenituræ nitebantur in civibus præsidere ; Core autem cum suis, quum essent Levitæ, ad pontificium adspirabant : prout in Numeris recitatur ; *cessit quidem*, id est, Moyses vicit, *unicuique jactantiam et ambitionem, et concedebat a Deo judicante populi prælationem*, id est, dictavit ut ille esset supremus, quem Dominus per certum signum sensibile ostenderet se ad hoc elegisse, ut in Numeris dicitur : Tu, Core, et omnis congregatio tua, accipite thuribula, etc. ; et quemcumque elegerit Dominus, ipse sit sanctus.

Num. xvi, 1 s. Ibid. 6, 7.

Postquam autem et consurrexerunt in ipsum, et de prioribus insurgentes minabantur. Occisis enim præfatis, qui erant de majoribus, multa millia die sequenti insurgebant et stabant contra Moysen et Aaron, dicentes : Vos interfecistis populum Domini. Cumque seditio augeretur et tumultus increscerct, Moyses et Aaron fugerunt ad tabernaculum : prout in Numeris legitur. Hinc subditur : *et jam pene prævaluerant*, id est, prope videbatur ut extenderent manus violentas in Moysen et Aaron ; *invocabat quidem mansuetus bonum*, id est, mitis Moyses Deum naturaliter et interminabiliter ac invariabiliter bonum rogavit, *ad salvationem* : quia oravit pro populo, et dixit ad Aaron, ut impleto thuribulo suo festinaret ad populum, ad intercedendum pro eo. *Confidebat autem valde mansuete, quod aggressis nullatenus erat causa malorum*, id est, quod ipse non fuit populo causa peccandi, nec interfecit occisos. *Sciebat enim quod oportet colloquentem Deo, bono ad quam maxime simillimum (sicut est possibile) figurari*, id est, Moyses scivit quod eum qui vacat et loquitur Deo, necesse est « simillimum », id est valde consimilem, esse Deo, et quantum bono modo fieri potest, ei conformari per tranquillitatem et sapientiæ ac virtutum imitationem, *et sibi ipsi conscium esse Deo amabilium operationum*, id est conscientiam bonam habere de operibus Deo acceptis, quod habeat ea.

Ibid. 41. Num. xvi, 46.

Consequenter inducit exemplum de David rege. *Quid autem et Dei patrem David*, id est David regem patrem Christi, qui verus est Deus (cujus David est pater mediatus secundum Christi assumptam humanitatem : David vero servus et adoptivus est filius Christi secundum divinitatem), *faciebat Dei amicum? Etenim de isto*, videlicet rege David, *bono existente, et circa inimicos bono*, quia adversariis suis benefecit, eruendo ipsum Saul ac Semei a morte, quando Abisai voluit eos occidere. Unde ait in Psalmo : Si reddidi retribuentibus mihi mala. Aliquando tamen zelo justitiæ quosdam peremit. *Dicit superbonus et amator boni*, scilicet Deus, qui diligit omne bonum, et nihil odit eorum quæ fecit, ait : *Inveni virum secundum cor meum*, id est, Deus loquens de David, dixit, Inveni David filium Jesse, virum secundum cor meum : quod in Actibus allegat Apostolus.

I Reg. xxvi, 7-11 ; II Reg. xvi, 9-12. Ps. vii, 5. II Reg. i, 15 ; iv, 12. Sap. xi, 25. Act. xiii, 22.

Et quidem et lex bona data est, jumentis inimici providere, id est, Deus per Moysen jussit ut etiam adversariorum jumenta a devio reducamus, dum ea errare viderimus, ut patet in Exodo : Si occurreris, inquit, bovi inimici tui aut asino erranti, reduc ad eum : et rursus : Si videris asinum, etc.

Exod. xxiii, 4. Ibid. 5.

Sap. x, 10-12. *Et Jacob, sicut innocentium habens,* A *justificatus est,* id est, justus reputatus *Gen.* xxvii, xxxi. a Deo, persequentibus ipsum Jacob fratre suo Esau et socero suo Laban, ut patet in Genesi. *Et Joseph de insidiatoribus fratribus non se vindicavit.* Attamen discrete ipsos afflixit atque exercuit per adversa, circumventione benigna purgans eos, ut paulo post ab ipso reciperent beneficia *Ibid.* xlii, *et seq.* copiosa, ut patet in Genesi per diversa capitula. *Et Abel simpliciter* simplicitate columbina, *et sine suspicione ambulabat cum fratre occisore,* quando crudelis et B *Ibid.* iv, 8. impius Cain ait ad eum : Egrediamur in agrum, ut legitur in Genesi. Tunc enim Abel justus et innocens nil mali suspicabatur de Cain.

Et omnis Theologia, id est tota Scriptura, *bonos commendat* locis opportunis, *non prævintendentes mala,* id est, non peccantes ex intentione seu proposito aut certa malitia, quamvis aliquando peccent ex ignorantia aut fragilitate humana, *sed neque ab aliorum malitia ex bono transmutatos,* id est non victos nec ex virtute dejectos injuriis, scandalis, perversitatibus iniquorum, quemadmodum de Lot scribit princeps Apostolorum in secunda sua epistola. (II *Petr.* ii, 8.) Tales quippe implent illud Apostoli : Noli vinci a malo, sed vince in bono malum. (*Rom.* xii, 21.) Hinc subditur : *sed econtrario deiformiter malis benefacientes,* id est, ad similitudinem imitationemque Dei beneficia impendentes pravis ac adversariis suis, *et extendentes ad ipsos multam ipsorum bonitatem,* id est copiosam suam virtuositatem, *et ad simile mansuete vocantes,* id est, suis exemplis excitantes perversos ad similem mititatem. Hinc ait Salvator : Diligite inimicos vestros, benefacite his qui vos oderunt, et orate pro persequentibus et calumniantibus vos; et eritis filii Altissimi, quia ipse benignus est super ingratos et malos. (*Matth.* v, 44; *Luc.* vi, 35.)

ARTICULUS XI

DE INEFFABILI BENIGNITATE CHRISTI.

S*ED ad superius respiciamus*, id est, C aliquid altius intueamur. *Non virorum sanctorum mansuetudines,* id est, non solum adspiciamus opera mititatis et patientiæ sanctorum virorum, *non homines amantium angelorum bonitates enuntiantes*, id est, non tantum describentes pietates sanctorum angelorum, qui dili- *Zach.* i, 12. gunt homines, *miserantium gentes, et pro ipsis bonum deprecantium*, id est, angelorum qui miserentur hominibus, et invocant pro eis Deum incircumscriptibiliter bonum ; *et perditas et malum operantes* D *multitudines increpantium*. Angeli namque increpant multitudines vitiosas mala *Judic.* ii, 1-3. culpæ agentes, ut patet in libro Judicum, *Is.* xxxiii, 7. etc. *Et contristatorum quidem in malis, lætantium autem in salvatione ad bona transductorum*, id est, angelorum qui per modum dolentium habent se quando peccamus (non enim vere et proprie contristantur, qui jam vere beati sunt), lætantur vero « in salvatione », id est in conversione, « transductorum ad bona », id est pœnitentium, sicut Christus disseruit : Gaudium erit angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente. (*Luc.* xv, 10.) *Neque quæcumque alia de beneficis angelis tradit Theologia*, id est, non solum commemorantes alia quæque quæ docet Scriptura de gestis angelorum beneficialibus ac divinis, quoniam custodiunt, illuminant, regunt ac tuentur nos.

Sed vere boni et superboni Christi be-

unitione radios ex seipsis porrigentes, id A est, spiritualia lumina in quiete æterna participantes, juxta illud Isaiæ : In silentio et spe erit fortitudo vestra ; *ab ipsis ad divinas ejus operationes illuminemur*, id est, intus instruamur ad considerandum salubriter et ad imitandum efficaciter actus Christi divinos, cujus omnis actio, nostra est instructio. Is. xxx, 15.

Namquid enim non est ineffabilis et super intellectum bonitatis, quod existentia esse facit? id est, hoc est utique bonitatis indicibilis et omnem intellectum B excedentis, quod Deus ea quæ sunt, jussit esse, *et quod omnia ipsa ad esse perduxit*, prout quarto capitulo de Divinis nominibus et alibi patuit ; atque in Psalmo : Quoniam ipse dixit, et facta sunt. *Et omnia vult semper fieri similia ipsi*, id est, cuncta creata vult assimilari ipsi omnium creatori, *et participantia his quæ sunt ejus*, id est, vult quod universa participent perfectionibus et bonitatibus ejus, *secundum singulorum opportunitatem*, id est juxta uniuscujusque capacitatem et con- C venientiam. Ps. xxxii, 9; cxlviii, 5.

De hoc introductæ sunt supra multæ auctoritates theologorum et philosophorum. Unde et Plato in primo Timæi : Dicendum, inquit, cur conditor universi omne hoc instituendum putaverit. Optimus erat ; porro ab optimo invidia longe relegata est. Itaque consequenter sui similia cuncta, prout cujusque natura capax beatitudinis esse poterat, effici voluit. Hinc quoque per Moysen frequenter locutus est : Sancti estote, quoniam ego sanctus sum. D Et in Evangelio per se ipsum : Estote misericordes, sicut et Pater vester cœlestis misericors est ; itemque : Estote et vos perfecti, sicut et Pater vester cœlestis perfectus est. Levit. xi, 44; xix, 2; xx, 26. Luc. vi, 36. Matth. v, 48.

Quid autem? id est, valde pium et magnum est istud, *quod et recedentes amabiliter habet*, id est, ad eos qui vitiose et sponte ab ipso recedunt per mentis aversionem, habet se gratiose, *et certat*, id est, quantum in se est, ad hoc satagit et conatur, ac per suos ministros pugnat, *et rogat* (sicut ait Apostolus : Obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo) *non despici ab amatis et contemnentibus se ipsos*, id est a bonis et castigantibus se ipsos quotidie, qui diligunt Deum, et diliguntur ab ipso : quos hortatur ut orent pro impiis, nec eos despiciant, in quantum sunt homines et viatores, *et vane incusantes sustinet*, id est, Deus pie tolerat eos qui alios accusant inaniter et de eorum interioribus temere judicant, *et ipse excusat, et magis promittit se curaturum*, id est, non subito punit et damnat, sed spondet se indulturum. II Cor. v, 20.

Et adhuc ipsis longe exsistentibus, id est, nondum vere pœnitentibus, *tamen accedentibus*, id est, ad veram contritionem se præparantibus, *accurrit*, id est, ipsis se applicat, *et obviat*, id est, paratum se exhibet ad suscipiendum : quia emendationem nostram desiderat, et ut faciamus quod in nobis est, exhortatur. Propter quod ait per Jeremiam : Quis est iste Jer. xxx, 21.
qui applicet cor suum ut appropinquet mihi ? Per Isaiam quoque locutus est : Utinam attendisses mandata mea. *Et totus totos amplectens*, id est, ipse simplicissimus Deus pleno corde illos secundum animam et corpus ad misericordiam suscipiens, *osculatur*, id est, caritative et intime sibi conjungit, juxta illud in Job : Si direxerit homo ad Deum cor suum, spiritum illius et flatum ad se trahet. Is. xlviii, 18. Job xxxiv, 14.

Et non accusat de prioribus : quia præteritas culpas indulget et quasi non recordatur, imo ubi abundavit iniquitas, superabundare gratiam facit ; *sed diligit præsentem*, id est, actu pœnitentem, conversum, et in caritate jam exsistentem. *Et festum facit*, id est diem solennem, exercendo opera gratiæ specialis atque lætitiæ spiritualis, *et convocat amicos, videlicet bonos*, id est, devotis istud insinuat, et ad congratulandum hortatur, *ut sit omnium lætantium habitatio*, id est stabilis permansio in caritativa jucundi- Rom. v, 20.

tate omnium in tanta pietate gaudentium. Istud ex Evangelio sumptum est, ex duabus Christi parabolis : quarum una est de A filio prodigo pœnitente, et a patre suo piissime amplexato; alia, de pastore ovem perditam recuperante. *Luc.* xv, 11 *et seq.* *Ibid.* 4-6.

ARTICULUS XII

S. DIONYSIUS REPREHENDIT DEMOPHILUM QUOD CONTRARIA PRÆDICTIS FECERIT.

D*EMOPHILUS autem, et si quis alius bonis inimicatur, valde juste increpatur,* id est, Demophilus iste et quicumque similis ei, justissime reprehenditur, dum durum et incompassivum se exhibet « bonis », id est pœnitentibus et conversis : quum et Apostolus dixerit, Confirmate in illum (utpote pœnitentem) caritatem. (II *Cor.* II, 8.) Imo et Christus : Beati (inquiens) misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. (*Matth.* V, 7.) *Et edocetur bona,* id est, dum pœnitens salubriter informatur, *et bonum ei impenditur,* id est, gratia ei infunditur.

Quomodo enim non oportebat (dicit) bonum, id est, Scriptura seu quicumque vir bonus, ait, Qualiter non decuit eum qui bonus et pius est, *in salvatione perditorum lætari,* id est in recuperatione peccatoris ac pereuntis gaudere, *et vita mortificatorum,* id est de spirituali vivificatione eorum qui per mortalia vitia mortui erant? De quibus Salvator : Dimitte, inquit, mortuos sepelire mortuos suos. (*Ibid.* VIII, 22.) Unde et alibi loquitur indulgentissimus pater : Epulari et gaudere oportebat, quia hic frater tuus mortuus erat, et revixit; perierat, et inventus est. (*Luc.* XV, 32.) *Siquidem et super humeros levat,* id est, supportationi suæ pietatis imponit, *difficulter ab errore conversum,* id est, eum qui jam in vitiis fuit assuetus, qui difficulter convertitur, nisi speciali gratia præveniatur, *et bonos angelos ad lætitiam aggregat,* quia de iniquorum pœnitentia quoddam novum accidentale concipiunt gaudium. Hinc etiam legitur quod B inventam ovem imponit in humeros suos, et gaudium est angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente. (*Luc.* XV, 5, 10.) *Et bonus est ingratis,* eorum emendam longanimiter præstolando, et beneficia naturæ præstando. (*Matth.* VI, 35.) Propterea subditur : *et oriri facit solem suum super bonos et malos; et ipsam animam suam ponit pro refugientibus,* id est, vitam suam corporalem exposuit morti pro redemptione confugientium ad misericordiam suam, vel « pro refugientibus », id est, recedentibus a Deo iniquis. (*Ibid.* V, 45.)

C *Tu autem, sicut litteræ tuæ mihi a te missæ monstrant, et procidentem sacerdoti (ut dicis) impium et peccatorem, nescio quo modo contra ipsum patris* retrusisti :* id est, calcibus abjecisti pœnitentem, qui coram sacerdote humiliter procidit, quem pœnitentem tu vocas « impium » et transgressorem; et hoc fecisti « contra ipsum patris », id est, contra id quod ad paternam pertinet pietatem : quod miror, et « nescio quo » temerario ausu feceris. *Postea ille quidem deprecabatur,* id est, D petiit sibi ignosci, *et ad medicinam malorum venisse confitebatur,* id est, asseruit se venisse ad Pœnitentiæ ac confessionis sacramentum, quod est secunda post naufragium tabula.

* *præsens*

Tu autem non horruisti, id est, non expavisti te tam inordinate habere, imo adjecisti peccata peccatis, ut subditur : *sed et bonum sacerdotem temere cum injuria corporis repulisti,* impingendo seu manus ei injiciendo, *dicens miserabilem esse, qui pœnitentem et impium justificavit,* id est,

absolvit et inter justos locavit. Non puto A quod iste Demophilus in alios tantus ac ferocitus, quamvis minus discretus, indignatus sit peccatori illi de hoc quod venit ad confitendum, aut sacerdoti quod illum absolvit; sed quod contra consuetudinem Ecclesiæ pro tunc, mox locum sacratiorem, videlicet chorum, intravit ex sacerdotis inductione, et quia sacerdos instigavit eum ad hoc, quum pœnitens ille debuisset stare inferius in pœnitentium loco. *Et ad finem dicis sacerdoti, Exi cum similibus*, id est, egredere chorum B cum isto et consimilibus tibi. *Et insilisti*, id est, irruisti in sacerdotem, eum irreverenter tangendo, *et * quum non esset fas, ad adyta et Sancta sanctorum irrumpis*, id est, contra ritum Ecclesiæ et statuta pro tunc, irrupisti in chorum et in secretiora: quod tunc nec monachis licuit, ut patet ex dictis in Ecclesiastica hierarchia. *Et scribis nobis: Corrumpenda sancta pro te salvavi, et adhuc immaculata custodio*: id est, gloriaris quasi juste peregeris, quia omni posse tuo præservasti loca sanctissima a violatione qua violari cœperunt, et adhuc plus profana fuissent, nisi tu restitisses.

* alias non est

cap. 6

ARTICULUS XIII

DEMOPHILUS ARGUITUR DE TEMERITATE, UTPOTE HIERARCHICUM ORDINEM TRANSGRESSUS.

NUNC *igitur audi nostra*, id est sententiam nostram. *Non est fas sacerdo-* C *tem a ministris*, id est diaconis, *qui sunt super te, aut coordinatis tibi monachis, corrigi*, id est, disciplinari a monachis qui ejusdem tecum sunt ordinis, idcirco minus id licet tibi quam diaconis: *quamvis impie agere ministeria qui sunt super te * circa divina videantur*, id est, quamvis diaconis appareat quod sacerdos circa divina se reprehensibiliter habeat, *et si aliquid aliud illicitorum prohibitorum facere redarguatur*, id est, aliud quid contra præcepta Dei aut Ecclesiæ convincatur D fecisse.

* alias ministra.

Quocirca sciendum, quod fraterna correptio ut est actus caritatis, est cujuslibet in quemlibet, dummodo corripiens non sit indignus corripere ob scelera sua: sed ut est actus justitiæ et habens vim coercitivam, requirit in corripiente auctoritatem seu jurisdictionem super correptum. Potest tamen inferior superiorem reverenter et caritative hortari, imo et coram judice seu prælato humiliter accusare.

Si enim inornatus et inordinatio divinissimarum et definitionum et legum sunt excessus, id est, quia deformitas contraria decori justitiæ et virtutum, et violatio debitæ ordinationis seu divinissimarum determinationum ac jussionum, sunt transgressiones et vitia, *non habet rationem, pro Deo a Deo traditum percerti ordinem*. Per hoc aufertur excusatio qua Demophilus aut alter illum excusare volens, dicere posset, zelo justitiæ et affectu honorificentiæ Dei illud fuisse peractum. Tanquam dicat: Non est justum nec rationabile, pro Dei honore transgredi ordinationem institutam ac jussam a Deo.

Videtur iste Demophilus similis fuisse Pharisæo qui Christum reprehendit eo quod a muliere peccatrice, sed pœnitente, se tangi permisit: quæ si ad Pharisæi illius pedes fuisset aggressa, forsan calcibus fuisset repulsa. Insuper Demophilum hunc sequuntur, qui quum in gravioribus peccatis sint, alios de levioribus indiscrete reprehendunt et acriter. Similiter illi

Luc. vii, 39.

qui dum alios volunt mente curare, aut a minoribus culpis purgare, se ipsos gravius per iram, impatientiam, indignationem, invectionem dijudicationemve lædunt : quod inordinatum et stultum est valde. Non enim debes te ipsum vulnerare aut perdere, ut alium lucreris et salves, Luc. ix, 25. quum dicat Salvator : Quid proficit homo, si lucretur universum mundum, se Matth. vii, 3, 5. ipsum autem perdat? Atque alibi : Quid vides festucam in oculo fratris tui, et trabem in oculo tuo non vides? Hypocrita, ejice primum trabem de oculo tuo, et tunc videbis ejicere festucam de oculo fratris tui. Omnia ergo agenda sunt ordinate, et a se ipsa caritas debet incipere.

Non enim in se ipsum Verbum divisum est, id est, unus passus Scripturæ non est contrarius alteri, nec Verbum incarnatum Unigenitus Dei, est contrarium Ibid. xii, 26. sibimetipsi. *Quomodo enim stabit regnum ejus*, si sibi ipsi contrariatur? quum in Luc. xi, 17. Evangelio scriptum sit : Omne regnum in se ipsum divisum, desolabitur. *Et si Dei* Is. xxx, 18; Act. x, 42; Hebr. xii, 23; I Petr. iv, 5. *est judicium, ut Eloquia dicunt :* id est, judiciaria potestas et actus judicandi principaliter spectant ad Deum, ut sæpissime dicunt Scripturæ : quod quum ita sit, non potest Verbum in se ipsum esse divisum.

Sacerdotes autem post hierarchas sunt, id est, post episcopos sunt sacerdotes, qui in ecclesiastica hierarchia succedunt septuaginta duobus discipulis, sicut episcopi Apostolis. Veruntamen inter episcopatum et sacerdotium modo sunt in Ecclesia aliquæ ecclesiasticæ dignitates, ut abbatia, archidiaconatus, præpositura, decanatus, Malach. ii, 7. etc. Sacerdos autem, angelus Domini exercituum nuncupatur a Malachia, ut supra expositum est. Unde et hic sequitur : *angeli et recitatores divinorum judiciorum*, id est, sacerdotum est populum informare de verbis et factis ac censuris justitiæ Ibidem. Dei, ut Malachias ait : Labia sacerdotis custodiunt scientiam, et legem requirent ex ore ejus. Quod de sacerdote curato et ejus vicario, imo et religioso privilegiato, verificatur. *Ab ipsis, sicut tibi convenit,*

A *per medios ministros divina edocere*, id est, ea quæ Dei sunt, decet te discere a sacerdotibus mediate, et a diaconis immediate, prout tunc servabatur, *per quos*, scilicet sacerdotes, *et esse monachus dignus habitus es*, quia ad sacerdotes pertinet monachos consecrare.

Annon sancta signa istud clamant? id est, istud etiam per exteriora signa ostenditur, utputa per distinctiones et gradus locorum in quibus stabant personæ præfatæ. Unde subjungitur : *Etenim non* B *simpliciter ab universis quidem segregata sunt Sancta sanctorum*, id est, non sine spirituali significatione ac congrua ratione, « Sancta sanctorum », id est altaria, quia per ea designantur Deus et gloriæ bona. *Appropinquat autem magis ipsis sanctitatis perfectorum ornatus*, id est, ordo sanctus episcoporum (quorum est perficere alios : propter quod dicuntur perfectores) propinquius stat Sanctis sanctorum; *postea sacerdotum ornatus*, id est, splendidus et sacro charactere insignitus C ordo sacerdotum, post episcopos Sanctis sanctorum amplius appropinquat; *post illos autem consequenter ornatus ministrorum*, id est diaconorum. *Ordinatis autem monachis*, id est consecratis in monachos, *portæ adytorum sunt segregatæ*, id est, januæ chori sunt deputatæ, ut scilicet stent extra et prope eas. *Juxta quas et perficiuntur*, id est, consecrantur, ita ut sint in summo gradu inter eos quorum est purgari, illuminari ac perfici, *et adsistunt*, stando juxta eas, *non ad* D *custodiam ipsarum*, quia hoc potius janitoribus convenit, *sed ad ordinationem et cognitionem sui ipsorum*, id est, ad hoc quod ex collocatione sua perpendant ad quem pertineant ordinem, et agnoscant se ipsos, quod scilicet inferiores sunt non solum episcopis et sacerdotibus, sed item diaconis, *magis quam populus sacerdotalibus propinquantes*, id est, majorem convenientiam habentes cum sacerdotibus et factis ipsorum, quam laici, tanquam medii inter illos.

Unde sanctus sanctorum ordinationis principatus, id est sacer « principatus ordinationis sanctorum », scilicet principalis vertex seu chorus Apostolorum, qui ordinationes istas sanctorum instituit et distinxit, *sancte*, id est devote, *statuit ipsam*, videlicet monachum, *numero de divinis, aliis (videlicet interioribus) ipsorum traditionem committens*, id est, sacerdotibus committens ut sacra tradant monachis per diaconos : qui sacerdotes atque diaconi sunt interiores altioresque, magis appropinquando Sanctis sanctorum, quæ intima sunt. A B

Quos circa divinum altare stantes, id est sacerdotes et diaconi, *ut significative dicatur*, id est, expositorie exprimatur quid illa designent, *vident et audiunt divina*, videlicet sacramenta et cantus ac psalmodiam, *clare ipsis revelata*, id est exposita et ostensa ; *et procedentes benificaliter*, id est caritative communicando aliis sibi concessa, *ad ea quæ sunt extra divina velamina*, id est ad loca vel agmina stantia extra chorum, *subjectis monachis*, quorum est perfici, *et sancto populo*, quorum est illuminari, *et ordinibus qui purgantur*, id est catechumenis et energumenis, *manifestant*, id est, exponunt seu monstrant, *secundum dignitatem*, id est secundum ipsorum inferiorum capacitatem : manifestant, inquam, illis *sancta*, *immaculate pulchre custodita*, id est, quæ illibate custodierunt secundum exigentiam sui officii, *donec tyrannice ipsis insiliens*, id est quousque tu violenter quasi irrupisti in Sancta sanctorum, *edoceri tibi Sancta sanctorum non volentia coegisti*, id est, compulisti tibi pandi et a te videri sacra illa, quæ non volunt, id est, quibus non convenit, sic edoceri, id est tibi ac consimilibus reserari. C D

Et dicis te habere sancta et custodire, id est, affirmas et scribis quod habeas ea in reverentia, et custodias ne violentur : *et quidem neque novisti neque audisti*, id est ordinationem et ritum ecclesiasticæ hierarchiæ, *neque habes aliquid conveniens sacerdotibus*, id est, nihil habes sacerdotalis perfectionis, *sicut neque virtutem Eloquiorum*, id est Scripturarum, *cognovisti, unaquaque die*, id est quotidie, *ipso verbo impugnans in perversionem audientium*, qui scandalizantur et in errorem labuntur ex tuæ disputationis loquacitate.

Et quidem si de principatu gentis aliquis invasisset quod sibi a rege ordinatum non fuisset. Hic probat per simile quod intendit : quia si in civili regimine aliquis sibi usurparet officium sibi a præsidente non commissum, *juste puniretur*. *Et si principem justificantem quosdam aut condemnantem, adsistens aliquis sub ipso ordinatorum redarguere ausus esset*, id est, si quis eorum qui ordinati sunt sub rege, id est aliquis inferiorum officialium, auderet contradicere principi unum approbanti, alterum reprobanti, *nondum enim dico, contumelia, contactu corporis repellere*, id est, non dico qui esset ausus regem contumeliose impellere corporali retrusione, *simul et a principatu expellere videretur*, id est, principem suo dominio niteretur privare. *Tu autem, homo*, secundum quod homo accipitur ab eo quod sonat in malum, quod scilicet communiter in hominibus prædominatur, quod est sensualitatis et corruptæ naturæ, secundum quod ait Apostolus : Quum sit inter vos zelus et contentio, nonne homines* estis, et secundum hominem ambulatis ? Interdum vero dicitur homo, ab eo quod sonat in bonum, quod scilicet pium et rationabile est : unde quod tale est, vocatur humanum. *Ita audax es*, id est tam præsumptuosus, *contra mansuetum et pium*, id est sacerdotem illum benignum, *et hierarchicam ipsius legislationem*, id est contra juridicam ejus sententiam. I Cor. III, 3. * carnales

ARTICULUS XIV

DEMONSTRATUR PER SCRIPTURAS, NULLI EXSEQUI LICERE QUÆ NON COMPETUNT SIBI EX OFFICIO, QUAMVIS SANCTA SINT ET JUSTA.

ET *hæc oporteret dicere,* id est, expediret hæc publice recitare, *quando super dignitatem quis præsumens,* id est, dum aliquis intromittit se de his quæ auctoritatem suam excedunt, *tamen convenientia facere videretur,* id est, judicaretur agere ea quæ non sunt mala in se, sed bona ex genere. *Etenim neque hoc desiderabile est nulli*,* id est, tale quid agere alicui convenit, qui scilicet ad hoc agendum habet auctoritatem. [* ulli]

Quid enim inconveniens Ozias faciebat, Deo incensum offerens? id est, opus illud non fuit malum in se, sed ex parte agentis, cui ex officio non competebat, quia non fuit sacerdos, nec pontifex, sed rex : qui tamen ob suam præsumptionem lepra fuit percussus, ut quarto Regum et secundo Paralipomenon libris scriptum est. [IV Reg. xv, 5 ; II Par. xxvi, 16 et seq.] *Quid autem Saul, sacrificans?* id est, quid mali egit sacrificando ? nisi quod metas sui excessit officii, ut legitur primo Regum. [I Reg. xiii, 9 et seq. ; xv, 12 et seq.] *Quid autem tyrannici dæmones, vere theologizantes Jesum?* id est, quid forefecerunt, dicendo ad Jesum, Tu es Filius Dei, ut in Evangelio fertur? [Marc iii, 11, 12.]

Sed interdictus est a Theologia, id est, in Scripturis prohibetur, *omnis alienus episcopus,* id est episcopus non legitimus, nec de semine Aaron natus; *et unusquisque erit in ordine suæ ministrationis,* id est, officium sibi incumbens explebit. [Exod. xxviii, 1.] [II Par. viii, 14.] *Et solus princeps sacerdotum ad Sancta sanctorum ingreditur, et semel in anno,* id est, pontifici tantum licuit in veteri Testamento ingredi semel in anno in Sancta sanctorum, ut patet in Exodo et Levitico et ad Hebræos ; [Exod. xxx, 10 ; Lev. xvi, 2, 17 ; Hebr. ix, 7.] *et hoc in omni secundum legem hierarchica munditia,* id est, in cunctis

A actibus licitis juxta legem servabatur. *Et sacerdotes cooperiunt sancta,* id est, solis sacerdotibus in lege Moysis licitum fuit involvere, velare seu cooperire sacra vasa cultus divini, etc., ut in Numeris et alibi recitatur, [Num. iv, 5 et seq.] *et Levitæ non tangent sancta* (hoc enim Dominus jussit, ut non tangerent ea nisi velata), [Ibid. 15.] *ut non moriantur* morte culpæ, aut plaga ultionis divinæ.

Et iratus est furore Dominus in protervitate Ozæ, id est contra Ozam, quia tetigit arcam, ut legitur secundo Regum : [II Reg. vi, 6, 7.] B propter quod fuit occisus. *Et Maria leprosa fit, legislatori legem ponere conata,* id est, Maria Moysis soror lepra percussa est, quoniam visa est ipsum Moysen refrenare. *Et in filios Sceuæ insiluerunt dæmonia,* quia filii illius archisynagogi tentabant dæmones adjurare atque ejicere illegitimo modo. [Act. xix, 14-16.] *Et, Non mittebam eos, dicit Dominus*, et ipsi currebant :* id est, Deus per sanctos Prophetas dixit frequenter de pseudoprophetis : Non misi eos, et tamen dixerunt se missos a Deo. [* alias om. Dominus] [Jer. xiv, 14; xxiii, 21; xxvii, 15 ; xxix, 9.] *Et non lo-*C *quebar ad eos, et ipsi prophetabant,* id est, instar prophetantium loquebantur, quemadmodum legitur primo Regum, quod spiritus Domini malus invasit Saul, et prophetavit in medio domus suæ. [I Reg. xviii, 10.] Veruntamen de vera prophetatione legitur in secunda Petri : Non voluntate humana allata est aliquando prophetia ; sed Spiritu Sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines. [II Petr. i, 21.] *Et impius qui sacrificat mihi vitulum, sicut qui occidit canem.* Hoc in Isaia Dominus ait de transgressoribus legis, quorum D sacrificia erant Domino inaccepta. [Is. lxvi, 3.]

Et ut simpliciter dicatur, id est, summatim ac generaliter quod verum est di-

eum, non auxiliat perversores legis perfecta Dei justitia, id est, transgressores legis non approbat, nec impunitos dimittit, quamvis ad tempus dissimulet. *Dicentibus autem virtutes operis, In nomine tuo virtutes multas*, id est mirabilia multa, *fecimus, respondetur : Non novi vos; discedite a me, omnes operatores iniquitatis.*

Matth. VII, 22, 23.

Quare non est fas, sicut sancta Eloquia dicunt, neque ea quæ sunt justa, non secundum dignitatem exsequi. Id est, secundum Scripturas non licet actus justitiæ exercere sine legitima auctoritate. *Oportet autem unumquemque sibi ipsi attendere*, A id est diligenter considerare se ipsum ac propriam vocationem, sicque implere quæ ad suum pertinent statum, *et non altiora et profundiora intendere*, id est, non scrutari immoderate, nec comprehendere velle, nec exsequi attentare ea quæ suam capacitatem, potestatem aut dignitatem excedunt, juxta illud Ecclesiastici : Altiora te ne quæsieris, etc. *Deliberare autem ea sola quæ sunt secundum dignitatem ipsi ordinata*, id est proponere ea tantummodo facere quæ sibi conveniunt B ordinate, juxta mensuram et gradum jurisdictionis aut commissionis sibi factæ.

Eccli. III, 22.

ARTICULUS XV

QUOD NON SIT DEMOPHILI MONACHI INCREPARE SACERDOTEM ; ET QUÆNAM AD IPSUM PERTINEANT.

CONSEQUENTER tanguntur quæ Demophilus ad hæc potuit respondere et dictis objicere.

Quid igitur? dices, non oportet sacerdotes impie agentes, aut de alio quodam inconvenientium reprehensos, castigari? id est, tu forsan respondebis ad prædicta : Nonne licet, imo et necesse est, sacerdotes peccantes in Deum et proximos corripi et corrigi? *Solis autem gloriantibus in lege*, id est, an legisperitis et doctis de sua peritia inaniter gloriantibus, *licebit per transgressionem legis Deum inhonorare*, ita ut peccent impune? Dicis quoque : *Et quomodo sacerdotes, Dei sunt manifestatores?* id est, qualiter prædicant populo Deum, si inique se habent, nec corriguntur? *Quomodo enim annuntiant populo divinas virtutes*, id est virtuosas seu potentes Dei operationes, *ipsarum potestatem*, id est efficaciam, significationem, mysterium, *non cognoscentes? Aut quomodo illuminabunt qui sunt obtenebrati?* id est, qualiter alios illustrabunt qui vitiis C et ignorantiis sunt cæcati? Ergo videtur quod sunt coercendi et corrigendi a quovis fideli. *Quomodo autem divinum tradent Spiritum*, id est, quomodo dabunt Spiritum Sanctum proximis sacramenta administrando, *quum si sit Spiritus Sanctus, habitu et veritate non crediderunt*, id est, firma virtute seu exercitata fide, « et veritate » sincera, necdum « crediderunt »?

Rom. II, 23.

Ego autem respondebo tibi ad hæc : etenim non est inimicus Demophilus, id est, diligo te, nec ex aversionis radice, D sed caritatis fervore, prodiit increpatio ista, *nec sustinebo te acquiri a Satana*, quantum in me est, sed ab errore te revocabo, ne te secum pertrahat diabolus in gehennam.

Etenim unusquisque ornatus eorum qui sunt circa Deum, id est quilibet ordo servientium ac adhærentium Deo, *est deiformior magis absistente*, id est ordine distantiori ab illo ; *et luculentiora*, id est splendidiora, *simul et magis illuminan-*

tia sunt, magis vero lumini propinqua, id est propinquiora lumini increato : de quo dicitur, Erat lux vera ; et, Tenebræ transierunt, et verum lumen jam lucet. *Et non localiter accipias appropinquationem,* id est, majorem istum accessum seu vicinitatem non intelligas de corporali approximatione, *sed secundum recipiendi Deum idoneitatem,* id est spiritualiter de majori aptitudine, præparatione, seu dignitate participandi dona gratiarum cœlestium.

Joann. I, 9. I Joann. II, 8.

Si igitur sacerdotum ornatus est illuminativus, id est, cum ordini sacerdotali competat alios illustrare, *profecto cecidit a sacerdotali ordine et virtute, qui non est illuminativus,* id est aliorum instructivus, ita quod inferior est ; *magis autem, qui non est illuminatus,* quoniam talis prorsus impotens est alios informare.

Et audax quidem mihi videtur, id est intimoratus, *talis sacerdotalibus manum apponens,* id est, sacerdotale officium exercens seu exsequens ; *et non timet neque verecundatur, divina præter dignitatem,* id est indigne, *exsequens, et putans Deum ignorare quæ ipse in se ipso agnovit,* videlicet sua peccata. Quid enim agatur in homine, quis scit, nisi spiritus hominis ? secundum Apostolum ? Veruntamen id Deum non latet. Porro talis audax putat, id est, per modum putantis se habet, quod Deus vitia sua ignoret, tam inverecunde et informidolose se coram Deo habendo. *Et decipere æstimat falso nomine ab ipso patrem appellatum,* id est, ita se habet, quasi æstimet se posse decipere Deum, quem mendaciter vocat patrem, quia non timet, nec diligit, neque honorat eum, qui per Malachiam disseruit : Filius honorat patrem suum, et servus timet dominum suum : si ergo pater ego sum, ubi est honor meus ? et si Dominus ego sum, ubi est timor meus ?

I Cor. II, 11.

Malach. I, 6.

Et audet ipsius immundas infamias, id est, stulta audacia audet facere quæ redundant in divinæ majestatis inhonorationem, inquinationem et aspernationem :

A qui per Ezechielem loquitur ad iniquos, Maculastis nomen meum ; et rursus, Nomen meum per vos pollutum est inter gentes. Vel, « audet ipsius immundas infamias », id est, facit quæ turpiter diffamativa sunt sui ipsius, quum tamen specialiter teneatur consistere exemplaris. *Non enim* dicam orationes super divina signa christiformiter enuntiare,* id est, non dico nec sentio quod vere formet preces super sacramentalia symbola aut super materias consecrandas, « christiformiter », id est, B devotionaliter et sicut Christus instituit.

Ezech. XXXVI, 22. Ibid. 23.

* enim

Non est iste sacerdos, quantum ad conversationem et condignam sui officii exsecutionem, quamvis sacerdos sit quoad ordinis seu characteris veritatem : alioqui non consecraret neque absolveret ; *non est,* repetitio et confirmatio est sermonis, *sed inimicus, dolosus, delusor sui ipsius :* quia ut Salomon protestatur, Stultus illudit peccatum ; *et lupus super divinum populum,* id est gregem christianum, quem enormiter scandalizat et perimit, C quantum in ipso est, *pelle ovina armatus,* id est, fictione aut sacerdotio se defendens.

Prov. XIV, 9.

Ecce quam terribiliter sanctissimus iste præsul loquitur contra sacerdotes iniquos, carnales, scandalosos : quos asserit Dei inimicos, dolosos, lupos, mendaces, nec veraciter sacerdotes. Hinc communiter affirmant doctores, quod talis in omni actu sacerdotalis ordinis atque officii peccat mortaliter. Imo Albertus hic scribit : Sacerdos malus apponens manum sacerdo- D talibus, audax est præsumptione quæ est peccatum mortale. Ex quo confirmatur sententia magistrorum dicentium, quod sacerdos qui est in peccato mortali, quandocumque tangit sacras vestes, aut cantat, aut facit aliquid de ordine suo, peccat mortaliter. Hæc Albertus. Idem asserit Thomas super quartum, atque ad hæc confirmanda allegat quod rursus S. Dionysius loquitur : Non est audendum aliis ducem fieri in quocumque ordine sacro, nisi quis secundum omnem virtutem deiformissi-

Cf. C. XV, p. 414.

mus sit. Quod et super Ecclesiasticam allegatum est hierarchiam.

Sed neque Demophilo est fas ista castigare, id est punire seu pœnaliter coercere : quia ut monachus, est sacerdote inferior : et quamvis monachus sit sacerdos, non tamen potest nisi sibi subditum castigare.

* Etenim — *Etenim* * *Theologia, justa juste præcipit exsequi*, id est, Scriptura jubet ut quæ bona et justa sunt, bene et juste fiant cum circumstantiis debitis, et ab eis ad quos pertinent. Sic enim in Deuteronomio legitur : Juste quod justum est exsequeris. (Deut. xvi, 20.) *Justa autem exsequi est, quando attribuere velit aliquis unicuique secundum dignitatem*, id est, unicuique secundum quod dignus est, ordine æquitatis rite servato. *Juste hoc est omnibus exsequendum*, id est adimplendum loco et tempore opportuno, *non præter dignitatem ipsorum aut ordinem*, id est non absque auctoritate et ordine.

Quoniam et angelis justum est determinari ea quæ sunt secundum dignitatem, id est, angelis sanctis juste præfigitur et jubetur quid agere debeant, secundum gradum chori seu ordinis in quo sunt. *Et determinantur; sed non a nobis, nec a Demophilo* *, quia angelis multum sumus inferiores, *sed per ipsos nobis ex Deo*, id est, Deus per angelos nobis jubet atque insinuat quod scire et fieri pertinet ad nos, *et ipsis per præeminentes amplius angelos*, id est angelis inferioribus per superiores. *Et ut simpliciter dicatur, in omnibus existentibus, per primos secundis attribuuntur ea quæ sunt secundum dignitatem*, id est, inferioribus per superiores præstantur congruentia inferioribus in toto ordine rerum, *ab omnium bene ordinata et justissima providentia*, id est a divina providentia, quæ in se ipsa sapientissima est atque justissima, et omnium bene ordinativa.

(* a Demophilo)

Igitur qui sunt ordinati a Deo ut aliis principentur, id est, constituti in officiis ut aliis præsint, *distribuunt sequentibus et obedientibus ea quæ sunt secundum dignitatem*, id est, subditis sibi conferunt congruentia subditis ipsis.

Demophilus autem sermoni et furori et concupiscentiæ, ea quæ sunt secundum dignitatem determinet, id est, propriis verbis suis ac motibus passionum suarum discat et assuescat dominari et mensuram determinare ; *et non injuriam faciat ipsius ordinationi*, id est, propriæ vocationi statuique monachali non deroget, usurpando quod gradum suum transcendit, *sed principetur subjectis superposita ratio*, id est, ratio sua præeminens sensitivæ parti ac corpori, debite regat eas.

Si enim in foro videntes servum domino, et juniorem seniori, aut et filium patri maledicentem, simul et supervenientem, id est prævalentem, *et plagas imponentem*, id est, vulnera infligentem ; *impie agere videremur, nisi supercurrentes melioribus auxiliaremur*, eruendo eos pro posse, et juxta condecentiam nostri status defendendo, aut opem aliquam inferendo, injuriantes hortando ut cessent, *etsi illi quidem forsitan prius injuriam accepissent*, id est, dato quod filii aut servi seu juniores perpessi essent injuriæ aliquid a dominis et patribus suis. *Quomodo non verecundabimur, sustinentes a furore et concupiscentia injuria affectum verbum*, (id est, merito erubescemus, si toleramus verbum et præceptum Dei violari per irrationabiles iræ et concupiscentiæ impetus), *et a principatu a Deo dato expulsum*, id est sacerdotem illum benignum, impie a sua dignitate dejectum et conculcatum a te simplici monacho, *et in nobis ipsis impiam et injustam inordinationem et litem et inornatum*, id est vitiorum deformitatem, *excitantes*, non reprimendo nec superando in nobis tantam vitiorum deformitatem ?

Convenienter beatus noster ex Deo legislator, id est congrue S. Paulus, qui divina auctoritate et inspiratione multa nobis dedit præcepta, non ut principalis

legislator, *non dignatur Ecclesiæ Dei præ-* A *ponere eum qui propriæ domui bene jam non præfuit*. In epistola namque ad Timotheum prima, describens qualis debet esse episcopus, inter cetera dicit : Suæ domui bene præpositum. *Etenim qui ordinavit se ipsum*, id est, qui personaliter ordinate et rationabiliter vixit, *et alium ordinabit*, id est, aptus est regere alium ; *et qui alium, et domum*, id est, qui unum efficaciter rexerit, potest et plures seu unam familiam gubernare; *et qui domum, et civitatem*, id est, debite regens unam B domum, potest regere urbem; *et qui civitatem, et gentem*, id est, idonee regens urbem, regere potest et patriam. *Et ut simpliciter dicatur, ut Eloquia aiunt, qui est in minimo fidelis, et in multo fidelis erit ; et qui est in minino infidelis, et in multo infidelis erit*. Istud in Luca scriptum est, et ibidem satis reor expositum.

I Tim. III, 4.

Luc. XVI, 10.

Igitur ipse quidem concupiscentiæ et furori et sermoni, secundum dignitatem determina : id est, tu ipse in te ipso « determina », id est, præfige et præcipe, se- C cundum quod dignum est, per rationis censuram, « sermoni » tuo, « concupiscentiæ et furori », id est vehementi iracundiæ, ne contra justitiam oriantur aut morentur in te, quum in Proverbiis scriptum sit : Qui moderatur labia sua, prudentissimus est; ira non habet misericordiam, nec erumpens furor, et impetum concitati spiritus ferre quis poterit? *Tibi autem divini ministri*, id est, diaconi determinent quid agendum, *et istis sacerdotes*, id est, presbyteri præsint diaconis, *hierarchæ vero*, id est episcopi, præsint et jubeant *sacerdotibus, et hierarchis Apostoli*, id est archiepiscopi, *et Apostolorum successores*, id est summi prælati, præsertim Pontifex summus, beatissimi Petri successor.

Prov. XVII, XXVII, 4.

Et si aliquis in illis a conveniente deficiat, id est, si quis prædictorum « deficiat a conveniente », id est ab opere bono ad ipsum spectante, *a coordinatis sanctis corrigetur*, id est a prælatis qui secum ejusdem sunt dignitatis et ordinis in specie, aut saltem in genere. *Et neque pervertetur ordo super ordinem*, id est, non continget confusio ordinum, uno usurpante quod spectat ad alterum, *sed unusquisque in ordine suo et in ministratione sua erit*.

Tanta igitur a nobis, supple, hic dicta sunt, *ut scias et facias quæ ad te pertinent*. Nam quod in uno laudabile est, in alio est vituperabile.

ARTICULUS XVI

DEMOPHILUS ARGUITUR DE INHUMANITATE.

DEINDE reprehendit Demophilum de D sua duritia et inviscerositate.

Sed de inhumanitate in virum (sicut diris) impium, qui tamen pœnitens fuit, et procidens veniam precabatur, juxta jam dicta, *et peccatorem*, qui pœnitendo seque humiliando, factus jam fuit justus, *nescio quomodo plangam contritionem dilecti mei*, id est, qualiter satis deflebo spiritualem destructionem tuam, dilecte mi.

Etenim cujus arbitraris famulum te esse a nobis ordinatum? Quo constat quod gloriosus Dionysius consecravit Demophilum istum in monachum. Tuncque monachi dicebantur specialiter famuli Dei, propter assiduum atque præcipuum famulatum quem Deo jugiter exhibebant. *Etenim nisi boni*, id est, nisi fatearis te famulum esse factum summi boni, naturaliter et omnifarie boni, *omnino et a no-*

tui, et a fornicatis tuis qui est secundum nos, seorsum est te esse alienum, id est, perversus esse extraneus a nobis et a toto cultu christiano. *Et vide tibi et Deum alium quærere*, id est, incumbit tibi quærere alium Deum, *et sacerdotes alios, et ad illos depravari*, id est omni spirituali bono privari, *magis quam perfici*. Ironice dicit hæc. *Et esto minister inhumanitatis inflexibilitatis administrans*, id est esse servum induratum « inhumanitatis » quam amas.

Numquid enim nos ipsi ad summum sanctitatem perfecti sumus (id est, ipsi nos non sumus perfecti comparatione Dei omniformiter et substantialiter sancti) *et non indigemus divinæ in nobis ipsis benignitatis?* quasi dicat: Omnes indigemus misericordia Dei. *Aut duplex peccatum, sicut Eloquia dicunt, secundum impios committimus*, id est, instar iniquorum peccamus dupliciter, juxta tenorem Scripturæ, *nescientes in quo offendimus*, id est, in qua re peccavimus (quod est contra doctrinam Scripturæ quæ docet ut propriam vitam conscientiamque scrutemur, in Threnis: Scrutemur vias nostras; atque in Aggæo: Ponite corda vestra super vias vestras), *sed et justificantes nos ipsos, et arbitrantes videre*, id est, æstimantes et reputantes nos justos esse ac sapientes, *vere autem non videntes*, id est, non intelligentes ea quæ Dei sunt et salutis? Contra quod scriptum est: Væ qui sapientes estis in oculis vestris; et, Si justificare me voluero, os meum condemnabit me; et, Non te justifices ante Deum.

Jac. III, 2.
Thren. III, 40.
Agg. I, 7.
Is. V, 21.
Job IX, 20.
Eccli. VII, 5.

Obstupuit cœlum super hoc, id est, inhabitantes et existentes in cœlo, de tanta impietate in monacho sunt mirati, et per modum stupentium se habebant. Unde Jeremias ait: Obstupescite, cœli, super hoc. *Et horreo ego*, id est, tanta abhorreo scelera, *et incredulus sum mihi ipsi*, id est, quamvis jam satis agnoscam te ita peccasse, tamen vix mihi ipsi persuadere valeo te taliter corruisse.

Jer. II, 12.

Et bene scias, nisi tuas nactus essem, sicut nollem, litteras, id est, nisi recepissem propria tua scripta de hac re, quæ mallem me non vidisse, *sed alii quidem de te persuadere dignarentur*, id est, alii mihi ista de te recitassent et quasi probassent, *non persuasissent*, id est, non potuissent me inducere ad credendum, *quod Demophilus putat*, formaliter, vel interpretative seu æquivalenter, *Deum, qui est bonus ad omnes*, id est, qui diligit cuncta quæ fecit, et nulli precanti misericordiam suam negat, *non esse et amatorem hominum*. De quo scriptum est: Misereris omnium, Domine, quoniam omnia potes, et dissimulas peccata hominum propter pœnitentiam; et rursus: Nihil odisti eorum quæ fecisti, parcis autem omnibus, quoniam tua sunt, qui amas animas. *Neque se indigere miserantis aut salvantis*, id est se Demophilum non indigere venia et gratia Dei, quum tamen dicat Apostolus: Omnes peccaverunt, et egent gloria Dei. *Sed et sacerdotes degradat*, id est, viliter tractat et dejicit, quasi non habeant auctoritatem absolvendi pœnitentes, *dignatos lenitate portare ignorantias populi*, id est, qui ex sua pietate dignanter supportarunt « ignorantias » plebis et peccata ex ignorantiis facta, *et bene scientes quod et ipsi circumvallantur infirmitate*, id est, humiliter attendentes propriam fragilitatem.

Sap. XI, 24.
Ibid. 25, 27.
Rom. III, 23.

Ceterum thearchicus sanctitatis perfector, id est divinus totius perfectionis completor, videlicet Christus, *alia profectus est via*, misericorditer indulgendo; *et hoc, quum a peccatoribus, ut Eloquia dicunt, fuerit segregatus*, id est, non obstante quod ab omni peccato fuit immunis. *Et suæ dilectionis demonstrationem facit ovium pascendarum mansuetissimum officium*, id est, caritatem suam ad homines demonstravit exhibendo misericordissimum officium circa oves: quia inventam ovem imposuit humeris suis.

Hebr. VII, 26.
Luc. XV, 5.

*Et malignum quidem vocat ad se**, *non dimittentem conservo debitum*, id est, servum ingratum et immisericordem qui noluit suo misereri conservo, jussit vocari

* alias om. ad se
Matth. XVIII, 32.

ad se, *neque particulariter donantem de* A *donata sibi multa bonitate*, id est, servum illum qui noluit de remissione debiti sibi integraliter facta, saltem partem aliquam
Matth. xviii, 23-34. impendere suo conservo, sicut in evangelica parabola continetur. *Judicat autem ipsum propria recipere*, id est, servum illum nequam judicat totum debitum solvere, et pro suis demeritis debitas luere pœnas. *Quod necessarium est timere et me et Demophilum*, ne scilicet propter ingratitudinem nostram, etiam peccata nobis dimissa denuo nobis suo modo imputentur.

Etenim et ipsis in eum impie agentibus, in ipsa passione remissionem produxit, id est, procurat seu petit, *a Patre :* Pater, inquiens, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. *Luc. xxiii, 34* *Increpat autem et discipulos*, scilicet Jacobum et Joannem, *quod* * *et immisericorditer precati sunt* * *qui* *judicare de impietate Samaritanos ipsum persequentes*, id est, ob hoc quod inclementer dixerunt : Domine, vis dicimus ut *Luc. ix, 54* descendat ignis de cœlo et consumat illos ? quia scilicet noluerunt Christum recipere. *Ibid. 53* Quibus ipse tunc dixit : Nescitis *Ibid. 55, 56.* B cujus spiritus estis ; Filius hominis non venit animas perdere, sed salvare : ut legitur in Luca.

ARTICULUS XVII

DEMOPHILI JUSTIFICATIONEM S. DIONYSIUS RECUSAT, ET EUM AD HUMANITATEM HORTATUR.

DEINDE reprobat palliationem Demophili, qui zelum suum amarum vult reputari zelum justitiæ.

Hæc quidem multiplex est locutio tuæ temerariæ epistolæ, id est, frequenter istud resumis in tua epistola imperita. *Sursum enim et deorsum fremis*, id est, acriter scribis in principio et in fine, seu undique, in tua missiva, *quod non te ipsum, sed Deum vindicasti*, id est, zelo divini honoris et æquitatis inductus sis in illa vindicta. Quod reprobat, subdens :

Per malitiam, dic mihi, bonum ? id est, respondo mihi : putas tu quod « bonum » virtutis « per malitiam » sit agendum ? *Absit. Non habemus pontificem non valentem compati infirmitatibus nostris*, ut dicitur ad Hebræos, *sed et innocens est, et* *Hebr. iv, 15.* *misericors. Non contendet, neque clamabit*, ex irrationabili commotione. Nihilo minus qui hæc verba dixit per Isaiam, *Is. xlii, 2.* loquitur per Jeremiam : Ecce ego judicio *Jer. ii, 35* contendam tecum, eo quod dixeris, Non peccavi ; per Amos quoque : Ecce ego *Amos ii, 13.* C stridebo super vos, sicut stridet plaustrum onustum fœno. *Et ipse est mitis, et propitiatio de* * *peccatis nostris*, ut ait Joannes : * *pro* Si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum justum, et ipse est propitiatio pro peccatis nostris. *I Joann. ii, 1, 2.*

Quare non recipimus, id est, non approbamus, *tuos non zelabiles motus*, id est tuas indignationes, iras, impatientias, quæ non sunt ortæ ex vero zelo justitiæ, *sed neque si millies resumas Phinees et Eliam*, id est, quamvis millies allegares D pro te opera Phinees et Eliæ (quorum primus ex amore Dei atque justitiæ perfodit fornicantes Zambri et Cozbi ; et secundus *Num. xxv, 7, 8, 11, 13; IV Reg. i, 10, 12* procuravit ignem de cœlo, qui duos quinquagenarios cum suis combussit) : quia ex vero zelo justitiæ hæc fecerunt contra impœnitentes. *Hic* * *enim audienti Jesu* * *Hæc* *non placuerunt tunc mitis et boni spiritus non participes discipuli*, id est, in *Luc. ix, 54, 55* sæculo isto « non placuerunt » Christo præfati Apostoli, in hoc quod ultionem optabant in Samaritanos, quia tunc non-

dum erant « participes » pii et « boni A Spiritus » Sancti tam copiose ut postea; vel « spiritus », id est animæ, eorum nondum erant tam mites.

Etenim divinissimus noster sanctitatis perfector, videlicet Christus, *in mansuetudine jussit resistentes doceri Dei*. Hoc exemplo suo docuit semper circa Scribas et Pharisæos. *Doceri enim, non puniri, convenit ignorantes* ignorantia non affectata, nec crassa; *sicut et cæcos* corporaliter *non punimus, sed manuducimus*.

Tu autem et vere respicere ad lumen B *incipienti*, id est, pœnitenti qui cœpit misericordiam Dei implorare, *contra maxillam dans impegisti*, id est, ictum seu alapas dans ad maxillam, trusisti eumdem, *et cum multa verecundia accedentem* ad Deum seu sacerdotem, vel ad Sancta sanctorum, *inverecunde repulisti*, zelo videlicet penitus indiscreto. *Hoc igitur multo horrore dignum*, id est, valde est abhorrendum, *quoniam Christus bonus existens, in montibus errantem inquirit,*

Luc. xix, 10. *et fugientem advocat* : Veni, inquiens, C Filius hominis quærere et salvum facere quod perierat ; *et inventum difficulter, super humeros levat*. Hoc ex evangelica

Ibid. xv, 4, 5. est sumptum parabola.

Ne, rogo, ne male ita de nobis ipsis consiliemur, id est, nequaquam tam male consulamus aut provideamus nobismetipsis, *neque in nos ipsos ensem impingamus*, id est, non occidamus spiritualiter animas nostras ; juxta illud Sapientiæ,

Sap. xvi, 14. Homo per malitiam occidit animam suam ; et item, Os quod mentitur, occidit D

Ibid. i, 11. animam.

Etenim qui injuriam quidem aliquibus facere aut contraria facere aggrediuntur, id est, qui cupiunt prodesse aliquibus aut nocere, *illis quidem non omnino fecerunt quæ voluerunt*, id est, nec semper nec solum prosunt aut nocent illis ut optaverunt. *Sibi ipsis autem malitiam aut bonitatem conquirentes* : quia si ex vitiosa radice cupiunt alteri nocere, peccant mortaliter, et mortem culpæ, deinde mortem gehennæ, incurrunt ; si autem alteri optant prodesse ex caritate, merentur gratiam seu gratiæ incrementum in via, et gloriam in futuro ; *aut divinis virtutibus aut inhumanis pleni erunt passionibus* : nam boni illi ac benefici replentur infusis virtutibus ac variis charismatibus Spiritus Sancti ; mali vero replentur pœnalibus passionibus iræ, amaricationis, invidiæ, tristitiæ et rancoris.

Et isti quidem angelorum bonorum sequaces erunt, quorum caritatem, pacem, beneficentiam imitantur ; *et coambulantes*, eundo de virtute in virtutem, *et hic et ibi*, id est tam in via quam patria, *cum magna * pace* pectoris et æternitatis, *et liberatione ab omnibus malis* culpæ ac * omni pœnæ, *in ævo semper existente*, id est in perpetuum, *beatissimos hereditabunt fines*, id est mansiones et terminos regni cœlestis, *et cum Deo semper erunt*, ut in Apocalypsi dicitur : Servi Dei videbunt Apoc. xxii, 4, 5 faciem ejus, et regnabunt cum eo in sæcula sæculorum. *Quod est omnium bonorum maximum*, utpote vera et plena felicitas, quæ est status omnium bonorum aggregatione perfectus. *Illi vero*, videlicet impii, *cadunt a divina simul et sua pace*, id est, interna tranquillitate in Deo ac mutua privantur concordia, *et hic et post mortem simul cum crudelibus erunt dæmonibus*, a quibus modo tentantur ac superantur, et postmodum sine fine cruciabuntur.

Cujus quidem gratia, id est desiderio evadendi tantam calamitatem et obtinendi beatitudinem tam immensam, *nobis est multum studium*, id est copiosus et indefessus conatus, *cum Deo bono fieri*, id est ei indesinenter uniri cum quotidiano profectu, *et esse semper cum Domino, et non cum malis a Judice segregari*, qui dicturus est reprobis : Ite, maledicti, in Matth. xxv, 41. ignem æternum ; *secundum meritum ex nobis ipsis sustinentes*, id est secundum demerita et vitia nostra quæ « ex nobis ipsis » habemus, patiendo, jubente eo qui ait : Ecce venio cito, et merces mea me- Apoc. xxii, 12.

cum est, dare unicuique secundum opera sua.

Quod ego plus quam omnia timeo, id est magis quam omnia hujus mundi supplicia et adversa. Nam et viri perfecti, in quibus perfecta caritas foras mittit timorem servilem, interdum ex consideratione propriæ fragilitatis formidant damnari et dijudicari, sicut et sanctus dixit Hieronymus : Semper videtur mihi tuba illa terribilis sonare in auribus meis, Surgite, mortui, venite ad judicium. *Et rogo non* A *particeps esse omnium malorum*, id est non esse de numero infelicissimorum reproborum, quorum universa et singula mala redundant quodammodo in omnes et in singulos, quemadmodum et cœlestis Jerusalem participatio est in id ipsum. Denique ex his magni Dionysii verbis puto acceptum quod narrari solet de eo, quod scilicet vehementer expavit futuri districtionem judicii miseriasque inferni. Quid ergo oportet nos defectuosos ac miseros agere? et cur unquam lætamur inaniter?

I Joann. IV, 18.

Ps. CXXI, 3.

ARTICULUS XVIII

DE MIRABILI VISIONE S. CARPI.

CONSEQUENTER pro dictorum confirmatione recitat visionem notabilem.

Et si vis, et divinam visionem sancti cujusdam viri memorabo : et non rideas, putando quod fingo eam, *vera enim dicam*.

Me existentem aliquando in Creta civitate, in qua forsitan Titus fuit episcopus, *sanctus hospitio recepit Carpus, vir (et si aliquis alius) propter multam munditiam mentis, ad Dei inspectiones aptissimus*, id est, valde dispositus ad visiones divinas, « si aliquis alius » fuit talis, et hoc propter cordis sui eximiam puritatem. *Et quidem neque sanctis mysteriorum perfectionibus manum apponebat*, id est, ad celebrandum Missarum solennia non accessit, *nisi prius in orationibus quæ sunt ante perfectionem*, id est, in suis orationibus quas celebrationi præmisit, *ipsi sancta et amica visio inferretur*, id est, cœlestis apparitio seu revelatio fieret, ut celebraret.

Dicebat ergo *, *quod quum contristasset eum quidam infidelium (tristitia autem hæc erat*, id est, causa contristationis S. Carpi hæc fuit, *quod ab Ecclesia ille quemdam ad infidelitatem errare fecerat*, B id est, quia perfidus ille quemdam conversum retraxit ab ecclesiastica unitate ac fide ad infidelitatis errorem), *adhuc lætis diebus ipsi factis*, id est, quum infidelis ille in diebus paganicæ hilaritatis ac festivitatis de maleficio suo gaudebat, *oportebat pro utrisque benigne orare*, tam scilicet pro deceptore illo, quam pro decepto, *et Deum Salvatorem susceptorem, sumentem, hunc quidem convertere*, id est, « orare » Christum omnium « Salvatorem, susceptorem », id est, pie exaudientem, et accipientem preces suorum fidelium, orare, inquam, « convertere », id est, ut dignaretur ad fidem reducere, « hunc » abductum, *illum autem bonitate vincere*, id est, deceptorem illum, per patientiam, caritatem et compassionem, a sua pravitate reducere, *et non deficere admonentem*, id est Carpum « non deficere » in orando pro illis admonendoque illos, *per vitam omnem usque hodie*, id est, quamdiu vel ipse Carpus vel illi vixissent usque in præsens, *et ita ad divinam ipsos sursumagere cognitionem*, id est, per talem caritatem, pietatem, admonitionem, tam deceptum quam ejus deceptorem perducere

* igitur

ad veri notitiam formatam ac salutarem. A *sicut jam et his quæ erant dubia, ipsis indicato*, id est, quomodo per evidentiam facti indicaretur tam Carpo quam aliis, et etiam illis duobus, an scilicet exhortatio pia ipsos proficeret, *et quæ irrationabiliter et temerarie fecerant, legali justitiæ castigari compulsis*, id est, tamdiu quod illi duo per rationabiles informationes inducerentur, imo et compellerentur, ad castigationem pro suis excessibus « legali justitiæ », id est juxta tenorem justitiæ evangelicæ legis, quæ tradit quod pecca- B tor primo secretum admoneatur; et si non acquieverit secretæ correptioni, testes adhibeantur; et tandem, si opus fuerit, publice denuntietur.

Matth. XVIII, 15-17.

Sed in se ipso prius hoc non patiens, id est, Carpus in proprio corde non tolerans æquanimiter excessus illorum duorum, nec præfato modo caritative ac ordinate procedens ad emendationem ipsorum, *nescio quomodo multas quasdam inimicitias et amaritudines intexens*, id est, ipse Carpus, quonam modo ignoro, permittente C Deo « intexens », id est, intra se fabricans et colligens, « inimicitias et amaritudines multas », id est aversiones, indignationes ac iracundias copiosas adversus ambos illos; *infirmatus est quidem* ex animo, dolore et mœrore de iniquitate illorum, *ita male habens*, utpote mente turbatus et aggravatus. *Vespera enim erat*, quando istud ei contigerat.

Circa medias vero noctes, id est circa duodecimam horam noctis (*consueverat enim in hoc tempore ipse apud se*, id est in suo D secreto cubiculo, *ad divinos hymnos evigilare*, id est expergisci ad peragendum matutinale officium, juxta illud : Media nocte surgebam ad confitendum tibi), *consurgit quidem* a loco dormitionis, *neque a somnis multis quidem ipsi consistentibus et semper incisis, citra turbationem experrectus*, id est, evigilans non a somno copioso ac diuturno, sed a dormitionibus potius interruptis ac brevibus ac turbulentis, ut moris est hominibus in magno

Psal. CXVIII, 62.

A mœrore ac mentis inquietudine constitutis. *Stans autem * ad divinam locutionem*, id est ad psallendum et orandum, et ad suscipiendum modo sibi consueto allocutionem et revelationem a Domino, *non religiose tristabatur*, id est indiscrete, non pie et compassive, *et molestatus est, dicens non esse justum ut * vivant homines impii*, scilicet duo isti, *et pervertentes vias Domini rectas*, id est divina præcepta et documenta, sicut et Paulus in Actibus ait ad magum. *Et hæc dicens, rogabat* B *Dominum ut combustione quadam, amborum simul immisericorditer abrumperet vitas*, id est, ut ambos cœlesti igne repente ac severe seu justo rigore combureret.

* [illegible] · * n · Act. XIII, 10.

Hæc autem dicens Carpus, *dicebat apparere videre*, id est, quod apparuit sibi quod videbat, *subito domum in qua stabat, commotam*, id est agitatam et tremulam, *prius ex vertice, in duo mediam divisam*, id est per medium ejus ruptam ac partitam in duas partes, facta concussione prius in superioribus domus, *et quamdam* C *fornacem multi luminis in conspectu ejus*, id est fornacem valde luminosam et calidam coram se apparuisse, *et hanc (videbatur ei postea sub æthere locus) ex cœlesti choro usque ad ipsum descendentem*, id est, « hanc » fornacem vidit « descendentem ex cœlesti choro usque ad ipsum » Carpum, et « postea videbatur ei », videlicet Carpo, « locus sub æthere », puta sub dio. Stilus iste multum est intricatus.

Cœlum autem ipsum vidit apertum, visione imaginaria in plena vigilia, quem- D admodum in coruscatione apparet in cœlo apertura quædam, *et super dorsa*, id est convexum, *cœli Jesum, infinitis humana specie ipsi adsistentibus angelis*, id est, conspexit « Jesum » quasi insidere illi convexo, cum innumerabilibus « angelis » in « humana » effigie « adsistentibus » ei, juxta illud Danielis : Decies millies centena millia adsistebant ei. *Et hæc quidem videre desuper, et ipsum mirari*, id est, Carpus dixit se vidisse hæc desuper, et se inde esse miratum.

Dan. VII, 10.

Deorsum autem inclinatum, se Carpus dixit videre et solum ipsum, id est, quum inclinasset se ad videndum inferius, vidit tantummodo, *ad tristem hiatum et obscurum, discissum*, id est ad furnum præfatum in se tetrum et retro grandem, quamvis ex igne clarificatum, *et viros quidem illos quibus calumniabatur*, id est, quos coram Deo indiscrete accusavit, *ante ipsum*, id est ante se, *juxta os stare** *hiatus, tremulos et miserabiles, jam pene deponendos*, id est casuros, *a propriorum pedum instabilitate*, id est præ imbecillitate et tremore suorum pedum ac crurium.

* adstare

Deorsum autem ab hiatu, id est ex fornace, *serpentes sursum repere; et circa pedes ipsorum* ipsos *suppositos*, id est applicatos pedibus virorum illorum, *aliquando quidem abstrahere incolutos*, id est pedes illorum, quibus se circumvolverunt, hinc inde pertrahere, *simul et gravantes et trahentes*, id est, pondere suo pedes illorum gravarunt et violenter traxerunt; *aliquando autem dentibus et spatulis percutientes et suburgentes*, id est, serpentes illi quoque mordebant dentibus et caudis suis pungebant viros illos, *et per omne ad tristitiam immittere machinatos*, id est, per omnia quæ agebant, incutere maximum mœrorem et pavorem miseris illis paratis seu datis ad tanta supplicia. *Esse autem et viros quosdam in mediis serpentibus*, id est, vidit quoque inter serpentes stare « viros » tortores, id est dæmones in forma virorum, *contra viros* prædictos *constitutos, commoventes simul et impingentes et percutientes*, id est, qui viri seu dæmones in specie virorum, erant constituti contra illos duos, et trahebant ac impingebant eos.

Videbantur autem esse casuri illi, id est, duo viri illi videbantur mox in fornacem ruituri, *partim quidem inviti, partim autem et voluntarii*: quod exponitur per verba sequentia: *a malo quidem paulatim coacti*, id est violenter impulsi a malis ipsis, *simul et persuasi* quia non

A possent evadere, vel ut citius eruentur a præsentibus pœnis, sicut refert Gregorius clamasse fratrem a dracone oppressum: Faciat quod facturus est.

Dicebat autem et Carpus, se ipsum delectari deorsum inspicientem, superiora vero negligere, id est, in tantum dixit se delectatum fuisse in illorum tormentis, quod non curavit sursum adspicere Jesum et angelos; *molestari autem et pusillanimem esse*, id est moleste ferre, *quoniam nondum ceciderant*, id est, quia non B tam cito corruerunt in fornacem ut æstimabat, *et rei multoties suppositum*, id est, frequenter intuitum quando laberentur in ignem, *et debilitatum et contristatum fatigari*, id est, lassatum se dixit præstolando illorum demersionem in ignem, cum sui ipsius debilitatione et contristatione ex combustionis illorum dilatione.

Et respicientem difficulter ad superiora, *videre quidem rursus cœlum, sicut et prius viderat: Jesum autem miseratum*, id est misericordia motum, super id *quod* C *fiebat* circa duos illos, *consurgere ex supercœlesti throno* ad succurrendum illis, *et usque ad ipsos descendentem, manum bonam extendere* ad illorum liberationem, *et angelos cum ipso accipientes alium aliumque tenere viros*, id est, unum angelum accipientem et tenentem unum illorum duorum ne caderet in fornacem, et alium angelum tenentem alium duorum illorum ne caderet, sicque tenuisse viros illos.

Et dicere Carpo Jesum, secundum quod D retulit mihi Carpus: *Manu jam extenta percute contra me de cetero*: quod dixit, non ut sic fieret, sed ad aliquid designandum, sicut subjungitur: *paratus enim sum et rursus pro hominibus salvandis pati*, id est, in tantum diligo eos, quod quantum in me est, mallem pro eis iterum crucifigi, quam eos damnari permitterem ex defectu meæ subventionis, si scilicet passio mea semel impensa, non sufficeret pro illorum salvatione; *et hoc amicum mihi, non quod alii peccent ho-*

salutem, id est, id præcipue carum est mihi, ut homines quicumque non pereant. *Sed vide, o Carpe, si bene habet tibi*, id est, an placeat et bene stet in animo tuo, *mansionem in baratro et cum serpentibus commutare*, id est a mansionem e mutare post hanc vitam demorando in fornace tartarea a cum serpentibus infernalibus, pro mansione *cum Deo et bonis amatoribus hominum angelis*. Quod si commutatio ista tibi non placet, acquiesce scriptis hujus epistolæ.

Hæc sunt quæ ego quum audierim, credo vera esse. Carpus namque fide dignus fuit ob suam eximiam sanctitatem, qui et martyr effectus est.

TRANSLATIO JOANNIS SCOTI

HEBRÆORUM historiæ aiunt, o nate Demophile, et sacrum illum Moysen per multam mansuetudinem divina amicitia digne factum. Et si aliquando eum extra divinum vultum scribunt, non tamen prima mansuetudine expellunt. Dicunt vere quia valde arroganti et resistenti divinis consiliis, iratus furore sit Dominus. Quum autem ipsum prædicatorem faciunt divinis judicibus dignis, ex ante habita boni divina imitatione prædicatur. Etenim erat mansuetus nimis, et propter hoc dicitur famulus Dei, et in divinam visionem simul omnibus Prophetis dignior. Sed et ad eum et Aaron duri quidam de principali sacerdotio et gentis principatu contendebant superare, omni quidem amore honoris et amore principatus, et accepit Deo judice populi præstantiam. Quandoquidem et superimposuerunt ei, et de prioribus improperantes minabantur, et jam fere prævaluerunt, clamavit quidem mansuetus Deum in salutem. Confisus est autem valde humilis, quoniam omnibus esset malis inclinatis inaccusabilis. Jam enim (nam oportuit colloquentem Deo optimo, ad hoc præcipua similitudine quantum licet reformari) intelligebat Deo amabiles operationes. Quid autem Dei patrem David faciebat Dei amicum? Etenim optimus exsistebat, et erga inimicum optimus: Inveni, inquit superoptimus, amicus optimus, virum secundum cor meum. Et quidem lex optima donata est et subjugatis inimico providere. Et Jacob, ut malitiam non habens, justificatus est. Et Joseph in supergredientes fratres non vindicavit. Et Abel simpliciter et insuspecte convenit fratricidæ. Et omnis Theologia deiformes prædicat non ante intelligentes mala, non ante facientes, sed neque ab aliorum malitia ex optimo mutatos; econtra deiformiter et in malos benefacientes, et expandentes in ipsos multam bonitatem, et ad simile clementer evocantes.

Sed superius respiciemus: non virorum sacrorum honestates, non humanorum angelorum bonitatem enuntiantes, propitiantium gentibus et obsecrantium pro eis Deum, et perditis et male agentibus comminantium multitudinibus, et contristantium quidem de malis, lætantium autem salute in optima transvocatorum, et quæcumque alia de benefactoribus angelis Theologia tradit; sed et vere optimi et superoptimi Christi benefacientes radios in silentio accipientes, ab ipsis in divinas optimas operationes ejus clare ducimur. Nam nonne est potentissimæ et super intellectum bonitatis, quia non existentia, existentia esse facit, et quia omnia hæc ad esse duxit, et omnia vult semper fieri approximantia sibi et communicantia eorum quæ sunt ejus secundum singulorum opportunitatem? Quid autem quia et recedentibus amabiliter habetur, et contendit et desiderat non indignando amantes, et deliciosos ipsos et in vanum accusantes

sustinet, et ipse defendit, magis promittit curare, et ipsis perfectis sic accedentibus accurrit et obviat, et totus totos amplectens salutat, et non accusat de prioribus, sed diligit advenientem, et diem festum agit, et convocat amicos, videlicet optimos, ut sit omnium lætantium habitatio?

Demophilus autem, et si quis alius optimis infestus, valde juste increpatur, et docetur bene, et melioratur. Quomodo enim non oportebat, inquam, optimum in salute *Luc.* xv, 32.
perditorum lætari et vita mortuorum? Itaque et in humeros tollit quos vix ab errore *Ibid.* v. 7.
convertit, et optimos angelos in lætitiam suscitat; et bonus est super ingratos, et oriri *Ibid.* vi, 35.
facit solem suum super bonos et malos; et ipsam animam suam ponit pro refugientibus. *Matth.* v, 45.
Tu vero, ut litteræ tuæ declarant, procidentem sacerdoti (ut ais) impium et *Rom.* v, 6
malum, nescio quomodo de ipso præsens, recalcitrasti. Deinde, quod quidem oportuit, *et seq.*
confitetur ad medicinam malorum venire. Tu autem non exhorruisti, sed bonum sacerdotem cum ferocia detraxisti, misertum esse pœnitentis et impium justificantem. Et ad finem : Vado (ais sacerdoti) cum similibus. Et insiluisti, dum non esset justum, ad adyta, et Sancta sanctorum prohibuisti. Et scribis nobis : Quia futurum esset corrumpere sacra, provide salvavi, et adhuc incontaminata custodio.

Nunc ergo ausculta nostris : Non est justum sacerdotem super te ministrantibus aut æque potentibus tibi famulis corrigi ; etsi impie agere in divina videatur, et si aliud quid interdictorum redarguatur agens. Si enim inornata et inconsequentia divinissimorum sunt, et finibus et legibus expellis, non habet rationem, pro Deo Deo traditam
subverti ordinationem. Non enim in se ipsum Deus partitus est. Quomodo enim stabit *Matth.* xii, 26.
regnum ejus? Et si Dei est (ut Eloquia aiunt) judicium, sacerdotes autem angeli et *Is.* xxx, 18.
prophetæ (post summos sacerdotes) sunt divinorum judiciorum; ab his divina conve- *Malach.* ii, 7.
nienter tibi per medios ministros, quum sit tempus, disce, per quos et esse famulus digne factus es. Aut numquid et sacra symbola hoc clamant? Etenim non simpliciter omnibus quidem exaltantur Sancta sanctorum; approximat autem magis his sacre perficientium ornatus, deinde sacerdotum dispositio, consequens autem his ipsa ministrantium. Ordinatis autem famulis portæ talium sunt segregatæ : ad quas et perficiuntur et adstant, non ad custodiam earum, sed ad ordinationem et cognitionem suam, magis populo quam sacerdotales approximantes. Inde sacerdotum sancta ordinatio
principalis, recipere eos sacre ponit divinis*, aliis (videlicet interioribus) ipsis da- * de divinis
tionem quidem tradens. Etenim circa divinum (ut symbolice dicatur) semper stantes altare, amant et audiunt divina clare eis revelata, et procedentes deiformiter ad ea quæ sunt extra divina vela, subjectis famulis, et sacro populo, et purgatis ordinibus, manifestant secundum dignitatem sacra, bene incontaminata custodita, usque dum tyrannice eis insiliens, triumphari tibi Sancta sanctorum coegisti nolentia : et habere inquis sacra et custodire, et quidem neque vidisti neque audisti neque habes quid pertinentium ad sacerdotes, sicut neque veritatem Eloquiorum cognovisti, quotidie ad hæc verbo pugnans, subvertens auditores. Et si quidem gentis principatum quis obtinuit inordinate sibi contra regem, juste punitus est; et si principem justificantem quosdam aut condemnantem, adstans quis sub ipso ordinatorum redarguere ausus sit : nondum enim dico detrahere, et simul ex principatu expellere. Tu, homo, sic audax es contra mansuetum et optimum, et hierarchicam ejus legislationem?

Et hæc oportuit dicere, quum supra dignitatem quis tentans, tamen convenientia *II Par.* xxvi,
agere videbatur : etenim neque hoc licitum ulli. Quid enim inordinatum Ozias faciebat, 16. *I Reg.* xiii, 9; xv, 12.
adolens Deo? quid autem Saul, immolans? quidve tyrannici dæmones, vere theolo- *Marc.* i, 24;
gizantes Jesum? Sed interdictus Theologia omnis extraneus episcopus; et unusquisque iii, 12. [illegible] xxviii, 1; II
in ordine ministrationis suæ erit. Et solus summus sacerdos in Sancta sanctorum in- [illegible] viii, 14.

trabit, et semel in anno; et hoc in omni secundum legem hierarchica purificatione. Et sacerdotes circumprendunt sancta, et Levitae non tangunt sancta, ut non moriantur. Et iratus est furore Dominus super protervia Oziae, et Maria lepra percussa, legislatori legem ponere tentans; et in Scevae filios insiluere daemonia. Et: Non mittebam eos, inquit, et ipsi currebant; et non loquebar ad eos, et ipsi prophetabant; et impius immolans mihi vitulum, sicut occidens canem. Et simpliciter dicendum, non sustinet iniquos perfecta Dei justitia. Dicentibus autem ipsis, In nomine tuo virtutes multas fecimus; respondetur: Nescio vos; ite, omnes operatores iniquitatis. Itaque nefas, ut sacra Eloquia aiunt, sancta ultra dignitatem persequi. Attendere vero unumquemque sibi ipsi oportet, et non excelsiora et profundiora noscere, intelligere vero sola secundum dignitatem sibi ordinata.

Quid ergo? inquis, non oportet sacerdotes impie agentes, aut aliud aliquid inordinatarum redarguendos corrigi, solis autem licitum erit gloriosis in lege, per praevaricationem legis Deum dehonorare? Et quomodo sacerdotes manifestatores sunt Dei? Quomodo annuntiant populo divinas virtutes, non cognoscentes suam virtutem? Aut quomodo illuminant obscurati? Quomodo autem divino tradent Spiritu, neque si est Spiritus Sanctus, habitu et veritate credentes? — Ego autem defendam te ad haec: etenim non inimicus Demophilus, neque patiar te perculi Satana. Nam unaquaeque circa Deum dispositio, deiformior magis distante est; et illuminantior simul et illuminatior, magis vero lumini proximior: et non localiter excipiens, sed secundum Dei receptivam opportunissimam proximitatem. Si igitur sacerdotum est dispositio illuminatrix, omnino decidit ex sacerdotali ordine et virtute, qui non est illuminator, aut ubi magis non illuminatus. Et audax mihi videtur hierarchica talis tentans; et neque metuit neque erubescit, divina ultra dignitatem persequens, et arbitrans Deum ignorare quae quidem ipse a se ipso cognovit, et seducere arbitrando falsivoce a se patrem vocatum, et audet pollutas suas blasphemias (non enim dicerem orationes) in divina symbola christiformiter superorare. Non enim est ipse sacerdos, non est, sed inimicus, dolosus, illusor sui met, et lupus in divinam plebem ovina pelle armatus. Sed non Demophilo haec justum corrigere. Non enim Theologia injuste justificationes jubet persequi. Justa autem est persequi, quum distribuere vult quis unicuique secundum dignitatem. Juste hoc omnibus persequendum, non ultra eorum dignitatem et ordinem. Quoniam et angelis justum distribui quod secundum dignitatem et distribuitur; veruntamen non a nobis, o Demophile; per ipsos autem nobis ex Deo, et ipsis per jam praecellentes angelos. Et simpliciter dicendum, in omnibus exsistentibus, per prima secundis distribuuntur quae sunt secundum dignitatem, ab omnium ordinatissima et justissima providentia. Ipsi quidem ergo et aliis subsistere a Deo ordinati, distribuunt post se et obedientibus secundum dignitatem. Demophilus autem verbo et furori et concupiscentiae, quae sunt secundum dignitatem segreget; et ne injuriam faciat sui ordinationi, sed principetur subjectis superius verbum. Etenim in ecclesia videntes servum domino, et seniori juniorem, aut et filium patri maledicentem, simul et sequentem, et plagas superponentem; impie agere putaremur, nisi melioribus accurrentes adjuvissemus; et quidem sane illi antea juste fecerunt. Quomodo non et confunderemur praesentes a furore et concupiscentia injustificatum verbum, et ex Deo datum magisterium expellens, et in nobis impietatem et injustam inordinationem et seditionem et inornatum suscitantes? Merito beatus noster ex Deo legislator, non dignatur Ecclesiae Dei praeesse nisi propriae domui bene jam praesidentem. Etenim ordinans se ipsum, et alterum ordinat; et qui alterum, et domum; et qui domum, et civitatem; qui civitatem, et gentem. Et simpliciter dicendum, ut Eloquia aiunt, qui in pauco

fidelis, et in multo fidelis est; et qui in pauco infidelis, et in multo infidelis est. Ipse quidem ergo concupiscentia et furore et verbo, quæ sunt secundum dignitatem segrega. Tibi autem præsunt divini ministri, et his sacerdotes, summi vero sacerdotes sacerdotibus, et summis sacerdotibus Apostoli et Apostolorum successores. Et sicubi quis et in illis eo quod debet erraverit, ab æquepotentibus sanctis iterum dirigetur; et non circumvertetur ordo super ordinem, sed unusquisque in ordine suo et administratione sua erit. Tanta tibi a nobis de sciendo et agendo quæ tua sunt.

De autem in virum (ut inquis) impium et peccatorem inhumanitate, nescio quomodo defleam contritionem dilectissimi mei. A quo enim æstimas famulos a nobis ordinari? Etenim si non in bono, omnino ubi et nobis necesse sit te esse, et secundum nos famulatu omni alienum. Et vide a te etiam Deum quærere et sacerdotes alios, et ab illis curari magis quam perfici, et esse consuetæ inhumanitatis immansuetum ministrum. Numquid nos ipsos ad omnino factum perfecimus, et non indigemus divinæ ex se ipsa humanitatis? An duplum peccatum, ut Eloquia aiunt, secundum impios pec- *Jer.* II, 13.
camus, nescientes in quo offendimus, sed et justificantes nos ipsos et æstimantes videre, vere autem non videntes? Expavit cœlum super hoc, et exhorrui ego, et diffido in me ipso. Et si non tuas insequerer, quasi non deberem bene cognoscere litteras, non fortassis reprehensæ sunt. Siquidem alii me quidam de te consulere dignum ducebant, quia Demophilus æstimat optimum in omnia Deum non esse humanum, neque se ipsum indigere miserentis aut salvantis. Sed et sacerdotes ex procreatione digni bonitate portare ignorantias populi, bene sciunt quia et ipsi circumvolvuntur infirmi- *Hebr.* V, 2.
tate. Sed divinus sanctus perfector ad alienatam exivit: et propterea peccatoribus (ut *Ibid.* VII, 26.
sacra Eloquia aiunt) segregatus, et in se ipso dilectionis ostensionem facit ovium clemen- *Joann.* XXI, 15-17.
tissimam pastoralitatem. Et malum quidem vocat, non dimittentem conservo debitum, *Matth.*
neque particulariter tradentem donante sibi omne multa bonitate. Justi autem propriis XVIII, 23-24.
ejus perfruuntur. Super his necessarium timere et me et Demophilum. Etenim et in ipsum impie agentibus, in se patiendo remissionem ducit a Patre. Comminatur et dis- *Luc.* XXIII, 34.
cipulis, quia et impietate immisericorditer dignum duxere judicare persequentes eum *Ibid.* IX, 54-56.
Samaritanos.

Hoc autem toties dictum non feroci epistola. Sursum enim et deorsum fremis. Sic non te ipsum, sed Deum vindicasti. Propter malitiam, dic mihi, bonum? Cessa. Non *Hebr.* IV, 15.
habemus summum sacerdotem non potentem compati infirmitatibus nostris; sed et sine malitia est, et misericors. Non contendet, neque clamabit. Et ipse mansuetus, et *Matth.* XII, 19.
ipse propitiatio est de peccatis nostris. Itaque non recipimus tui non zelandos motus, *Ibid.* XI, 29.
neque si multoties recipies Phinees et Eliam. Hæc enim audiente Jesu, non placebant I *Joann.* II, 2.
mitis tunc et optimi spiritus imparticipes discipuli. Etenim sacratissimus noster mi- *Luc.* IX, 54-56.
rabilis ordinator, in mansuetudine docet oppositos doctrinæ Dei. Doceri enim, non II *Tim.* II, 25.
puniri, oportet ignorantes: sicut et cæcos non crucifigimus, sed manuducimus. Tu vero et respicere in lumen inchoantem virum quasi puer novus dans repellis, et cum multa confusione procidentem ferocitate recalcitras. Hoc autem multo horrore dignum, quod Christus super montes (optimus ens) errantem inquirit, et refugientem advocat, *Luc.* XV, 4, 5.
et inventum vix in humeros tollit. Numquid, rogo, non male sic de nobis ipsis consiliamur? Numquid in nos ipsos impellimus telum? Quod quidem injuste facere quosdam, sive econtrario bene facere, conantes, illis quidem non semper egerunt quæ voluerunt; sibimet autem malitiam aut bonitatem consociantes: qui divinis virtutibus aut diuturnis pleni passionibus erunt. Et ipsi quidem angelorum bonorum sequaces et comites, et hic et illic cum omni consecratione et libertate ab omnibus I *Thess.* IV, 16.
malis, in semper exsistentia sæcula beatissimas sortientur quietes, et cum Deo semper

erant; quod est omnium bonorum maximum. Isti autem discedent divina simul et sua pace, hic et post mortem similiter simul obscuris erunt dæmonibus. Propterea nobis multa sollicitudo cum Deo optimo fieri, et esse cum Domino semper, et non malis ex justo congregari, quæ secundum dignitatem ex nobismetipsis sustinentes; quod quidem ego omnium maxime timeo, et oro omnium malorum particeps non esse.

Et si vis, et divinæ visionis sancti cujusdam viri recordabor: et non ridebis, vera enim dicam. Dum essem aliquando juxta Cretam, sanctus introduxit me Carpus, vir (et si quis alius) per multam puritatem animi ad divinas visiones valde opportunus. Et quidem neque sanctis mysteriorum sacrificiis conabatur, nisi prius ipsi secundum ante perfectas orationes sacras et propitiatas visione supermanifestata. Dicebat igitur se aliquando contristatum ab infidelium quodam. Tristitia autem ejus erat, quia ab Ecclesia ille quemdam hominum seduxit, adhuc lætis ipsis diebus consummatis. Oportebat utrumque divinitus superglorificare, et Deum salvatorem comprehendentem, accipientem eum quidem convertisse, hunc vero bonitate vicisse, et non relinquere admonitum et per vitam omnem usque hodie, et sic in divinam eos ducere cognitionem, tanquam jam et circumexstinctis ipsis lucidatis, et irrationabilibus ferocibus in lege justa sapere coactis. Sed in se ipso non prius hoc patiens, nescio quomodo tunc multam quamdam inclementiam et amaritudinem intexens, infirmatus est quidem sic male habens. Vespera enim erat. Circa autem medias noctes (solebat enim in hoc tempus ipse ex se ipso ad divinas laudes evigilare) surgit quidem, neque somnis ei multum exsistentibus, et semper offendentium extrinsecus perturbatione abutens. Stans tamen in divinum eloquium, non recte frenatus est: et indignatus est, non esse justum dicens si viverent
Act. XIII, 10 viri impii et subvertentes vias Domini rectas. Et hæc dicens, petiit a Deo igne quodam cœlesti utrumque insimul immisericorditer quiescere vitas. Hæc autem dicens, ait putasse videre subito domum in qua quidem stabat, concussam prius ex tecto, in duo media divisam, et quemdam rogum multæ lucis in conspectu suo, et talem (videbatur enim iterum sub æthere locus) ex cœlesti regione usque ad se descendentem; cœlum autem ipsum reflagrans, et in dorso cœli ipsum Jesum, innumeris humaniformiter ipsi adstantibus angelis; et hæc quidem vidisse desursum, et se mirari. Deorsum vero incurvans Carpus: Videbam, inquit, et terram profundam, hoc ad tristitiam est chasma, et tenebrosum separatum; et quidem viros illos (quibus calumniabatur ante ab ipso) juxta ostiolum stetisse chasmatis subtremulos, miseros, tantum nondum descendentes a propriorum pedum instabilitate: deorsum autem a chasmate, serpentes repere, et circa pedes eorum suppositos, aliquando vero retrahere, involutos simul et aggravantes et trahentes, aliquando autem dentibus aut palatis tumescentes aut suburgentes, et semper in tristitiam immittere machinantes; esse autem et viros quosdam in medio cum serpentibus, contra viros superadjectos, concutientes simul et subvertentes et percutientes. Videbantur autem esse ad interrogandum illi quædam quidem nolentes, quædam vero volentes, a malo post pauca vim facientes simul et interrogantes. Dixit autem Carpus se ipsum delectari deorsum videntem, eorum autem quæ sursum, negligere; indignari autem et parvi pendere, quia non ceciderunt jam, et rei toties superadjicientem et non valentem, contristari et fatigari; et respicientem vix, videre quidem iterum cœlum, sicut prius videbat, Jesum autem miserentem facti, exsurgere supercœlesti throno, et usque eos descendentem, manum optimam præstare, et angelos cum ipso accipientes alium aliunde recepisse viros; et dicere Carpo Jesum: Manu jam ante præordinata puer secundum me residuum; paratus enim sum iterum pro hominibus resalvandis pati, et amabile mihi hoc, non aliis peccan-

tibus hominibus. Verumtamen vide si bene habere tibi in chasmate et cum serpentibus mansionem, commutatione ejus quæ est cum Deo et optimis et humanis angelis. — Hæc sunt quæ ego audiens credo vera esse.

EPISTOLA IX

TITO PONTIFICI PER EPISTOLAM INTERROGANTI QUÆ SIT SAPIENTIÆ DOMUS, QUÆ PATERA, QUI CIBI EJUS, ET QUI POTUS.

SANCTUS quidem Timotheus, o honestissime Tite, nescio an aliquid scripserim de theologicis signis, cujus ille ignarus abscesserit. Ceterum in Significativa theologia, omnia illi quæ in divinis Litteris de Deo indigne dici plerisque videntur, diligentissime enucleare curavimus. Nam absurditatem profecto maximam imperitis ac rudibus animis imprimunt arcanæ illius sapientiæ patres, quum per obscura quædam ænigmata, divinam illam plenamque mysteriis ac profanis inaccessam veritatem enuntiant. Atque ea ratio est cur plurimi divinorum mysteriorum verbis difficile credimus. Ea enim cum adhærentibus sibi tantum vernaculis et carnalibus signis adspicimus, quum his amotis, ipsa in se ipsis nuda atque ad purum liquida intueri debeamus. Ita enim vitæ fontem digna [Ps. xxxv, 10; Eccli. i, 5.] demum veneratione prosequimur, si hunc in se ipsum fundi et in semetipso stare videamus, atque unam quamdam vim simplicem, se moventem, per se operantem seque ipsam non deserentem intelligamus, scientiarumque omnium scientiam esse ac semper se ipsam per se ipsam intueri fateamur.

Oportere igitur existimavimus a nobis quum illi tum ceteris, omnigenas formas exponi quæ de Deo sacratissime, symbolice significativeque finguntur. Namque exteriora velamina perquam sane multa indignitate plena sunt, quæ instar efficta prodigii, minus probabilia videantur, puta : quum in supersubstantiali illa divina generatione, ventrem Dei Deum corporaliter gignere fingunt, Verbumque in aere [Ps. cix, 3.] ex corde viri illud eructante profundi, et Spiritum ex ore spirantis prodire, describunt, [Ps. xliv, 2. Ps. xxxii, 6.] ac sinus Dei Patris corporeo more Filium ulnis complectentes, nobis cum [Joann. i, 18.] laude pronuntiant ; sive quum ista per inferiora quælibet et quæ humo prodeunt, signant, atque quum arbores quasdam et virgulta et flores radicesque inducunt ; [Eccli. xxiv, 17-23] sive quum inundantes aquarum fontes, aut splendorum lucis productivas generationes, [Ibid. 40-43.] seu alias quaslibet descriptiones (quæ supersubstantialia multiplicis theologiæ [Sap. vii, 26; Hebr. i, 3.] sacramenta dignissime reserent) ponunt ; item quum intelligibilibus Dei providentiis, aut donis, aut insinuationibus, aut virtutibus, aut proprietatibus, aut terminis, aut mansionibus, aut processibus, aut discretionibus, aut conjunctionibus,

humanam Deo effingunt formam et ferarum et aliorum animalium ac plantarum lapidumque varias species, et ornatum illi muliebrem aut barbaricas armorum instructuras applicant, et vasorum fictoriam seu conflatoriam veluti opifici vulgari attribuunt, et equos illi et currus sedesque substernunt, ac dapes quasdam veluti coquorum commentis et arte conficiunt, bibentemque et ebrium ac dormitantem crapulaque distentum dicunt. Quid memorem iras, dolores, omnimoda juramenta, pœnitentias, maledicta, furores, multimodas item obliquasque frustratarum promissionum rationes? giganteam illam in Genesi expugnationem, quando viris illis potentibus ex metu dicitur insidiari, idque quum ædificium illud non pro aliorum injuria, sed pro salute sua molirentur? Consilium quoque illud quid referam, adversus Achab fraude ac deceptione capiendum, in cœlo concinnatum? quid item Canticorum carnales ac adamatorios meretriciosque quamplurimos affectus, et quæque alia sacra et visibilia signa occultis obducta et in multitudinem excrescentia, divina fictio sacris audacius inseruit, atque effinxit singularibusque et individuis, quæ divisionem admittunt, et figurativa atque multiformia iis quæ formam figuramque non capiunt?

Quorum profecto si quis intueri possit intimum secretumque decorem, mystica esse omnia et divina mirabitur, atque ingenti theologiæ lumine plena. Neque enim putandum est visibilia signa sui causa fuisse conficta; verum arcanæ illius plurimisque invisibili scientiæ idcirco circumdata, ne profanis fierent pervia quæ sacratissima sunt, solisque veris ac legitimis Divinitatis amatoribus aperta paterent : quippe qui puerilem omnem sensum atque imaginem, sacra signa discutiendo, deponerent, ac simplicitate animi et contemplativæ ratione virtutis, ad simplicem illam atque omnino mirabilem ac supereminentem signorum veritatem penetrare sufficerent. Et hoc præterea operæ pretium est animadvertere, duplicem esse theologorum traditionem : arcanam alteram ac mysticam, alteram vero manifestam atque notiorem ; et alteram quidem significativam ac perficientem, alteram vero sapientiæ esse studiosam ac demonstrativam. Connexum vero intextumque est effabili, quod dici non potest. Atque illud quidem persuadet, colligit ac confirmat veritatem ; hoc autem agit, atque indocibilibus occultisque docendi modis conciliat collocatque in Deo. Ne in ipsa quidem sanctissimorum sacramentorum celebratione, sancti illi nostræ seu legalis traditionis magistri, divinis atque honestissimis abstinuere signis. Sed et ipsos quoque sanctissimos angelos divina mystice per ænigmata propalare cernimus, ipsumque Jesum in parabolis divina, per typicæ mensæ apparatum deifica mysteria tradere. Fuit enim profecto conveniens ut non modo illibata plurimis servarentur sancta sanctorum, verum ut et ipsa quoque hominum vita, quæ individua simul ac divisibilis est, pro captu et modo suo divinis cognitionibus illustrata doceretur : et impassibilis ipsius pars, ad simplices atque intimas divinarum imaginum species contuendas secerneretur ; quæ vero passibilis est, vernacule (ut ita dixerim) illiceretur una, atque ad capienda quæ sunt augustissima, præelaboratis typicorum signorum fictionibus intenderetur : cui quidem nimirum natura cognata

sunt hujusmodi ex nostris sumpta velamina. Quod indicant quicumque quum apertam et extra velamina audierint theologiam, in se ipsis imaginem aliquam fingunt, quæ illos ad dictæ theologiæ intelligentiam manuducat. Sed et ipsa mundi *R[illegible]. I, 20. Hebr. XI, 3.* visibilis fabrica, invisibilibus Dei, quemadmodum et Paulus et verax ratio docet, subsignatur. Quocirca et theologi alia quidem civiliter atque legitime, alia vero purgate et incontaminate perspiciunt; et alia humane ac medie, alia ultra humanam consuetudinem atque perficiendo, discutiunt; atque interdum quidem a visibilibus legibus, interdum vero ab invisibilibus (prout subjectis sacris Litteris et mentibus et animis congruit) docent. Neque enim historia simplici et vacua, sed vitali perfectione, subnixus est illorum omnis et per omnia sermo.

Oportet igitur et nos, omissa de hisce opinione vulgari, intra sacra signa tota intentione penetrare, neque ea debito honore privare, quum sint divinarum figurarum germina, expressiones atque formæ, ac secretissimorum excellentiumque spectaculorum evidentes imagines. Non enim sola supersubstantialia et intelligibilia ac divina lumina typicis variantur signis, sicuti quum supersubstantialis Deus ignis *Deut. IV, 24.* dicitur, et intelligibilia eloquia Dei ignita memorantur; *Ps. CXVIII, 140.* verum et intelligibilium intellectualiumque angelorum sacræ illæ distinctiones, variis formis et multiplicibus igneisque figuris describuntur. *Ps. CIII, 4.* Atque aliter ipsam ignis imaginem, quum de Deo (qui omnem intelligentiam superat) dicitur, oportet accipere; aliter, quum de intellectualibus ejus providentiis sive rationibus, aliter quoque, quum de angelis enuntiatur : ac priorem quidem illam imaginem, secundum causam, sequentem vero, secundum substantiam, tertiam, secundum participationem, atque alia aliter, sicuti digna cujusque speculatio et erudita dispositio sancit, accipere convenit ; et non temere ac passim sacra signa miscere, sed ipsa congrue causis, sive substantiis, sive virtutibus, sive ordinibus meritisve ac dignitatibus discernere, quorum etiam sunt enuntiantia signa.

Et ne modum excedamus epistolæ, ad ipsam jam propositam nobis quæstionem veniamus. Dicimus itaque, escam omnem vim habere perficiendi quos nutrit, dum imperfectum illorum atque indigentiam replet, et infirmitatem curat, vitamque custodit, et revirescere facit ac renovat, et vitalem illis jucunditatem copiamque largitur, prorsusque mæstitiæ et imperfectionis omnis expultrix, lætitiæ vero ac perfectionis indultrix est. Rite igitur sapientissima benignissimaque Sapientia divinis laudatur Eloquiis, quod mysticum craterem statuat, sacrumque ipsius propinet *Prov. IX, 2, 3.* poculum, solidiores quoque ante cibos proponens, et cum alta prædicatione, ipsam desiderantes benignissime invitans. Duplicem ergo divina Sapientia proponit escam, solidam alteram atque durabilem, alteram liquidam et quæ profunditur. In cratere quoque providentissimæ benignitatis suæ gratiam copiamque largitur. Crater enim rotundo et patulo ore quum sit, providentiæ omnium (quæ initio et fine caret, patensque et explicita, omnia ambit et continet) signum profecto est. Verum quoniam et ad omnia prodiens, in se ipsa manet, subsistitque in immobili identitate sua, neque prorsus a se ipsa discedit, stabiliter firmiterque locata ; ipse quoque

Prov. IX, 1 et seq. craterem stare memoratur. Ædificare autem sibi domum Sapientia dicitur, et in ipsa solidos cibos et pocula crateremque proponere, ut omnibus divina digne conjicientibus perspicuum sit illum esse perfectam providentiam, qui omnibus, ut sint ac bene sint, auctor est et causa, et procedit ad omnia, et in omnibus fit, et omnia continet. Atque idem rursus in eadem per eminentem excellentiam, nihil in nihilo secundum ullum est; sed excipitur ab omnibus, ipse in se ipso identidem ac sempiternæ subsistens et stans et manens, semperque eodem modo ac similiter se habens. Et nequaquam extra se fit, neque a sede propria et immobili mansione atque substantia deficit; verum et in ipsa providentiæ suæ integra perfectaque bonitate cuncta disponit. Et procedit ad omnia, et in se ipsa manet; et stat semper atque movetur, et neque stat neque movetur : sed providentiæ (ut ita dixerim) officia et actiones, dum stat immobilis, peragit; atque dum providet, in sua illa stabilitate, divinæ ratione naturæ, omnino mirabiliter manet.

Sed enim, dixerit quispiam, quis solidus est et quis liquidus cibus? Hujusmodi enim benigna Sapientia largiri simul ac providere laudatur. Arbitror itaque solidum cibum, intellectualis perseverantisque perfectionis atque identitatis significationem præferre, per quam intellectuales illi sensus, secundum stantem ac potentissimam et singularem individuamque scientiam, divina participant, quibus
Hebr. V, 14. beatissimus Paulus solidi veraciter cibi a Sapientia accepti, consortium et participium tradit. Porro liquidum cibum, inundantiam illam large manantem atque ad omnia prodire festinantem, sed adhuc per varia et plurima atque dividua, ad simplicem et fixam atque constantem Dei scientiam, eos quos alit, pro captu ac modo singulorum, bonitate præcipua manuducentem, signare certum est. Idcirco divina ac spiritualia Eloquia, et rori et aquæ et lacti et vino ac melli merito assimilantur, quod et vivificandi atque fecundandi veluti in aqua, et ad incrementum perducendi ut in lacte, et recreandi ut in vino, et purgandi simul atque conservandi velut in melle, habeant vim. Hæc enim Sapientia divina accedentibus ipsis præstat affluentiam, indeficientium dapum inundantiam largiens, superemanans atque supereffundens. Istud nempe veraciter epulari est; atque ideo vivificans simul, et parvulos nutriens et renovans atque perficiens celebratur.

Juxta hanc nempe sacram convivii expositionem, et ipse bonorum auctor omnium Deus inebriari perhibetur, propter plenissimam et quæ omnem intelligentiam superat, divinæ epulationis, sive (ut verius loquar) bonitatis, perfectissimam atque ineffabilem immensitatem. Sicut enim nostro more in deteriorem partem ebrietas capitur, estque repletio immodica, per quam et mente et sensu excidimus; ita et in Deo, meliorem in partem accipiendo, ebrietas nihil aliud quam plenissima bonorum omnium immensitas quæ in ipso secundum causam præexsistit, intelligenda est. Sed et illum qui ebrietatem comitatur, excessum sensus atque sciendi, Dei excellentiam, quæ omnem refugit intellectum, accipi oportet : per quam excipitur ab intelligendi ratione, quum ea sit excellentia ut intelligere atque intelligi ipsumque esse transcendat. Ac simpliciter omnia quæcumque sunt bona inebriatus esse

atque excedere dicitur Deus, quippe qui eis omnibus, immensitatis totius eminentia, et plenissimus est, et rursus extra omnia et ultra omnia segregatus. Ex his igitur admoniti, Sanctorum quoque in regno Dei sacra convivia eadem ratione suscipiemus. Transiens enim, inquit Rex ipse, faciet illos discumbere, et ipse ministrabit eis. (*Luc.* XII, 37.) Insinuant enim ista communem quamdam Sanctorum in divinis bonis concordemque lætitiam, et consentientem societatem, et Ecclesiam primitivorum, (*Hebr.* XII, 23.) qui descripti sunt in cœlis, ac justorum spiritus bonis omnibus consummatos et omnium virtutum plenos, totiusque beatitudinis participatione felices. Porro discubitum illum, requiem ex multis laboribus, et inviolabilem vitam, conversationemque divinam in lumine ac regione viventium omni sacra jucunditate repletam, uberrimorum ac beatissimorum bonorum affluentissimam largitatem, significare putamus, per quam lætitiæ totius plenitudo tribuitur. Hoc profecto lætari est auctore Jesu, qui illos et recumbere facit, et illis ministrat, æternamque requiem donat, ac bonorum omnium largissime distribuit copiam.

Pergens * autem inquirere, non fallor, si et laudatissimum illum Dei somnum et evigilationem explicare pergimus *. (* Perges; * explicemus) Et postquam divinum dixerimus somnum, esse Dei illam excellentiam exceptam a creaturis omnibus, et nulli communicabilem ex iis quæ providentiæ ratione gubernantur; evigilationem vero, attentionem ipsius ad eorum providentiam qui disciplina vel salute indigent : continuo transibis ad alia theologica signa. Idcirco superfluum esse arbitrati, eadem eisdem de rebus replicando, alia videri dicere, simulque nostri rationem habentes, et quid ratio sibi poscit, hic finem epistolæ facimus, quum plura etiam (ut reor) persolverimus, quam litteris tuis deberemus. Ipsam vero nostram Significativam theologiam integram mittimus, in qua una cum Sapientiæ domo, columnas quoque septem elucidatas invenies, et solidum ipsius cibum in victimas panesque divisum; quæ sit etiam vini commixtio, quæ item crapula ex Dei ebrietate proveniens. Et ipsa etiam quæ modo diximus, in ea latius tractata reperies. Est enim, ut reor equidem, omnium significativarum theologiarum inventrix optima, et sanctarum Scripturarum sacris traditionibus ac veritatibus congruens.

ARTICULUS XIX

EXPOSITIO INITII HUJUS EPISTOLÆ NONÆ, QUÆ EST AD TITUM : CUR NECESSARIUM SIT, EA QUÆ DE DEO SYMBOLICE DICUNTUR, EXPONERE.

S*ANCTUS quidem Timotheus, o honestissime Tite, nescio an aliquid scripserim de theologicis signis, cujus ille ignarus abscesserit :* id est, « o Tite » virtutum probitate clarissime, « Timotheus sanctus », ad quem scripsi prælibatos quatuor libros (et alios quosdam quos non habemus), didicit a me tanta « de theologicis signis », id est de significatione symbolorum, seu figuralium re-

rum, per quæ Deus in Scripturis figuraliter seu metaphorice designatur, quod « nescio an aliquid scripserim » tibi, « cujus » Timotheus ille « absconderit » « studio et lectione eorum quæ sibi scripsi, » ignarus ». Docuit namque Timotheum Dionysius per scripta, et interdum forsan per verba vocalia. Hinc subditur : *Ceterum in Significativa*, id est Symbolica, *theologia, omnia illi quæ in divinis Litteris de Deo indigne dici plerisque videntur, dilucidationibus enuntiare* curavimus* ; ut dum in Scripturis Deo attribuuntur ira, furor, crapulatio, expergefactio.

Nam absurditatem profecto maximam imperitis ac rudibus animis imprimunt arcanæ illius sapientiæ patres, id est auctores sacræ Scripturæ, *quando per obscura quædam ænigmata*, id est per signa materialia et vilia et indigna, *divinam illam plenamque mysteriis ac profanis inaccessam*, id est superstitiosis et immundis hominibus ignotam, *veritatem enuntiare producunt**, id est, divinam et increatam veritatem, seu sacræ Scripturæ sapientiam, manifestare conantur : quod imperitis præsumptuosum videtur. *Atque ex eo factum est*, id est, ob hoc contingit, *quod* plerique divinorum mysteriorum verbis difficile credimus*. Hoc B. Dionysius dicit in persona imperfectorum, quibus indignum indecensque videtur quod divina secreta, quæ vere præstantissima et spiritualia sunt, per corporalia et infima describantur : quod cur fiat, in expositione angelicæ hierarchiæ expressum est.

Ea enim cum adhærentibus sibi tantum vernaculis et carnalibus signis adspicimus, id est, divina et mystica illa consideramus, non pure in se, sed ut involuta sensibilibus symbolis « adhærentibus sibi », id est, quæ in ipsa eorum manifestatione et descriptione ipsis adhibentur et applicantur, suntque vernacula, id est ministratoria ad spiritualia intelligenda, quia ex corporalibus manuducimur ad spiritualia et divina : *quum his demtis, quæ in se ipsis nuda atque ad puraque liquida intueri debeamus*, id est, dum ad divinorum mediocrem notitiam pervenerimus, tunc materialia et indigna ista removemus et abnegamus ab ipsis ; sicque divina illa « in se ipsis » pure et nude conspicimus, quantum in hac vita nobis possibile est, et prout in anagogica et mystica contemplatione fieri potest, nondum tamen clare per speciem sicut in patria. Hinc constat, verba illa frequenter præhabita, Impossibile est aliter nobis lucere divinum radium, intelligenda esse quoad primam talium instructionem atque notitiam. Quod consequenter exemplariter declaratur. *Ita enim vitæ fontem digna demum veneratione prosequimur*, id est, sic reverentialiter dicimus et monstramus Deum esse fontem, *si hunc in se ipsum fundi et in semetipso stare videamus*, id est, si perpendamus quod Deus intra se emanatione interna diffundat et communicet se, et nihilo minus in se æternaliter stet et quiescat. Imo et in emanatione ad extra, quietissimus manet in se. Sed et intra se propria opulentia ac munificentia quasi fluere perhibetur, quemadmodum fons purus ac plenus infra alvei sui ripas. *Atque unam quamdam vim simplicem, se moventem, per se operantem seque ipsam non deserentem intelligamus* : id est, si vere fontem illum divinum æternum, « intelligamus » esse « simplicem » et immaterialem quamdam virtutem, « se moventem », id est, ex propria bonitate immobiliter transeuntem in actum, aliunde non inductum nec motum, propria quoque virtute « operantem ». Idcirco est primum agens, et omnium fons bonorum, qui suam bonitatem aliis communicando non deserit se, sed invariabiliter et incommiscibiliter perfectus et totus manet in se. Non sic fons corporalis, cujus aliquid exit ab eo, et desinit esse in ipso : et quantum ad hoc, fons deserit semetipsum, nec manet jugiter fons idem numero, sicut nec eadem flamma candelæ.

Scientiarumque omnium scientiam es-

Cf. c. XV, pag. 31 D.

* [illegible]

* [illegible]

* [illegible]

se ac semper se ipsam per se ipsam intueri fateamur, id est, si recognoscamus Deum esse « scientiam scientiarum » per causam et excellentiam, sicut dicitur rosa flos florum. Unde et in Ecclesiastico asseritur : Fons sapientiæ verbum Dei in excelsis. Alibique dicitur : Deus scientiarum Dominus est. Est autem Deus in se ipso scientia increata, in qua idem sunt sciens et scientia et res scita seu scitum. Hinc « semper », imo æternaliter, scientia illa « se ipsam per se ipsam » cognoscit, utpote reditiva perfectissime super se ipsam. Idcirco in libro de Causis propositione quintadecima fertur : Omnis sciens qui scit essentiam suam, est rediens ad essentiam suam reditione completa.

Eccli. I, 5. *I Reg.* II, 3.

Porro alia translatio habet : Per se mobilem. Et dicit Albertus, quod translator transtulit male, videlicet mobile, pro motivo. Quæ reprehensio sonat inepte, quum supra frequenter patuerit quod S. Dionysius more Platonis sæpius dicat Deum moveri, id est in actum procedere : sicut et primo capitulo Angelicæ hierarchiæ, Omnis (inquit) illuminatio Patre moto, etc. Alibi quoque de increata Sapientia legitur : Omnibus mobilibus mobilior est sapientia. Et loco hoc Theologus ait Deum esse vim simplicem, se moventem : ergo movet se ipsum, et ita movetur a se.

Sap. VII, 24.

Præterea circa hæc affirmat Albertus, illud in Numeris scriptum de Moyse, Palam et non per ænigmata et figuras videt Deum : esse intelligendum de altissima contemplatione vitæ præsentis. Verumtamen Augustinus in libro de Videndo Deum, protestatur hoc esse intelligendum de clara visione divinæ essentiæ in se ipsa. Propter quod addit ibidem, quod Moyses in hac vita vidit Deum per speciem, sicut et Paulus in raptu suo usque ad tertium cœlum : prout Thomas hoc ipsum allegat et affirmat multoties.

Num. XII, 8. *II Cor.* XII, 2.

ARTICULUS XX

DE ALIQUIBUS SYMBOLIS DIVINIS EORUMQUE SIGNIFICATIONIBUS IN COMMUNI.

OPORTERE igitur existimavimus a nobis tum tibi tum ceteris, omnigenas formas exponi*, id est, expediens arbitramur ut exponamus tam tibi quam aliis Christifidelibus, aut etiam nondum conversis ad fidem, ne per corporalia illa Deo adscripta retrahantur a fide, « omnigenas formas », id est omnium corporalium rerum figuras et species, *quæ de Deo sacratissime, symbolice signanterque* finguntur*, id est, purissima intentione ac sanctissima ratione, et notanter seu significative Deo attribuuntur, et de ipso in Scripturis formantur, imo in Prophetarum visionibus imaginariis sunt formatæ, prout Osee Dominus loquitur : Ego multiplicavi visiones, et in manibus Prophetarum assimilatus sum. Unde ad Hebræos inducitur : Multifarie multisque modis olim Deus loquens patribus in Prophetis.

* quum illi. * significanterque. *Osee* XII, 10. *Hebr.* I, 1.

Namque exteriora velamina, id est corporalia illa figuramenta seu symbola, *perquam*, id est valde, *sane multa indignitate*, id est inconvenientia, *plena sunt*, si corporaliter intelligantur, *quæ ad instar effecta prodigii, minus probabilia videantur*, id est, « quæ » formata ad similitudinem rei valde mirandæ, dum immaterialissimo Deo attribuuntur, « videantur », id est apparere forsitan possint alicui, non satis « probabilia ».

Puta, quum in supersubstantiali illa divina generatione ventrem Dei Deum

corporaliter gignere fingunt : id est, dum auctores Scripturæ « fingunt », non more poetico fictitio inani, sed sapientialiter ex inspiratione divina formant, « in generatione » incomprehensibili et æterna « ventrem », ac per hoc « Deum » quasi « corporaliter » generare, insinuare videntur, sicut in Psalmo : Ex utero ante luciferum genui te. Ps. cix, 3.

Verbumque in aere ex corde viri illud eructantis profundi, et Spiritum ex ore spirantis prodire, describunt : id est, patres sancti docuerunt et in scriptis reliquerunt, « Verbum », id est Unigenitum Dei, « profundi », id est, nasci, ex mente seu intellectu Dei Patris, « in aere », id est, quasi ex ore proferentis exiret ac sonaret in aere, secundum illud Psalmi :
Ps. xliv, 2. Eructavit cor meum verbum bonum. Sic quoque describunt « et Spiritum prodire » quasi « ex ore spirantis », juxta illud Psal-
Ps. xxxii, 6. mi : Spiritu oris ejus omnis virtus eorum.

*Ac sinus Dei Patris corporeo more Filium ulnis complectentes**, *nobis cum laude prœnuntiant*, id est, commendant « nobis » quasi corporale gremium « Dei Patris » amplexantis quasi tenellum adhuc « Filium » suum in proprio sinu, ut quum
Joan. i, 18. narrat Joannes : Unigenitus Filius qui est in sinu Patris, ipse enarravit.

* complectentis

Sive quum ista simplicissima et divina per inferiora quælibet et quæ humo prodeunt, id est per terræ nascentia, *signant, atque quum arbores quasdam et virgulta et flores radicesque producunt*, quemadmodum in Ecclesiastico summa Sapien-
Eccli. xxiv, 23, 22. tia : Ego, inquit, quasi vitis fructificavi, ego quasi terebinthus. *Sive quum inundantes aquarum fontes, aut splendorum lucis productiones generationes, seu alias qualibet descriptiones (quæ supersubstantialia multiplicis theologiæ sacramenta dignissime reserent) ponunt* : id est, quum patres introducunt fontes et fluvios copiosos, et clariores luminosioresque transfusores sensibilium luminum ex quibus abundantia fulgoris diffunditur, aut similes materiales formationes, ad reserandum dignius quo queant supersubstantialia secreta « theologiæ » (quæ multiplex est in suo processu, efficacia et virtute), ut sunt mysteria emanationum divinarum ad intra et supersubstantialissimæ Trinitatis. Sic etenim in Ecclesiastico habetur : Ego Sa-
Eccli. xxiv, 40, 41. pientia effudi flumina, ego quasi trames aquæ immensæ, ego quasi fluvius Dorix.

Item quum intelligibilibus Dei providentiis, aut donis, id est muneribus gratiæ *aut enuntiationibus**, id est sermocinationibus, *aut virtutibus, aut proprietatibus* quas indidit rebus, *aut vocabulis**, *aut mansionibus* quibus dicitur in creaturis aliquibus habitare, *aut processibus* in suis effectibus, *aut discretionibus*, id est, differentiis quibus ab invicem distinguuntur, *aut conjunctionibus* quibus communicant, *humanam Deo affigunt** *formam*, id est, Deum in specie hominis dicunt apparuisse, ut in Ezechiele : Su-
Ezech. i, 26. per similitudinem throni, similitudo quasi hominis ; *et formas ferarum et aliorum animalium*, ut in Osee : Occurram eis qua-
Osee xiii, 8. si ursa raptis catulis, dirumpam interiora eorum, et consumam eos ut leo ; *et** *plantarum*, ut in Ecclesiastico : Quasi cinna-
Eccli. xxiv, 20. momum et balsamum ; *lapidumque varias species*, ut in Apocalypsi. Apoc. xxi, 18-21.

* nuncupationibus.
* locutionibus
* effingunt
* ac

*Et mundum** *illi muliebrem*, id est ornatum femineum, videlicet in specie sponsæ, *aut barbaricas armorum facies** *applicant*, ut in Isaia : Indutus est vestes ul-
Is. lix, 17. tionis. *Et* † *creatum figuli seu fornacem** *veluti opifici vulgari attribuunt*, id est figulariam aut fusoriam formam ; *et equos illi et currus sedesque substernunt*, describendo eum quasi sedentem in quadriga aut equo, ut in Psalmo : Currus Dei
Ps. lxvii, 18. decem millibus multiplex. *Ac dapes quasdam veluti coquorum commentis et arte conficiunt*, describendo eum ut lautissime epulantem, ut in Psalmo : Inebriabuntur
Ps. xxxv, 9. ab ubertate domus tuæ, etc. *Bibentemque et ebrium ac dormitantem crapulaque distentum dicunt*, ut : Excitatus est tanquam
Ps. lxxvii, 65. dormiens Dominus, tanquam potens crapulatus a vino.

* ornatum
* instructuras
* et vasorum fictoriam seu conflatoriam

Quid memorem iras, dolores, omnimoda juramenta, pœnitentias, maledicta, furores, multimodas item obliquasque frustratarum promissionum rationes? id est, quid necesse est jam allegare ac recitare ad plenum, qualiter legitur Deus in Scripturis iratus, dolens, jurans, pœnitens, maledicens, varias quoque causas ob quas Deus non implevit quæ populo Israeli, David regi et Patriarchis promiserat, quod scilicet terram Chanaan, regnum et posteritatem daret eis in sempiternum? quod sub conditione fuit intelligendum, nisi scilicet peccando obicem ponerent. Ad hæc singula possent copiose auctoritates allegari, nisi brevitati esset studendum. *Giganteam illam in Genesi expugnationem, quando viris illis potentibus ex metu dicitur insidiari, idque quum ædificium illud non pro aliorum injuria, sed pro salute sua molirentur?* id est, quid jam opus est memorare quemadmodum Deus in Genesi describitur, quasi timens, insidiaturus gigantibus et eorum adjutoribus qui cœperunt Babylonicam construere turrim, non in aliorum perniciem, sed pro sua conservatione a diluvio si iterum inundaret, seu consimilibus malis, et ut eorum perseveraret memoria? Unde ut in Genesi legitur : Descendit Dominus ut videret turrim, etc. (*Gen.* XI, 5 *et seq.*)

Consilium quoque illud quid referam, A *adversus Achab fraude ac deceptione capiendum, in cœlo concinnatum?* de qua re legitur tertio Regum, ubi Michæas propheta fatetur Deum dixisse : Quis decipiet Achab regem Israel? etc. (III *Reg.* XXII, 20 *et seq.*) Quæ historia speciales continet difficultates, et ibidem diligenter ac plane exposita est. *Quid item Canticorum carnales ac adamatorios meretriciosque quamplurimos affectus?* id est, quid opus est illos referre affectus, qui carnales valde videntur, quum tamen in veritate sint spirituales maxime ac interni?

B *Et quæcumque* alia, fictio,* id est formatio, *divina, quæ cuncta præsumit, inseruit* sacra et visibilia signa,* id est, quæ omnia « signa sacra et visibilia » confidenter assumpsit et « inseruit » Scripturis formatio illa, *occultis obducta,* id est secretis sensibus obscura, *et in multitudinem excrescentia,* quoniam multa sunt valde, *singularibusque et individuis,* id est, diversis personis quæ in Canticis introducuntur, conveniunt diversimode. Propter quod subditur : *quæ divisionem admit-* C *tunt,* id est, discretionem et differentiam inter se habent, ideoque diversis diversa competunt, *et figurativa atque multiformia iis quæ formam figuramque non capiunt,* id est, significativa ac multiformiter declarativa sunt invisibilium rerum ac proprietatum, in quibus non est forma sensibilis neque forma materialis.

* quæque

* sacris audacius inseruit, atque effinxit

ARTICULUS XXI

QUARE DIVINA TRADANTUR IN SYMBOLIS SENSIBILIBUS ; ET DE DUPLICI THEOLOGIA.

QUORUM profecto si quis intueri possit intimum secretumque decorem, mystica esse omnia et divina mirabitur, atque ingenti theologiæ lumine plena : id est, si quis desuper illustratus intellexerit interiorem et abditum decorem figurativorum illorum, vel potius rerum figura- D tarum per ea, « mirabitur », et cum admiratione contemplabitur omnia illa esse « divina », ac luce sapientiæ redundantia atque flagrantia.

Neque enim putandum est visibilia signa, id est corporalia symbola, *sui causa esse* conficta,* id est adinventa, formata et

* fuisse

introducta principaliter propter ea quæ, vel ob dignitatem propriam eorumdem. *Totam arcanæ illius plurimisque invisibilis scientiæ idcirco circumdata*, id est, symbola illa sunt circumvoluta et superexpansa secretæ et puræ scientiæ veritatis theologicæ, quæ majori hominum parti est incognoscibilis, *ne profanis fierent pervia*, id est, ne indignis et carnalibus perfidisve paterent (juxta illud : Nolite sanctum dare canibus, etc.), *quæ sacratissima sunt*, utpote supernaturalia et divina; *solisque veris et legitimis Dei** amatoribus, quorum caritas sanctis actibus decoratur, *aperta paterent* : *quippe qui puerilem omnem sensum atque imaginem*, id est, carnalem intellectum ac sensibilem formam imaginationemque fœdam, *sacra signa discutiendo*, id est significationem eorum scrutando, *deposuerent*, *ac simplicitate animi*, id est immateriali acumine mentis, *et contemplativæ rationis virtute*, id est intellectu sapientiæ salutaris, *ad simplicem illam atque omnino mirabilem ac supereminentem signorum veritatem penetrare sufficerent*, id est, idonei essent perspicere et intueri divinas et supernaturales sincerissimas veritates per sensibilia symbola designatas, puta anagogicos sensus.

Matth. VII, 6.

* Amatoribus.

Et hoc præterea operæ pretium est animadvertere, duplicem esse theologorum traditionem, id est bipartitam doctrinam de Deo : *arcanam alteram ac mysticam*, id est unam secretam et per abnegationes et per symbolica signa ; *alteram vero manifestam atque notiorem*, id est per affirmationes et per propria : de qua in libro de Divinis nominibus.

Et alteram quidem significativam, quia per symbola quibus utitur, aliud significatur quam quod verba sonant. In ea quippe sensus litteralis est, non qui prima facie significatur per verba, sed qui significatur per res et rerum proprietates significatas per verba, sicut in libro Judicum : Ierunt ligna ut ungerent super se regem. « Et alteram quidem », scilicet symbolicam theologiam, esse « significativam » per signa sensibilia, per quæ significat immateriales virtutes et proprietates, ut quum Deus vocatur petra, agricola, leo, *ac perficientem* studiosum ad eam cognoscendam, dum veritatem in ea velatam et occulte contentam intelligit. *Alteram vero*, id est theologiam intellectivam proprie dictam, *sapientiæ esse studiosam*, id est circa divina et intelligibilia directe intentam, *ac demonstrativam*, id est veritatis sinceriter ostensivam : ut quum Deus dicitur essentia, sapientia, bonitas, veritas, vita.

Judic. IX, 8.

Commixtum vero intertumque est effabili, quod dici non potest, id est, theologicum dogma, quod quantum ad aliqua indicibile et incomprehensibile est, conjunctum et permixtum partim est « effabili », id est veritatibus comprehensibilibus et effabilibus. Unde et Damascenus asserit primo libro, quod divina non sunt omnia effabilia, nec omnia ineffabilia. Etenim Deum esse unum, æternum, omnipotentem, perfectum, ratione quoque ostenditur. Hinc subditur : *Atque illud quidem persuadet, colligit*, id est, rationabiliter aliqua probat efficaciterque concludit, utpote theologia proprie dicta, *ac confirmat* dicendorum *veritatem*, id est, directe de Deo designat quod ei proprie convenit ; vel signat, id est ligat et claudit, « veritatem », quoniam non valemus nunc intelligere ipsa divina secundum quod sunt pure in se. *Hoc autem*, id est symbolica theologia, *agit*, id est, scrutatur, discurrit, inquirit verum et spiritualem sensum per sensibilia denotatum, *atque indocibilibus occultisque docendi modis*, id est secretis significationibus, de quibus vix potest dari regula certa, *conciliat collocatque in Deo*, id est, conjungit nos Deo. Nam per eamdem rem interdum significantur diversa, secundum diversas ejusdem rei proprietates : quemadmodum per leonem exprimitur Christus, propter leonis fortitudinem et regiam eminentiam ; diabolus quoque, propter leonis fortitudinem.

Consequenter declarat, quod theologia connexa est et permixta modo prætacto. *Ne in ipsa quidem sanctissimorum sacramentorum celebratione*, id est nec in celebri descriptione et frequentatione sanctorum mysteriorum utriusque Testamenti, *sancti illi nostræ seu legalis traditionis magistri*, id est Christus et Apostoli ac Evangelistæ, doctores et descriptores evangelicæ legis, Moyses quoque et Prophetæ, magistri legis antiquæ, *divinis atque honestissimis abstinuere signis*, id est a sensibilibus similitudinibus et symbolis B aptis, ut constat in omnibus sacramentis.

Sed et ipsos quoque sanctissimos angelos divina mystice per ænigmata producere * *cernimus*, ut patet per imaginarias visiones Prophetarum, in quibus per corporeas imagines insinuaverunt Prophetis divina et abdita : quemadmodum Isaias vidit Dominum sedentem super solium elevatum ; Jeremias ollam succensam et virgam vigilantem ; Amos Dominum stantem super murum litum, et trullam cæmentarii in manu ipsius. *Ipsumque Jesum in parabolis divina* : Jesus enim in Evangelio multa spiritualia per signa parabolica docuit ; *per typicæ mensæ apparatum*, id est per escam et potum novissimæ suæ cœnæ, *deifica mysteria tradere*, id est Eucharistiæ sacramenta, quæ consecravit in azymo pane ac vino, quibus tunc vescebatur.

* propalare

Is. vi, 1.
Jer. i, 13, 11.
Amos vii, 7.

Fuit enim profecto conveniens ut non modo illibata plurimis servarentur sancta sanctorum, id est, ut divina et sacratissima Dei mysteria non solum præservarentur ab indigna contrectatione et carnali intellectu carnalium hominum, propter quam causam traduntur symbolis occultata ; *verum ut et ipsa quoque hominum vita, quæ individua simul ac divisibilis est*, id est, etiam ideo divinitus ordinatum et factum est hoc, quatenus vita hominum, id est anima rationalis, quæ quantum ad vires suas inferiores vel reflexas « divisibilis est », id est, organis utens et circa materialia ac divisibilia multum

A intenta, *pro captu et modo suo*, id est juxta suam capacitatem et dispositionem, *divinis cognitionibus illustrata doceretur*, per exteriora et sensibilia symbola. *Et impassibilis ipsius pars*, id est portio ejus pure intellectualis et immortalis, a corporalibus passionibus libera, *ad simplices atque intimas divinarum imaginum species contuendas secerneretur*, id est, a parte sensitiva abstraheretur et elevaretur ad contemplandum veritates et simplices formas divinalium rerum, significatas per divinas imagines, per species sacramentales et similitudines ad designandum talia institutas ; *quæ vero passibilis est*, id est pars animæ inferior, *vernacule (ut ita dixerim) illiceretur una*, id est, pariter traheretur ministerialiter per exteriora sensibilia ad superiora : ideo subditur, *atque ad capienda quæ sunt augustissima*, id est ad intelligendum divina profundissima, *præelaboratis typicorum signorum fictionibus intenderetur*, id est, confortaretur per aptas formationes et repræ- C sentationes sensibilium similitudinum ac formarum figurantium spiritualia et divina. *Tantum vim habent hujusmodi propinqua* *, id est sensibilia signa nobis connaturaliora nostroque sensui viciniora, *ex nostris sumpta velamina*, id est sacramentalia tegumenta ex sensibilibus nobis notis accepta.

* Cui quidem nimirum natura cognata sunt hujusmodi

Quod indicant, id est, designant et verum esse demonstrant, *quicumque quum apertam et extra velamina audierint theologiam*, id est theologiam puram intelle- D ctivam, non symbolicam, utpote velaminibus et symbolis non utentem, *in se ipsis imaginem aliquam fingunt*, id est, sensibilem aliquam similitudinem formant, *quæ illos ad dictæ theologiæ intelligentiam manuducat*, id est, quæ adjuvet eos ad spiritualia plenius capienda, quemadmodum exempla hujusmodi multum conferunt ad perspiciendum interiora. *Sed et ipsa mundi visibilis fabrica, invisibilibus Dei, quemadmodum et Paulus et verax ratio docet, abducitur* * : id est, mundus

* subducitur

tur sensibilia » elaborantur », id est, proponuntur homini, « invisibilibus Dei », id est pro intelligendis divinis proprietatibus Dei, hoc est ad cognoscendum per hæc opera Dei sapientiam, bonitatem, magnificentiam, omnipotentiamque illius, prout ad Romanos « docet » Apostolus, Rom. I, 20. Invisibilia (inquiens) Dei, *etc.*, ut allegatum est sæpe ; « et ratio » docet et experientia, quod per effectum cognoscitur causa.

Quæsierunt et theologi alia quidem civiliter atque legitime, alia vero purgate et incontaminate perspexerunt ; id est, quædam consideraverunt secundum leges humanas naturaleque jus, dicendo, Quod tibi vis fieri, fac alteri, et econtra ; quædam vero ad expurgationem a culpis ; ut sacramenta et sacramentalia. *Et alia humaniter* * *ac medie*, id est pure moralia, *alia ultra humanam consuetudinem atque perficiendo, discusserunt*, id est juxta tenorem supernaturalium divinarumque legum et rationum superiorum. *Atque interdum quidem a visibilibus legibus, interdum vero ab invisibilibus, prout subjectis sacris Litteris et animis et mentibus congruit, docent* : id est, theologi « docent interdum » sumendo doctrinas quas proponunt fidelibus, « a legibus visibilibus », id est humanis ac naturalibus, « interdum vero ab invisibilibus » legibus, id est divinis et supernaturalibus : docent, inquam, pro posse, quamvis vix plene, id quod « congruit Litteris sacris », id est divinis Scripturis, « et animis », id est spiritibus et mediis viribus, « et mentibus », id est viribus summis.

* humane

Neque enim historia simplici et vacua, sed vitali perfectione, subnixus est illorum omnis et per omnia sermo, id est, doctrina et prædicatio sanctorum theologorum non tantum innititur et fulcitur « historia simplici, sed » et « vitali perfectione », id est spirituali intelligentia, inflammativo eulogio, id est allegorica et tropologica ac anagogica eruditione, repletur ac flagrat.

ARTICULUS XXII

QUOMODO SYMBOLA SINT EXPONENDA.

OPORTET *igitur et nos, omissa de his opinione vulgari, intra sacra signa tota intentione penetrare*, id est, necesse est ut tota diligentia inquiramus, scrutemur et perspiciamus « intra » nos « sacra » hæc « signa », et significationes, proprietates ac vires eorum, abjecta æstimatione vulgarium, qui ea vilipendunt, *neque ea debito honore privare*, sed congrue venerari, *quum sint divinarum figurarum germina, expressiones atque formæ*, id est effectus et similitudines characterum divinorum, formati et instituti ad illa repræsentanda, *ac secretissimorum excellentiumque spectaculorum evidentes imagines*, id est expressæ similitudines mysteriorum divinorum valde abditorum, atque sublimium objectorum spiritualiumque effectuum, et illuminationum ac charismatum Spiritus Sancti in anima.

Non enim sola supersubstantialia et intelligibilia ac divina lumina, id est non solum increatæ Personæ, et divina ipsas directe concernentia, *typicis variantur signis*, id est, variis modis designantur per signa figurativa, et materialium rerum nominibus, *sicuti quum supersubstantialis Deus ignis dicitur*, ad Hebræos : Deus noster ignis consumens est ; *et intelligibilia*, id est sapientialia, *eloquia Dei ignita* Hebr. XII, 29.

Ps. cxviii, 140. *memorantur*, in Psalmo : Ignitum eloquium tuum vehementer. Salomon quoque : Prov. xxx, 5. Omnis (ait) sermo Dei ignitus est. *Verum et intelligibilium*, id est immaterialium, *intellectualiumque angelorum sacræ illæ distinctiones*, id est sancti distinctique ordines, *variis formis et multiplicibus igneisque figuris describuntur :* ut patet ex cap. xv. dictis super Angelicam hierarchiam.

Atque aliter ipsam ignis imaginem, quum de Deo (qui omnem intelligentiam superat) dicitur, oportet accipere ; aliter, quum de intellectualibus ejus providentiis sive sermonibus * (* rationibus), *aliter quoque, quum de angelis enuntiatur :* id est, ignem ejusque formam aut proprietatem oportet diversimode sumere, dum attribuitur « intelligibilibus providentiis ejus », id est donis ex sua providentia præstitis nobis, ut sunt bonitas, sapientia, vita, lumen, caritas, virtus, sermo divinus ; et dum attribuitur « angelis » : quod consequenter declarat.

Ac priorem quidem illam imaginem, secundum causam, id est, Deus dicitur ignis per causam : verumtamen etiam per similitudinem aliquam actionum, quia mentem accendit, levat, subtiliat et illustrat. Alioqui Deus posset dici lapis et terra. *Sequentem vero, secundum substantiam :* id est, aliqua bona ex providentia Dei collata, possunt ex sua natura [ignis] vocari ; *tertiam, secundum participationem :* id est, angeli ignis vocantur, quia participant ipsius ignis proprietates, et propter suæ naturæ subtilitatem, activitatem, formalitatem, atque caritatis eorum ardorem. Unde Psalmista : Qui facis angelos tuos spiritus, et ministros tuos ignem urentem. (Ps. ciii, 4.) *Atque alia aliter :* id est, alia quævis aliis rationibus appellationes tales ignis aliarumve rerum sortiuntur ; *sicuti digna cujusque speculatio*, id est vera et diligens consideratio, *et erudita dispositio sancit*, id est, sagax ordinatio statuit, *accipere convenit* signa ista sicut jam tactum est ; *et non temere ac passim sacra signa miscere,* id est non irrationabiliter symbola unius alteri attribuere, *sed ipsa congrue causis, sive substantiis, sive virtutibus, sive ordinibus meritisve ac dignitatibus discernere,* id est discrete adhibere, *quorum etiam sunt enuntiativa* * (* enuntiantia), id est significativa, *signa.*

ARTICULUS XXIII

DE PROPRIETATIBUS ALIMENTI IN GENERE ; ET DE MYSTICA SIGNIFICATIONE CRATERIS ET DOMUS SAPIENTIÆ.

E*T ne modum excedamus epistolæ,* nimium protrahendo sermonem, *ad ipsam jam propositam nobis quæstionem veniamus,* solvendo quod interrogasti a me.

Dicimus itaque, escam omnem vim habere perficiendi quos nutrit. Esca etenim corporalis conveniens, eos quos alit, confortat, auget, conservat. Ideo subdit, multos tangendo effectus alimenti corporei : *dum imperfectum illorum atque indigentiam replet, et infirmitatem curat, vitamque custodit, et revirescere facit ac renovat, et vitalem illis jucunditatem copiamque largitur, prorsusque mæstitiæ et imperfectionis omnis expultrix, lætitiæ vero ac perfectionis* requisitæ ad consistentiam bonam in corpore, *indultrix est.*

Rite igitur sapientissima benignissimaque Sapientia divinis laudatur Eloquiis, quod mysticum craterem, id est scyphum seu calicem spirituale aliquid designan-

tem, statuens in mensa Ecclesiæ, secretaque ipsius propinet poculum, id est, spiritualem potum in scypho mystico fundit, tum prius quoque solidos proponat cibos* quos prius et principaliter prioritate perfectionis, non generationis, proponit. Verum hæc infra exponuntur. *Et eos vocabat** *prædicatione, quos per se eos qui sui indigent, benignissime invitet et desiderat**. Ista ex libro Proverbiorum sunt sumpta, et possunt ex libro Sapientiæ accipi. Sapientia itaque increata sublimi prædicatione vocat ad se eos qui indigent sui, juxta illud Proverbiorum : Numquid non Sapientia clamitat in summis excelsisque verticibus, et loquitur dicens, O viri, ad vos clamito, et vox mea ad filios hominum ! In Sapientiæ quoque libro asscritur : Præoccupat eos qui se concupiscunt, etc. Quæ item in Evangelio contestatur : Venite ad me, omnes qui laboratis, et ego reficiam vos. Et ambit eos. Dominus enim in circuitu populi sui.

Prov. IX

Prov. VIII, 1-4.

Sap. VI, 14.

Matth. XI, 28.

Ps. CXXIV, 2.

Duplicem ergo divina Sapientia proponit escam, solidam alteram atque durabilem, videlicet documenta perfecta, juxta illud : Perfectorum est solidus cibus. *Alteram liquidam et quæ profunditur*, id est, ad plurimos fluit ac derivat, ut documenta ad incipientium statum spectantia. Liquidum enim seu fluidum, alieno termino coarctatur. Hinc Paulus : Tanquam parvulis in Christo lac vobis dedi.

Hebr. V, 14.

I Cor. III, 1-2.

In cratere quoque providentissimæ benignitatis suæ gratiam copiamque largitur, hoc est, in spirituali scypho seu vasculo, utpote in mensura seu dispositione ac moderamine providentiæ suæ, divina nobis impertitur charismata. *Crater quippe** *rotundo et patulo ore quum sit* : est enim superius apertus, rotundus ac latus : *providentiæ omnium (quæ initio et fine caret, patensque et explicita, omnia ambit et continet) signum profecto est* : id est per craterem ita formatum, designatur providentia Dei, quæ cuncta complectitur, estque æterna et manifesta, omnium comprehensiva et conservativa. *Verum quoniam et ad omnia prodiens*, id est, quia providentia Dei ad cuncta procedens per suam influentiam, provisionem atque multiplicem operationem, *in se ipsa manet, subsistitque in immobili identitate sua, neque prorsus a se ipsa discedit, stabiliter firmiterque locata ; ipse quoque crater*, per quem providentia figuratur, *stare memoratur*, in libro Proverbiorum, præsertim secundum aliam translationem.

Prov. IX, 2 juxta LXX.

Ædificare autem sibi domum Sapientia dicitur. Ædificavit namque militantem Ecclesiam. Unde ad Hebræos : Christus vero tanquam filius in domo sua ; quæ domus sumus nos. *Et in ipsa solidos cibos et pocula crateremque proponere, ut omnibus divina digne conjicientibus*, id est, sensum Scripturarum fideliter inquirentibus, *perspicuum sit illum esse perfectam providentiam*, id est sapientissimum provisorem, *qui omnibus, ut sint ac bene sint, auctor est et causa, et procedit ad omnia*, sine sui mutatione ac motu, *et in omnibus fit*, absque sui recenti dispositione, *et omnia continet* : sine quo nec ad momentum possent manere.

Hebr. III, 6.

Atque idem rursus in eodem, utpote in se ipso et in invariabili permanens statu, *per eminentem excellentiam*, id est per suam infinitam et incomparabilem majestatem, *nihil in nihilo secundum nihilum est* : id est, ipse Deus, qui non est aliquid entium, quia in infinitum super omne ens limitatum, est « in nihilo », id est in se ipso (vel in mundo, qui comparatione superinfiniti Creatoris, qui solus pure et simpliciter est, quasi non est), « secundum nihilum », id est secundum sui ipsius, qui prætacto modo nihil est, naturam ac eminentiam seu transcendentiam. *Sed excipitur ab omnibus, ipse in se ipso identice** *ac sempiterne subsistens et stans et manens, semperque eodem modo ac similiter se habens*, juxta illud : Tu autem idem ipse es. Qui ait per Malachiam : Ego Dominus, et non mutor.

* identidem

Ps. CI, 28.

Malach. III, 6.

Et nequaquam extra se fit, neque a sede propria et immobili mansione atque

substantia deficit ; verum et in ipsa providentiæ suæ integra perfectaque bonitate cuncta disponit. Et procedit ad omnia, et in se ipsa manet ; et stat semper atque movetur, et neque stat neque movetur. Ista frequenter præhabita sunt atque exposita. Etenim non stat situaliter, neque movetur localiter ; sed stat, invariabiliter insepa-
A rabiliterque essendo, et movetur semper, nunquam cessando a progressu in actum, neque a miseratione. Hinc expositorie subditur : *sed providentiæ (ut ita dixerim) officia et actiones, dum stat immobilis, peragit ; atque dum providet, in sua illa stabilitate, divinæ ratione naturæ, omnino mirabiliter manet.* Ista sunt plana.

ARTICULUS XXIV

QUID SPIRITUALITER SIGNIFICET DUPLEX ALIMENTUM, SOLIDUM SCILICET ET LIQUIDUM, QUOD DIVINA SAPIENTIA PROPONIT.

SED *enim, dixerit quispiam, quis solidus est et quis liquidus cibus?* Hoc restat declarandum. *Hujusmodi enim,* id est hunc duplicem cibum, *benigna Sapientia largiri simul ac providere laudatur* in Scripturis, sicut jam patuit.

Arbitror itaque solidum cibum, intellectualis perseverantisque perfectionis atque identitatis significationem præferre, id est, reor quod solidus cibus significet doctrinam internæ ac constantis et uniformis perfectionis, *per quam* doctrinam et perfectionem, *intellectuales illi sensus,*
C id est mentes contemplativæ, *secundum stantem ac potentissimam et singularem individuamque scientiam, divina participant,* id est, superna charismata sortiuntur secundum liberalitatem et imitationem scientiæ ac sapientiæ Dei, quæ vere invariabiliter est, et stat ac manet potentissima, singularis et unica ac indivisa ; *quibus* spiritualibus mentibus *beatissimus Paulus solidi veraciter cibi a Sapientia accepti, consortium et participium tradit,*
D id est, Apostolus communicat spiritualibus tanquam dignis et capacibus, participationem et communionem solidi cibi quem ipse a Sapientia æterna accepit. De
I Cor. II, 6 quibus ad Corinthios scripsit : Sapientiam loquimur inter perfectos ; et ali-
Hebr. v, 14 bi : Perfectorum est solidus cibus, eorum
B qui pro consuetudine exercitatos habent sensus.

Porro liquidum cibum, inundantiam illam large manantem atque ad omnia prodire festinantem, sed adhuc per varia et plurima atque dividua, ad simplicem et fixam atque constantem Dei scientiam, eos quos alit, pro captu ac modo singulorum, bonitate præcipua manuducentem, signare certum est : id est, constat quod liquidus cibus designet « inundantiam illam large manantem », id est, abundantiam salubris scientiæ quæ communitati proportionata est, idcirco fluit et currit ad omnes per diversa ac « plurima » hortamenta, exempla et documenta moralia, et per similitudines grossas, ad compunctionem proficuas : sicque « eos quos » spiritualiter « alit », ducit « ad scientiam » altiorem, « simplicem », stabilem et salutarem, sive in præsenti, sive in futuro, et utique ad scientiam illam quæ est donum Spiritus Sancti, quæ inest cunctis caritatem habentibus, per quam cum gustu mentali cognoscunt in rebus creatis, caducis, vanitati subjectis, statuendum non esse ultimum finem. Istudque fit « præcipua » Dei « bonitate », juxta capacitatem, modum et merita « singulorum ».

Idcirco divina ac spiritualia Eloquia, et rori et aquæ et lacti et vino ac melli

mentis assimilantur, quam in Deuteronomio scriptum est : Concrescat ut pluviam doctrina mea, fluat ut ros eloquium meum, quasi imber super herbam. Et per Ezechielem Dominus loquitur : Effundam super vos aquam mundam ; per Isaiam quoque : Repleta est terra scientia Domini quasi aquæ maris. Apostolus item : Quasi parvulis (inquit) in Christo, lac dedi. Sed in Proverbiis : Sapientia miscuit vinum. Atque in Apocalypsi : Factum est in ore meo quasi mel dulce. *Quod et vivificandi atque fecundandi veluti in aqua, et ad incrementum perducendi ut in lacte, et recreandi ut in vino, et purgandi simul atque conservandi velut in melle, habeant vim* : id est, divina Eloquia comparantur his rebus, quoniam habent « vim vivificandi » spiritualiter, quemadmodum aqua et ros vivificant terræ nascentia et aliqua sensitiva ; habent etiam vim spiritualiter augmentandi animam per profectum scientiæ ac virtutum, sicut lac nutrit et auget fetus, vimque « recreandi » et exhilarandi instar vini, vim etiam « purgandi » et « conservandi » audientes ut mel modice sumptum, quoniam immoderanter acceptum, vomitum facit.

Deut. xxxii, 2. — Ezech. xxxvi, 25. — Is. xi, 9. — I Cor. iii, 1, 2. — Prov. ix, 2. — Apoc. x, 10.

Hæc enim Sapientia divina, id est sacra Scriptura seu Sapientia increata, *indeficientis (quia præstat affluentiam), indeficientium dapum abundantiam*, id est copiam spiritualium refectionum, *largiens*, id est, illis se communicans, *superimmanens atque superefﬂuens* *, interdum copiosius influendo quam valeant sustinere aut capere. Unde Jeremias : Factus est (ait) sermo Domini in corde meo quasi ignis exæstuans, et defeci, ferre non sustinens. Hinc in Ecclesiastico : Transite (ait) ad me, omnes qui concupiscitis me, et a generationibus meis implemini. *Istud nempe veraciter epulari est*, juxta illud in Psalmo : Justi epulentur et exsultent in conspectu Dei ; in Canticis quoque : Comedite, amici ; et bibite, et inebriamini, carissimi. *Atque ideo vivificans simul, et parvulos nutriens et renovans atque perficiens celebratur* a divinis Eloquiis, id est, Sapientia divina hac ratione dicitur mentes spiritualiter vivificare, innocentes et pueros alere, renovare, perficere, juxta illud in libro Sapientiæ : Sapientia quum sit una, omnia potest, et in se permanens, omnia innovat, et per nationes in animas sanctas se transfert.

* superemanans atque superefﬂuens. — Jer. xx, 9. — Eccli. xxiv, 26. — Ps. lxvii, 4. — Cant. v, 1. — Sap. vii, 27.

ARTICULUS XXV

QUID DEI EBRIETAS, ET DISCUBITUS BEATORUM IN CŒLIS, MYSTICE DESIGNENT.

JUXTA *hanc nempe sacram convivii expositionem, et ipse bonorum auctor omnium Deus inebriari perhibetur, propter plenissimam et quæ omnem intelligentiam superat, divinæ epulationis, sive (ut verius loquar) bonitatis, perfectissimam atque ineffabilem immensitatem*. Unde in Apocalypsi : Si quis, inquit, aperuerit mihi, intrabo ad illum, et cœnabo cum illo.

Sicut enim nostro more in deteriorem partem ebrietas capitur, ebrietas videlicet corporalis (attamen ebrietas spiritualis laudatur, juxta illud in Hymno : Læti bibamus sobriam ebrietatem spiritus ; in Jeremia quoque : Factus sum quasi vir ebrius et quasi homo madidus vino, a facie Domini et a facie verborum sanctorum ejus), *estque repletio immodica*, id est non modica, *per quam et mente et sensu excidimus*, id est, usu rationis privamur ; *ita et in Deo, meliorem in partem*

Apoc. iii, 20. — Jer. xxiii, 9.

accipiendo, ebrietas nihil aliud quam plenissima bonorum omnium immensitas quæ in ipso secundum causam præexsistit, intelligenda est, id est, ab æterno fuit in Deo secundum plenitudinem suam fontalem et secundum primordialem causalitatem; non tamen solum causaliter est in Deo.

Sed et illum qui ebrietatem comitatur, excessum sensus, id est, sentiendi defectum qui sequitur corporalem « ebrietatem », *atque sciendi, Dei excellentiam, quæ omnem refugit intellectum, accipi oportet*, id est incomprehensibilitatem ipsius : *per quam excipitur ab intelligendi ratione, quum ea sit excellentia*, id est, quia ista est excellentia Dei, *ut intelligere* quod dicitur, *atque intelligi ipsumque esse transcendat*, id est, quod Deus excedit omnium cognitionem activam et passivam, ac omnium esse. *Ac simpliciter omnia quæcumque sunt bona inebriatus esse atque excedere dicitur Deus*, id est, omni bonitate et perfectione simpliciter dicta superplenissimus est, cunctisque plenior infinite, *quippe qui eis omnibus, immensitatis totius eminentia, et plenissimus est*, imo potius est ipsa plenitudo et eminentia finem non habens, *et rursus extra omnia et ultra omnia segregatus*, id est, nullo exclusus, et omnia infinite excedens.

Ex his igitur admoniti, Sanctorum quoque in regno Dei sacra convivia eadem ratione suscipimus *, id est, spiritualiter esse intelligenda approbamus ea quæ in Scripturis dicuntur de epulis et refectionibus Beatorum in patria. *Transiens enim, inquit Rex ipse*, id est Christus Rex regum, in Evangelio, *faciet illos discumbere, et ipse ministrabit eis*. Sic namque in Luca legitur : Amen dico vobis, quod præcinget se, etc. Luc. xii, 37.

* suscipiemus

Insinuant enim ista communem quam- A *dam Sanctorum in divinis bonis concordemque lætitiam, et consentientem societatem*, id est, ista quasi corporaliter dicta, spiritualiter et anagogice denotant quod Beati inter se et cum Deo inviolabiliter sunt concordes, ac solo Deo universi inavertibiliter perfruuntur, ac invicem dulciter sibi congaudent de omni felicitate et gloria sua ; *et Ecclesiam primitivorum, qui descripti sunt in cælis, ac justorum spiritus bonis omnibus consummatos :* ista ex epistola ad Hebræos sumpta sunt, et Hebr. xii, 23. B designant cives cœlestes esse, quorum nomina scripta sunt in cœlis ; *et omnium virtutum plenos, totiusque beatitudinis participatione felices*, ita quod beatitudo unius redundat in alium, imo universorum et singulorum in universos et singulos.

Porro discubitum illum, requiem ex multis laboribus, et inviolabilem vitam, conversationemque divinam in lumine ac regione viventium omni sacra jucunditate repletam, uberrimorum ac beatissimorum bonorum affluentissimam largitatem, C *significare putamus, per quam lætitiæ totius plenitudo tribuitur :* id est, existimamus quod in verbis illis Christi, per accubitum intelligenda sit beatifica requies electorum, qui in cœlis plene et sine fine quiescunt ab omni labore, afflictione, inquietudine et dolore vitæ præsentis, et dicunt : Laqueus contritus est, et nos liberati sumus ; Ps. cxxiii, 7. itemque : Lætati sumus pro diebus quibus nos humiliasti ; Ps. lxxxix, 15. et rursus : Ubi est, mors, victoria tua? Et habent in se omnia genera condecentium I Cor. xv, 55. D voluptatum. *Hoc profecto lætari est auctore Jesu, qui illos et recumbere facit, et illis ministrat, æternamque requiem donat, ac bonorum omnium largissime distribuit copiam*, id est, Christo exsistente Beatis « auctore », id est causa, tantæ lætitiæ ac salutis.

ARTICULUS XXVI

DE DEI SOMNO ET EVIGILATIONE ; RESIDUIQUE HUJUS EPISTOLÆ EXPOSITIO.

PERGENS *autem inquirere*, *non fallar*, id est, non erro mente pergendo ad inquirendum, *et et laudatissimum illum Dei somnum et evigilationem explicemus*, id est, exponamus quid dignissimus Dei somnus evigilatioque significent. *Et postquam divinum dixerimus*, id est exposuerimus, *somnum*, *esse Dei illam exsolutionem exceptam a creaturis omnibus*, id est præeminentem cunctis creatis, *et nulli commiscibilem ex his quæ providentiæ ratione gubernantur*, id est nulli creaturæ commiscibilem aut essentialiter communicabilem, quæ gubernatur censura providentiæ omnipotentis, qua in se ipso separatissime et tranquillissime quiescit ; *evigilationem vero*, *attentionem ipsius*, id est, expergefactionem Dei dixerimus esse « attentionem ipsius », qua intentus est *ad providentiam salubrem eorum qui correctione*, *salute liberationeve egent* * ; *continuo transibis*, id est, animum transferes, *ad alia theologica signa*, id est, ad considerationem aliorum symbolorum quæ in Scripturis attribuuntur rebus spiritualibus ac divinis.

* [illegible]

Idcirco superfluum esse arbitrati, *eadem eisdem de rebus replicando*, *alia videri dicere* : id est, judicantes hoc, « esse superfluum videri », id est, quod videamur, « dicere alia », dicendo « eadem de rebus eisdem », quia hoc verbosum, « replicando », id est repetendo eadem verba aut documenta de rebus eisdem, nisi forsan cum additione et pro explanatione clariore ; *simulque in his quæ sunt honesta nobis*, id est, in his quæ decent nos, *obtemperare decernentes* *, id est, tuis petitionibus pro posse satisfacere et acquiescere definientes, *hic finem epistolæ faciemus*, *quum plura etiam (ut reor) perstrinxerimus*, id est, ad plura responderimus, *quam litteris tuis*, id est scriptis et quæstionibus vestræ epistolæ, *deberemus* debito condecentiæ.

* [illegible]

Ipsam vero nostram Significativam theologiam integram mittimus, id est, librum quem de symbolica theologia edidimus, tibi caritative destinamus, *in qua una cum Sapientiæ domo*, *columnas quoque septem elucidatas*, id est spiritualiter expositas, *invenies* : de quibus in Proverbiorum libro : *et solidum ipsius*, scilicet Sapientiæ, *cibum in victimas*, id est hostias, *panesque divisum* ; *quæ sit etiam vini commixtio*, id est, quid designet. Unde Sapientia loquitur : Bibite vinum quod miscui vobis. *Quæ item crapula ex Dei ebrietate proveniens*. *Et ipsa etiam quæ modo diximus*, id est in ista epistola, *in ea*, id est Symbolica theologia, *latius*, id est diffusius, *tractata reperies*.

Prov. IX.

Ibid. 5.

Est enim, *ut reor equidem*, *totius significaticæ theologiæ* *, quæ multiplex est, *inventrix optima* : id est, certe (ut sentio) Theologia symbolica quam tibi jam mitto, « est inventrix » valde bona « totius » theologiæ « symbolicæ » quæ in tota Biblia continetur : quia ex dictis et contentis in libro nostro de symbolica theologia, patet faciliter intellectus illorum quæ in speciali prosecuti non sumus, quæ tamen hinc inde contenta sunt in Scripturis. Denique symbolica theologia, quæ est una et simplex in generali, multiplex est et diversa in speciali. Hæc demum nostra Symbolica theologia *et sanctarum Scripturarum sacris traditionibus*, id est doctrinis catholicis, *ac veritatibus congru-*

* omnium significativarum theologiarum

ens, id est, consona est tam testimoniis Scripturarum ac fidei, quam veritatibus scientiæ naturalis, quia ex notitia proprietatum naturalium rerum, multum accipitur ac dependet doctrina et elucidatio symbolicæ theologiæ. Propter quod asserit Augustinus : Notitia naturalium proprietatum pandit abdita Scripturarum.

TRANSLATIO JOANNIS SCOTI

SANCTUS quidem Timotheus, o bone Tite, nescio an quid cognitorum mihi theologicorum symbolorum recessit relinquens : sed in Symbolica theologia bene discrevimus ei, omnes Eloquiorum de Deo æstimationes esse multis monstruosas. Etenim inconsequentiam contaminatam extergentes imperfectionibus animarum, quandocunque arcanæ sophiæ patres per quædam occulta et audacia ænigmata manifestant divinam et mysticam et inviam immundis veritatem, propterea non credimus multi de divinis mysteriis rationibus. Contemplamur enim solummodo ea cum connaturalibus nobis sensibilibus symbolis. Oportet autem et exuentes ea, in semetipsis nuda et pura facta videre. Sic enim contemplantibus apparerent quidem, fontem vitæ in se ipsum fusum et in se ipso stantem videntes, et unam quamdam virtutem simplam, et per se ipsam motam, per se ipsam operantem, se ipsam non deserentem, sed scientiam omnium scientiarum subsistentem, et semper per se ipsam contemplantem.

Ps. xxxv, 10; *Eccli.* i, 5.

Oportere igitur et ipsi et aliis apud nos æstimavimus, quantum possibile esset, replicare variabiles deformitates de Deo symbolicæ sacræ figurationis. Quod enim extra eam, hoc omni repletur incredibili et fictiformi monstruositate, utpote : in superessentiali quidem divina generatione, ventrem Dei corporaliter Deum gignentem reformantis, et verbum in aera profusum ex corde virili eructante ipsum, et spiritum exspiratum ab ore describentis, et sinus Deo fecundos gremio gestantes Deum Filium corporaliter nobis laudantis; aut plantatim hæc figurantis, et arbores quasdam et fructices et flores et radices præmittentis; aut fontes aquarum emanantes, aut claritatibus processivas luminis generationes, aut alias quasdam superessentialium theologicorum manifestorias sacras descriptiones; deinde invisibilium Dei providentiarum, aut donorum, aut manifestationum, aut virtutum, aut proprietatum, aut percussionum, aut mansionum, aut processionum, aut discretionum, aut unitatum, humanum figmentum Deo et bestiarum et animalium aliorum et germinum et lapidum variam formationem circumfingentis, et ornatus ei muliebres aut barbaricas armorum facturas circumponentis, figulariam aut conflatoriam (ut artifici cuidam) apponentis, et equos et currus ei et thronos substernentis, et quotidianas escas pulmentificas præparantis, et bibentem et inebriatum et somnolentum et crapulatum transformantis. Quid si quis dicat iras, tristitias, varia juramenta, insanias, maledictiones, furores, multiformia et obliqua repulsionis peccati promissionum sophismata? in Genesi gigantum pugnam, per quam deliberare ex timore dicitur potentibus illis viris, et hanc ædificationem non injuria quorumdam aliorum, sed pro salute eorum machinantibus? et consilium illud juxta cœlum in dolo et seductione Achab paratum? et Canticorum materiales et adulteras multas passiones, et quæcumque alia omnia audacis sunt divinæ formationis sacræ composita declarativa occultorum problemata, et multiplicata

Ps. cix, 3. *Ps.* xliv, 2. *Ps.* xxxii, 6. *Joann.* i, 18. *Eccli.* xxiv, 17-23. *Ibid.* 10-13. *Sap.* vii, 26; *Hebr.* i, 3.

Cant. v, vii; *Osee* vii, 8; *Eccli.* xxv, 17; *Ezech.* i, 4 [illegible] *Ps.* xliv, 9, 10, 11; [illegible] *Ezech.* xvi, 18-22; *Habac.* iii, 8; *Ps.* lxxvi, 18; [illegible] *Ps.* lxxvii, 65; [illegible] *Gen.* [illegible] *Ps.* [illegible] *Malach.* ii, 2; *Ps.* ii, [illegible]

et partita unitatum et carentium partibus, et figurativa et multiformia carentium formis et figuris!

Quorum si quis videre potuerit intus occultam pulchritudinem, inveniet mystica et deiformia omnia, et multi theologici luminis repleta. Non enim arbitramur manifesta compositorum propter se ipsa reformari, prætendi autem ante prætenta et invisibili multis scientia, ut non immundis facile accepta sint sacratissima, solis autem revelentur Divinitatis sinceris amatoribus, tanquam omnem puerilem phantasiam in sacris symbolis formantibus, et idoneis transcendere simplicitate animi et contemplativæ virtutis opportunitate ad simplam et supernaturalem et præcollocatam symbolorum veritatem. Sed itaque et hoc intelligere oportet, duplicem esse theologorum traditionem : unam quidem arcanam et mysticam, alteram vero manifestam et notiorem ; et eam quidem symbolicam et perfectivam, hanc vero philosophicam et approbativam. Et complectetur effabili ineffabile. Et aliud quidem patitur et indiget dictorum veritate ; hoc vero agit et collocat Deo ineffabilibus doctrinæ introductionibus. Et quidem neque secundum sanctorum mysteriorum teletas, alii secundum nos, alii legalis traditionis sacri magistri, divinorum defuere symbolorum. Sed et sacratissimos angelos per ænigmata divina mystice producentes videmus, et ipsum Jesum in parabolis theologantem, et deifica mysteria tradentem per typicam cœnam. Etenim erat consequens, non solum incontaminata multis salvari sancta sanctorum, sed et hoc, humanam vitam non partibilem simul et partitam subsistentem, proprie se ipsa divinas illuminari scientias ; et hoc quidem impassibile animæ, in simpla et intima deiformium agalmatum aggregare spectacula ; passibile autem ejus, connaturaliter famulari simul et extendi in divinissima præmachinatis typicorum symbolorum performationibus. Sic cognata hujusmodi generat velamina. Et declarant quicumque et ante velamina extra theologiam manifestam relinquentes, in se ipsis reformant similitudinem quamdam ad intelligentiam se dictæ theologiæ manuducentem. Et hæc visibilis universitatis mundi factura, invisibilibus Dei præmissa est, sicut ait Paulus et vera ratio. Proinde et theologi quædam quidem civiliter et legaliter inspiciunt, quædam autem purgative et incontaminate ; et quædam quidem humanitus et medie, quædam autem supermundane et perfective ; et tum quidem ex legibus manifestorum*, quum vero ex occultorum legibus, secundum consequentiam suppositis sacris Litteris et intellectibus et animabus. Non enim historiam nudam, sed vitalem habet perfectionem præposita eis simul omnis et per omnia ratio.

Oportet igitur et nos pro populari de ipsis susceptione palam sacrorum symbolorum sanctam pulchritudinem permittere, et non spernere eam, divinorum cum sint characterum posteri formationes et imagines manifestæ arcanorum et supernaturalium speculaminum. Etenim non solum superessentialia lumina et invisibilia et simpliciter divina typicis pervariantur symbolis, sicut supernaturalis Deus ignis dictus, et invisibilia Dei eloquia ignita. Insuper autem et invisibilium simul et intellectualium angelorum deiformes ornatus variis formis describuntur, et multis speciebus et in igneis figurationibus. Et aliter oportet eamdem ignis imaginem juxta superintelligentiam Dei dictam excipere, aliter autem secundum ipsam invisibilium ejus providentiarum aut rationum, et aliter in angelis : et eam quidem secundum causam, istam vero secundum subsistentiam, hanc vero secundum participationem, et alia aliter secundum hæc theoria et disciplinalis ordinatio intentionem ponit ; et non ut consequebatur sacra symbola confundere, sed convenienter ea causis, aut subsistentiis, aut virtutibus, aut ordinibus, aut dignitatibus replicare, quorum sunt manifestatoria composita.

Et ut non ultra quod oportet extendamus in ipsis, jam proposita nobis quæstio sci-

enda. Et dicimus, quia omnis esca perfectiva est nutriendorum, imperfectionem eorum et indigentiam replens, et infirmum curans, et vitam eorum custodiens, et florere faciens, et renovans, et vitale eis beneficium donans, et simpliciter contristantem et imperfectum respuens, et lætitiam eorum et perfectionem largiens. Bene ergo supersapiens et optima Sophia ab Eloquiis laudatur cratera mysticum statuens, et sacrum ejus potum profundens, magis autem ante hos solidas escas proponens, et cum excelsa prædicatione, ipsa desiderantes se optime et pulchre desiderans. Duplicem igitur escam divina Sapientia proponit : unam quidem solidam et manducabilem, alteram vero humidam et profusam ; et in cratere porrigit providas suas bonitates. Ipse igitur crater, rotundus dum sit et repandus, symbolum sit expansæ simul et in omnia circumeuntis, sine principio et infinitæ bonorum omnium providentiæ. Verumtamen quoniam et in omnia proveniens, manet in se ipsa, et stat in immutabili naturæ similitudine, et perfectissima irremeabiliter se ipsa collocata uniformiter et fixe, sic crater stat. Ædificans autem et Sapientia domum sibi dicitur, et in ipsa solidas escas et potus et cratera proponens. Sic esse divina divinitus symbola facientibus clarum, quia et providentia perfectissima est ipse essendi et bene essendi omnia causalis, et in omnia procedit, et in omni fit, et continet omnia. Et iterum ipse in eodem per excellentiam, nullum in nullo per nullum est ; sed exaltatur omnibus, ipse in se ipso similiter et æternaliter ens et stans et manens, et semper secundum eadem sic sic habens : et nullo modo extra se ipsum factus, neque propria gravitate et incommutabili mansione et bonitate relictus ; sed et in se ipso totas et perfectissimas providentias optime operans : et proveniens in omnia, et manens in se ipso, et stans semper et motus, neque stans neque motus ; sed ac si quis dixerit, providas operationes in mansione, et mansionem in providendo connaturaliter simul et supernaturaliter habens. *Prov. IX.*

Sed quæ solida esca, et quæ humida? Has enim optima Sapientia donare simul et providere laudatur. Ipsam quidem solidam escam compositionem gestare arbitror intellectualis et nutritoriæ perfectionis et naturalis immutabilitatis, secundum quam divina constiterunt, et potentem et uniformem et inseparabilem scientiam participantur cum intellectualibus sensibilium illorum quibus sapientissimus Paulus ex Sapientia accipiens, vere solidam escam tradit ; humidam autem, perfusæ simul et in omnia provenire festinantis virtutis, et adhuc per varia et multa et partita, in simplam et non tremulantem divinam cognitionem nutritos familiariter ipsis bonitate manuducentis. Propter quod et rore et aqua, divina et invisibilia Eloquia, et lacte et vino et melle adimaginantur, propter vitæ fecundam eorum, ut in aqua, virtutem, et auctivam, ut in lacte, et revivificativam, ut in vino, et purgativam simul et custoditivam, ut in melle. Hæc enim divina Sapientia donat provenientibus, copiose eis et non deficientibus epulis affluentia largiente et supermanante. Hoc autem vere epulari, et propter hæc vivificatrix simul et parvulorum nutrix, et renovatrix, et perfectrix laudata. *Hebr. V, 14.*

Secundum hanc autem sacram epulationis apertionem, et ipse omnium bonorum causalis Deus inebriari dicitur, propter super plenitudinem et super intelligentiam epulationis, aut potius dicendum, epulationis Dei, perfectissimam et ineffabilem immensurabilitatem. Ut enim in nobis secundum quod deterius ebrietas et immoderata repletio est, et mente et sensibus ecstasis ; sic secundum quod melius, in Deo ebrietatem non aliud quid oportet intelligi, præter abundantissimam et causam provenientem in ipso omnium bonorum immensurabilem. Sed et consequens ebrietatis sapientiæ ecstasis, supereminens Dei superintelligentia intelligenda, secundum quam et exaltatur intelligendo, super intelligere ens, et super intelligi et super ipsum esse. Et simpliciter ipse omnium quæcumque sunt optima, inebrians simul et satians est Deus, tanquam

summum ipsorum simul et superplenorum * (immensurabilis universitatis superexcellentia, et iterum extra et sublimitas omnium sursum positus. Ab his autem volentes, et in regno Dei Sanctorum convivia juxta eumdem accipiemus modum. Transiens enim, ait ipse Rex, discumbere eos faciet, et ipse ministrabit eis. Significant autem hæc communem quamdam et æque invisibilem Sanctorum in divinis bonis societatem, et Ecclesiam primogenitorum descriptorum in cœlis, et spiritus Sanctorum omnibus optimis perfectos et primum optimis repletos. Et recubitum, requiem arbitramur a multis doloribus, et vitam illæsam, et conversationem divinam in lumine et regione viventium omni sensu sacro repletam, et largissimorum et beatorum optimorum copiosam donationem, per quam lætitia omni replentur. Hoc autem est lætari, Jesu et recumbere eos faciente et ministrante, et æternam requiem donante, et plenitudinem bonorum distribuente simul et infundente.

Luc. XII, 37.

Hebr. XII, 23.

Inquisitionem vero bene scio, et bene dictum somnum Dei et evigilantiam aperuisse, quum dicimus divinum somnum esse remotum Dei et incommunicabile provisis, vigilare autem, in providendum eis aut doctrina aut salute deprecantibus succursum. Multa autem theologica symbola prætermissa. Ideo superfluum arbitrantes esse, eadem eisdem revolventes, alia videri dicere, simul etiam vobis in bonum obediendum et cognoscentes, quæ quidem sunt epistolæ ab his quæ dicta sunt quiescimus, excedentes (ut æstimo) et in plus quam vestris litteris debita. Hanc autem totam nostram Symbolicam theologiam mittimus, per quam invenies cum Sapientiæ domo columnas septem bene discretas, et solidam escam ejus in thymiamata et panes divisam, et quæ vini temperantia, iterumque quæ ab ebrietate Dei crapula. Et hæc quæ nunc dicta, latius in ea declarantur. Et est, ut arbitror, omnium symbolicarum theologiarum inventrix optima, et conveniens Eloquiorum sacris traditionibus et veritatibus.

PARAPHRASIS ABBATIS VERCELLENSIS

A OPTIME tot a me didicit Timotheus, quod nescio si qua noverim theologica mysteria quæ ipse ignoret. Et inter cetera in Symbolica theologia, quam eidem scripsi, diligenter et distincte ei exposui omnes illas Scripturas quæ videntur aliquid Deo attribuere prodigialiter. Tales siquidem attributiones, nisi spiritualiter intelligantur, imprimunt duram incongruentiam imperfectis animabus, quando scilicet sancti patres sapientiam æternam secretius concipientes per quædam ænigmata occulta et juxta aliquas sensibiles proprietates transsumpta, manifestant divinam veritatem, quæ in se clausa est, et animis nondum satis purgatis, invia. Unde fit ut multi increduli sint his quæ tali modo dicuntur de divinis mysteriis, quia intelligunt illa tanquam adjuncta sensibilibus signis quibus describuntur. Ideo oportet ipsa mysteria ita declarare ut in se ipsis nuda et munda intelligantur. Quod faciendo, fontem vitæ honoramus Deum, ostendendo ipsum ad omnia sensibilia procedentem, dum per eadem cognoscitur quasi in se ipsum refusum et in se fixe stantem, nec per processus se ipsum relinquentem, et exsistentem veram et summam cognitionem omnium cognitionum, et semper per se operantem, et per opera sua etiam extremas mentes in se contemplandum et desiderandum reducentem.

Ps. XXXV, 10, Eccli. I, 5.

B Tibi ergo et Timotheo et aliis, prout possumus, exponemus qualiter intelligendæ sint formæ et passibilitates quæ significative attribuuntur Deo, quum increduli ex talibus signis ad irrisionem inducantur: ut quum dicitur de supersubstantiali Dei fecunditate sub figura corporalis generationis vel spirationis (ut ibi: Numquid ego qui alios parere

Is. LXVI, 9.

facio, ipse non pariam? dicit Dominus. Et in
Ps. XLIV, 2. Psalmo : Eructavit cor meum verbum bonum,
Ps. CIII, 30. et lingua mea calamus scribæ; et Emittes spi-
Ps. XXXII, 6. ritum tuum et creabuntur; et, Spiritu oris
ejus omnis virtus eorum; et apud Joannem :
Joann. III, 8. Spiritus ubi vult spirat; et, Unigenitus qui est
Ibid. I, 18. Is. XLVI, 3. in sinu Patris, ipse enarravit; et in Isaia : Qui
portamini a meo utero, qui gestamini a mea
vulva); aut sub figura plantarum pullulan-
Eccli. XXIV, 18. tium (ut in Ecclesiastico : Quasi plantatio ro-
Ibid. 23. sæ in Jericho), aut arborum (ut ibidem : Ego
quasi vitis fructificavi suavitatem odoris), aut
Ibid. 42. surculorum (ut ibidem : Et inebriabo partus
Ibid. 23. mei fructum), aut florum (ut ibidem : Et flo-
res mei fructus honoris et honestatis; et in
Cant. II, 1. Canticis : Ego flos campi; et in Isaia : Et flos
Is. XI, 1. de radice ejus ascendet), aut radicum (ut ibi-
Ibid. 10. dem : Radix Jesse qui stat in signum popu-
Eccli. I, 5. lorum), aut fontium (ut in Ecclesiastico : Fons
sapientiæ verbum Dei in excelsis; et in Psal-
Ps. XXXV, 10. mo : Apud te est fons vitæ; et apud Joan-
Joann. IV, 14. nem : Fons aquæ salientis in vitam æternam),
aut splendorum (ut ad Hebræos : Qui quum
Hebr. I, 3. sit splendor gloriæ; et in Psalmo : In splendo-
Ps. CIX, 3. ribus Sanctorum). Et similiter de aliis figura-
tivis locutionibus Scripturarum quæ signifi-
cant supersubstantialia Dei invisibilia.

Vel quum per figuras et formas sensibiles
designantur providentiæ divinæ prædestina-
tionis (ut quum dicitur in Deuteronomio :
Deut. XXXII, 11. Sicut aquila provocans ad volandum pullos
suos), aut earumdem executiones per mune-
Ps. CIII, 28. ra gratiarum (ut est illud in Psalmo : Ape-
riente te manum tuam, omnia implebuntur
Ps. CXLIV, 16. bonitate; et, Aperis tu manum tuam, et imples
omne animal benedictione), aut manifestatio-
Matth. III, 16, 17. nes (ut apud Matthæum, Pater in voce, Spi-
ritus Sanctus in columba, Filius in homine
manifestatur); aut essentiæ simplicitas, in igne
Exod. III, 2. simplicissimo elementorum (ut in Exodo : Ap-
paruit Dominus in flamma ignis de medio
rubi) : ignis enim est potenter activus, clare
illuminativus, et calefactivus, juxta trinam
Personarum æternarum attributionem, aut
Ps. XXIV, 10. virtutes (ut in Psalmo : Universæ viæ Domini
Ps. VII, 12. misericordia et veritas; et, Deus judex justus,
Job XII, 13. fortis et patiens; et in libro Job : Apud ipsum
est sapientia et fortitudo, et ipse habet consi-
lium et intelligentiam), aut proprietates sæ-
Osee XIII, 7. vorum animalium (ut in Osee : Ego ero eis
quasi leæna, et ut pardus in via Assyriorum),
Ps. LXXI, 8. aut termini loci (ut in Psalmo : Et domina-
bitur a mari usque ad mare), aut temporis
(ut rursus in Psalmo : A sæculo et usque in Ps. LXXXIX, 2.
sæculum tu es Deus); aut mansiones (ut in
Isaia : Domus mea domus orationis vocabitur Is. LVI, 7.
cunctis populis; et in Joanne : Ad eum venie- Joann. XIV, 23.
mus, et mansionem apud eum faciemus; et
ibidem : In domo Patris mei mansiones mul- Ibid. 2.
tæ sunt); aut processus (ut in Psalmo : Et ipse Ps. XVIII, 6.
tanquam sponsus procedens de thalamo suo);
aut discretiones (ut est illud : Divisiones gra- I Cor. XII, 4.
tiarum sunt; et, Unicuique sicut Deus divisit); Rom. XII, 3.
aut unitiones (ut apud Joannem : Ego et Pater Joann. X, 30.
unum sumus). Vel discretio pertinet ad distin-
ctionem personalem, et unitio ad unitatem
essentialem, sicut tractatur in libro de Divinis cap. II.
nominibus. De hac discretione dicitur in Psal-
mo : Verbo Domini cœli firmati sunt. De uni- Ps. XXXII, 6.
tione in Deuteronomio dicitur : Deus tuus, Deut. VI, 4.
Deus unus est.

Aut coaptationem humanæ figuræ ad Deum
(ut est illud in Canticis : Lectulum Salomonis Cant. III, 7.
sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel;
et, Egredimini, filiæ Sion, et videte regem Sa- Ibid. 11.
lomonem; et, Caput ejus aurum optimum; et Ibid. V, 11.
in Isaia : Gaudebit sponsus super sponsam, et Is. LXII, 5.
gaudebit super te Deus tuus), aut ferarum (ut
in Proverbiis : Sicut rugitus leonis, ita et tre- Prov. XX, 2.
mor regis; et in Joele : Dominus de Sion ru- Joel III, 16.
giet), aut aliorum animalium (ut est apud Je-
remiam : Ego quasi agnus mansuetus qui Jer. XI, 19.
portatur ad victimam), aut plantarum (ut in
Canticis : Ego flos campi et lilium conval- Cant. II, 1.
lium), aut lapidum (ut in Apocalypsi : Et qui Apoc. IV, 3.
sedebat, similis erat adspectui lapidis jaspidis
et sardii); aut ornatus muliebres (ut in Isaia :
Quasi sponsum decoratum corona; et in Psal- Is. LXI, 10.
mo : Amictus lumine sicut vestimento); aut Ps. CIII, 2.
barbaricas armaturas (ut in Apocalypsi : Hæc Apoc. II, 12.
dicit qui habet rhomphæam ex utraque parte
acutam; et in libro Sapientiæ : Accipiet ar- Sap. V, 18.
maturam zelus illius, et armabit creaturam
ad ultionem inimicorum; et in Psalmo : Ap- Ps. XXXIV, 2.
prehende arma et scutum); aut artificium for-
mandi quaslibet figuras (ut apud Osee : Pro- Osee VI, 5.
pter hoc dolavi in Prophetis, et in Jeremia :
Numquid sicut figulus iste non potero facere Jer. XVIII, 6.
vobis, domus Israel? Et in Isaia : Numquid Is. XLV, 9.
dicet lutum figulo suo : Quid facis?) aut con-
flando in igne (ut in Jeremia : Frustra confla- Jer. VI, 29.
vit conflator, malitiæ eorum non sunt con-
sumptæ, et in Isaia : Excoquam ad purum Is. I, 25.
scoriam tuam; et, Excoxi te, sed non quasi Ibid. XLVIII, 10.
argentum), aut equos (unde Habacuc : Qui Habac. III, 8.
ascendes super equos tuos), et currus (unde

Ps. LXVII, 18. *Dan.* VII, 9. ad Psalmum : Currus Dei decem millibus multiplex); aut thronus (ut dicit Daniel : Aspiciebam donec throni positi sunt), aut cibus (ut apud Joannem : Cibus meus est ut faciam voluntatem Patris mei, *Joann.* IV, 34. *Ibid.* 32. et ibidem : Cibum ego habeo manducare quem vos nescitis), aut potum (unde dicitur in Canticis : *Cant.* VII, 9. Guttur tuum sicut vinum optimum, dignum dilecto meo ad potandum), et inebriationem (ut in Jeremia ex persona Domini : Factus sum sicut vir *Jer.* XXIII, 9. ebrius), et dormitionem (ut in Psalmo : Exsurge, quare obdormis, Domine? *Ps.* XLIII, 23. Et ibidem : Et excitatus est tanquam dormiens Dominus), *Ps.* LXXVII, 65. aut crapulam (ut paret ibidem : Et tanquam potens crapulatus a vino). *Ibid.*

Attribuitur etiam Deo in Scripturis ira (ut in Psalmo : Et iratus est furore Dominus in populum suum), *Ps.* CV, 40. tristitia (ut in Genesi : Tactus dolore cordis intrinsecus), *Gen.* VI, 6. juramenta (ut in Psalmo : Juravit Dominus, et non pœnitebit eum; *Ps.* CIX, 4. et in Genesi : Per memetipsum juravi, dicit Dominus; *Gen.* XXII, 16. et in Isaia : In memetipso juravi, egredietur de ore meo justitiæ verbum), *Is.* XLV, 23. pœnitentia (ut in Genesi : Pœnituit eum quod hominem fecisset in terra), *Gen.* VI, 6. maledictiones (ut in Threnis : Maledixit Dominus sanctificationi suæ; *Thren.* II, 7. et in Malachia : Maledicam benedictionibus vestris), *Malach.* II, 2. furores (ut in Isaia : Ardens furor ejus, et gravis ad portandum), *Is.* XXX, 27. et comminationes multæ sive promissiones quæ proprie videntur falsæ amplectione et non completæ (ut quum Jonas ait : Adhuc quadraginta dies et Ninive subvertetur; *Jonæ* III, 4. item in Exodo : Delebo memoriam Amalec sub cœlo; *Exod.* XVII, 14. et in Genesi : Multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli, etc.; *Gen.* XXII, 17. et in Actibus : Non dedit illi hereditatem in ea nec passum pedis, etc.; *Act.* VII, 5. et ad Hebræos : Hi omnes testimonio fidei probati, non acceperunt repromissionem, etc.), *Hebr.* XI, 39. et quasi pugna cum gigantibus (ut in Genesi, ubi legitur Dominus quasi cum consilio tractasse qualiter ipsorum opus destrueret, quasi timeret eos; *Gen.* XI, 7. quamvis ex forma ibi colligi possit, quod ipsi parabant machinam, non ad aliorum injuriam, sed ad propriam salvationem), et quasi consilium dolosum (ut in tertio libro Regum, ubi legitur : Quis decipiet Achab?). *III Reg.* XXII, 20. Et verba Canticorum quæ videntur exprimere carnalem et materialem amorem, et inhonestas passiones (ut quum dicitur : Quia amore langueo). *Cant.* II, 5. Et quæcumque alia Scripturæ testimonia præassumpta sunt ad designandum occulta mysteria per formas sensibiles, et simplicia et impartibilia per res compositas, et infigurabilia per figuras sensibiles.

Quorum signorum qui spiritualem intelligentiam cognoverint, invenient ea plena cœlestibus et divinis mysteriis valde luminosis. Non enim arbitramur quod hujusmodi sensibilium descriptiones pro se ipsis in Scripturis contineantur sed ad significandum secretam et a multis ignotam spiritualem intelligentiam ; ea scilicet intentione, ut ipsa spiritualis intelligentia non facile perpendatur ab immundis, sed solum amatoribus sanctitatis reveletur qui fervent studendo veræ sapientiæ in sanctis signis rerum materialium, et abolita omni inepta et phantastica expositione, per intelligentiam puræ veritatis et amorem bonitatis veræ, transeunt ad contemplationem simplicis et supernaturalis et ante omnia collocatæ veritatis dictorum signorum. Præterea, ad excusationem sensibilium signorum attendendum est, quod duplex est traditio theologorum de divinis in sacra Scriptura. Quarum una est secreta et clausa, quæ cœlestia et divina mysteria sub obscuris figuris signat. Unde ipsius imperfectio indiget declaratione spiritualis intelligentiæ juxta congruentiam sensibilium proprietatum, quibus et animus ipse prius impeditur, et tamen de invisibilium cognitione suadetur : ut quum cœlestes animi animalium figuris designantur in Ezechiele et Apocalypsi et Osee. *Ezech.* I, 5; *Apoc.* IV; *Osee* XIII, 7, 8. Alia autem evidens et notior est et philosophica, et naturali rationi acceptior, quæ ineffabilia tractat, quantum fieri potest evidentius : ut quum dicitur, In principio erat Verbum ; *Joann.* I, 1. et, Ego et Pater unum sumus ; *Ibid.* X, 30. et in Psalmo, Laudate Dominum, omnes angeli ejus ; *Ps.* CXLVIII, 2. et in Daniele, Millia millium ministrabant ei. *Dan.* VII, 10. Et ista movet et figit mentem in spirituales theorias inexplicabilibus mysteriorum exercitiis. Neque solum in Testamento veteri, sed etiam in novo, designantur cœlestia et divina per obscuras sensibilium figuras : ut in Apocalypsi sancti angeli designantur per lampades et per quatuor animalia. *Apoc.* IV, 5 *et seq.* Et ipse Dominus Jesus sæpe in Evangelio legitur locutus fuisse parabolice. Unde Matthæus : Absque parabolis non loquebatur eis, ut impleretur quod dictum est per Prophetam dicentem : Aperiam in parabolis os meum. *Matth.* XIII, 34, 35; *Ps.* LXXVII, 2. Et ipse sub formis sensibilibus se tradidit Apostolis in Cœna. Neque solum propter incontaminatam conservationem sanctorum mysteriorum ab immunda multitudine, congruit

per formas sensibiles designare spiritualia et divina; sed etiam ideo ut homo, qui constat ex duabus naturis, scilicet anima rationali, quæ simplex est in essentia, et corpore composito, juxta utriusque naturæ suæ proprietatem illuminetur divinis cognitionibus: ut et mens ejus puras et simplices et intimas sensibilium signorum intelligentias segregate ab ipsis signis conspiciat, et sensualitas ejusdem per naturæ suæ proprietatem et possibilitatem cooperetur mentali cognitioni, et sic ad divina extendatur, quum figuralia signa Scripturarum ita sint ingeniose coaptata, ut et sensualitati cognata et connaturalia sint ipsa spiritualis intelligentiæ velamina, et tamen congruenter significent puram et theologicam veritatem, quam sine velamine audientes, quanto potest clarius exprimi, conciperent: quod est per hoc quod dicta signa imprimunt animo imaginem manuducentem ad dictam theologicam veritatem. Non solum autem sensibilia signa Scripturarum, sed et totus ipse mundus sensibilis secundum quamlibet sui partem est quasi propositio significans divina
Rom. I, 20. invisibilia, juxta illud Apostoli: Invisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta, conspiciuntur. Hinc est quod theologi quædam secundum capacitatem multitudinis et consuetudinem veteris Testamenti, de Deo tradunt, quædam autem pure et clare; quædam autem mediocri doctrina, quædam supermundana et perfectiva; et aliquando doctrinæ suæ materiam assumunt a dictis historiis vel sensibilium rerum proprietatibus, aliquando ab occultis theoriis sive intimæ sapientiæ spectaculis. Et istæ differentiæ dispertiuntur secundum quod convenit sacris Litteris et mentibus angelicis et humanis animabus. Sacra enim Scriptura non habet historiam vacuam, sed in ea continet per totum vivificam perfectionem intelligentiæ spiritualis, sive tropologicæ, sive allegoricæ, sive anagogicæ.

Ad removendam ergo indebitam suspicionem quam de dictis symbolis concipit popularis multitudo, quæ suspicio mentes ligare videtur ne ad veram intelligentiam perveniant, oportet nos ipsa signa investigando penetrare, et non inhonorare ipsa signa, quæ sunt quædam germina divinarum Scripturarum, et expressiones et manifestæ imagines secretarum et supernaturalium visionum. Nec solummodo divina invisibilia, quæ supernaturalia * sunt et simplicia, signis sensibilibus

* supersubstantialia

A variis in sacra Scriptura designantur, ut quum dicitur Deus ignis, et eloquia ejus ignita; sed *Deut. IV, 24.* *Psal. CXVIII, 140.* et angelici ordines, qui intelligunt et solo intellectu cognoscuntur, variis formis sensibilium describuntur, et spiritualiter ignei, ut in Psalmo: Qui facis angelos tuos spiritus et *Psal. CIII, 4.* ministros tuos ignem urentem. Oportet autem aliter coaptare proprietates ignis vel aliarum materiarum supersubstantiali Deitati, aliter autem divinis providentiis intelligibilibus aut rationibus, et aliter angelis: Deitati quidem, secundum causalitatem; providentiis ipsius, secundum essentiam; angelis, secundum par-
B ticipationem; et inferioribus varie, secundum singulorum proportionem quam divina ordinatio singulis constituit. Et non oportet attendere dicta signa, tanquam casu et sine arte et confuse proposita, sed convenienter singula coaptare, ut dictum est, sive causæ, sive essentiis, sive virtutibus, sive quibuslibet ordinationibus aut dignitatibus, quorum omnium dicta signa sunt manifestativa.

Et ne ultra quam convenit epistolam extendamus, exsequamur deinceps quæstionem quam per epistolam nobis exposuisti, scilicet de domo et convivio Sapientiæ, de quibus
C tractatur in Proverbiorum libro. Dicimus igi- *Prov. IX.* tur, quod omne alimentum perfectivum effectum habet hujusmodi: adimplet enim imperfectionem et indigentiam eorum quæ aluntur, et infirmitatem ipsorum curat, et vitam servat et reflorere facit et renovat et vivificum illis beneficium donat, et omnino a tristitia et imperfectione liberat, et lætitiam ipsis et perfectionem largitur. Recte igitur supersapiens et vere bona Dei sapientia dicitur in Scriptura sacra statuere craterem (ubi nos habemus: Proposuit mensam; vel in Canticis: Crater *Ibid. 2.* *Cant. VII, 2.* tornatilis), et propinare potum suum san-
D ctum; et sublimius his, proponere sua fortia alimenta, scilicet solidos cibos. Unde ibidem legitur: Immolavit victimas suas, et infra: *Prov. IX, 2.* Venite et comedite panem meum. Et dicitur *Ibid. 5.* benigne offerre se amatoribus suis, et cum publica denuntiatione dicens: Misit ancillas *Ibid. 3.* suas ut vocarent ad arcem. Ut ergo ex prædictis colligitur, divina Sapientia duplex alimentum proponit: unum forte et manens, aliud humidum et profusum. Nomine ergo crateris intelligitur divinarum distributio bonitatum. Notatur autem in cratere quod rotundus est et patulus, dicitur etiam tornatilis. Apertio ejus significat aperte extentam

semper ad omnia simul divinæ bonitatis fecunditas, significat æternam ejus providentiam omnia circumeuntem et complectentem, carentem principio et fine. Quod autem crater tornatilis movetur in loco et non de loco, et ita simul movetur et figitur: significat quod Dei sapientia ad omnia procedit, et tamen semper in se ipsa manet, et figitur immobili identitate et penitus ingressibili in se ipsa singulariter collocata. Quod autem sapientia Dei dicitur ædificare domum sibi ipsi, et proponere in eadem alimenta fortia et pocula et crateram, ut dictum est: his qui divina recte intelligunt, insinuat quod perfecta Dei providentia causa est omnium, et ad omnia procedit, et in omnibus est, et continet omnia, et tamen ipsa in se ipsa tanquam propria domo manens, in eo quod excedit omnia, nihil est in aliquo; et secundum quod nihil est, segregatur ab omnibus, ipsa in se ipsa eodem modo et æternaliter existens et stans et manens, et secundum eadem semper et eodem modo se habens, nunquam extra se facta, neque a propria collocatione et immutabili mansione et essentia deficiens, sed in se ipsa omnes et perfectissimas providentias optime operans, et in omnia proveniens, et in se ipsa manens, et stans et semper mota, et neque stans neque mota, sed ut ita dicam, provisivas operationes et mansiones in providendo connaturaliter simul et supernaturaliter habens.

Prov. IX, 1 et seq.

Restat autem quærere, quid sit alimentum forte et quid humidum. Ista enim duo dare simul et providere dicitur Sapientia. Puto ergo quod forte alimentum signat intellectualem et manentem perfectionem et immutabilitatem, secundum quam divina intelliguntur et per firmam et fortem et unitivam et indivisibilem cognitionem ab intellectualibus mentis sensibus percipiuntur; quibus illorum sapientissimus Paulus apostolus ex ipsa Sapientia accipiens, vere forte alimentum tradidit in familiaribus doctrinis, sicut ipse dicit: Sapientiam loquimur inter perfectos. Humidum vero alimentum signat cognitionem Dei ad se misericorditer manuducentis imperfectos juxta ipsorum capacitatem, quam in sua simplicitate non capiunt. Et hæc doctrina liquido nutrimento comparatur: quia sicut res liquida prompte et cito fluit undique, et per varia dividitur, ita hæc doctrina capitur a multitudine et per plurima signa variatur. Unde comparatur rori, aquæ, lacti, vino et melli: rori et aquæ propter virtutem vitæ generativam; lacti propter vim spiritualiter augmentativam; vino propter vim revivificativam; melli propter vim mundificativam et servativam. Hæc enim spiritualiter donat copiose divina Sapientia amatoribus suis, et horum alimentorum affluentiam eis indeficienter largitur et superinundat. Hæc autem largiri est vere alere; et propter ista dicuntur Scripturæ sacræ et vivificativæ, et puerorum nutritivæ, et perfectorum perfectivæ.

I Cor. II, 6.

Secundum hujusmodi alimentorum intelligentiam Deus qui est omnium optimus, dicitur inebriari propter abundantiam spiritualis alimenti superantem omnem plenitudinem et intellectum, vel potius quia ipse habet perfectam et ineffabilem et omnino immensurabilem bonitatem. In nobis siquidem ebrietas in malo dicitur, scilicet incommensurabilis adimpletio, et excessus mentis et sensuum. Deo autem attribuitur ebrietas in bono, quæ non est aliud nisi superplena omnium bonorum incommensuratio præexsistens in ipso secundum causam. Sed et per excessum sciendi qui consequitur ebrietatem, oportet intelligere in Deo excessum qui est super omnem intellectum, secundum quem Deus segregatur ab intellectu, et ab omni quod intelligit vel intelligitur, et ab ipso esse, et simpliciter ab omnibus quæcumque sunt. Dicitur ergo Deus inebriatus et excessum passus, in eo quod his omnibus supereminet excedendo omnem incommensurationem, et est iterum extra et super omnia superpositus. Horum consideratione moti, juxta consimilem modum accipimus convivium Sanctorum in regno Dei, de quo legitur: Faciet illos discumbere, et transiens ministrabit illis. Quibus verbis significatur communis quædam et consentanea communio Sanctorum in divinis bonis, et specialiter Ecclesia Sanctorum primitivorum descriptorum in cœlis, et generaliter spiritus justorum omnibus bonis perfectos et omnibus bonis adimpletos. Reclinationem autem illam intelligimus quietem a multis laboribus, et vitam sine læsione, et divinam conversationem in lumine et regione viventium adimpletam omni delectabili et sancto affectu, et copiosam donationem copiosissimorum et beatissimorum bonorum in patria, secundum quam Sancti adimplentur plena et universali lætitia. Et hoc est quod legitur Dominus Jesus lætari, et facere Sanctos discumbere, et ministrare eis

Luc. XII, 37.

Hebr. XII, 23.

æternam quietem, et omnium bonorum adimpletionem eis dare et infundere.

Somnus autem Deo attributus, signat ipsum esse segregatum etiam ab electis, et omnibus incommunicabilem per excessum. Vigilia autem in eo signat attentionem ipsius ad providendum indigentibus per disciplinam aut salvationem. Multa siquidem signa theologica hic a me prætermittuntur, quæ ex dictis conjicies, quæ et tractavi in Symbolica theologia: unde superfluum videtur hic eadem iterare tanquam nova, licet cognoscamus esse bona. Hic ergo epistolam finiemus, quum plura ex- A posuerimus quam tuæ litteræ postulaverunt. Ad intellectum autem eorum quæ hic prætermittimus totam ipsam nostram Symbolicam theologiam mittimus tibi, in qua invenies et Sapientiæ domum mysticam, et columnas septem discretas, et forte alimentum ipsius divisum in sacrificio et pane. Et quæ sit Dei ebrietas, quæ crapula, et etiam ea quæ hic dicta sunt breviter, ibi diffusius tractantur, et evidentius discernuntur. Et in libro illo, ut breviter comprehendam, est ars inveniendi omnes symbolicas theologias juxta consonantiam Scripturarum.

EPISTOLA X

JOANNI THEOLOGO, APOSTOLO ET EVANGELISTÆ, IN PATMO INSULA RELEGATO.

SALUTO te sacram animam, dilectissime: et est mihi istud ad te præ multis peculiarius. Exsulta, dilectissime veraciter, ei qui vere amabilis ac desiderabilis et diligibilis est, nimium dilecte. Quid mirum si Christus vera loquitur, et iniqui discipulos civitatibus pellunt, illi ipsi sibi quæ merentur profecto tribuentes, dum a Sanctis scelesti dirimuntur atque recedunt? Visibilia veraciter invisibilium manifestæ imagines sunt. Neque enim in sæculis futuris auctor erit Deus justarum ab se separationum, sed hi qui prorsus se a Deo sequestrarunt: quemadmodum et alios cernimus hic jam Dei consortio et familiaritate beatos, quia quum sint veritatis amatores, ab affectu omni materialium rerum longissime secedunt, et in omni libertate malorum omnium et amore divino bonorum universorum, pacem diligunt et sanctificationem, atque ex præsenti vita, futuræ primitias sumunt, inter homines angelico more conversati, cum omni tranquillitate animi, ac denominatione Dei, et sanctitate, et virtutibus reliquis. Et te quidem non adeo insanus sum ut arbitrer aliquid pati: imo et passiones corporis hac tantum in parte sentire credo, ut eas solum dijudices. Ceterum qui te injuriis impetunt, et exsilio relegare se Evangelii solem putant non recte, eos jure culpans, cupio his omissis quæ in se ipsos peragunt, ad bonum convertantur, et te ad se attrahendo, fiant participes luminis. Nos autem nulla procella, nulla adversitas privabit Joannis clarissimo radio, id quidem consecuturos memoria ac renovatione tuæ verissimæ theologiæ; post paululum vero (dicam enim, etsi audax dictu videatur) tibi carissima societate jungemur. Ero autem prorsus dignior cui fides habeatur, si quæ tibi præcognita

sunt, quæ ex Deo didici, hæc loquar : quod scilicet et ex Patmi custodia dimittendus es liber, et in Asianam terram reversurus, illicque perages boni Dei imitationes, easque posteris trades.

ARTICULUS XXVII

EXPOSITIO DECIMÆ HUJUS EPISTOLÆ, AD BEATISSIMUM JOANNEM APOSTOLUM ET EVANGELISTAM : CUI S. DIONYSIUS PROPHETICE PRÆDICIT AB EXSILIO LIBERATIONEM.

SALUTO te sacram animam, dilectissime. Hanc sanctus et ferventissimus Dionysius epistolam misit beatissimo Joanni apostolo relegato in exsilium in insula Patmos, in qua gloriosus Joannes fecit quasi innumerabilia et præclara miracula, convertitque multa millia hominum, ut in originali ejus narratur legenda, quam S. Prochorus edidit, unus de septem primis diaconis, fidelissimus S. Joannis discipulus et minister ac individuus comes. (Act. vi, 5) Itaque Dionysius S. Joannis excellentiam admirandam in gratuitis intuens, et ipsius amore vehementer succensus : « Saluto te », inquit, « sacram animam », ponendo partem pro toto, et quia Joannes tam spiritualis, divinus et devotissimus fuit, quasi totus in spiritum esset conversus. *Et est mihi istud a** *te præ multis peculiarius*, id est, valde peculiare et proprium mihi est te excellenter diligere, imo et præ ceteris Apostolis quantum ad aliqua, quamvis absolute inter Apostolos sit mihi Paulus, a quo conversus sum, summe dilectus.

* al.

*Ave, dilecte** *veraciter, et qui vere amabilis ac desiderabilis et diligibilis est*, scilicet Christo, qui secundum utramque suam naturam præamandus est, et secundum divinam in infinitum amabilis, o *nimium dilecte*. Porro a Christo fuit Joannes inter discipulos prædilectus, saltem amore naturali, familiari et sociali.

* Erasm. dilectissime.

*Quid mirum si Christus vera prosequitur**, id est, veritatem in cunctis denuntiat, quum ipse sit Veritas, *et iniqui discipulos ex civitatibus pellunt*, id est, de una in aliam fugant? Unde ipse prædixit : Si me persecuti sunt, et vos persequentur ; (Joann. xv, 20) et iterum : Quum persecuti vos fuerint in una civitate, fugite in aliam. (Matth. x, 23) *Illi ipsi sibi quæ merentur, profecto restituunt** : id est, malum pœnale sibi infligunt, quod merentur incidere Sanctos persequendo : quod faciendo, indignos se faciunt præsentia, cohabitatione, informatione Sanctorum, et tam damnosissimum malum sibi ipsis inferunt, illos a se repellendo. Hinc in Actibus Paulus talibus ait : Quia repulistis verbum Dei, et indignos vos judicastis vitæ æternæ, ecce convertimur ad gentes. (Act. xiii, 46) *Dum a Sanctis scelesti dividuntur atque recedunt*, id est, dum ipsi iniqui Sanctorum persecutores scelerati, dividuntur et separantur a Sanctis. Quæ enim pars fideli cum infideli? (II Cor. vi, 14) Et ut loquitur Jeremias, Quid paleis ad triticum? (Jer. xxiii, 28) Hinc denuo Christus in Evangelio dixit : Quicumque non receperint vos, etiam pulverem pedum vestrorum excutite super illos. (Matth. x, 14)

* loquatur. — * tribuentes.

Visibilia veraciter invisibilium manifesta imagines sunt, id est evidentia signa : sic et corporalis illis separatio, imago est interioris divisionis. Præterea, quoniam visibilia sunt effectus et opera invisibilium essentiarum, repræsentant illa quemadmodum effectus propriam causam. Propter quod ad Hebræos dicitur : Fide intelligimus aptata esse sæcula, ut ex invisibilibus visibilia fierent. (Hebr. xi, 3)

Neque enim in sæculis futuris, puta A post diem judicii (de quibus sæculis legi-
Dan. XII, 3. tur in Daniele : Fulgebunt quasi stellæ in perpetuas æternitates), *auctor erit Deus*
* ab *justarum a* se separationum*, id est condemnationum reproborum, *sed hi qui pror-*
* sequestrarunt *sus se a Deo segregaverunt**, id est, qui in statu peregrinationis ac viæ se a Deo finaliter diviserunt per mortale peccatum. Quod in hominibus fit in morte, in angelis factum est in casu. Ideo asserit Damascenus : Quod in angelis est casus, hoc in hominibus mors ; Salomon quoque in Ec-
Eccle. XI, 3. clesiaste : Ubicumque ceciderit lignum, sive ad austrum, sive ad aquilonem, ibi erit.

Verum his objici potest, quia quum duplex sit malum, utpote malum culpæ et malum pœnæ, Deus est causa efficiens mali pœnalis, de quo in Amos legitur :
Amos III, 6. Si erit malum in civitate quod Dominus non fecit ? Et respondendum, quod Deus dicitur non esse causa damnationis ac punitionis pravorum, quia non est illius causa radicalis ac directa, sed quasi per accidens et indirecte, videlicet propter et per iniquitatem illorum. Idcirco, Isaia te-
Is. XXVIII, 21. stante, hoc opus est alienum et peregrinum ab eo. Et in libro Sapientiæ conscri-
Sap. I, 13. ptum est : Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione morientium. Qui et
Is. I, 24. per Isaiam fatetur : Heu, ego consolabor super hostibus meis. Nihilo minus ipse realiter et efficienter separabit hœdos ab
Matth. XXV, 32. agnis, prout in Matthæo habetur. Porro iniqui sunt meritoria causa suæ damnationis ac separationis a Deo.

Quemadmodum et alios cernimus hic jam Dei consortio et familiaritate beatos, id est in vita præsenti : qui per donum sapientiæ in suo gradu tertio consummatæ et per ardentissimam caritatem, sunt quasi secretarii et consiliarii Dei ac mysticæ theologiæ participes, et ita sunt sancti atque beati beatitudine inchoata, nondum
Rom. VIII, 16. completa ; quorum spiritibus testimonium reddit Spiritus Sanctus quod sunt fi-
Ps. L, 8. lii Dei ; quibus incerta et occulta sapientiæ suæ Deus revelat. Quales potissime erant in primitiva Ecclesia gloriosi Apostoli et apostolici viri.

Quia quum sint veritatis amatores, ab affectu omni materialium rerum longissi-
*me recedunt**, id est ab omni carnali et * secedunt
inordinata affectione, de qua fatur Apostolus : Erunt homines se ipsos amantes ; II Tim. III, 2.
et in omni libertate malorum omnium, id est in vera et spirituali libertate ab omni servitute peccati ac jugo diaboli, *et amore divino bonorum universorum*, præcipue
B bonorum gratiæ ac salutis, imo et in amore hominum iniquorum in Deo et propter Deum, *pacem* temporis et pectoris atque æternitatis *diligunt et sanctificationem*,
juxta illud ad Hebræos : Pacem sequimini cum omnibus et sanctimoniam, sine Hebr. XII, 14.
qua nemo Deum videbit ; *atque ex præsenti vita, futuræ primitias sumunt :* id est, in sæculo isto futuræ felicitatis suavitatem prælibant, prægustant, experiuntur, ut ex perceptione præsentium munerum firma et certa sit exspectatio futurorum ;
C « ex vita » item « præsenti », id est ex præcipuis meritis vitæ suæ sanctæ in via, sortiuntur « primitias » gloriæ sempiternæ in patria ; *inter homines angelico mo-*
*re conversantes**, juxta illud ad Philippen- * conversati
ses : Inter quos lucetis, etc. ; *cum omni tranquillitate animi, et denominatione* Philipp. II, 15.
Dei, id est cum invocatione, laudatione et confessione Creatoris altissimi, *et sanctitate, et virtutibus reliquis*, quæ connexæ dicuntur.

Et te quidem non adeo insanus sum ut
D *arbitrer aliquid pati*, id est, non sum ita insipiens ut rear vos, sanctos Apostolos et apostolicæ sanctitatis viros, pati immoderantias passionum animæ, a quibus estis reformati. *Imo et passiones corporis hac tantum in parte sentire credo, ut eas so-*
lum dijudicetis :* id est, non credo vos * dijudices
sanctos viros pati in corpore eo modo ut alii, sed « solum ut dijudicetis », id est, discernatis idonee. Non quod sancti Apostoli ac martyres in suis martyriis nullum senserunt corporalem dolorem, sed quod

exteriores pœnas sensibilesque dolores tanto plus remittebantur et mitigabantur in eis, quanto excellentior contemplatio et copiosior redundantia consolationis internæ a parte superiori in vires inferiores tunc erant in illis; quia secundum hoc, vires inferiores a suis actibus magis aut minus retrahebantur. Imo in aliquibus tanta interdum fuit redundantia et consolatio illa, quod actualiter non senserunt pœnas sensibiles: unde S. Tiburtio ambulanti super prunas, apparuit quod super rosas incederet.

[illegible] *Cæterum qui te exsilio* coarctant*, id est, in exsilium mittunt, *et exsilio relegare se Evangelii solem putant non recte*, id est, erronee æstimant se posse obscurare, exstinguere, impedire prædicationem et irradiationem evangelicæ veritatis ac lucis sole splendidioris, *eos jure culpans*, id est, juste increpans, *cupio his omissis quæ in se ipsos peragunt*, id est, opto ut relictis actibus vitiosis quæ contra propriam operantur salutem, *ad bonum convertantur, et te ad se attrahendo*, id est vos sibi alliciendo ac invitando ad informationem ipsorum, *fiant participes luminis*, id est evangelicæ sapientiæ ac optimæ conversationis.

Sequitur verbum bonæ spei, non præsumptionis. *Nos autem nihil adversum* privabit Joannis clarissimo radio*, id est, nulla adversitas tollet a nobis splendidissimam S. Joannis doctrinam; *quandoquidem memoriam ac renovationem* tuæ veritatis theologiæ*, id est sapientialis tuæ doctrinæ, *repetendo*, id est assidue A recitando ac iterando, quam prædicando jam effudisti et docuisti, *volvimus*, præsertim quum et eam descripseris. Apocalypsim vero in Patmo descripsit; sed an ante hujus epistolæ destinationem, quis novit? *Post paululum vero*, id est, post modicum tempus, supple, fiet quod dicam: et ita aliqua interponit. *Dicam enim, etsi audax dictu videatur*, id est, secretum aliquid tibi scribam et pandam, quamvis videatur immoderatæ audaciæ quod sic loqui audeo. *Tibi carissima societate jun-* B *gemur*, id est, communionem socialem et amorosam adhuc simul habebimus, quum scilicet a Patmo redieris.

Ero autem prorsus dignior cui fides habeatur, id est, fide dignior reputabor, *si quæ tibi præcognita sunt, quæ ex Deo didici*, id est, ex divina revelatione per spiritum prophetiæ cognovi, quæ et tibi ante sunt revelata, *hæc loquar: quod scilicet et ex Patmi custodia*, id est, ab exsilio insulæ sic vocatæ, in qua undique ambulans prædicasti, de qua adhuc egre- C di tibi non licet, *dimittendus es liber, et in Asiaticam terram reversurus*. Quod factum est, Domitiano imperatore ob suam crudelitatem a senatu occiso: quo facto, senatores revocaverunt facta a Domitiano, qui sanctum relegavit Joannem. *Illicque peragens boni Dei imitationes*, id est, Christi imitator eris, docendo, agendo et sustinendo, *easque posteris trades*, id est, ad futurorum informationem ac salutem describes. Ex quibus ostenditur quod S. Dionysius spiritu quoque prophetiæ D resplenduit.

* [illegible]

* [illegible]

* [illegible]

TRANSLATIO JOANNIS SCOTI

APPELLANS sacram animam, dilectissime: et est mihi hoc apud te supra Apostolos inseparabilius. Ave, vere dilectissime, vere amabili et desiderabili et dilecto valde dilectissime. Quid mirum si Christus vere dicat, et discipulos injusti civitatibus exagitent, ipsi quæ sunt secundum dignitatem, sibimet attribuentes, et a Sanctis polluti distincti et redeuntes? Vere significativas imagines in ea quæ sunt

visibilia invisibilium. Neque enim in sæculis venturis causalis erit ex se justarum separationum Deus; sed ex Deo omnino se ipsos segregantes. Sicut etiam alios videmus hinc jam cum Deo factos: quoniam qui sunt veritatis amatores, passibilitate quidem recedunt materialium, in omni autem omnibus malis libertate et amore divino bonorum omnium, pacem diligunt et sanctificationem, et ex præsenti vita incipiunt futuram, angelice et pulchre in medio hominum conversantes, cum omni impassibilitate, et divina nominatione, et bonitate, et aliis optimis. Vos igitur non (etsi aliquando sic insaniam) ducebamini quid pati; sed et corporis passiones solummodo judicare eas sentiendo credo. Injuste autem affligentes vos, et circumscribere æstimantes non recte Evangelii solem, juste interveniens oro, hæc dimittentes quæ in se ipsos agunt, in bonum converti, et ad se ipsos vos attrahere, et recipere lumen. Nos autem non econtrario privari Joanne clarissimo radio: nunc quidem præparatos in memoria et renovatione tuæ veræ theologiæ, paulo post autem (dico enim etiam audacius) vobis ipsis adunandos. Dignus autem fide omnino sum, hæc præcognita tibi ex Deo et discens, et dicens quia et ab ea quæ in Patmo est custodia dimitteris, et in Asiacam terram reverteris, et operaberis ibi optimi Dei imitationes, et his qui tecum sunt, trades.

EPISTOLA XI

AD APOLLOPHANUM PHILOSOPHUM.

NUNC nunc mihi sermo ad te dirigitur, præcordialis amor, multos sollicitudinum mearum angores de te replicans; teque miti mente super vecordia quæ tibi ex frivolitatis diutina pertinacia arguens, et fanatica illusionum phantasmata insultans, supernaturalem modificationem benignitatis Dei magnificentissime et diligentissime adorando, tibi bene resipiscenti, pars animæ meæ, conjubilo, tuisque te despectionibus compellabo ut illa tibi iterato commendem, quorum pridem contempseras notionem. Frequentissime quidem et diligenter satis dilucidavi tibi, Moyse prodente, a Domino hominem de limo factum, et transgressiones ejus cataclysmo piatas; sequenter quoque eum in amicitiam sumptum, multaque in Ægypto et egressionis suæ itinere, pro eo et in eo fecisse magnalia, atque theologos multoties fecisse, quorum præcognoscentia Deus humanatus fieri est dignatus ex Virgine. Unde mihi responsalia frequenter remisisti, non solum te hæc esse vera funditus ignorare: verum etiam quis idem Moyses fuerit pernescire; Evangelium Jesu Christi, Dei totius majestatis, quod meum vocabas, renuere; Paulum vero, hominem mundi circuitorem et seminiverbium; de materialibus ad immaterialia non velle suscipere. Imo me refellendo, quoniam paterna religionis jura degener omittens, in sacrilegia nefaria me transfuderim, hortabaris autem ea quibus innitebar, dediscere; aut his dejectis, paterer mea mihi sufficere, et non numina divina seu leges patrias derogare.

Ut autem lux superna, paternæ gloriæ splendorem in tuæ mentis tenebras radiare suo proposito destinavit, penetralibus cordis mei infudit ut tibi memoriale pissimum recordarer, qualiter in Heliopoli, pene coævo mihi, ego quinque et viginti fere annorum tempus evolvens, pariter morabamur, quum feria quadam sexta, ferme hora etiam quasi sexta, luna se ei injiciente, sol est horribiliter obscuratus, quia non Deus, sed creatura Dei, lucis suæ occultu lucere nequivit. Quæstusque sum apud te, quid hinc tibi, prudentissime, videretur. Ex quo prudentia tua respondit, quod adeo tenaciter cordi mentis meæ inhæsit, ut nulla obliteratione abradi, nulla mortis imagine valeat aboleri. Obfuso namque orbe uniformiter tenebrarum caligine tabescente, ut purgatum redit solis diametrum, regulam Philippi Aridæi assumpsimus. Quumque reperimus, quod et erat notissimum, eatenus fatigatione ecliptica solem pati molestias non debere, et lunam ab oriente solarem fulgorem velis Æthiopicis obnubentem, solere in occidua ora captare profugia; tunc autem lucigenos thesauros caligines quas genuerunt, usque in Iliacos terminos (ut putavimus) proferentes, recondere occidentes, præsertim quum lunæ deesset, et nec conventus tempus propinquaret : aio ad te, peritiæ vastæ sacrarium, adhuc nescius tantæ rei mysterium : Quid, inquam, speculum doctrinæ Apollophane, his secretis adscribis ? Atque tu mihi loquens ore divino, et non humani sensus sermone : Ista, o bone Dionysi, divinarum retributiones sunt rerum. Denique notatum feriæ diem et annum, annuntiationi quam Paulus nostris auribus suspensis intonuit signis acclamantibus, concordare expertus, dedi veritati manus, et falsitatis sum nexibus
Joan. XIV, 6; I, 9. absolutus : quam ineffabiliter effero, tibique infero, quæ est et vita et via, ac verum lumen est quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Cui tu tandem, ut vere prudens, cessisti. Cessisti nempe vitæ, quum abdicasti mortem. Cuique bene facies inhærendo, quum hinc nobis arctius junctus fueris. Os enim illud est, cujus me fulgore obtenebrans, eras solitus hinc inde fucis multicoloriis et multiplicibus etiam intra penetralia infuliginare et acuminatis spiculis terebrare : quoniam ut fatebare, illius notitiæ sapida notio, ut inhiabas, mentali palato se resultabat, et dedignans, in ventre tuæ notitiæ sedem sumere abnuebat. Sic sic modo cognoscentia et provida corda gerens, suspice, ne pro his qui non sunt, quod est verum renuitas ; et pertinacior ad falsa tentantibus esto, quam ad verum quod est suggerentibus nostris votis exstiteras. Ita namque in Jesu, qui esse et vita mea est, lætus jam moriar, quum ipse in eo vives.

ARTICULUS XXVIII

EXPOSITIO INITII EPISTOLÆ HUJUS UNDECIMÆ ET ULTIMÆ : QUANTA FUERIT APOLLOPHANI IN ERRORE PERTINACIA.

APOLLOPHANUS iste est qui in epistola ad Polycarpum Apollophanes vocatur, et fuit B. Dionysii in studio astronomiæ consocius ante conversionem eorum ad Christum. Converso autem Dionysio, ille distulit, imo et restitit sapientiæ christianæ. Tandem conversus est per S. Polycarpum : quo cognito, S. Dionysius scripsit ei gratulabundus et fervens epistolam istam.

Nunc nunc mihi, id est ad meam consolationem, *sermo ad te dirigitur, præcordialis amor*, id est tu o præcordialiter care, quem tam præcordialiter amo, ut non amatum aut amicum te nominem, sed amorem, *multos sollicitudinum mearum angores de te replicans*, id est, tibi in epistola ista reiterans atque notificans varias curas et earum anxietates « de te », id est de tua conversione, *teque miti mente super recordia quæ tibi ex frivolitatis diutina pertinacia arguens*, id est, increpans te de diuturna immansione proprii sensus ex frivolis causis quæ te abstrahebant a fide, *et fanatica illusionum phantasmata insultans*, id est, caritative tibi improperans vana simulacra quorum apparitione in fanis seu templis deorum illudebaris. Quod faciendo, tango tibi *supernaturalem modificationem*, id est superpiissimam moderationem, *benignitatis Dei* adorandi *magnificentissime et diligentissime circa te**, id est, quæ « magnificentissime » et cum summa providentia tibi providit de tua conversione per mirabilia illa quæ in Christi passione fiebant te conspiciente.

* adorando

Tibi bene resipiscenti, pars animæ meæ, conjubilo, id est, cum ineffabili gaudio congratulor « tibi » salubriter « resipiscenti », id est, revertenti ac pœnitenti a pristinis tuis erroribus et peccatis, o « pars animæ meæ », id est, mihi ita dilecte ac si esses pars meæ essentiæ : secundum quod amicus dicitur alter ego, et dimidium diligentis.

*Tuisque te despectionibus complebo**, id est, addam et utar in bonum aspernationibus quibus credentes in Christum sprevisti, *ut illa tibi iterato commendem*, id est, illa cum repetitione eorumdem commemorem pro tua conversione, vel potius confortatione in fide, *quorum pridem contempseras notionem*, id est, quæ paulo ante noscere despexisti.

* compellabo

Frequentissime quidem et diligenter satis dilucidavi, id est, clare exposui, *tibi, Moyse prodente*, id est, in Genesi describente, *a Domino hominem de limo factum* : quod non credebat Aristoteles, mundum et generationem æstimans ab æterno fuisse. Qui tamen fatetur alicubi, necessario concedendum prius fuisse hominem, quam hominis semen : quo concesso, sequitur fuisse aliquem hominem non generatum ex semine, sed productum a Creatore. *Et transgressiones ejus*, id est, peccata generis humani, *cataclysmo piatas*, id est diluvio expiatas seu ultas, imo et indultas his qui in diluvio vere pœnituerunt.

Sequenter quoque eum in amicitiam sumptum, id est consequenter post diluvium in amicitiam Dei receptum, quantum ad eos qui post diluvium justi fuerunt, inter quos Abraham specialiter amicus Dei vocatus est ; *multaque in Ægypto et egressionis suæ itinere, pro eo et in eo fecisse magnalia*, id est, Deum fecisse diversa et magna miracula pro liberatione Hebræo-

Jac. II, 23

rum ab Ægyptiis, et in populo illo in exitu ejus de terra Ægypti; atque theologos multiplices effecisse, id est Prophetas et doctores frequenter constituisse ex plebe illa, quorum prænuntiationibus, id est juxta quorum prænuntiationem et vaticinationem, Deus Unigenitus Patris humanatus fieri, id est homo effici, est dignatus ex Virgine.

Unde mihi responsalia, id est responsa, *frequenter remisisti, non solum te hæc esse vera funditus ignorare*, id est te non solum nescire quod ista sint vera; *verum etiam quis ille Moyses fuerit penitus nescire*, id est, omnino nescire quis fuerit Moyses ille; *Evangelium Jesu Christi, Dei totius majestatis, quod meum vocabas, renuere*, id est, negare nec acceptare Evangelium Christi, qui est Deus perfectus: ipso Evangelium illud aspernatorie dixisti esse evangelium Dionysii, tanquam credentis prædicantisque valde illud; *Paulum vero, hominem mundi circuitorem*, id est gyrovagum *et seminiverbium*, id est, verbosum et seminatorem verborum C inanium esse dixisti, sicut in Actibus le- A gantur dixisse quidam Athenienses philosophi: Quid vult seminiverbius hic dicere? (Act. XVII, 18.) *De materialibus ad immaterialia non velle suscipere*, id est, dixisti te non velle suscipere, nec sentire nec credere de corporalibus quasi de incorporalibus, ut quod homo sit verus Deus.

*Ipsa me referiendo**, id est improperatoriis verbis repercutiendo ac refellendo, (* verberando) *quoniam propriæ** *religionis jura deserere dimittens**, id est, quod relinquens legem et jussa patrum meorum, quam (* paternæ) (* dimittens) B personaliter diu servavi, ut quasi illegitimus et bastardus consisterem, *in sacrilegia nefaria me transfuderim*, id est, ad superstitiosa et falsa abusivaque divinorum transtulerim me; *hortabaris autem eo quibus innitebar, dediscere*, id est, deserere illa quibus jam cœpi inniti, et reprobationes illorum accipere; *aut his dejectis*, id est illis contemptis, *paterer mea mihi sufficere*, id est, contentus essem lege quam assumpsi, nec alias reprobarem, *et non numina divina*, id est deos, *nec** (* seu) C *leges patrias*, id est paternas vel propriæ terræ, *derogare*, id est blasphemare.

ARTICULUS XXIX

APOLLOPHANEM JAM CONVERSUM S. DIONYSIUS HORTATUR AD FORTIUS RESISTENDUM ERRORI.

Ut *autem*, id est postquam, *hic superne*, id est Pater æternus, *paternæ gloriæ splendorem*, id est unicum et naturalem consubstantialemque Filium suum, (Hebr. I, 3.) qui est splendor paternæ gloriæ, *in tuæ mentis tenebras*, id est in mentem tuam usque tunc tenebrosam, *radiare*, id est sapientiæ lumen ac fidem infundere, *suo proposito destinavit*, id est decrevit, *penetralibus cordis mei infudit ut tibi memoriale plurimum recordarer*, id est, recordando describerem mirabilissimam scilicet eclipsim ad fidei firmamentum D piissime exhibitam; *qualiter in Heliopoli* civitate Ægypti, *pene coæva mihi, ego quinque et viginti fere annorum tempus evolvens, pariter morabamur*, quasi æqualis ætatis, ita quod tunc totidem eramus annorum, vel quod tot anni interim fluxerunt, *quum feria quadam sexta, ferme hora etiam quasi sexta, luna se ei injiciente, sol est horribiliter obscuratus*, supponente se ei luna tempore oppositionis, *quia non Deus, sed creatura Dei, lucis suæ occubitu lucere nequivit*; id est, non quod impossibile fuit Deo lucere, sed

sole ex prætacto impedimento non lucente : non quod soli subtracta sit lux, sed emicatio lucis super terram ex interposito opaco obstaculo. Vel sic : « quia non Deus, sed creatura Dei », id est, quia sol, qui non est Deus, sed creatura, « nequivit lucere » in « occubitu » id est defectu et morte, « lucis suæ », id est Christi, qui est causa lucis solaris.

*Tunc questus**, id est conquestus et sciscitatus, *sum apud te, quid hinc tibi, prudentissime, videretur. Ex quo*, id est ex qua quæstione et ad quam, *prudentia tua respondit, quod adeo tenaciter cordi mentis meæ*, id est memoriæ spiritus mei, *inhæsit, ut nulla obliteratione*, id est nulla amotione ex aliarum specierum impressione, *abradi, nulla mortis imagine*, id est quacumque gravi ægritudine, quæ est quasi mortis imago, *valeat aboleri*, id est a memoria mea deleri.

* Quæstusque

Obfuso namque orbe uniformiter tenebrarum caligine tabescente, id est orbe elementari tenebris cooperto, quæ tenebræ fuerunt nobis causa vehementissimæ admirationis, *ut purgatum rediit solis diametrum*, id est, postquam corpus seu globus solis « purgatum », id est a caligine emundatum, « rediit » ad pristinam claritatem secundum totum « solis diametrum, *regulam Philippi Aridæi*, id est tabulam astronomi sic vocati, *assumpsimus* ad sciendum ex arte et canone viri illius, qualis esset illa eclipsis.

Cumque reperimus, quod et erat notissimum, etiam sine inquisitione, *catenus fatigatione ecliptica solem pati molestias non debere*, id est, tunc naturale tempus non esse quod sol eclipsaretur, *et lunam ab oriente solarem fulgorem velis Æthiopicis obducentem, solere in occidua ora captare profugia*, id est, cognovimus quoque quod luna, quæ solet tempore naturalis eclipsis lucem solis quasi nigris caliginibus obscurare, et in occidentem moveri, quæ luna tunc venit ab oriente ad supponendum se soli ; *tunc autem lucigenos thesauros*, id est solem et lunam,

A in quibus abundat lumen, *caligines quas genuerunt*, id est, tenebras quas fecerunt ex situatione unius sub alio, *usque in Iliacos terminos*, id est fines Trojanos, *ut putavimus, proferentes*, id est causantes, *recondere occidentes*, id est radios tunc deficientes abscondere incolis terræ, *præsertim quum lunæ deesset* naturalis facultas eclipsandi tunc solem, *et nec conventus*, id est conjunctionis et incensionis, *tempus propinquaret*, quia tunc oppositio fuit. *Aio ad te, peritiæ vastæ sacrarium*, B id est, dixi ad te, o vas sacrum magnæ et latæ « peritiæ », *adhuc nesciens tantæ rei mysterium*, id est rationem abditam ac divinam tam supernaturalis eclipsis. *Quid, inquam, speculum doctrinæ Apollophane, his secretis adscribis?* id est, quid causæ et rationis ipsis attribuis?

*Ad quæ** *tu mihi inquiens ore divino, et non humani sensus sermone*, id est, ad verba mea mihi loquens respondisti « ore divino, et non sermone sensus humani », id est occulto oraculo : *Ista, o bone Dionysi,* C *divinarum retributiones sunt rerum*, id est quidam justi effectus contingentes ob injuriam et irreverentiam illatam Deo seu divinis substantiis.

* Atque

Denique notatum feriæ diem, videlicet sextam feriam Parasceves, qua contigit istud, *et annum, annuntiationi*, id est prædicationi, *quam Paulus nostris auribus suspensis intonuit signis acclamantibus, concordare expertus*, id est, plene certificatus evidentia facti, quod dies ille et annus concordabant mirabilibus quæ præ- D dicavit atque peregit Paulus, inter cetera dicens : Quod ignorantes colitis, hoc ego annuntio vobis; *dedi veritati manus*, id est, intellectum meum et voluntatem subjeci et acquiescere feci doctrinæ prædicationis beatissimi Pauli, *et falsitatis sumneribus absolutus*, id est liberatus a vinculis infidelitatis et culpæ. *Quam veritatem ineffabiliter affecto**, id est, amo ac omnibus innotescere cupio, *tibique infero*, id est, tuis præcordiis imprimo, *quæ est et vita et via*, juxta quod dixit : Ego

Act. xvii, 23

* effecto

Joan. xiv, 6

sum via et veritas et vita ; *ac verum lumen es*, id est essentialiter lux immensa, supersimplicissima et æterna, *quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, saltem lumine naturali. (Joan. I, 9.)

Cui tu tandem, ut vere prudens, consensi, id est, obedisti. *Consuli namque veter*, quæ est Christus, *quasi abdicasti* ab animæ tuæ secretis infidelitatis et culpæ. *Cuique bene fuisti inhærendo*, id est, in ea usque in finem perseverando salubriter agis, *quem hunc nobis arctius junctus fueris*, id est, de cetero carior et præcordialior nobis consistens.

Ut enim illud est, cujus me fulgore obtenebrare, id est, ut tuum est, cujus apparentibus argumentis me aliquando quasi obcæcans, *eras solitus hoc tuo fucis multicoloribus et multiplicibus*, id est coloratis multipliciter et ornatis instantiis, *quæ* intra penetralia infulgurare et acuminatis spiculis terebrare*, id est, quæ præcordiis nostris instar fulgorum et acutissimorum jaculorum infligere consuevisti ; *quoniam ut fatebare*, id est, dicebas nondum conversus, *illius notitiæ sapida potio*, id est cognitio veritatis fidei, quæ vere est « sapida » et virtuosa, *ut tuis alias, osculati palato se resultabat*, id est, resiliebat a cordis tui palato, quia non sapuit tibi, et malnoeti quod quasi retrusa abiret, *et dulcyama, in ventre tuo notitiæ sedem ponere dissuadebat*, juxta illud Gregorii : Veritas eam quam non invenit humilem, fugit mentem. Quæ et in Proverbiis exclamat : Si quis est parvulus, veniat ad me ; et in Ecclesiastico : Superborum et sublimium colla propria virtute calcavi. (* illud) (Prov. IX, 4. Eccli. XXIV, 11.)

Sic sic mole cognoscentia et providentia gerens, id est, tu modo habens illuminatas et providas mentis considerationes ac habitus sapientiales, *suspice*, id est, sursum attende, et Deum præ oculis habe, *ne pro his qui non sunt*, id est falsis diis et simulacris, *quod est verum remittas*, id est, cognitam veritatem dimittas ; *et pertinacior ad falsa tentantibus esto*, id est, firmius resiste conantibus te a fidei veritate retrahere, *quam ad verum quod est suggerentibus nostris votis fueras**, id est, quam eras resistens exhortationibus et desideriis nostris caritativis « suggerentibus » tibi « quod verum est », id est christianæ fidei veritatem, catholicam ac saluberrimam vitam. (* exstiteras)

Ita namque in Jesu esse te volo per fidem, spem et caritatem, perseverantiamque finalem, imo et per quotidianum condignum profectum ; *et vita mea lætus* jam moriar*, id est, libenter et jucunde moriar in hac vita et emigrabo ex ea, id est, circa horam mortis hilarior ero de tua salute gaudendo (porro in puncto mortis gaudere, non est multorum), *quum ipse in eo vivas**, qui est vita, salus et gloria nostra, Deus : ad quem jugiter adspirare, fervere ac gemere in valle hac lacrimarum nos congruit, atque ex corde dicere ei : Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, o creator et salvator animæ meæ, qui es super omnia Deus sublimis et benedictus. Amen. (* in Jesu, qui esse et vita mea est, lætus) (* vivis) (Ps. XLI, 2.)

TRANSLATIO JOANNIS SCOTI

JAM nunc mihi ad te oratio, præcordialis amor, multos tibi sollicitudinum mearum angores de te replicans ; teque miti mente super vecordi notæ tibi frivolitatis diutina pertinacia arguens, et de te fanatica illusionum phantasmata insultans, supernaturalem mollificationem benignitatis Dei magnificentissime et diligentissime adorando, tibi bene resipiscenti, pars animæ meæ, conjubilo ; tuisque te despectionibus

compellabo, ut illa tibi iterata commendem, quorum pridem contempseras notionem. Frequentissime quidem et diligenter satis dilucidavi tibi, Moyse prodente, a Domino hominem de limo factum, et transgressiones ejus cataclysmo piatas; sequenter quoque eum in amicitia sumptum, multaque in Ægypto et egressionis suæ itinere pro eo et fecisse magnalia, atque theologos multimodos fecisse, quorum prænoscentia Deus humanatus fieri ex Virgine est dignatus. Unde mihi responsalia multoties remisisti, non solum te hæc esse vera funditus ignorare: verum et quis idem Moyses fuerit, pernescire; Evangelium Jesu Christi, Dei totius majestatis, quod meum vocabas, renuere; Paulum vero, hominem mundi circuitorem et seminiverbium; de materialibus ad immaterialia non velle suscipere. Imo me refellendo, quoniam paterna religionis juga degener omittens, in sacrilegia nefaria me transfuderim, hortabaris autem ea quibus innitebar, dediscere, aut his deletis, paterer mea mihi sufficere, et non numina divina seu leges patrias derogare.

Ut autem lux superna paternæ gloriæ splendorem in tuæ mentis tenebras radiare suo proposito destinavit, penetralibus cordis mei infudit ut tibi memoriale piissimum recordarer, qualiter in Heliopoli, pene coævum mihi, ego quinque et viginti annorum fere tempus evolvens, pariter morabamur, quum feria quadam sexta, ferme hora etiam quasi sexta, luna se ei injiciente, sol est horribiliter obscuratus, quia non Deus, sed creatura Dei, lucis suæ occubitu lucere nequivit. Questusque sum apud te, quid hinc tibi prudentissimo* videretur. Ex quo prudentia tua respondit quod adeo tenaciter cordi mentis meæ inhæsit, ut nulla obliteratione abradi, nulla mortis imagine valeat aboleri. Offuso namque orbe uniformiter tenebrarum caligine tabescente, ut purgatum rediit solis diametrum, regulam Philippi Aridæi assumpsimus. Quumque reperimus, quod et erat notissimum, eatenus fatigatione ecliptica solem pati molestias non debere; et lunam ab oriente solarem fulgorem velis Æthiopicis obducentem, solere in occidua ora captare perfugia, tunc autem lucigenos thesauros, caligines quas genuerunt, usque in Iliacos terminos (ut putavimus) proferentes, recondere occidentes, præsertim quum lunæ deesset, et nec conventus tempus propinquaret: aio ad te, peritiæ vastæ sacrarium, adhuc nescius tantæ rei mysterium: Quid, inquam, speculum doctrinæ Apollophane, his secretis adscribis? Ad quæ tu mihi inquiens omine divino, et non humani sensus sermone: Ista, o bone Dionysi, divinarum retributiones sunt rerum. Denique notatum feriæ diem et annum, annuntiationi quam Paulus noster auribus suspensis intonuit signis acclamantibus, concordari expertus, dedi veritati manus, et falsitatis sum nexibus absolutus. Quam ineffabiliter effero, tibique infero: quæ est et via et vita, ac verum lumen est quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Cui tu tandem, ut vere prudens, cessisti. Cessisti nempe vitæ, quum abdicasti mortem. Cuique bene facies inhærendo, quum hinc nobis arctius junctus fueris. Os enim illud est, cujus me fulgore obtenebrans, eras solitus hinc inde fucis multicoloriis et multiplicibus etiam intra penetralia infuliginare et acuminatis spiculis terebrare: quoniam ut fatebare, illius notitia sapida nosci, ut inhiabas, mentali palato resultabat, et dedignans, in ventre tuæ notitiæ sedem sumere abnuebat. Sic sic modo cognoscentia et provida corda gerens suspice, ne pro his qui non sunt, EST verum remittas; et pertinacior ad falsa tentantibus esto, quam ad verum EST, suggerentibus nostris votis, exstiteras. Ita nam in Jesu esse et vita mea lætus jam moriar, quum ipse in eo vives.

* prudentissime

Joann. XIV, 6. I, 9.

S. DIONYSII AREOPAGITÆ

EPISTOLÆ AD DIVERSOS

TRANSLATIO JOANNIS SARRACENI

Octo priores epistolas necnon undecimam, quæ supra Commentariis Ven. Patris nostri Dionysii illustratæ exhibentur, rursus hic ponere superfluum duximus. Quas reperire est paginis 501, 504, 506, 508, 512, 515, 517, 527, et 587.

EPISTOLA IX

AD TITUM PONTIFICEM.

SANCTUS quidem Timotheus, o honestissime Tite, nescio si aliquid cognitorum est mihi theologicorum signorum, quod non audierit : sed in Theologia symbolica bene discrevimus ipsi Eloquiorum omnes de Deo visas multis esse prodigiales locutiones. Etenim omnem incongruentiam duram imprimunt imperfectis animabus, quando secretæ sapientiæ patres per quædam occulta quidem et præsumpta ænigmata manifestant divinam et mysticam et inviam immundis veritatem. Propter quod et increduli sumus multi sermonibus et divinis mysteriis. Videmus enim illa cum sensibilibus signis adsistentibus illis. Oportet autem et reddentes ipsa in se ipsis nuda et munda facta videre. Ita enim videntes honoremus fontem vitæ, ad se ipsum effusum *Ps. xxxv, 10, Eccli. i, 5.* atque in se ipso stantem videntes, et unam quamdam virtutem simplicem, per se mobilem, per se operantem, se ipsam non relinquentem, sed cognitionem omnium exsistentem, et semper per se ipsam inspicientem.

Igitur arbitrati sumus oportere et ipsi et aliis a nobis, sicut possumus, reserare largissimas formationes significativæ de Deo sanctæ compositionis. Nam exteriora ejus quam incredibili et compositivo adimplentur prodigio? sicut in supersubstantiali Dei fecunditate, ventrem Dei corporaliter Deum gignentem componentis, et verbum in *Ps. [illegible], 3* aera a corde virili eructuante ipsum, et spiritum emissum ab ore describentis, et *Ps. [illegible], 2 Ps. [illegible]* sinus deigenos in ulnis portantes Dei Filium (ut decet corpus) nobis laudantis ; aut *[illegible]* ad modum plantarum ista componentis, et arbores quasdam et surculos et flores et *Eccli. xxiv, 17-23* radices proponentis, aut fontes aquarum emanantes, aut splendorum productivas lucis *[illegible]* generationes, et alias quasdam supersubstantialium theologiarum manifestissimas sanctas scripturas ; intelligibilibus autem Dei providentiis, aut donis, aut manifestationibus, aut virtutibus, aut proprietatibus, aut finibus, aut mansionibus, aut processibus, aut discretionibus, aut unitione, hominis compositionem Deo et ferarum et animalium aliorum et plantarum et lapidum variam formationem componentis, et ornatus ipsi *Sap. [illegible] Hebr. i, 3 Cant. [illegible] Dan. [illegible] Apoc. [illegible]*

muliebres aut barbaricas armaturas circumponentis, et figulariam et fusoriam (sicut operanti in igne cuidam) apponentis, et equos ipsi et currus et thronos substernentis, et cibos palmatiferos construentis, et potatum et inebriatum et dormientem et crapulatum componentis. Quid si dicat quis iras, tristitias, omnimoda juramenta, pœnitentias, maledictiones, insanias, multiformia et obliqua peccati promissionum sophismata? et Genesi gigantum pugnam, [in qua] moderi ex timore dicitur potentibus illis viris, et hæc ad ædificationem non ad injuriam quorumdam aliorum, sed pro salvatione sui ipsorum, machinatis? et consilium illud in cœlo, in dolo et deceptione Achab constructum? et Canticorum materiales et amatorias et multas passiones? et quæcumque aliæ sunt omnia audentis Dei compositionis sanctæ compositiones apparentes occultorum propositæ, et multiplicatæ et divisibiles singulorum et indivisibilium, et figurativæ et multiformes infigurabilium et informabilium?

Quarum si quis posset videre intus absconditum decorem, inveniet mystica et deiformia omnia, et multo theologico lumine adimpleta. Non enim æstimamus apparentes compositiones pro se ipsis esse compositas, sed esse propositas causa secretæ et invisibilis multis scientiæ, quod non ab immundis facile capiantur sanctissima, solum autem revelentur sanctitatis propriis amatoribus, sicut omnem puerilem phantasiam in sanctis signis destruentibus, et sufficientibus transire mentis simplicitate et contemplativæ virtutis bonitate, ad simplicem et supernaturalem et præcollocatam signorum veritatem. Et aliter et hic intendere oportet duplicem esse theologorum traditionem: hanc quidem secretam et mysticam, illam apparentem et notiorem; et hanc quidem significativam et perfectivam, illam autem mysticam et receptivam: et complicitum est dicendo non dicendum. Et hoc quidem persuadet, et ligat veritatem; illud autem operatur, et collocat indocibilibus mysteriorum perfectionibus. Et quidem neque in sanctorum mysteriorum perfectionibus, nostræ autem legalis traditionis sancti magistri a Deo convenientibus abstinuerunt signis. Sed et sanctissimos angelorum per ænigmata mystice divina proferentes videmus, et ipsum Jesum in parabolis theologizantem, et deifica mysteria per figurativam Cœnam tradentem. Etenim conveniens erat, non solum incontaminata servari a multis sancta sanctorum, sed et ipsam humanam vitam, indivisibilem simul et divisibilem exsistentem, juxta proprietatem suam divinis illuminari cognitionibus; et impassibile animæ quidem, ad simplices et intimas deiformium imaginum segregare visiones; passibile autem ipsius, connaturaliter currere* simul et extendere ad divinissima, ingeniosæ ante compositionis figurativorum signorum figurationibus; cui cognata talia naturaliter sunt velamina. Et monstrant quicumque et ante velamina extra theologiam planam quum audierint, in se ipsis componunt figuram quamdam ad intellectum dictæ theologiæ ipsos manuducentem. Et etiam ipsa apparentis omnis mundi operatio, est invisibilium Dei propositio, quemadmodum dicit et Paulus et verus sermo. Propter quod et theologi quædam quidem civiliter et legaliter inspiciunt, quædam autem supermundane et incontaminate; et quædam quidem humane et medie, quædam autem supermundane et perfective; et aliquando quidem a legibus apparentibus, aliquando quidem ab occultis legibus, secundum hoc quod convenit subjectis sanctis rebus et mentibus et animabus. Non enim historiam habet vacuam, sed vivificam perfectionem, propositus ipsis et universis et per omnia sermo.

Oportet igitur et nos pro litigativa de ipsis suspicione, intra sancta signa ut decet sancte transire, et neque inhonorare ipsa, divinorum characterum exsistentia germina et expressiones, et imagines manifestas secretarum et supernaturalium visionum. Etenim non sola supersubstantialia lumina et intelligibilia et simpliciter divina figurativis variantur signis, sicut supersubstantialis Deus ignis dictus, et intelligibilia...;

simul et intellectualium angelorum deiformes ornatus, formis variis describuntur, et multiformibus et igneis formationibus. Et aliter oportet eamdem ignis imaginem, de Ps. [illegible], 1. Deo quidem super intellectum dictam, accipere ; aliter autem, de intelligibilibus ipsius providentiis aut rationibus : et quidem hanc secundum causam, illam autem secundum essentiam, quamdam autem secundum participationem, et alia aliter, sicut secundum ipsa contemplatio et sapiens ordinatio constituit ; et non sicut casu sancta signa confundere, sed convenienter ipsa causis aut essentiis aut virtutibus aut ordinationibus aut dignitatibus aperire, quorum sunt manifestativæ compositiones.

Et ut non infra quam convenit epistolam faciamus, ad ipsam propositam a nobis quæstionem jam est eundum. Et dicimus, quod omne alimentum perfectivum est eorum quæ aluntur, imperfectionem ipsorum et indigentiam adimplens, et infirmum curans, et vitam ipsorum servans et reflorere faciens et renovans, et vivificum ipsis bonum affectum donans, et simpliciter a tristante et imperfecto liberans, et lætitiam ipsis et perfectionem largiens. Unde ergo supersapiens et bona Sapientia ab Eloquiis Prov. IX. laudatur cratera mysticum statuens, et sanctum ipsius potum propinans, magis autem ante hæc fortia alimenta proponens, et cum alta prædicatione ipsam rogantibus ipsa benigne immittens. Duplex igitur alimentum divina Sapientia proponit : unum quidem forte et manens, aliud autem humidum et profusum ; et in cratere donat provisivas ipsius bonitates. Igitur crater quidem rotundus exsistens et apertus, signum sit exsistentis simul et ad omnia circumeuntis, carentis principio et interminabilis, totorum providentiæ. Sed quoniam ad omnia procedens manet in se ipsa, et stat immobili identitate, et perfecte inegressibili a se ipsa collocata singulariter et fixe ; et ipse crater stat. Ædificans autem et Sapientia domum sibi ipsi dicitur, et in ipsa fortia alimenta Ibid. et potus et craterem proponens : quod fit divina sicut decet Deum conferentibus. Manifestum quidem est et providentia perfecta est, quæ est causa ut sint omnia, et ad omnia procedit, et in omni fit, et continet omnia ; et rursus ipsa in se ipsa secundum excessum, nihil in nihilo, secundum quod nihil est, sed segregatur a totis, ipsa in se ipsa eodem modo et æternaliter exsistens et stans et manens, et semper secundum eadem et eodem modo habens ; et nunquam extra se ipsam facta, neque a propria sede et immobili mansione et essentia deficiens, sed in se ipsa totas et perfectissimas providentias optime operans ; et proveniens in omnia, et manens in se ipso, et stans semper motus... : sed sicut aliquis dicat, provisivas operationes in mansione, et mansionem providendo et naturaliter simul et supernaturaliter habens.

Sed quod est forte alimentum, et quod humidum ? Ista enim bona Sapientia dare simul et providere laudatur. Igitur forte quidem alimentum compositionem fore arbitror intellectualis et manentis perfectionis et identitatis, secundum quam divina secundum fortem et stantem et unitivam et indivisibilem cognitionem participantur ab intellectualibus sentiendi instrumentis illis quibus divinissimus Paulus ex Sapientia excipiens *, vere forte alimentum tradit ; humidum autem, diffusivæ simul et ad omnia * accipiens procedere studendis affluentiæ, et adhuc per varia et multa et divisibilia ab istis ad Hebr. V, 14. simplicem et non tremulam Dei cognitionem nutritos, juxta proprietatem suam bonitate manuducentis. Propter quod et rori et aquæ, divina et intelligibilia Eloquia, et lacti et melli et vino assimilantur, propter vitæ generativam ipsorum sicuti in aqua virtutem, et augmentativam sicuti in lacte, et revivificativam sicuti in vino, et mundificativam simul et servativam sicut in melle. Hæc enim divina Sapientia donat accedentibus, copiose ipsis et indeficienter alimentorum affluentiam largiens et supermanans. Hoc igitur vere alere, et propter ista vivificata simul et puerorum nutritiva, et renovativa et perfectiva est laudata.

Secundum istam autem sanctam alimenti reserationem, et ipse omnium optimus inebriari dicitur, propter superplenam et super intellectum alimenti, aut ut magis proprie dicatur, bonæ habitudinis Dei, perfectam et ineffabilem immensurationem. Sicut enim in nobis secundum pejus, ebrietas incommensurabilis adimpletio est, et mentis et sensuum excessus; ita secundum melius, in Deo ebrietatem non aliud aliquid oportet cogitare, quam superplenam secundum causam præexsistentem in ipso omnium bonorum incommensurationem. Sed et excessum sciendi qui consequitur ebrietatem, et excessum Dei qui est super intellectum convenit arbitrari, secundum quem segregatur ab intellecto, qui est super intelligere et intelligi et ipsum esse. Et simpliciter, ab universis quæcumque sunt bona, inebriatus simul et ecstasim passus est Deus, omnibus ipsis simul et superplenus exsistens, immensurationis omnis excessu, et rursus extra et ultra tota sursum positus. Ab istis quidem moti, et convivia
Luc. XII, 37. Sanctorum in regno Dei secundum eumdem accipiemus modum. Transiet enim tunc ipse Rex, et recumbere faciet ipsos, et ipse ministrabit illis. Manifestant enim hæc communionem quamdam et consentientem Sanctorum in divinis bonis adimpletorum et
Hebr. XII, 23. reclinatorum communionem, et Ecclesiam primitivorum descriptorum in cœlis, et spiritus justorum omnibus bonis perfectos et omnibus bonis adimpletos. Et reclinationem quidem opinamur a multis laboribus, et vitam sine læsione, et conversationem divinam in lumine et regione viventium universo bono affectu sancto adimpletam, et copiosissimorum et beatissimorum bonorum copiosam donationem, secundum quam lætitia universa sunt adimpleta. Hoc idem est lætari, Jesu recumbere facientis ipsos et ministrantis, et æternam quietem et adimpletionem bonorum distribuentis simul et infundentis.

Inquires autem, bene novi, et divulgatum somnum Dei et evigilationem reserari. Et quando dicimus divinum somnum esse segregatum Dei et incommunicabile a provisis, evigilationem autem, attentionem ipsius ad providendum indigentibus disciplina aut salvatione; ad alia theologia signa transibilis. Quapropter et superfluum esse arbitrati, eadem eisdem revolventes, alia videri dicere, simul autem nos cognoscentes ad credendum bona, ea quidem quæ sunt epistolæ, in dictis finiemus, quum exposuerimus (sicut arbitror) plura quam nostris litteris debeantur. Ipsam autem totam nostram Symbolicam theologiam mittimus: in qua invenies cum Sapientiæ domo et columnas septem discretas, et forte alimentum ipsius in sacrificia et panes divisum, et quæ vini mixtio, et rursus quæ ab ebrietate Dei et crapula. Et ipsa etiam non dicta, diffusius in ea sunt discreta; et est, ut arbitror, omnium symbolicarum theologiarum inventio bona et conveniens Eloquiorum sanctis traditionibus et veritatibus.

EPISTOLA X

AD SANCTISSIMUM JOANNEM APOSTOLUM ET EVANGELISTAM.

SALUTO te sanctam animam, o dilecte: et mihi est hoc ad te præter multos magis proprium. Gaude, vere dilecte, vere amabili et desiderabili et diligibili valde dilecte. Quid est mirabile, si Christus est verax, et discipulos injusti civitatibus expellunt, ipsi secundum dignitatem sibi ipsis attribuentes, et a Sanctis immundi discedentes et recedentes? Vere manifestæ imagines sunt visibilia invisibilium. Neque enim in

sæculis venturis causa erit justarum segregationum ex ipso Deus, sed a Deo perfecte se ipsos segregantes : sicut et alios videmus hic jam cum Deo factos, quoniam veritatis exsistentes amatores, ab affectu quidem recedentes materialium, in omni autem omnium malorum libertate et amore divino bonorum universorum, pacem diligunt et sanctitatem, et ex præsenti vita incipiunt futuram, ut decet angelos in medio hominum conversati cum impassibilitate omni, et Dei nominatione, et sanctitate, et aliis bonis. Igitur non aliquando ita insaniam, quod putem nos aliquid secundum corporis passiones, sed solum judicare ipsas sentire credo. Injuriam autem nobis facientes, et relegare arbitrantes non recte Evangelii solem, juste causam habens opto ab istis dimissos quæ contra se ipsos faciunt, ad bona converti, et ad se ipsos nos trahere, et sumere de lumine. Nos autem neque contrarium privabit Joannis splendidissimo radio : nunc quidem consecuturos memoriam et renovationem tuæ veræ theologiæ; paulo autem posterius (dicam enim, quamvis est audaciæ), nobis ipsos uniendos. Dignus autem credi sum omnino, præcognita tibi et discens ex Deo, et dicens quod ex custodia quæ est in Patmos dimitteris, et ad terram Asiæ reverteris, et facies ibi boni Dei imitationes, et his qui erunt post te trades.

S. DIONYSII AREOPAGITÆ

EPISTOLÆ AD DIVERSOS

TRANSLATIO AMBROSII ABBATIS

CAMALDULENSIS ORDINIS

EPISTOLA PRIMA

AD CAIUM CULTOREM.

TENEBRÆ luce vanescunt, eoque magis, quo major fuerit copia luminis; ignorantiam agnitiones excludunt, atque eo itidem magis, quo illæ fuerint plures. Hæc autem per eminentiam et non per privationem dicta accipe, et vere prorsus enuntia, quod lateat profecto eos qui hanc habent, vera illa lux, rerumque scientia, ea scilicet quæ dicitur in Deo ignoratio; et quæ illi supereminent tenebræ, totoque illo operiuntur lumine omnemque scientiam fugiunt. Ac si quis conspicatus Deum, id ipsum quod vidit intellexit, non ipsum intuitus est, sed ejus aliquid ex iis quæ sunt et in notitiam cadunt. Ceterum ipse, quod supra mentem omnem atque substantiam locatus emineat, eo ipso quod omnino neque sciri neque esse dicitur, et supersubstantialiter est et super omnem mentem atque intelligentiam noscitur; præstansque illa et perfecta ignoratio, ejus vera cognitio est qui omnibus noscibilibus eminet.

EPISTOLA II

AD EUMDEM CAIUM.

QUONAM modo is qui universa transcendit, ipsam quoque celsitudinem Deitatis ac bonitatis excellit? Si deitatem atque bonitatem, rem ipsam intelligas benefici ac deifici muneris, imitationemque illam summi Dei summique boni nequaquam imitabilis, per quam dii ac boni efficimur, cogites. Nam si hoc iis qui ad id evasere dignitatis ut dii bonique fierent, initium est, profecto is qui principium omne vi suæ majestatis excellit eam quoque quam sic dicimus deitatem atque bonitatem, hunc in modum deitatem bonique principatum superat, quemadmodum qui imitationi captuique non patet, imitationes captusque præcellit, et imitantes atque participantes.

EPISTOLA III

AD EUMDEM CAIUM

Repente dicitur, quum quid præter spem ac veluti ex abdito quodam profertur in lucem. Porro in sacramento humanitatis Christi hoc etiam arbitror Theologiam significare voluisse, quod ex occulto supersubstantialis ille Deus in conspectum nostrum repente processerit humana substantia et carne vestitus. Occultus autem etiam post revelationem illam, sive ut divinius loquar, in ipsa quoque sui revelatione, perdurat. Et hac enim ex parte Jesus secretus occulitur, nulloque vel sermone vel animo ipsius mysterium promitur; sed et quum profertur, arcanum, et dum intelligitur, manet incognitum.

EPISTOLA IV

AD EUMDEM CAIUM.

Quonam modo, inquis, Jesus qui cuncta transcendit, hominibus ceteris essentiæ communione coordinatur? Non enim ut auctor hominum hoc loco homo dicitur, sed ut revera homo tota substantiæ veritate circumdatus. Nos autem Jesum non humana ratione definimus. Neque enim ille homo tantum est, neque supersubstantialis esse posset qui homo tantum esset; sed est homo verus, qui singulari benignitate amator hominum, supra homines ac secundum homines ex hominum substantia carnem supersubstantialis accepit. Est autem nihilo minus altissimæ illius divinæque substantiæ, is qui semper supersubstantialis est, perquam plenus atque exuberans. Itaque a tanta magnitudinis celsitudine ad nostra etiam veraciter infirma descendens, ultra humanum modum substantiam nostræ carnis accepit, ac supra hominem quæ sunt hominis gessit. Cujus rei evidens indicium est, Virgo excellentis miraculi novitate concipiens, et aqua instabilis ac fluida, materialium terrenorumque pedum sustinens pondus, nec cedens, sed supermundana admirandaque potentia constans ad materiæ solidioris imaginem. Quid vero cetera, quæ sunt permulta, commemorem, per quæ, si quis ea digne et ultra modum capacitatis humanæ mentis discutiat, animadvertet ea etiam quæ in summa illa Jesu benignitate affirmative dicuntur, vim excellentioris negationis habere reconditam. Namque, ut breviter dixerim, neque homo ille erat: non quasi non homo humanæque conditionis exsors, sed veluti ex hominibus, ultra homines ac super hominem homo veraciter factus. Jam quoque neque divina ut Deus neque ut homo humana perficiens, sed Deo homine facto, novam quamdam ac inusitatam ex divinitate atque humanitate permixtam operationem, nobiscum quidem conversatus, ostendens.

EPISTOLA V

DOROTHEO MINISTRO.

Caligo divina est inaccessibilis lux in qua inhabitare dicitur Deus. Et quidem I Tim. vi,
quum sit illa invisibilis propter eximiam et quæ substantiæ supereminet clari- 16.
tatem, eademque inaccessibilis pro immensa ex se manantis supersubstantialis luminis copia, ad hanc pertingit eaque absorbetur quisquis Deum nosse ac videre meruerit; eoque ipso quod neque videt neque cognoscit, illi qui visionem omnem cognitionemque transcendit, familiarius jungitur, hoc ipsum noscens, quod post ea omnia est quæ in sensum atque intelligentiam cadunt, et cum Propheta pronuntians:
Mirabilis facta est scientia tua ex me; confortata est, et non potero ad eam. Quem- Psal. cxxxviii,
admodum profecto et sanctus et mirabilis Paulus Deum cognovisse memoratur, illum 6.
supra omnem scientiam atque intelligentiam esse cognoscens. Quocirca et vias ejus Rom. xi, 33.
investigabiles esse dixit, et inscrutabilia judicia illius, atque inenarrabiles gratias; II Cor. ix,
pacemque ejus omnem sensum superare testatus est. Invenerat etenim eum qui est 15. Philipp. iv,
super omnia; eumque supra modum humanæ intelligentiæ noverat, quoniam is cuncta 7.
transcendit, qui auctor omnium est.

EPISTOLA VI

SOSIPATRO SACERDOTI.

Noli hoc putare victoriam, venerande Sosipater, si in eam religionem seu opinionem quæ mala esse videatur, inveheris. Neque enim eam si vel graviter et vere coarguas, continuo Sosipatri quoque recta erit opinio. Fieri etenim potest ut et te et alios, inter multa quæ falsa et evidentia sunt, unum illud quod est opertum verumque, lateat. Neque enim si quid rutilum non sit, jam etiam candidum erit; nec si quis non equus, necessario jam homo est. Sic autem, si mihi obtemperaveris, facies: desistes adversus alios dicere; ceterum ita pro veritate loqueris, ut ea quæ dicuntur, argui refellique non possint.

EPISTOLA VII

POLYCARPO EPISCOPO.

Non sum mihi equidem conscius, adversus Græcos seu alios quoslibet aliquando dixisse. Sufficere enim arbitrabar bonis viris, si id quod verum est, ipsum in se ipso ut sese habeat, et scire et eloqui possent. Hoc enim quod sit, rite juxta legem veritatis ostenso inviolabiliterque constante, quodlibet quod se aliter habeat

et veritatem simulet, arguetur aliudque esse quam id quod vere est atque omnino dissimile, et quod illud magis videatur esse quam sit, deprehendetur. Itaque supervacaneum est veritatis prædicatorem contra hos illosve pugnare. Dicit enim fere quisque nummum habere se regium; et habet ille fortasse quamdam (ut ita dixerim) particulam fallacemque veritatis imaginem. At si quidem istud confutaveris, alius rursum atque alius eadem de re pertinaci intentione contendet. Porro ipsa veritatis ratione comparata et rite firmiterque constante, atque ita vim suam præferente ut a nullo prorsus hominum coargui possit, quidquid illud erit quod in aliquo dissideat nec se ita in omnibus habeat, ipsum ex se ipso insuperabili statui veritatis objectum detegitur atque prosternitur. Hoc itaque instituto rite (ut mihi videor) usus, non adversus Græcos aut alios quoslibet disserere studui, sed satis esse putavi si mihi ex divina largitate contingeret, primum ut de veritate bene sentirem eamque probe tenerem, tum ut de ea quam nossem, verba convenienter facere possem.

Tu autem asseveras sophistam Apollophanem in me intorquere maledicta, et parricidam appellare, ut qui Græcorum dictis atque sententiis in eos ipsos parum juste utar. Atqui nos contra verius objicere possemus, Græcos potius adversus divina divinis uti injustissime, ac nefario scelere per sapientiam Dei divinæ religionis cultum evacuare moliri. Neque vero ego quidquam nunc de multitudinis opinione loquor, quæ poetarum fictionibus carnaliter, ut ita dicam, et passibiliter ac perlibenter inhærens, creaturæ potius quam Creatori famulatur; verum et ipse Apollophanes divinis adversus divina nefarie utitur. Nam per hanc rerum scientiam quæ ab ipso philosophia rite
I Cor. I, 21 nominatur, et a Paulo beatissimo sapientia Dei appellatur, ad auctorem omnium et ejusmodi quoque scientiæ parentem, oportebat viros philosophos subvehi. Ac ne aliorum quam ipsius opinionem contra institutum meum a veritate deviare convincam, scire atque intelligere Apollophanes debuit, quum sapiens sit, nihil unquam cœlestis ordinis ac motus immutari ulla ratione potuisse, nisi auctorem suum, a quo et ut esset accepit et cujus majestatis potentia continetur, in hoc se incitantem habuisset, qui ut
Dan. II, 21 sacra testantur Eloquia, facit omnia et transfert. Qua ergo ratione non colit eum, quem ex hoc quoque cognovimus veraciter esse omnium Deum? admiraturque ipsius ineffabilem inæstimabilemque virtutem, per quam cuncta subsistunt? quandoquidem sol et luna per summam vim statu omnino mirabili, una cum cœlo, ut essent prorsus immobiles, ipsius imperio paruerunt, atque ad diei totius mensuram in eisdem signis omnia constiterunt (erit autem profecto majus atque mirabilius, si alia atque etiam præstantiora quæ continent, ita ferri, quæ vero continentur, non simul acta memorentur); et quum item alia quædam dies perpetuo lumine triplo ferme quam solet, major effecta est, et cœlum intra viginti horas, quem jam exegerat cursum retrogrediens repetit, dignissimoque miraculo contrariis orbitis tanta mora temporis remeat sol miro atque insolito cursu, motum illum annuum varia temporum dimensione constantem, intra decem horarum spatium contrahit, ipsumque totum rursus intra decem alias, novam quamdam tenens semitam, conficit. Hoc profecto miraculum Babylonios tunc merito terruit, et absque pugna Ezechiæ (ut qui Deo putaretur æqualis, ac mortalibus cæteris virtute præstare) subjecit. Omitto quæ in Ægypto magnifice contigere, et alia quædam signa alibi divinitus facta. Sola hæc memoro, quæ communia sunt atque cœlestia, et orbi toti atque omnibus nota. Sed forte dicturus Apollophanes est, hæc vera non esse. Ac istud quidem Persarum sacerdotum monumentis reservata historia continet, magique nunc usque triplicis mithri, id est solis, memoriam celebrant.

Verum liceat illi sane his per ignorantiam, sive per hæsitationem, fidem non accommodare. Age itaque, illum rursus aggredere: Quid de illo qui tempore crucis

dominicæ factus est solis defectu dicturus es? Eramus tunc ambo apud Heliopolim, amboque simul incidentem mirabiliter soli lunæ globum notabamus (non enim ejusce conjunctionis tunc aderat tempus), ipsamque rursus ab hora nona ad vesperam ad solis diametrum supra naturæ vires restitutam. In memoriam autem illius revoca et aliud quiddam. Nempe enim, ut ipse non ignorat, eam lunæ incidentiam ab oriente cœpisse, et usque ad solaris corporis finem pervenisse, ac tum demum resilisse, notavimus. Neque vero eadem ex parte, ut assolet, et incidentia illa et repurgatio facta est, sed ex adverso diametri. Hæc sunt quæ tunc temporis contigere, naturam profecto superantia, ac soli Christo possibilia, qui auctor est omnium, facitque magna et stupenda quorum non est numerus. Ista illi (si licuerit) dicito. Ea, si potes, Apollophanes, argue. Nempe enim præsens una tecum adfui, unaque adspexi ac dijudicavi omnia, dignaque sum admiratione prosecutus. Denique tunc nescio quo afflatus spiritu ad divinationem quoque prorupit Apollophanes, atque ad me conversus : Hæ, inquit, o præclare Dionysi, divinarum sunt vicissitudines rerum. Ista interim quantum epistolaris patiebatur angustia dixisse sufficiat. Potes autem ipse ea etiam supplere quæ desunt, ac Deo perfecte offerre hominem compluribus in rebus sapientem. Fortasse non dedignabitur mansuete atque humiliter discere sapientissimam religionis nostræ veritatem.

Job v, 9

EPISTOLA VIII

DEMOPHILO MONACHO : DE BENIGNITATE.

HEBRÆORUM tradit historia *, animose Demophile, etiam sanctum illum virum Moysen eximiæ mansuetudinis merito divina amicitia et familiaritate dignatum. Ac si quando ipsum divino adspectu excidisse commemorant, non id ei priusquam a mansuetudine defecerit, contigisse describunt. Sed quum aliquando nimium insolesceret, et consiliis obsisteret divinis : Iratus est (inquit) furore Dominus. Quum vero ipsum divinis meritis atque a Deo indultis honoribus facit illustrem, ex ea in primis excellenti ac divina prorsus summi boni imitatione concelebrat. Erat enim (inquit) mansuetus valde. Atque ideo Dei famulus dicitur, dignior que Prophetis omnibus cui Deus visionis suæ gratiam largiretur. Sed et quum adversus eum et Aaron pro pontificatus honore ac principatu gentis improbi quidam atque impudentes proterve contenderent, omni honoris ac primatus ambitione superior fuit : paratus quidem, cuicumque Deus decrevisset, populi gubernacula credere. Verum ubi insurgere in eum cœperant, prioraque exprobrando minari, et jam ferme in opus erumpere : mitissimus ille Deum quidem in salutem inclamavit ; magna vero constantia singularique modestia contestatus est se insontem esse calamitatum omnium quæ subditis obvenissent. Noverat enim oportere eum qui Deo bono familiariter jungitur, quam maxime conari ei pro viribus simillimum fieri, ac præterea sibi esse bonorum operum conscium. Quid vero David quoque illum Dei parentem fecit divina amicitia dignum? Nempe quum esset bonus, atque esset in hostes benignus. Inveni (inquit ille summe bonus ac benignitatis amator) hominem secundum cor meum. Præceperat et divinitus indulta lex, ipsa quoque inimici jumenta non negligi. Job quoque, ut innocentiæ tenax, justificari promeruit. Et Joseph fratrum insidias in se ulcisci noluit. Abel itidem simplici animo et absque

* tradunt historiæ

Num. xi, 10-12, Deut. i, 37. — *Num. xii, 3.* — *Ibid. 7, 8.* — *Ibid. xvi, 1 et seq.* — *Ibid. 11 et seq.* — *Act. xiii, 22.* — *Exod. xxiii, 4.* — *Job xxvii, 6.* — *Gen. l, 15-21.*

suspicione illa, cum fratre parricidium gestiente pergebat. Omnes denique Theologia prædicat bonos qui mala autem nec cogitare nec facere norunt, sed ne aliena quidem malitia a bonitate decidunt, imo contra penitus ad divinæ bonitatis imaginem malos quoque bonos efficere curant, effundentesque in eos omnia benignitatis viscera, sensum suum etiam ad similia provocant.

Verum ad altiora ac digniora feramur. Non sanctorum virorum mansuetudines; non angelorum præ se ferentes boni speciem homines amantium, evidentissima benignitatis et propensioris in nos studii in lucem enuntiare intendimus: ut scilicet illi gentibus miserantur, ac pro ipsis divinæ bonitati offerant preces, perniciosasque ac perditas multitudines increpent, et malis nostris condolentes, eorum saluti læti congaudeant qui se ad meliora convertant, et quæque alia quæ de beneficis angelis divinæ Litteræ tradunt. Sed his omnibus omissis, Christi (qui vere ac supreme bonus est) beatissimos radios alto corde in silentio excipiamus, et ab ipsis illustrati, ad divina ejus et benignissima opera contuenda pergamus. Annon ineffabilis incomprehensibilisque bonitatis est, quod quæ non erant, subsistere voluit, et quod ea omnia ad esse produxit? quodque omnia item semper similia sibi pro cujusque captu evadere cupit, suisque communicare muneribus? Quid quod a se aversos ac resilientes amatorie sequitur, contenditque ac deprecatur ne se deserant ii quos tanta vi amoris inquirit? Quid quod deliciis quoque resolutos ac per id redire differentes, et eos frustra insimulantes, benignissime tolerat, rationemque reddere per se ipse dignatur? Imo et promissionibus relevat blanditiisque demulcet. Quumque adhuc procul sint qui ad se redeunt, lætus occurrit atque obvius fit, et totus totos complexus osculatur; nec prioris illos aversionis culpat, verum præsenti conversione contentus, et diem festum agit et convocat amicos, eos scilicet qui singulari benignitate sunt præditi, ut sit omnium lætantium habitatio.

At vero Demophilus, et quisquis alius si adversetur bonis, juste omnino corripitur, edoctusque quid congruat, bonus efficitur. Quomodo enim, inquit, non oportuit eum qui bonus esset, de eorum qui periissent, salute, et qui mortui essent, vita lætari? Denique et super humeros attollit ovem vix ab errore conversam, et benignos angelos ad lætitiam excitat. Ingratis quoque clementissime utitur, et oriri facit solem suum super bonos et malos; atque ipsam animam suam pro aversis a se ac refugientibus posuit. Tu vero, ut tuæ litteræ indicant, procidentem sacerdoti impium (ut ais) atque peccatorem, nescio quo pacto contra disciplinæ ordinem adstans, calce abjecisti ac repulisti, quum ille quidem verecunde (quod oportuit) fateretur se ad peccatorum remedia quærenda venisse. Neque exhorruisti insuper et sacerdotem optimum lacerare conviciis, miserabilem eum dicens, qui pœnitentem atque impium justificasset. Ac tandem, Exi, inquiens sacerdoti, cum similibus tuis; contra fas omne irrupisti in adyta, et Sancta sanctorum profanare ausus es. Et scribis nobis, te sancta quum violanda essent, summa cura providentiaque servasse, eaque hactenus illibata custodire.

Nunc ergo quid ipsi sentiamus, attende. Nefas est sacerdotem a ministris, qui te superiores sunt, atque a tui ordinis viris, judicari, etiamsi impius in divina esse videatur, etiamsi quid aliud ex iis quæ interdicta sunt, egisse deprehendatur. Nam si distinctiones ordinesque confundere, sacratissimas Dei sanctiones et jura transgredi est; omni profecto ratione caret, Dei causa pervertere traditum divinitus ordinem. Neque enim in se ipsum Dei sermo divisus est: alioqui quomodo ipsius staret regnum? Et si Dei est judicium, ut sacra Eloquia testantur, sacerdotes autem angeli sunt divinorum judiciorum continuo post pontificem magistri; ab ipsis tu divina congrue ac suo ordine per medios ministros, quum tempestivum fuerit, disce, per quos etiam cultor esse meruisti. An vero non hoc ipsum sacra signa proclamant? Neque enim Sancta

sanctorum simpliciter omnibus sunt inaccessa ; verum his appropinquat magis pontificum sacra distinctio, deinde sacerdotum ordo, quos deinceps et ministrorum sequitur gradus. Porro iis qui cultores sunt ordinati, adytorum portæ segregatæ sunt : juxta quas et initiantur et adstant, non ad custodiam, sed ut ordinem recognoscant suum; suntque ipsi populo propinquiores quam hi qui sacra administrant, et quam populus ipsis quoque sacerdotibus magis accedentes. Unde et sacrorum sanctus ordo sacerque principatus, eos divina percipere sacre instituit, aliis quidem qui intra adytorum valvas sunt, sacrorum administrationem concedens. Nam hi qui divinum (ut expressius dixerim) altare circumstant, divina intuentur atque audiunt aperte sibi revelata ; procedentesque benignissime ad exteriora sacrorum velaminum, subjectis cultoribus, et sacro populo, et iis qui purgantur ordinibus, sacra mysteria pro meritis pandunt : quæ profecto rite immaculata tamdiu servata sunt, quoad ipse tyrannice nimium in ea irrupisti, Sanctaque sanctorum, et quidem nolentia, tibi publicari coegisti. Et post hæc haberi abs te sacra atque servari dicis, quum ea neque videre neque audire merueris, neque aliquid habeas sacerdotio dignum, sicuti ne veritatem quidem Scripturarum nosti, quum eas quotidie sermone impugnes ad subversionem audientium. Nempe enim si quis non permissum sibi a rege principatum gentis usurpare tentasset, justissima in eum pœna desæviret. Idem quoque putaretur, si principe quempiam vel absolvente vel damnante, nonnullus ex adstantibus subditis præsumeret latam a domino retractare sententiam, et ne id modo, verum et dominum afficere injuriis, pulsare atque ex imperio deturbare moliretur. An vero tu, homo, tam audax ac temerarius es adversus mitissimum atque optimum virum sacratissimamque ipsius functionem, et sacerdotalis dignitatis jura ?

Et hæc quidem nos oportuit dicere, quum quis supra merita ac dignitatem suam ausus, aliqua præsumpsit attentare, quæ tamen non indigna viderentur : nam neque hoc cuiquam omnino fas est. Quid enim quod non conveniret fecit Ozias, incensum offerens Deo? quid item Saul, victimas faciens? quid violenti nimium dæmones, quum Jesum Dei Filium verissime prædicarent? Sed profecto a Theologia omnis alienus interdicitur episcopus : unusquisque enim ministerii sui ordinem servare debebit. Solusque pontifex semel in anno ingreditur in Sancta sanctorum : et hoc, servata diligenter omni quam lex præcipit munditia pontificali. Sacerdotes autem sancta circumtegunt, et Levitæ sancta non tangunt, ne moriantur. Et iratus est furore Dominus contra Ozæ temeritatem. Et Maria lepra respergitur, quæ legifero fratri legem conatur imponere. Et super filios Scevæ insiliere dæmonia. Et : Non mittebam eos, inquit, et ipsi currebant, et non loquebar ad illos, et ipsi prophetabant ; et impius qui mihi immolat vitulum, sicut qui occidit canem. Atque ut summatim dicam, eos non tolerat qui divina pervertunt, perfecta illa Dei supremaque justitia : dicentibusque illis, In nomine tuo virtutes multas fecimus ; respondet : Nescio vos, recedite a me, omnes operarii iniquitatis. Nefas itaque est, ut divina testantur Eloquia, ea etiam quæ justa sunt, non secundum dignitatem meritaque exsequi. Ceterum debet sibi quisque cautius intendere, ut non sublimia et quæ se altiora sunt, sapiat, solaque ea meditari quæ sibi pro meritorum modo credita sunt.

II Par. xxvi, 16 et seq.; I Reg. xiii, 9 et seq.; xv, 12 et seq.; Marc. iii, 11, 12. Exod. xxviii, 4. II Par. viii, 14. Hebr. ix, 7. Lev. xvi. Num. iv, 15. II Reg. vi, 6, 7. Num. xii, 10. Act. xix, 14-16. Jer. xxiii, 21. Is. lxvi, 3. Matth. vii, 22, 23. Luc. xiii, 27. Eccli. iii, 22.

Quid igitur? inquis, non oportet sacerdotes qui vel impie vel perperam aliquid facere deprehensi fuerint, corrigi? solisque licebit gloriantibus in lege, per prævaricationem legis Deum inhonorare? Et qua ratione sacerdotes prædicatores Dei sunt? Quo enim pacto divinas populo virtutes enuntiant, qui nec earum vires penitus norunt? Aut quomodo illuminabunt alios, qui ipsi sunt tenebris obsiti? Quomodo item divini Spiritus gratiam præstabunt, qui neque an sit Spiritus Sanctus, habitu atque

Rom. ii, 23.

veritate crediderunt ? — Ad hæc tibi ipse respondeo : non enim inimicus Demophilus est, nec patiar te circumveniri a Satana. Unusquisque profecto circa Deum adstantium ordo, sacratior est magis absistente atque divinior, et lucidiora simul sunt vimque illuminandi servantia majorem, quæ vero lumini magis sunt propinquantia. Neque localiter accipias velim hujusmodi propinquitatem, sed secundum idoneitatem qua ad Deum recipiendum sunt accommodatiora. Si igitur quæ illuminat, sacerdotum est sancta distinctio, procul dubio ille a sacerdotali ordine et virtute omnino prolapsus est, qui illuminans non est ; multoque sane magis, qui neque illuminatus est. Atque ut mihi quidem videtur, audax nimium hujusmodi est, si sacerdotalia munia sibi assumit, neque metuit neque veretur, ea quæ sunt divina, præter meritum persequi ; putatque ea latere Deum, quorum sibi ipse conscius sit, et se Deum fallere existimat, quem falso nomine appellat patrem, audetque scelestas blasphemias suas (neque enim preces dixerim) sacris aris inferre, easque super signa illa divina ad Christi similitudinem dicere. Non est iste sacerdos, non est, sed infestus, atrox, dolosus, illusor sui, et lupus in dominicum gregem ovina pelle armatus. At Demophilo fas non est ista corrigere. Nam
Deut. xvi, 20. si divinus sermo justa juste prosequi jubet ; juste vero prosequi, est unicuique quod suum est pro meritis reddere ; juste hoc omnis prosequi, non præter suum meritum aut ordinem, debet. Namque et angelis justum est officia secundum merita dividi, ut et profecto divisa sunt ; verum hoc illis non a nobis, o Demophile, sed per illos nobis ex Deo, et ipsis quoque per superiores angelos. Atque ut breviter dixerim, in omnibus quæ sunt, per prima secundis a dispositissima omnium ac justissima providentia, justa pro meritis tribuuntur, ut hi quidem quos Deus præesse aliis statuit, inferioribus atque subjectis secundum merita tribuant. Verum enim Demophilus iræ et concupiscentiæ, ratione moderetur, eisque secundum merita tribuat ; neque suum violet ordinem, sed regat sublimis supereminens ratio. Nam si quum forte in foro adspicimus famulum domino, seniori adolescentulum, sive etiam filium patri maledicere, simulque impetu facto plagas inferre ; pietatem violare videmur, nisi accurrentes, præstantioribus opem ferre studeamus, quantumlibet illi fortasse prius perpessi injuriam sint : cur, quæso, non erubescimus, qui rationem ab ira et concupiscentia violari, et a tradito sibi divinitus principatu dejici videmus atque negligimus, et inter nos ipsos impiam et injustam temeritatem ac seditionem confusionemque excitamus ? Merito sane noster a
I Tim. iii, 5. Deo nobis indultus legifer, Ecclesiæ Dei præfici prohibet eum qui domui suæ eatenus non bene præfuerit. Qui enim se ipsum regere novit, et alterum reget ; qui alterum, etiam domum : et qui domum, civitatem quoque ; et qui civitatem, etiam gentem. At-
Luc. xvi, 10. que ut summatim dicam, juxta Veritatis vocem, qui in modico fidelis est, et in multo erit fidelis ; et qui in modico infidelis, et in multo quoque infidelis erit. Ipse igitur concupiscentiæ et iræ atque verbo, congrua jure tuo impertire. Tibi autem venerandi ministri moderentur, ministris sacerdotes, sacerdotibusque pontifices ; atque illis ipsis Apostoli Apostolorumque successores convenientia dictent. At si quis forte et inter ipsos a recto tramite deviarit, is ab æqualibus atque sui ordinis sanctis corrigatur, ut non ordo in ordinem ruens cuncta permisceat, sed unusquisque in suo ordine suoque officio maneat. Ista tibi interim idcirco diximus, ut et scias et facias quæ tui muneris sunt.

Porro de illa in virum (ut tu ais) impium ac perditum immanitate, nescio quo fletu plangam contritionem dilectissimi mei. Cujus enim te arbitraris a nobis constitutum esse cultorem ? Nisi enim illius summi boni cultor es, profecto et a nobis et ab omni nostræ religionis cultu alienus sis necesse est ; jamjamque tibi ex hoc Deus inquirendus
* [illegible] est alius, et alii sacerdotes, ut apud illos effereris * potius quam perficiaris, sisque amicæ crudelitatis minister atrox. An enim et nos ipsi ad supremæ sanctitatis imaginem

perfecti sumus? aut non in nobis ipsis divinæ clementiæ largitate indigemus? An vero,
juxta divinas Litteras, peccatum duplex impiorum more peccamus, dum et nescimus *Jer. II, 13.*
in quibus offendimus, insuper et nos ipsos justificare præsumimus, putamusque nos
videre, quum revera minime videamus? Obstupuit cœlum super hoc, et exhorrui
ego, mihique ipsi vix credo. Ac id ipsum bene scias velim : nisi tuas legissem litteras
(quas utinam nunquam vidissem), nemo unquam persuasisset, quicumque mihi hæc
de te persuadere moliretur, ut ad credendum adductus essem, Demophilum non arbi-
trari Deum super omnia bonum ac benignum esse, seque putare ipsius miserantis
ac salvantis gratia non indigere, imo et sacerdotes abrogare, qui promeruerunt bonitate
præcipua plebis ignorantias portare, et non severe corripere, sed eis Deum propitium
facere, non ignorantes quod et ipsi circumdati sunt infirmitate. Sed profecto divinus *Hebr. V, 2.*
ille ac summus Pontifex altera ingressus est via, idque quum (ut sacra testantur Elo-
quia) a peccatoribus esset segregatus. Atque hoc eximiæ in se dilectionis argumentum *Ibid. VII, 26.*
capit, si oves ejus modestissima gubernatione pascamus. Et nequam eum appellat qui *Joann. XXI,*
conservo non dimiserat debitum, neque illi indultæ sibi largissimæ bonitatis ne mi- *16-17.*
nimam quidem tradiderat portionem; atque ideo in illum intorquet justam omnino *Matth. XVIII, 23-35*
sententiam, ut (quod mihi ac Demophilo valde metuendum est) ab eo quæ semel
fuerant dimissa repetantur. Nempe enim et his qui impias in se manus injecerant, in *Luc. XXIII,*
ipso suæ passionis tempore veniam a Patre precabatur. Discipulos item corripuit, quod *34.* *Ibid. IX, 54-*
persequentes se Samaritanos ut impietatis condemnaret, optaverant. *56.*

Hoc sane illud est quod imprudenti illa et prolixa nimis epistola tua inculcas et
replicas : quod scilicet non te ipsum, sed Deum ultus es. Dic, oro te, per malitiam
eum qui summe bonus est, vindicas? Absit. Non habemus pontificem qui compati *Hebr. IV, 15.*
non possit infirmitatibus nostris: verum et innocens et misericors est. Non contendet, *Matth. XII,*
neque clamabit; et ipse est mitis, et ipse propitiatio est pro peccatis nostris. Non *19.* *Ibid. XI, 29.*
itaque suscipiemus improbos conatus tuos, ne si millies quidem Phinees atque Eliam *I Joann. II,*
te dicas æmulari. Hæc enim minime probavit Jesus, quum ea sibi discipuli, mitis ac *2.* *Luc. IX, 54,*
benignissimi spiritus eatenus rudes ignarique, suggererent. Denique et sacratissimus *55.*
noster institutor, in mansuetudine docendos admonuit eos qui doctrinæ Dei adver- *II Tim. II,*
sarentur. Doceri quippe ignaros decet, non suppliciis affici : sicuti et cæcos non *25.*
cruciamus, sed ad manum ducimus. Contra vero, tu respirare in lucem inchoanti viro,
ictum in caput impingens, emergendi facultatem adimis, accedentemque summa cum
verecundia, repellis audacter. Hoc igitur ingentis horroris est, quod is quem Christus
summe bonus errantem in montibus requirit, fugientemque revocat, et vix repertum *Luc. XV, 4, 5.*
sacris humeris revehit, abs te affligitur, repudiatur, abjicitur. Ne, quæso, tam male
nobis ipsis consulamus, neque gladium in nos ipsos impellamus. Nam hi quidem qui
alios violare injuriis aut beneficiis fovere nituntur, quum illi forte quæ voluerint,
facere nequeant, sibi tamen aut malitiam, secundum propositum, aut bonitatem con-
sciverе; atque ideo evadunt aut virtutibus divinis aut atrocitatibus inhumanis pleni.
Et hi quidem angelorum sanctorum sectatores et comites et in præsenti et in futuro
sæculo, cum omni pace, liberati a malis omnibus, beatissima requie in perenni vita,
perpetua hereditate potientur, et (quod bonorum omnium maximum est) cum Deo *I Thess. IV,*
semper erunt; porro hi qui a divina simul ac sua pace deciderunt, et in vita et post *16.*
mortem cum immitibus atrocibusque dæmonibus futuri sunt. Cujus rei gratia nobis
summo studio curandum est ut bono inhæreamus Deo, simusque cum Domino semper,
et non cum malis occulto illo justissimoque judicio segregemur, atque ex nobis ipsis
pœnas debitas subeamus ; quod ego maxime omnium timeo, malorumque omnium
exsors esse et cupio et oro.

Ac, si vis, divinam quoque sancti cujusdam viri visionem memorabo. Quum ali-
quando in Cretam venissem, S. Carpus me suscepit hospitio, vir ob eximiam animi
munditiam ad Dei speculationem ultra ferme omnes aptissimus. Denique nunquam
sancta mysteria celebrare cœpisset, nisi prius inter eas preces quæ antea consumman-
tur, sacra illi ac propitia visio apparuisset. Hunc igitur, ut ipse referebat, infidelis
quispiam contristarat aliquando. Erat autem causa tristitiæ, quod ille quemdam ab
Ecclesiæ fide ad impietatem erroris abduxerat. Quumque ejus celebritatis quam vulgus
hilarem vocat, agerentur dies, qui debuerat pro utrisque benignissime orare, atque
Dei salvatoris auxilio alterum ab errore convertere, alterum bonitate superare, nec
desistere quin eos admoneret per omnem vitam donec pœnitentiæ tempus superesset,
et ita eos ad Dei cognitionem attrahere, ut jam tandem et quæ illis erant ambigua et
obscura patescerent, et ab his quæ præter rationem audacter admiserant, resipiscere
legitima severitate cogerentur; nescio quo pacto, quum intra semetipsum id antea
passus non esset, tunc vehementem indignationem atque amaritudinem imbiberat
animo. Sic itaque affectus, obdormivit; erat enim vespera. Circa vero mediam noctem,
quo tempore consueverat ipse semper apud se ad divinos evigilare hymnos, exper-
giscitur quidem et surgit, quum somnos parum quietos et crebro interruptos, nec
absque perturbatione cepisset. Stans tamen ad divinam precem et collocutionem non
satis intente, irreligiose tristabatur, et ferebat graviter, iniquum esse dicens, si impii
Act. XIII, 10. homines et qui vias Domini perverterent rectas, adhuc viverent. Et hæc dicens, preca-
batur Deum ut amborum vitam turbine aliquo et fulmine prorsus exstingueret. His
dictis, repente se vidisse referebat domum in qua consistebat, primitus vehementer
agitari, ac tum demum a summo culmine per medium dividi, et quemdam ante se
ingentis luminis rogum, eumque (videbatur enim jam sub dio esse locus) e cœlo ad se
usque deferri. Cœlum vero ipsum patere apertum conspiciebat, ejusque cardini Jesum
insidere, innumeris illi humana specie adstantibus angelis. Et ista quidem vidisse,
quum superne adspiceret, et se esse admiratum memorabat. Ubi vero ad inferiora
deflexit obtutus, Carpus ipsum quoque solum instar vasti ac tenebrosi cujusdam
profundi discissum se vidisse ait, atque viros illos quibus mala imprecatus fuerat,
ante se ad os illius profundæ voraginis stare trementes ac miserabiles, et qui ipsa
pedum suorum labilitate jam mergendi viderentur. Porro ab inferiori parte voraginis,
serpentes cernebat emergere, qui circa illorum pedes ita instabiles ac nutantes, inter-
dum quidem in globum colligi et ingravari una atque pertrahere, interdum vero
dentibus et caudis, ore, gutture, linguis ac toto corporis motu, vim immensi pavoris
viderentur incutere, ut qui modis omnibus deorsum illos præcipitare molirentur.
Fuisse autem et viros quosdam in medio, qui contra eos una cum serpentibus impetum
facerent, exagitantes una et impellentes atque ferientes. Videbantur autem illi lapsui
proximi partim vi, partim etiam inviti, partim etiam sponte, quum a malo sensim et
cogerentur simul et inducerentur. Referebat autem Carpus se dum inferiora adspice-
ret, fuisse delectatum, atque superiora neglexisse, graviter autem et indigne ferentem
quod illi necdum cecidissent; et quum sæpius eo desiderii ferretur impetu, eosque et
ipse niteretur impellere, semperque frustra moliretur, molestissime tulisse, et contra
eos imprecatum esse. Quum ecce vix tandem revocatis ad superna luminibus, vidit
cœlum sicuti et prius adspexerat, Jesumque miseratum quod fiebat, de cœlesti illa
sede consurgentem, ad eos usque descendere et porrigere clementissimam manum,
angelosque una opem ferentes, aliunde alium tenuisse viros, ac dixisse Carpo Jesum,
stanti porrecta adhuc manu: Jam percute adversum me, paratus enim sum etiam
iterum pro salvandis hominibus pati; gratum mihi istud est, dum non alii homines

peccent: tu autem inspice an tibi utile sit, hanc istius profundi et cum serpentibus mansionem, Dei ac bonorum clementiumque angelorum præferre consortio. — Hæc sunt quæ ego audita, vera esse credo.

EPISTOLA XI[1]

APOLLOPHANI PHILOSOPHO.

JAMJAM meus ad te convertitur sermo, præcordialis amor, et multas curarum mearum pro te susceptas anxietates, tibi in memoriam revoco, ut te benevola mente, quod tam diu vesana pertinacia errori tuo (et tibi quidem bene noto) inhæseris, arguerim, et te pro dementibus fanatico more ludificantium phantasiis insimulaverim. Verum nunc summam omnium providentissimam moderationem divinæ benignitatis, magnifice totoque affectu adoro, tibique, pars animæ meæ, salubriter respiranti congratulor atque conjubilo; et te his quæ aliquando contempseras, rursum aggrediar, ut ea nunc iterum tibi commendem, quorum notitiam dudum es aspernatus. Sæpe (et quidem accurate) tibi patefeci, primitus hominem a Deo de limo factum, ut et ipse quoque Moyses fideliter prodidit, et hominis transgressiones cataclysmo diluvioque piatas; et deinceps divina amicitia dignatum, multaque Deum in Ægypto, multa in eo ipso suæ egressionis itinere, ipsius gratia et in eo manifestasse magnalia, et multos compluresque theologos divinitus afflasse, quorum sacris oraculis prænuntiatus, Deus homo fieri ex Virgine dignatus est. Ad quæ non raro responsa ad me dedisti, te non modo hæc vera esse prorsus nescire; verum et quis ipse quoque Moyses fuerit, te omnino fugere; Evangelium vero Jesu Christi (qui totius majestatis Deus est), quod et ipse meum appellabas, refutare; porro Paulum mundi circuitorem, multiloquum verborumque seminatorem, de sensibilibus ad intelligibilia nolle recipere. Imo vero tu in me convitia intorquebas, quod paternæ religionis jura ut degener prodens, in sacrilegia quædam nefanda me conjecissem: hortabarisque pariter, aut me illa quibus innitebar, dediscere; aut illis contentum, divina numina patriasque leges desistere incessere, et evacuare moliri.

Ceterum, ut superna lux paternæ gloriæ, suum splendorem in tuæ mentis tenebras infulgere sua voluntate disposuit, protinus cordis mei penetralibus infudit ut piissimam recordationem et gestæ rei monumentum tuis oculis subjicerem: ut videlicet in Heliopoli, tu quidem pene mihi coævus, et ego quinque et viginti fere annorum tempus evolvens, una morantes constiteramus, quum feria quadam sexta et hora etiam pene sexta, sol horribilibus subito est obsitus tenebris, luna ipsum intercurrente, quia non Deus, sed creatura Dei, in ipsius veræ lucis occubitu lucere non potuit. Quærebam enim tum apud te, qui mihi sane sapientissimus videbaris, ut quid ipse inde sentires, agnoscerem. Tu vero mirabili prudentia subintulisti quod usque adeo penetralibus mentis meæ alte inhæsit, ut nulla oblivione deleri nullaque unquam mortis valeat imagine deteri. Offusi enim tenebris ipsi eramus, orbem solis undiquaque et ex æquo

[1] Epistolas IX et X require paginis 557 et 581

occupante caligine. Et postquam repurgatio restitutioque facta est, luna ad solis diametrum conversa, aufugit; et tunc quoque regulam Philippi Aridæi assumpsimus. Quumque reperissemus, quod et erat notissimum, eo tempore solem eclipsis molestias laboresque minime perpeti debuisse, ac nihilo minus lunam ab oriente solarem splendorem palliis nigrantibusque velis obduxisse, quum soleat ex occidua parte solem ingredi (tunc autem opifices lucis thesauros, caliginibus quas ipsa genuerat, ad occiduos usque solis fines pervagata, ut ipsi putavimus, occultavit, quum tamen et lunæ id temporis deesset, neque coitus tempus vicinum esse cognosceretur); aio ad te (neque enim adhuc mysterii tantæ rei conscius eram): O ingentis prudentiæ promptuarium, quid, inquam, o doctrinæ speculum Apollophanes, his secretis adscribis? Ad quæ, nescio quo pacto, divino quodam afflatu et non humani sensus sermone subintulisti: Hæ, o bone Dionysi, divinarum vicissitudines sunt rerum. Denique vero adnotatum diligenter feriæ diem et annum, annuntiationi quam sacer Paulus nostris attentis auribus infudit, consonantibus signis, conspirare et concordari expertus, manus veritati submisi, et falsitatis nexibus sum absolutus. Quam quidem veritatem mirifice effero, et
Joann. xiv, 6; i, 9. quam tibi communico: quæ est via et vita, et lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Cui tu tandem, ut vere prudens, accessisti. Accessisti enim ad vitam, et abdicasti mortem. Cui profecto inhærendo, res mirifice tecum bene acta est. Hac insuper ratione nobis arctioribus constrictus vinculis, qui me oris tui nitido lepore offundere solebas, et plerumque fucatis quibusdam multicoloribusque et variis rationibus intima nostri sensus offuscare, et quasi acuminatis terebrare spiculis. Et adjiciebas te illius sapidam agnitionem comprehendere satagere, verum ocius a mentali palato resilire, planeque dedignari in tuo ventre sedem sibi deligere. Age igitur, modo cognoscentia et provida corda gerens, sursum erigere, ne pro his quæ non sunt, ipsum eum verum unquam permutes; et pertinacior esto quibuscumque ad falsa præcipitantibus, quam ad ipsum qui vere est, nostris suadentibus votis, te ipsum præstiteras. Ita enim in Jesu, qui esse et vita mea est, lætus jam moriar, quum ipse in eo te vivere sentiam.

INDICES

INDEX S. SCRIPTURÆ

GENESIS.

I, 3. Fiat lux, 58 D'.
— 14, 16. Dixit autem Deus : Fiant luminaria in firmamento cœli... Fecitque Deus duo luminaria magna, 125 A'.
— 26. Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram, 292 A', 297 D, 486 C'.
II, 4. Istæ sunt generationes cœli et terræ, 143 C', 299 D.
XVII, 22. Ascendit Deus ab Abraham, 89 A'.
XXXII, 29. Dic mihi, quo appellaris nomine? Respondit: Cur quæris nomen meum? 29 C, D.
— 30. Vidi Deum facie ad faciem, 488 C.

EXODI.

III, 14. Ego sum qui sum... Sic dices filiis Israel : Qui est, misit me ad vos, 231 C', 259 B', 481 C.
— 15. Deus Abraham, Deus Isaac et Deus Jacob..., hoc nomen mihi est in æternum, et hoc memoriale meum in generationem et generationem, 481 A'.
VI, 3. Nomen meum Adonai non indicavi eis, 259 C', 481 A'.
XVIII, 11. Nunc cognovi quia magnus Dominus super omnes deos, 293 A.
XX, 5. Ego sum Dominus Deus tuus fortis, zelotes, 149 C'.
XXXIII, 11. Loquebatur... Dominus ad Moysen facie ad faciem, sicut solet loqui homo ad amicum suum, 483 B', 534 A.

NUMERORUM.

XII, 8. Palam et non per ænigmata et figuras Dominum videt (Moyses), 482 D', 534 A, 563 A'.

DEUTERONOMII.

XXX, 20. Ipse (Dominus) est... vita tua et longitudo dierum tuorum, 243 B'.

XXXIV, 10. Non surrexit ultra Propheta... sicut Moyses, 534 B.

JOSUE.

X, 12. Locutus est Josue Domino... : Sol, contra Gabaon ne movearis; et luna, contra vallem Aialon, 521 A'.
— 13, 14. Stetit itaque sol in medio cœli... spatio unius diei. Non fuit antea nec postea tam longa dies, 522 D.

JUDICUM.

XIII, 17, 18. Quod est tibi nomen?... Cur quæris nomen meum, quod est mirabile? 29 D, B'.

I REGUM.

II, 3. Deus scientiarum Dominus est, 563 A.

II REGUM.

XXIII, 2, 4. Spiritus Domini locutus est per me, et sermo ejus per linguam meam... sicut lux auroræ, oriente sole, mane absque nubibus rutilat, et sicut pluviis germinat herba de terra, 490 C.

II PARALIPOMENON.

VI, 1. Dominus pollicitus est ut habitaret in caligine, 443.

JOB.

IV, 18. Ecce qui serviunt ei non sunt stabiles, et in angelis suis reperit pravitatem, 167 D.
V, 6. Nihil in terra sine causa fit, 178 C'.
XI, 7. Forsitan vestigia Dei comprehendes, et usque ad perfectum Omnipotentem reperies? 11 A, 250 B'.
— 8, 9. Excelsior cœlo est, et quid facies?

profundius inferno: et unde cognosces? longior terra mensura ejus et latior mari. 14C, 22A', 126A, 292D.

XXII, 12, 14. An non cogitas quod Deus excelsior cœlo sit... nec nostra considerat? 274B'.

XXXII, 8. Inspiratio Omnipotentis dat intelligentiam, 620D.

XXXVI, 25. Omnes homines vident eum: unusquisque intuetur procul, 157A.

— 32, 33. In manibus abscondit lucem, et præcipit ei ut rursus adveniat; annuntiat de ea amico suo quod possessio ejus sit, et ad eam possit ascendere, 88D, 485A'.

PSALMORUM

X, 6. Qui... diligit iniquitatem, odit animam suam, 148D', 157B.

— 8. Quoniam justus Dominus et justitias dilexit, 11D', 278C.

XVII, 12. Posuit tenebras latibulum suum, 17A', 64A, 449D', 349B.

XXX, 20. Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine! 9D'.

XXXIII, 6. Accedite ad eum, et illuminamini, 98C, 543C.

XLIV, 2. Eructavit cor meum verbum bonum, 564B.

L, 8. Incerta et occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi, 480C.

LXXV, 5. Illuminans tu mirabiliter a montibus æternis, 308D.

LXXXI, 1. Deus stetit in synagoga deorum, 74D', 422B'.

CIII, 28-30. Dante te illis, colligent; aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate; avertente autem te faciem, turbabuntur. Auferes spiritum eorum, et deficient, et in pulverem suum revertentur; emittes spiritum tuum, et creabuntur et renovabis faciem terræ, 51A', 242A'.

CIX, 3. Tecum principium in die virtutis tuæ in splendoribus Sanctorum: ex utero ante luciferum genui te, 448D', 564A.

CX, 2. Magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates ejus, 220C.

CXVIII, 18. Revela oculos meos, et considerabo mirabilia de lege tua, 11B.

— 68. Bonus es tu, et in bonitate tua doce me justificationes tuas, 87B.

— 96. Latum mandatum tuum nimis, 147A.

CXXXIV, 6. Omnia quæcumque voluit Dominus fecit, 28D.

CXXXVIII, 6. Mirabilis facta est scientia tua ex me, confortata est, et non potero ad eam, 14B', 27D, 314B.

PROVERBIORUM

IV, 6, 8. Ne dimittas eam (sapientiam), et custodiet te; dilige eam, et conservabit te... Arripe illam, et exaltabit te; glorificaberis ab ea, quum eam fueris amplexatus, 445C'.

VIII, 31. Deliciæ meæ esse cum filiis hominum, 450A', 230D', 507C.

XVI, 4. Universa propter semetipsum operatus est Dominus, 28A', 129A, 142D.

XXI, 2. Omnis via viri recta sibi videtur, 180C.

XXII, 11. Qui diligit cordis munditiam,... habebit amicum regem, 332A'.

XXV, 27. Sicut qui mel multum comedit, non est ei bonum; sic qui scrutator est majestatis, opprimetur a gloria, 11A, 99A.

XXX, 4. Quis ascendit in cœlum atque descendit?... Quis colligavit aquas quasi in vestimento? Quis suscitavit omnes terminos terræ? Quod nomen est ejus? et quod nomen filii ejus, si nosti? 1, 259C'.

ECCLESIASTÆ.

III, 14. Opera... fecit Deus ut timeatur, 28A', 230A'.

XI, 3. In quocumque loco ceciderit (lignum), ibi erit, 585B.

CANTICI CANTICORUM.

I, 3. Trahe me post te, 493B.

— 15. Ecce tu pulcher es, dilecte mi, 450C.

II, 3. Sub umbra illius quem desideraveram sedi, et fructus ejus dulcis gutturi meo, 9D'.

— 4. Introduxit me in cellam vinariam, 493C.

V, 1. Comedite, amici, et bibite; et inebriamini, carissimi, 572B'.

VIII, 6. Fortis est ut mors dilectio,... lampades ejus lampades ignis atque flammarum, 449A.

SAPIENTIÆ.

I, 13, 14. Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione vivorum; creavit enim ut essent omnia, 156A', 585C.

II, 24, 25. Invidia... diaboli mors introivit in orbem terrarum; imitantur autem illum qui sunt ex parte illius, 154C'.

VII, 24. Omnibus... mobilibus mobilior est sapientia, 563A'.
VIII, 1. Attingit... a fine usque ad finem fortiter et disponit omnia suaviter, 183D', 261B'.
IX, 15. Corpus... quod corrumpitur, aggravat animam, 177B'.
XI, 21. Omnia in mensura et numero et pondere disposuisti, 14C, 69C', 125A, 258B, 338A', 524C'.
— 25. Diligis... omnia quæ sunt, et nihil odisti eorum quæ fecisti, 142C, 546B'.
XII, 10. Nequam est natio eorum et naturalis malitia ipsorum, 173D.
— 16. Virtus... tua, justitiæ initium est, 274A.
— 18. Subest... tibi, quum volueris, posse, 274A.
XIII, 1, 5. Vani... sunt omnes homines in quibus non subest scientia Dei, et de his quæ videntur bona non potuerunt intelligere eum qui est... A magnitudine enim speciei et creaturæ cognoscibiliter poterit creator horum videri, 1, 131A', 230B', 259A, 503D.
XIV, 9. Odio sunt Deo impius et impietas ejus, 244A.

ECCLESIASTICI.

I, 1. Omnis sapientia a Domino Deo est, 250C.
III, 22. Altiora te ne quæsieris et fortiora te ne scrutatus fueris ; sed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita semper, et in pluribus operibus ejus ne fueris curiosus, 99A, 494D.
— 31. Auris bona audiet cum omni concupiscentia sapientiam, 34C.
XIII, 19. Omne animal diligit simile sibi, 159A.
XXIII, 29. Deo, antequam crearentur, omnia sunt agnita, 25B, 255C, 256B.
XXIV, 8. Gyrum cœli circuivi sola, et profundum abyssi penetravi, 292D.
— 29. Qui edunt me, adhuc esurient, 132C.
— 47. Videte quoniam non soli mihi laboravi, sed omnibus exquirentibus veritatem, 499.
XLII, 16. Gloria Domini plenum est opus ejus, 32D'.
XLIII, 36. Multa abscondita sunt majora his, pauca enim vidimus operum ejus, 32C.

ISAIÆ

I, 14. Facta sunt mihi molesta, 167B'.
VII, 13. Numquid parum vobis est molestos esse hominibus, quia molesti estis et Deo meo ? 167B'.
IX, 6. Vocabitur nomen ejus, Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis, 29B', 481B'.
XI, 2. Requiescet super eum... spiritus sapientiæ et intellectus, 491C'.
XXVIII, 20. Coangustatum est... stratum, ita ut alter decidat ; et pallium breve utrumque operire non potest, 147A.
XXXVIII, 7, 8. Hoc... tibi erit signum a Domino, quia faciet Dominus verbum hoc quod locutus est : Ecce ego reverti faciam umbram linearum per quas descenderat in horologio Achaz in sole, retrorsum decem lineis. Et reversus est sol decem lineis, 522C'.
XL, 18. Cui... similem fecistis Deum ? aut quam imaginem ponetis ei ? 297D'.
— 26. Levate in excelsum oculos vestros, et videte quis creavit hæc, 90C, 131A', 230A'.
XLII, 8. Ego Dominus, hoc est nomen meum, 481A'.
XLV, 6, 7. Ego Dominus, et non est alter, formans lucem et creans tenebras, faciens pacem et creans malum, 156C.
— 15. Vere tu es Deus absconditus, Deus Israel, 40C, 449C'.
LIII, 8. Generationem ejus quis enarrabit ? 508A.
LXVI, 9. Numquid ego qui alios parere facio, ipse non pariam ? dicit Dominus ; si ego qui generationem ceteris tribuo, sterilis ero ? 143A'.

JEREMIÆ.

VII, 19. Numquid me ad iracundiam provocant ?... nonne semetipsos in confusionem vultus sui ? 91A, 157B.
XXIII, 23, 24. Putasne Deus e vicino ego sum,... et non Deus de longe ?... Numquid non cœlum et terram ego impleo ? 24C, 69D, 88C', 230C', 261D.
XXXI, 22. Creavit Dominus novum super terram : femina circumdabit virum, 72B.

EZECHIELIS.

XXVIII, 12. Tu signaculum similitudinis, 486C'.

OSEÆ

VI, 6. Volui... scientiam Dei plus quam holocausta, 259A.

AMOS.

III, 6. Si erit malum in civitate quod Dominus non fecerit? 136C, 565B.

V, 12. Cognovi multa scelera vestra, 167A'.

MALACHIÆ.

II, 17. Laborare fecistis Dominum in sermonibus vestris, 167C'.

III, 1. Statim veniet ad templum suum Dominator quem vos quæritis, 507A.

— 6. Ego... Dominus, et non mutor, 139D', 578C'.

MATTHÆI.

V, 48. Estote... perfecti, sicut et Pater vester cœlestis perfectus est, 13C.

VII, 18. Non potest arbor bona malos fructus facere, neque arbor mala bonos fructus facere, 165D.

XI, 11. Qui... minor est in regno cœlorum, major est illo, 260D', 344B.

XIV, 25. Venit ad eos ambulans super mare, 510B'.

XIX, 17. Quid me interrogas de bono? Unus est bonus, Deus, 49B'.

XX, 14, 15. Volo... et huic novissimo dare sicut et tibi. Aut non licet mihi quod volo facere? 161C'.

XXII, 30. In resurrectione... neque nubent, neque nubentur sed erunt sicut angeli Dei, 23B'.

XXVII, 45. A sexta... hora tenebræ factæ sunt super universam terram usque ad horam nonam, 324C.

LUCÆ.

I, 35. Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi : ideoque et quod nascetur ex te Sanctum vocabitur Filius Dei, 510B'.

XVIII, 1. Oportet semper orare, et non deficere, 88B.

JOANNIS.

I, 1. In principio erat Verbum, 12B', 27D'.

— 3. Omnia per ipsum facta sunt, 75B, 141A'.

— 5. Lux in tenebris lucet, et tenebræ eam non comprehenderunt, 502C.

I, 14. Verbum caro factum est, 510A.

III, 31. Qui de cœlo venit, super omnes est, 509B.

VIII, 12. Ego sum lux mundi, qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ, 16A.

— 36. Si... vos Filius liberaverit, vere liberi eritis, 447C'.

XII, 25. Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam, 147C.

— 35, 36. Ambulate dum lucem habetis... Dum lucem habetis, credite in lucem, ut filii lucis sitis, 18A.

XIV, 2. In domo Patris mei mansiones multæ sunt, 121A'.

ACTUUM.

XVII, 27, 28. Non longe (est) ab unoquoque nostrum, in ipso enim vivimus et movemur et sumus, 24C, 88C', 279A.

AD ROMANOS.

I, 3. Factus est ei ex semine David secundum carnem, 509C'.

— 4. (Christus) qui prædestinatus est Filius Dei, 229A.

— 20. Invisibilia .. ipsius .. per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, 1, 8B', 131B', 252A, 448B', 568A.

XI, 33. O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei! quam incomprehensibilia sunt judicia ejus et investigabiles viæ ejus! 12D, 253A', 503D', 514C.

— 36. Ex ipso et per ipsum et in ipso sunt omnia, 51D, 124A, 129D, 135A', 141A', 226B', 341C, 448A'.

XIII, 1. Non est... potestas nisi a Deo, 162A'.

— 12. Nox præcessit, dies autem appropinquavit, 447B'.

I AD CORINTHIOS.

I, 25. Quod stultum est Dei sapientius est hominibus, 250C', 253A.

II, 12. Non spiritum hujus mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ a Deo donata sunt nobis, 87B'.

VI, 17. Qui .. adhæret Domino, unus spiritus est, 40A', 89A, 91B'.

VII, 7. Unusquisque proprium donum habet ex Deo, 231D, 279A'.

VIII, 5, 6. Nam etsi sunt qui dicantur dii, sive in cœlo sive in terra (siquidem sunt dii multi et domini multi); nobis tamen unus est Deus Pater, ex quo omnia, et nos in illum; et unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia, et nos per ipsum, 74 C', 341 A.
XII, 8. Alii... per Spiritum datur sermo sapientiæ, 491 D.
XIII, 9, 10, 12. Ex parte... cognoscimus,... quum autem venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est. Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem; nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam sicut et cognitus sum, 456 A', 482 D', 504 A, 513 B', 514 C'.
XIV, 38. Si quis... ignorat, ignorabitur, 263 A.
XV, 6. Deinde visus est plus quam quingentis fratribus simul, 95 C.
— 28. Ut sit Deus omnia in omnibus, 31 D, 338 B.
— 46. Non prius quod spirituale est, sed quod animale, 15 C'.

II AD CORINTHIOS.

V, 16. Si cognovimus secundum carnem Christum, sed nunc jam non novimus, 509 C.
IX, 15. Gratias Deo super inenarrabili dono ejus, 513 A', 514 D.

AD GALATAS.

II, 20. Vivo autem, jam non ego; vivit vero in me Christus, 148 D', 252 A'.

AD EPHESIOS.

I, 20, 21. (Pater constituit Christum) supra omnem Principatum et Potestatem et Virtutem et Dominationem, et omne nomen quod nominatur non solum in hoc sæculo, sed etiam in futuro, 30 B.
III, 14, 15. Flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Jesu Christi, ex quo omnis paternitas in cœlis et in terra nominatur, 20 B, 65 D'.
— 18. Ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis quæ sit latitudo et longitudo et sublimitas et profundum, 296 B.
V, 2. Christus dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis, 509 B'.
— 8. Eratis... aliquando tenebræ, 502 B.

AD PHILIPPENSES.

II, 13. Deus est... qui operatur in vobis et velle et perficere, 278 D', 307 D, 504 B'.
IV, 7. Pax Dei quæ exsuperat omnem sensum, 166 D, 316 C, 514 A'.

AD COLOSSENSES.

II, 3. In quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi, 168 B', 253 A', 448 A, 510 B.

I AD TIMOTHEUM.

VI, 16. Qui... lucem inhabitat inaccessibilem, 17 A', 251 B, 443, 451 C'.

II AD TIMOTHEUM.

II, 12, 13. Si negaverimus,... ille fidelis permanet, negare se ipsum non potest, 277 B.

AD HEBRÆOS.

I, 3. Qui quum sit splendor gloriæ et figura substantiæ ejus, 9 B.
II, 17. Debuit per omnia fratribus similari, ut misericors fieret, 21 A.
V, 14. Perfectorum... est solidus cibus, eorum qui pro consuetudine exercitatos habent sensus ad discretionem boni ac mali, 93 A', 570 C, 571 D.
XI, 1. Est... fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium, 262 C.
— 3. Fide intelligimus aptata esse sæcula verbo Dei, ut ex invisibilibus visibilia fierent, 8 C', 69 C', 448 B', 584 C'.
— 6. Credere... oportet accedentem ad Deum quia est, 88 A', 513 C.

JACOBI.

I, 2. Omne gaudium existimate fratres mei, quum in tentationes varias incideritis, 280 D.
— 17. Omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum, 87 B', 90 A.
IV, 1. Unde bella et lites in vobis? Nonne... ex concupiscentiis vestris quæ militant in membris vestris? 177 D'.
— 8. Appropinquate Deo, et appropinquabit vobis, 88 C.

I PETRI.

I, 12. In quem desiderant angeli prospicere, 121 C, 242 C.

I JOANNIS.

I, 5. Deus lux est, et tenebræ in eo non sunt ullæ, 130 B.
II, 11. Qui... odit fratrem suum, in tenebris est, et in tenebris ambulat, et nescit quo eat, quia tenebræ obcæcaverunt oculos ejus, 302 C.
III, 2. Videbimus eum sicuti est, 45 D, 443, 488 D, 504 A, 514 C.
IV, 16. Deus caritas est, 150 C.

JUDÆ.

6. Angelos... qui non servaverunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, etc., 170 D.

APOCALYPSIS.

XXI, 1. Vidi cœlum novum et terram novam; primum enim cœlum et prima terra abiit, et mare jam non est, 276 C.
XXII, 4. Videbunt faciem ejus, 443.

INDEX ANALYTICUS

A

ABEL, filius Adam, simplicitate et mansuetudine commendatur, 535A.

ABLATIO. Quo sensu vocetur Deus « omnium positio et ablatio », 56A', « super omnem positionem et ablationem », 56B'. — Per omnium ablationem Deum potissime cognoscimus, 258D. — Quæ de Deo per ablationem dicuntur, toti Trinitati tribui debent, 53C'. — *Cf.* Abstractio, Negatio.

ABSTRACTIO nimia caput et corpus debilitat, 254B'. — Hominis cognitio divisa circa creata, 254D, per abstractionem ad simplicitatem angelicam quodammodo reducitur, 254A'. — Per remotionem omnium quæ novit in præsenti, anima ad intellectualem Dei notitiam pervenit, 485D', 490D'; abstrahendo enim ab esse omnem potentialitatem et imperfectionem, purum et absolutum Dei conceptum invenimus, 486C, 491A. Quot modis fiat ista abstractio, 486C. — In Deo nihil differunt abstractum et concretum, 150C; imo ipsi magis competunt abstracta, 150D. Universalium et abstractorum causa est Deus, 225D'. — *Cf.* Ablatio, Negatio.

ACCESSIO. Deus inaccessibilis dicitur non penitus et omnifarie, quum ad eum jubeamur accedere, 513C, sed quia nec in præsenti nec in futura vita illum perfecte nosse possumus, 513B, « propter excessum supersubstantialis luminis effusionis », 513D. *Cf.* Comprehensio.

ACCIDENTIA non parum conferunt ad cognoscendam substantiam rei, 145B'.

ACEDIA omnis tanquam infernale malum fugienda est, 494A.

ACTUS. Deus est actus purus, absque potentialitate, differentia et materia, 139D', in quo idem sunt esse, posse et agere, 43D, 139A', 503C', agens, vis agendi et actio 71B. — Per se ipsum activus, 151A', propria bonitate transit ad actum, 150C', et propria virtute operatur, 562C'. Sicut plura et innumerabilia simul intelligere, ita et facere potest, 143C. Divini actus sunt causare, gubernare, providere, 276C'. — Omne creatum subsistens, aliquo modo unitum est ex actu et potentia, 223C, et operatur secundum quod est in actu, 159D. — Cunctis creatis datæ sunt vires agendi, 185A', et unicuique servatur actio propria, 281B, ne in deterius mutetur, 281D, et corrumpatur, 281B'. — Modus agendi sequitur modum essendi, et proprietas actionis naturam agentis, 489D; agens enim producit simile sibi, 170D, et unumquodque illi potissimum conformatur cujus actiones exercet, 149A. — Actus suos intellectuales anima producere potest sine conversione ad phantasmata, 489D, et super proprias actiones « reflexiva est », 252B, sicut angeli, 275D. — Omnibus est Deus causa agendi, 278D', et in omni actu meritorio cooperatur Spiritus Sanctus, 504B'. — Omnium actuum, etiam malorum, causa est bonum, 180B; nemo enim ad malum respiciens facit quæ facit, 180B. — Agens est honorabilius passo, 66B', 159D. — *Cf.* Operatio.

ADMIRABILE est nomen Dei, vel proprie, 29B', vel qualificative, 29C'.

ADSISTENTIA. Deus ubique et in omnibus adest per præsentiam et potentiam, 88B', sed non omnia ei adsunt, 88C'. Per justitiam Deo adsumus, 88D', per ferventem orationem, 89A, per contemplationem et quemlibet actum devotum, 89B. — Oratione non Deum ad nos trahimus, sed potius ad eum trahimur, 90B', sicut peccato non Deum a nobis elongamus, sed ab eo elongamur, 90D'. — *Cf.* Præsentia.

ÆGIDIUS Romanus (Ægidius Colonna, Bituricensis episcopus), infinitas in Deo ponit ideas, 141C'. — Allegatur, 487B.

ÆGRITUDO defectus est ordinis cujusdam, non sublatio, 162B, et est aliquid mali ob vestigium ordinis quod servat, 164C. — Naturam non destruit, 170A, quoniam modicum quid vigoris retinet, 170A', et est tantum diminutum, 170B'. — Naturæ corruptio in ægroto unde veniat, 174C.

ÆQUALITAS qualiter Deo competat, 467C. — Deo nullus æquari potest, 30A, 292B, 297D', nec causæ primæ, 65A. — Inter æqualia datur mutua similitudo, 297D, non vero inter causam et causatum (æquivocum), 297A', quia causatum minime æquatur suæ causæ, 65A'. — In cælitibus æquales diligunt sibi compares, 142A, ea sentiunt et faciunt, 143B, atque eis commendantur, 152B'. — Inæquales facti sunt ab exordio creaturæ, 279B', nec tamen inde officitur justitiæ Dei, 279C. — Cf. Inæqualitas, Similitudo.

ÆQUITAS. Deus æquus dicitur, non modo quia simplex et rectus, 299C', sed quia cunctis justa æqualitatem reddit, 299D, et causa est omnis æquitatis, 300A, unicuique naturalem capacitatem tribuens secundum speciem, 300A, et munera secundum dignitatem, 300A. Cf. Justitia.

AER quamvis humidissimus, medium tenet inter ignem et aquam, 276C.

ÆTERNITAS quid sit, 74C. Ad eam pertinet absque durationis principio et fine immutabiliter esse, 308D', omne tempus includit et excedit, 307C', ideo circulo comparatur, 151C. — Deus recte æternus vocatur, 306C', et plus quam æternus, 306D', quoniam immobiliter exsistit, 307C', ex se ipso, 307D', et causa est temporis et dierum, 307D'. Quo sensu dicatur æternitas, 127A, æternitas exsistentium, 221C. Divina æternitas juventas et senectus nuncupatur, quomodo, 308B. — In entibus quædam æterna sunt, quædam temporalia, 309A', quædam media inter æterna et temporalia, quæ aliquid de amborum proprietatibus participant, 309B'. Perperam mundum ab æterno esse et tamen a Deo fluxisse contenderunt philosophi, 142C', 309B'. — Æternum sæpe pro perpetuo sumitur, 229B', et sic æternum vocatur vulgo quod temporale est, 309B, aut in ævo, 309C. Sed non coæternum Deo, 309D. Ita in Scripturis æterna dicuntur non modo quæ principio carent, 308C, sed incorruptibilia, immobilia, immortalia, 308D, antiquissima, 308C', (quo vitæ præsentis successio, 308C'), in quantum magis vel minus sortita sunt veræ æternitatis proprietates, 308D'. — *Cf.* Ævum, Tempus.

ÆVUM inter æternitatem et tempus medium tenet, 309C. — Hoc mensurantur præcipua entia, 309C.

AFFIRMATIO. Omnium creaturarum perfectiones de Deo affirmare oportet et simul negare, 450A', nec istæ affirmationes negationibus contrariantur, 450B', quoniam Deo nec affirmatio quælibet convenit, nec negatio, 467B', et tam affirmationes quam negationes nihil penitus de divina essentia manifestant, 467C', quæ est super omnem affirmationem, tanquam omnium causa, 467D', et super omnem negationem, velut omnium vertex, 468A. — In qualibet affirmatione de Deo, apprehenditur increatum et æternum objectum, 484C, et in qualibet negatione præsupponitur affirmatio quædam, 484B', sed non sicut affirmationes ita fiunt negationes, 457A': affirmationes enim a sublimioribus prædicatis exordimur, 457B', utpote Deo proximioribus, 462A', negationes a vilioribus, 457C', quasi a Deo magis distantibus, 462B'. — *Cf.* Negatio.

Affirmativa theologia, circa divina immediate intenta, veritatem directe ostendit, 566A'. — De Deo designat quod ei proprie convenit, 566C', cumque vere et objective intelligit, quia est vera cognitio et realis intellectio Dei, 484B. — Vel in affirmativa theologia, opus est quamdam rerum imaginem in mente formare, ad plenius capienda spiritualia, 567C'. — In Divinis nominibus præcipue traditur, 484B. — *Cf.* Symbolum, Theologia.

AGALMA. Sicut ligneum vel lapideum agalma fit superfluorum resecatione, 457D, 485D', ita pulcherrimum invenitur Dei agalma, omnium quæ hic cognoscuntur remotione, 485D', abstrahendo enim ab esse omnem potentialitatem et imperfectionem, ad proprium et absolutum Dei conceptum pervenimus, 486C. *Cf.* Cognitio.

AGATHON abbas, quantopere mortem formidaverit, 282C'. (Migne *Patrol. lat.* tom. 73, col. 793.)

AGNES (Sta) martyr, in puerilibus annis senectutem gerebat immensam, 96A. (Migne *Patrol. lat.* tom. 17, col. 813.)

ALBERTUS Magnus (B.), Ord. Præd. theologus,

« vir valde catholicus », 483A' quid de obitu B. V. narret, 95B. — Sæpius allegatur, 155B, 521B', 543C', D', et subinde corrigitur, 486D', 563B A', nonnulla enim de cognitione et visione Dei tradit erronea, 482B', C', 503D', 514B'.

ALEXANDER (de Hales), Ord. Min. theologus, allegatur, 487B.

ALGAZEL. *Vide* Arabes scriptores.

ALIMENTUM. *Vide* Cibus, Epulæ.

ALPHORABIUS. *Vide* Arabes scriptores.

ALTERITAS. Cuilibet est alteritas, 319C, seu proprietas qua ab aliis separatur, 319D, et quam non vult perdere, 319D; qua etiam pacem intra se habere cupit similibusque conjungi, 319C'. — Deus « alter » esse dicitur, non quasi a sua simplicitate recedens, 296B', sed propter multiformem ipsius efficaciam, 296C', quoniam omnia fit in omnibus propter omnium salutem, 295A, absque sui immutatione, 295B, et creatis se communicat ut eis propriam imprimat similitudinem, 295C. — *Cf.* Identitas.

AMBROSIUS Camaldulensis, Areopagitæ opera clare et quasi expositorie transtulit, 72B'.

AMBROSIUS (S.) Mediolanensis episcopus, allegatur, 94A, 130B, 178B. (Migne *Patrol. lat.* tom. 15, col. 1616; 16, col. 1472; 17, col. 813.)

AMICITIA. Cunctis rebus data est a Deo quædam ad invicem naturalis amicitia, 261B, 275B', qua ad unum tendunt, 261A', licet quælibet in suo loco permaneat, 275C', et ex qua oritur ordo universi, 261A'. — Amicus est, qui vult alteri bonum, 150D', et est quasi alter ego, 148C, ac dimidium diligentis, 589A'. — Carnales amici satius inimici dicerentur, 146D'. — *Cf.* Amor.

AMOR quid sit, 143A', 146D', 150D'. — Amor est quædam vis universalis, 153D, cuncta movens et coordinans a summo usque ad infimum entium, 153D', et ab infimo usque ad summum, 154A. Omnia enim creata se ipsa amant et summum bonum, 142B; superiora diligunt ut causas, 142A, æqualia ut similia, 142A, inferiora ut effectus, 142A; hoc amore superiora inferioribus provident, 148D, 152B', æqualia se invicem sustinent, 148D, 152B', inferiora ad superiora se convertunt, 148C', 152B'. — Amor est vis conjunctiva qua amans et amatum sociantur et unum fiunt, 152B, amantem enim non sinit sui esse, 148C, sed amati, 148D. — Amoris nomen a profanis deturpatum est, 146B', sed in Scripturis honorifice usurpatur, 145C, 147D; quodammodo divinius est quam dilectio, 145D', quia vehementiam melius exprimit, 146A; veruntamen amor et dilectio pro eodem sæpe sumuntur, 146A'; quum omnino prævalet, zelus vocatur, 147B'. Amoris objectum est bonum, 151A, sed bonum intellectu apprehensum, 492A', quia non procedit a voluntate nisi mediante notitia, 460C. — Omnes amores ab increato amore orti, 152D, in duas species dividuntur, seu duos amores generales, 153A': alter, amor spiritualis, 145C, quo universos amamus, 147A, tanquam Dei imagines, 147B, quod mundanis stultum videtur, 147C; alter carnalis, qui est umbra vel corruptio veri amoris, 146D', non verus amor, sed odium, 146D'. Sicut amantes conjungit amor carnalis, ita diligentes unificat spiritualis, 147D', et amantem in dilectum quasi transformat, 148C. — Amorosæ locutiones plerumque truncatæ sunt et defectivæ, 462A, quia dilectionis prædominatio verba abrumpit, 462A.

Deus dicitur amor et amatus, 150C, quare, 150D, 151A, B. — Est amor in se subsistens, 150C', et omnis amoris causa, 142B', 150D. Omnia amat ut effectus, 142C, sed præcipue rationales creaturas, 150A, quas vel ingratas beneficiis prosequitur, 537B', et pro quibus mori voluit, 537B'. — Amor Dei non sinit eum esse sine germine, 142B', 143C, sed eum movit ad creandum, 143C', 536A. In creaturis diversimode relucet, 151C', omne creatum velut circulus ambiens, 151C', et ad Deum reducens, 151D'. — Amor Christi increatus causa est effectiva totius boni nostri, 509B'; amor ejus creatus, causa meritoria totius boni gratuiti, 509B'. Adeo Christus diligit homines, ut vel peccatores « amabiliter habeat », 536D, sustineat, 536A', et excuset, 536B', revertentibus occurrat et obviet, 536B', reversos amplectatur et osculetur, 536C', præteritas indulgens culpas, et pro reditu prodigi diem festum agens, 536D'. — Ferventissime Deum diligunt angeli, 153A, et multa hominibus præstant amoris officia, 535C, sed amor quilibet divino amori cedit, 153A'. — *Cf.* Caritas, Dilectio.

ANAXAGORAS philosophus quodlibet in quolibet esse asserebat, 340A.

ANDREAS (S.) apostolus, in cruce positus impositionem dixerunt, 177 C'. (In Legenda aurea, c. 2.)

ANGELI. *De natura angelorum.* Angeli difficillime cognoscuntur, propter nobilitatis suae sublimitatem, 14 A'; eorum essentiales differentiae nos latent, 25 D, eorum species specialissimae Deo duntaxat notae sunt, 24 B'. — A Deo esse et bene esse habent, 121 C', esse naturae et esse gratiae, 226 C', perfectionem substantialem et accidentalem, 121 C', vitam immaterialem et immutabilem, 242 C', immortalitatem, fortitudinem, 275 B', esse, posse et appetere indesinenter, 275 A. — Simplices formae, 25 D, mentes per se stantes, 121 B, substantiae separatae, 25 D, 121 D', materia immunes, 120 C', 168 D, altiori ac puriori modo quam caeterae creaturae participant divina, 57 D', perfectionem Dei praeclarius repraesentant, 122 C', ac bonitatem, 167 D', optimae sunt imago Dei, 168 B, splendida lumina, 122 D', manifestatio lucis increatae, 168 B, speculum purum divinae perfectionis, 168 C. Caeteris creaturis praestant vita, intelligentia, 220 A', donis et perfectione, 220 B', Deo similiores, 122 C', et propinquiores, 220 D, cum prope Deum facti sunt, materia prope nihil, 220 C; vel infimi sunt hominibus excellentiores, 226 D, et novissimus summae theologiae doctrinae longe antecellit, 344 B. — In caelo empyreo collocati, 121 D, quasi in vestibulo Trinitatis, 226 B, bonitatem divinam participant per modum signaculi, 164 C; Dei sunt signa, imagines, 452 D, sedes, loca, receptacula, 452 D', praecones et nuntii, 122 D'. — Immortales sunt non natura sed gratia, 20 C', a corruptione et morte immunes, 120 D, a materia liberi et mutabilitate, 120 C', veruntamen et immortales dici possunt, 241 C, quia non habent in se principium corruptionis, materiam scilicet privationi annexam, 275 B et mortales, quoniam a Deo jugiter conservari indigent, 241 D, 275 D', nec sine Dei auxilio ad momentum quidem subsistere possunt, 273 A'. — In illis utpote incorporalibus substantiis, non est sensitiva pars, nec sensitivae passiones, 174 C', nec ulla generatio, 20 B, 66 A, licet quodam modo patres et filii dicantur, 66 B. — Quamvis optime divinam pulchritudinem in se recipiant aliisque declarent, 168 A', infinite tamen deficiunt a perfectione Dei, eamque plene non repraesentant, 168 C'.

De intellectu angelorum. Radii luminis increati, 120 D, « simplices intelligentiis praediti, 253 C', sunt quasi totaliter « oculus », 26 A'. — Non a rebus aut sensibus scientiam acquirunt, 253 C', nec ab universali principio vel habitu, 253 D', sed rerum rationes divinis illustrationibus norunt, 121 C, sine phantasmatibus, 121 B, invisibilia contemplantur simplici intuitu sine phantasmatum involutione, 254 A, non enim in illis est pars sensitiva, 254 B. Se ipsos cognoscunt per suam essentiam, 187 B': terrena et inferiora, 257 A', non per sensus, 257 B', sed per simplicem mentis intuitum, 257 C'. In corporibus assumptis, nihil per organa percipiunt, 257 B', quoniam illorum corporum sunt motores tantum, non formae, 257 B'. — « Reflexivi » sunt ad se, ad proprios actus, 275 D, et potentias, 317 D', et propriae cognitionis sunt simul agentes et objecta, 318 A. — Ex illustratione divina ordinantur, collocantur et specificantur, 122 B; inde enim vim habent inferiores illuminandi, 122 C, humanaque regendi, 122 D, inde illis inest purgatio, illuminatio et perfectio, 122 A'. — Superiores inferioribus dona et illuminationes refundunt, 121 C, 122 A, et hominibus bonitatem Dei enuntiant, 168 A. — Nulla est in eis falsitas, nec error, 168 D; veruntamen a perfecta Dei comprehensione infinite deficiunt, 26 A', nec perfectionem Dei plene intelligere valent, 168 C'. — *Cf.* Cognitio.

De voluntate angelorum. A creationis exordio, Creatori assimilati sunt, 254 B, virtutibus repleti, 26 D, et suspensi ad supersapientissimam mentem divinam, 254 B. Gratia in Deo fundantur, conservantur, 121 B', et beatificantur, 121 B'; nullum in eis est malum culpae, quia in bono confirmati sunt, 167 D, nulla falsitas nec culpabilis ignorantia, 168 A'. — Ad Deum, quantum illis possibile est, conversi sunt, 121 D', « indeviabiliter » feruntur, 122 A', moventur indesinenter, 242 C. Circulariter moveri dicuntur, dum immediate feruntur in Deum, 138 A, directe, quum ad inferiora tendunt, 138 C, oblique, quum inferiora curando, circa Deum occupari non cessant, 138 C. Ceterum Deum plene honorificare insufficientes sunt, 344 A. — Distinctas mansiones in choro et ordine sortiti sunt ex bonitate sua intrinseca inchoative, 121 D, completive ex propriis meritis, 121 A', a Deo sua officia accipiunt,

544 C; Deo promptissime obediunt in omnibus 16 D'; unusquisque quæ sua sunt explet, nec quisquam terminos sibi præfixos transgreditur, 122 D. Licet in bono confirmati, liberrime agunt, 275 C. — Ad eumdem finem vocati sunt atque homines 138 B, sed in termino perfectionis suæ constituti sunt, 121 D', et quantum ad præmium essentiale, tota eorum potentia ad actum redacta est, 121 D'. Deum ardentissime amant, 153 A, homines diligunt et pro eis rogant, 535 C, malos increpant, 535 D, de culpis eorum dolent, id est per modum dolentium se habent, 535 C', de salute eorum lætantur, 537 D. Impios puniendo non peccant, 168 C'.

Angelus nomen est officii, non naturæ, 122 D'. Inferiores illuminando, « deiformes » fiunt, 66 B, dii et filii Dei nominari merentur, 66 B; nonnunquam « ignis » dicuntur, 569 A, quia ignis proprietates participant, 569 A'. — Sæpe corporaliter pinguntur, 295 D, et aptius quandoque designantur per bestiarum formas quam per nobiliores, 227 B'; sed membra eorum spiritualiter intelligenda sunt, 295 A'. Per corporeas imagines Prophetis abdita pandebant, 567 B, quare, 567 C.

ANIMA rationalis, est spiritualis essentia per se stans, 138 C', angelis inferior, 123 A. — A Deo habet esse et bene esse, 226 D, vivere primum et secundum, 123 B, esse immortale, 123 C, 241 C', potentiam lumen recipiendi, 123 A', ac divinas participandi proprietates, 123 B'. — In ea, tanquam in radice et causa, collectæ sunt et adunatæ omnes vires corporis, 225 A, unde dicitur vita corporis, 244 C', principium motus, 244 C', principium formale intrinsecum esse ac vitæ, 64 C'. — Eam immortalem esse naturalis probat ratio, 489 D. — Divina virtute corpori unita servatur, 276 B'; sed quoad vires intellectuales supra corpus est, 489 C, a lege ejus soluta, 489 D, et propriam ac separatam habet actionem, alioquin extra corpus non posset subsistere, 489 A'. — Per membra corporalia spiritualiter figurantur animæ potentiæ, 295 B'. Quid ejus caput, 295 A', cervix, pectus, venter, pedes, 295 B'.

Animæ rationali inest potentia intellectiva qua immaterialia apprehendit, 251 D', Deum noscit, 252 A, et ad spectanda cœlestia erigitur, 252 B, sed facta « in umbra intelligentiæ », 123 B', discursive et quasi per circulum ad scientiam pertingit, 254 C, quoniam a simplicitate angelica deficit, 254 D. — Ab exterioribus et sensibilibus incipit ejus cognitio 138 C'; in principio indiget phantasmatibus et sensibilibus formis, 140 A, sed quum exercitata est, nonnunquam anagogice illustratur, 140 B, et ad momentum quasi vita Dei vivit, 140 C. Pars inferior, organis utens, 567 D, sensibilibus indiget ad percipienda invisibilia, 567 A', quia « passibilis » est, 567 B'; pars superior « impassibilis », id est a corporeis passionibus libera, simplices divinorum formas contemplatur, 567 A'. — *Cf.* Intellectus.

Omnis anima nobilis tres habet operationes : animalem, intellectualem, et divinam, 276 C'. — Quum anima sit Dei imago, ex sui ipsius cognitione ad Deum erigitur et ascendit, 139 D, « quoties enim per se ipsam speculatur, illico defertur in sincerum semperque exsistens ac immortale », 140 B'; similiter ex creaturis Creatoris notitiam exprimere potest, 225 B. — Circulariter moveri dicitur, dum ex consideratione rerum exteriorum ad se ipsam revertitur, 138 C', ex creaturis per se ad Deum rediens, 140 A'; oblique, quum divinas illuminationes recipit, 139 D', non pure intellectualiter sicut angeli, sed rationaliter, 140 A; directe, quum ex sensibilium consideratione recte ad Deum tendit, 140 A', ex creaturis intelligens Creatorem, 140 C'. — Circa creata quasi dividitur, 254 D, sed per abstractionem ad simplicitatem angelicam quodammodo reducitur, 254 A', et ad « deiformem monadem », 19 C'. — *Cf.* Cognitio.

Anima non est naturaliter mala, 173 B, imo naturaliter est bona, 179 C, quum sit a bono, 173 C, radius et imago sui creatoris, 179 A'; sed propria diligentia in bono multum proficere potest, 173 D, 179 B', propria infirmitate et negligentia a bono deficere, 179 B', et mala fieri, 173 B'. — Non ex corpore manant animæ vitia, 176 A, sed ipsa anima per liberum arbitrium causa est culparum suarum, 179 B. Corpus et anima mala fiunt, a propria bonitate cadendo, 176 A', anima, agendo contra rationem, 182 B', corpus agendo contra animam, 182 B'. — *Cf.* Malum.

Deus anima dici nequit, 466 A', nec animus, 27 A', nisi modo sibi proprio, 27 C', sine impietate « anima mundi » vocari non potest, 60 C'.

Anima fidelis virtute Dei assimilatur, stabilitatis 130 C'. Unde tenetur studiagit ut bene facere, malum mollis pecare, 178 B. — Per caritatem ad summum bonum paratur et connubio suo decoratur, 132 B, per dilectionem quasi gradum attrahit, 13 A', 132 B, A', et digna fit illuminatione divina, 132 D. Capiens ergo ad Deum ascendere, 88 A, et ab eo illuminari, 89 C, sed, 88 A, et ad caelum empyreum frequenter per contemplationem ascendat, 16 C'. quod fieri solet per continuam fervorem, 89 A, per contemplationem et actus devotos, 89 B. — Ignorantia excaecatur, et peccato in amicitiam confirmatur, 131 C'; sed si perfici cupiat, 132 A', ad Deum paulatim reducitur, primo sentiens gratia, 132 A, et sent. quam jam professi 132 B, majoribus charismatibus, 132 B. — Deum quantopere diligere debeat, 18 A', quam reverenter et fervide colere, 19 B', et timere, 344 A. — Cf. Christianus, Contemplatio, Homo.

ANIMALIA vegetativis praestant, 220 C, sed animalibus infimisque vitam summo vegetativorum conceditur, 200 D'. — Illis datus est appetitus concupiscibilis et irascibilis, quare, 220 B. — Animalis forma non nisi metaphorice Deo tribuitur, 264 B', et angelis, 295 D, verumtamen per eam aptius quandoque designantur angeli, 227 B'. — Cf. Bruta.

ANSELMUS (S.), Cantuariensis episcopus, saepius allegatur, 54 B, 120 C, 226 B, 278 C', 487 B (Migne Patrol. lat. tom. 158, col. 210, 144, 205, 253, 484).

ANTIQUITAS. Antiquus dierum dicitur Deus, quia est ante tempus, 307 B, quia immobiliter existens semper manet ex se ipso, 307 C, et causa est temporis et dierum, 307 D'. — Antiquissima saepe aeterna dicuntur, 308 C. — Cf. Aeternitas.

ANTISIODORENSIS dominus, id est Guillelmus, celeberrimae Summae auctor, citatur, 487 C.

APOLLOPHANES, 520 D, vel Apollophanius, 589 A, sophista 520 B, Dionysii coaevus 590 D', et amicus carissimus, 589 A, D, ejusque in studio astronomiae consocius, 589 A, « peritus rerum sacrarum » 591 A', et « speculum doctrinae », 591 B, naturali sapientia pollebat, 521 B, 525 C. — Annos xxv natus cum Dionysio adstitit mirabili solis eclipsi quae facta est moriente Christo, 524 A, 590 D'; qua adeo commotus fuit, ut insanus vaticinaretur, 524 A, 591 B. — Conversus Dionysio, 591 C', ipse diu in idololatria permansit, 589 A, partim ex superbia, 592 C, et invisibilium despectu, 521 D, 590 A, A', partim vana idolorum in facie apparitione deceptus, 589 B. Dionysii tamen dogmata ipsi exponenti non multo restitit, 589 B, 590 B, sed ejus fidem impugnans 590 A' multis argumentis, 592 B, illum arguebat, quod paternae legis profugus, 590 A', Graecos irrationabiliter increparet, 520 B, et scientia quam ab ipsis didicerat perverse uteretur, 520 C, simulque monebat ut vel ad deos reverteretur vel saltem patriae leges non blasphemaret, 590 B'. — Ipse vicissim a Dionysio sacrilegii arguitur, 520 D, quippe qui ex motu caelorum motorem eorum nescivit detegere, 520 B, qui Dei causalitatem non agnovit, neque ex mirabili caelorum statione sub Josue, 521 B', neque ex solis regressu, tempore Ezechiae, 522 C, neque ex portentosa solis eclipsi, moriente Deo, 524 A, cujus ipse testis fuit in Aegypto, 524 B. — Tandem per B. Polycarpum conversus est, 589 A, 592 A, et ad eum scripsit Areopagita epistolam ad congratulandum, 589 A, simul hortans eum ad perseverantiam, 592 A'.

APOSTOLI sunt « deifica luminaria », 21 C', Ecclesiae, 17 B'. — Erant omnes episcopi, 96 C, et episcopos habent successores, 539 C. — Quum ad praedicandum gentibus pararent iter, eis apparuisse dicitur Christus, 95 C. — Qua occasione convenerint Jerusalem, 95 B, B', et quando, 96 B, quomodo ibi « potentem bonitatem divinae infirmitatis » laudaverint, 96 C, et quam sublimiter, 97 A. — Apostolorum, scilicet archiepiscoporum, est hierarchis, seu episcopis, imperare, 545 A'.

APPETITUS circa bonum versatur, 151 A, 157 A', et nihil appeti potest nisi sub ratione boni, 180 C. Cuncta ergo creata appetunt bonum et propter ipsum operantur, 157 D, unumquodque enim appetit suam conservationem et perfectionem, 136 A, et ideo appetit summum bonum, 136 A, scienter, vel sensibiliter, vel vitaliter, vel naturaliter, 129 D'. Imo ipsum quod non est appetit bonum, 124 C', nec quisquam malum ut tale appetit, 157 A', et mali appetitio potius est appetitus defectio, 184 B'. — Materia naturaliter appetit formam, 154 C, quemadmodum turpe pulchrum et femina virum, 124 A'. Quomodo materia prima, seu non esse, dicatur appetere Deum, 124 A'. — Animantibus datus est

appetitus concupiscibilis et irascibilis quare, 320 B. Quamvis sensitivo appetitu careant dæmones, quidam in eis est concupiscentiæ motus, 171 D. — *Cf.* Desiderium.

APULEIUS Platonicus allegatur, 140 B, 492 C'.

AQUA Scripturam rite figurat, 572 B, quia habet utraque vim vivificandi, 572 B.

ARABES scriptores in præsenti volumine citati : Algazel (El-Gazzali) male in angelis ponit generationem, 66 A, et mundum ab æterno esse contendit, 142 C'. — Alphorabius (El-Farabi) perperam asserit mundum æternum esse, 142 C', ac Deum ex creaturis quidditative cognosci posse, 491 A. — Avempote (Abenpace, Ibn-Badja) erravit affirmans Deum ex creaturis quidditative cognosci posse, 491 A. — Averroes (Ibn-Roschd), seu Commentator, « inter expositores Aristotelis Græcos et Arabes, melius videtur eum intellexisse », 25 A'. « Perfidus impiissimusque », Dei omnipotentiam noluit attendere, 243 D. — Avicebron (Ibn-Gebirol) a quadam reprobatione vindicatur, 141 C. — Avicenna (Ibn-Sina) falso contendit angelos generare, 66 A, mundum esse ab æterno, 142 C'. Deum per se primam intelligentiam tantum creasse, et per eam cetera, 143 A. Passim allegatur, 120 C', 156 B', 256 C', 340 B, 486 D, C', 487 B'.

ARBITRIUM. Homini, utpote libero arbitrio instructo, naturale est libere, non coacte, agere, 183 A', et ipse est sibi causa meriti, 183 A', et demeriti 179 B.

ARIANI hæretici Christum simpliciter creaturam dicebant, 71 A.

ARIDÆUS (Philippus) tabulæ astronomicæ auctor, a Dionysio commemoratur, 591 C.

ARISTOTELES, « summus, ingeniosus », 25 A', et « excellens philosophus », 143 B, minus recte de creaturis sensit quam Plato, 20 C'. — Mundum, licet a Deo creatum, 25 A', æternum putabat, 589 B'. — Solem ut summum deum coluisse videtur, 127 C'. — In contemplatione Dei felicitatem hominis constituit 492 C'. — Passim allegatur 58 D', 125 C, B' 137 D, 138 C' 140 C, 143 A, 161 A, 340 B, 514 D'. — *Cf.* Peripatetici, Philosophus.

ARS. Deus est ars increata, rationibus plena, « quæ cuncta superno ducit ab exemplo », 135 B. — Infinitum non cadit sub arte, 179 A.

ARSENIUS (S.) abbas, quantopere mortem formidaverit, 282 C'. (Migne *Patrol. lat.* tom. 73, col. 794.)

ATTRIBUTA divinæ naturæ seu « unitates Dei », 75 B, identificantur in re, 75 D, sed quamvis realiter unum sint, pluraliter designantur ob diversos suos effectus, 130 D'. — Esse angelis conferunt 226 B', et in creaturis conspiciuntur, 130 D', non quidem clare, sed per speculum in ænigmate, 131 A. — Attributa Dei præcipua, quæ, 226 B'. — In corpore passibili et anima naturalibus passionibus subdita, integra servavit Christus attributa divina, 72 A.

AUCTORITAS. Nulli fas est ea quæ suam auctoritatem excedunt agere, etiam intuitu boni, 541 A ; nec licet actus justitiæ extra legitimam auctoritatem exercere, 542 A. Unusquisque ergo quæ suæ sunt vocationis attendat, nec ultra auctoritatem attentare præsumat, 542 A'.

AUGUSTINUS (S.), Hipponensis episcopus, novam et inauditam opinionem introduxit de diebus creationis, 128 C'. — Quomodo definiat fidem, 262 D. — Per speciem Deum visum fuisse testatur a Moyse, 483 A, et Paulo, 483 B, C'. — Multoties citatur, 11 B', 58 D', 124 D, 140 B, 170 D, 177 C', 183 A, 220 C, 229 B, 230 C', 231 A', 261 A', 486 B, 492 D, 563 B', 575 A'.

AURA. Quomodo in aura tenui Deus esse dictus sit, 30 B', 291 A'.

AVEMPOTE, AVERROES, AVICEBRON, AVICENNA. *Vide* Arabes scriptores.

B

BABEL turris, qua de causa constructa sit, 565 B.

BABYLONII astronomiæ intenti, regressu solis sub Ezechia permoti, 523 C, Ezechiam timuerunt et admirati sunt 523 C, adeo ut rex Babylonis nuntios ad eum miserit, 523 A', et diu postea Nabuchodonosor Jerusalem expugnare desperaverit, 523 A'.

BAPTISMUS quondam in nomine Christi collatus est 69 C.

BARTHOLOMÆUS (S.) apostolus, quo sensu asseruerit Theologiam esse multam et minimam, 450 D. Evangelium esse latum et magnum 450 D'. (In Legenda aurea, c. 118.)

BEATITUDO. In cognitione et contemplatione Dei est viatorum felicitas, 2, ut ipsi fassi sunt philosophi, 492 C', in visione et fruitio-

ne Dei, eorum beatitudo comprehenderetur, 483D. — Beatitudo formalis nec carnalibus intelligibilis est, nec hominibus adeptibilis, 243C, quia supra naturam humanam est, 243D, sed a Deo ipso confertur 243A, A', meritis et opere Christi 574D'. — Quando desiderio ad eam oporteat adspirare 548D'.

Beati ultra mundiganum enumerantur, 270C. — Quamvis animam, nec post mortem, reque demandur 22C. Tunc cœlestibus domo orenti 25D, gaudio ac laudatio « sempiternalis » repleti 24A, angelis effecti similes 23A', sine Deo ipso 17C perfruentes, remanentes corporibus vulnerantibus 22C sicut Apostoli in Transfiguratione, 25B. Deum contemplantur, 25A, neque omnino, 24C, ultra quam intelligere valemus 25D tantoque perfectius quanto magis eum in vita dilexerunt, 25D. — Quidquid de hoc senserint pauculi Theologi, 482B', 503D', 544B', de fide est Beatos in cœlo Deum cognoscere non sola cognitione quia est, 482C', sed cognitione quid est, 482C', id est Deum videre intuitive, facialiter, immediate, nude, clare, 483C, 504A, quidditative, objective 488C, per essentiam, 484D', et non solum per quamdam lucem, 483C', sicuti est, 504A, quia divina essentia ipsis unitur quasi intelligibilis species, 483C', et est eis objectum et forma seu quasi medium intelligendi, 483C', idemque comprehensores vulgo vocantur, I, 443. Veruntamen Deum comprehendere simpliciter non possunt, 488D, seu quantum ex se cognoscibilis est, 443, quippe qui « infinitæ est cognoscibilitatis », 488D, imo a cognitione qua ipse se cognoscit deficiunt infinite, 204D, sed sua mensura plenarie contentantur, quia tota eorum capacitas impleta est et superimpleta, 488D. In divina essentia quasi in speculo plura pauciorave intuentur pro beneplacito Dei, 168D. — Ipsorum corpora, post resurrectionem in cœlo empyreo collocata, 127D, multis dotibus ornabuntur, 24B, 243B. Quid eorum convivium, 572C, quo ipsi discumbere dicantur, 573B', eis ministrante Christo, 573D'. — Inter se et cum Deo inviolabiliter sunt concordes, 573A', et unius beatitudo redundat in alios 573B'. — In bono confirmati, 24D, sine fine ab omni labore requiescent, 573C. Nunquam culpam vel minimam incurrent, 224A', nunquam Deum mirari desinent, 14C', imo de eo jugiter tanquam cum jugiter desiderabunt, 124B'.

BENEDICTUS XII, Papa, quid de beatifica visione definierit, 484C. (In Bullar. Rom. tom. 3, pag. 2.)

BERNARDUS (S.) « gloriosus pater », 485D, allegatur, 132A, 441D. — Idem (seu auctor epistolæ ad Fratres de Monte Dei) quid de visione Dei doceat, 485D (Migne *Patrol. lat.* tom. 184, col. 349.)

BOETIUS (B.) philosophus, multoties citatur, 20D, 70D, 71C, 99B', 134B', 151A', 226A, 229A', 329C, 340C. (Migne *Patrol. lat.* tom. 64.)

BONAVENTURA (S.), Ord. Min. theologus, 487B, quid de cognitione Dei doceat, 486B, C.

BONITAS. Deus recte dicitur bonus et bonitas, 50C, quia essentialiter est bonitas pura, 119B, perfecta et universalis, omnia in se continens, 32B', 120A'. Bonitas ipsi convenit absolute, 49C, et in divinis significare potest tam essentiam divinam quam unamquamque Personam, 49C, communis est enim toti Trinitati, 75B, et de qualibet Persona prædicatur, 50A'. Veruntamen hoc bonitatis nomine vocatur, non quod ita perfecte exprimatur, 343C, sed ut saltem aliquo modo designetur 343D, ut ut imperfectissime, 343A'. Quo sensu dicatur « super bonitatem principalem », 505A, superbonus, 56C, 505A'. — Bonitas divina omni prorsus rationi est quid incomprehensibile, 12A', 71B', « super omnem dictionem et nominationem », 33A'; sed eam clarius contemplatur qui copiosius S. Spiritus donis repletur, 11A'. Una est in se, sed in effectibus quasi multiplicatur, 59B. Ea quasi pascitur Deus, 119D. — Omnium rerum causa est immediata aut mediata, 20C, quia principium est actuum divinorum, 562C', et emanationum ad extra, 75B. Est causa exemplaris omnium, 342C, omnium forma tam generalis quam particularis, 324C, quoniam cuncta creavit Deus ad suæ bonitatis similitudinem 536A et participationem, quantum cuique convenit, 536B. Unde, quidquid habent entitatis et perfectionis creaturæ, participatio est illius bonitatis primæ et increatæ, 119D; ab ea sortiti sunt angeli dona vitæ naturalis, 120C, et gratuitæ, 121B', animæ rationales vivere primum et secundum, 123B, irrationalia vitam et motum, 123D', elementa formam substantialem et naturalem inclinationem, 124A. — Optime comparatur

soli, 126 A, et luci, 126 C quia in universo mundo relucet, 568 A, in cuncta influens creata, a primis usque ad novissima 161 B, plus minusve, prout unumquodque capax est, 161 C, in angelos per modum signaculi, 161 C', in homines per modum imaginis, 161 C', in inferiora per modum vestigii, 161 D', nullum sui expertem relinquens, 162 A, ne adversarios quidem, 162 A'. — Universa ad se ipsam tanquam ad finem ultimum ordinat, 128 D', et sic ad certum ordinem redigit, 129 B; omnia enim illam appetunt, 129 D. — Fons est totius bonitatis creatæ, 324 B, nam participatione ejus bonæ fiunt creaturæ, 505 A', C'.

Bonitate Deus omnia creavit, 152 C', 536 A; bonitate humanam naturam assumere dignatus est, 20 D', cum suis naturalibus proprietatibus, 21 A, ut ad se in fine sæculorum reduceret humanum genus, 21 B. — Bonitate peccatores sustinet, 536 D, et satagit reducere, 536 A', revertentibus occurrit et obviat, 536 B', reversos amplectitur et osculatur, 536 C', præteritas culpas indulgens, et pro eorum reditu festum agens, 536 D'. — Bonus est universis, etiam ingratis, quos beneficiis prosequitur, 537 B', et pro quibus mori voluit, 537 B'; adeo bonus ut non sineret mala fieri nisi inde bona elicere posset, 183 A; tam bonus ut justum sit eum omnium misereri, 278 C', reprobos citra condignum puniens, electos ultra condignum remunerans, 278 C'. — Suam bonitatem communicando, totus et perfectus manet in se, 562 D'. — Ex libro de Causis : Causa prima est super omne complementum et omnem perfectionem, quia ipsa est bonitas cui non est finis, 255 B'.

BONUM verum et ens convertuntur, 58 B, 162 C; imo, juxta Platonicos, bonum est ante ens, et latius quam ens participatur, 124 B'. Nulla est creatura quæ non habeat boni aliquam participationem, 136 A', et quod boni omnino expers est, nequit esse, 162 D', 163 C', et nihil est 170 B', deficiente enim penitus bono, nec essentia manet, nec motus, nec vita, 163 D, ens ergo est aliquid in quantum aliquid boni sortitur, 163 D'. — Bonum et pulchrum idem sunt in Deo, 134 A, sed in creaturis ab invicem differunt, quia bonum ad vim affectivam pertinet, pulchrum ad cognitivam, 134 B. — Bonum et finis coincidunt, 136 B, quia semper propter bonum operamur tam bona quam mala, 180 B. Bonum appetunt omnia 28 C', 157 D, etiam id quod non est, 124 C', et nihil appeti potest nisi sub ratione boni, 180 C; omnia propter illud operantur, 157 D, omnia propter ipsum fiunt, 136 B. — Bonum ex integra causa est, 178 B, bona enim bene facienda sunt, 544 A, malum ex particularibus defectibus, 178 B. Boni una est causa fontalis, mali autem causæ sunt multæ, 179 B'. Bonum de bono naturaliter gaudet, 158 D', nec sibi contrarium est, 159 B, nisi per accidens, 158 C', sicut per accidens causa esse potest corruptionis, 160 B. — Diffusivum est et communicativum sui, 87 B; ipsi proprium est ad bonum et finem deducere, 156 C', nec nisi bonum directe producere potest, 156 B', 165 D, 170 D, alioquin malum ab ipso procedens bonum esset, 176 C'. Omnia conservat in esse, 165 B, in concordia et pace, 166 C, ea quibus perfecte inest, perfecta faciens, 160 B', cetera imperfecta et mixta relinquens, 160 C'. — Caritas ad omne bonum disponit, et omne bonum meretur, 132 D. — In Scripturis præcipue laudantur qui injuriantibus bona rependunt, 535 A'.

Nomen « bonus » a « Theologis » summæ Deitati peculiariter applicatur, 119 B, et est perfectissimum Dei nomen, 87 A, quia bonitas radix est ac ratio divinarum emanationum, 87 B, et Deus summum bonum est, 119 C, sine vicissitudine et commixtione, 134 B', uniformiter, omnifarie et quomodolibet, 134 D', ex se, per se, cum se, 134 D', primum et simplicissimum bonum, 135 B', in se ipso ostendens rationem totius boni, 135 A, bonum extra omne genus et supra ordinem universum, 136 D, plus quam bonum, 134 B', cui convenit bonum esse ultra quam capere valemus, 136 C'. — A primo bono omnibus derivatum est esse et vivere, 14 D et quidquid boni in creaturis invenitur, 88 A, 135 A', 142 B', 307 D, 504 B'; omnibus enim se communicat, 120 A' juxta capacitatem, 15 B, desiderium 15 D, et humilitatem, 15 B', omnes ad sui similitudinem trahens 15 C nec quemquam totaliter relinquens expertem suæ participationis, 135 B'. — In ipso universorum rationes formæ et species continentur, 126 B, ab ipso omnis causalitas, fecunditas et influentia creaturarum derivatur, 122 B' Omnia sunt ex ipso tanquam a causa efficiente, 129 D, 141 A', 156 C', ipsi

tatis proprium est ad esse adducere, 106C, et omnibus dat formam, 134C; in ipso, tanquam in exemplari principio, 129A', in se, tanquam fundamento et indeficibili conservatore, 129B', 144A'; ad ipsum, tanquam ad finem ultimum et « propriam summitatem », 129C', 144A'. — Omnia in ipso subsistunt, 135C, et ipsum est omnium principium et finis, 186A, omnium vertex, 137C, « existentium omnium substantia, non existentium [illegible] », 180A, omnium [illegible] mensura, 104B, causa omnium [illegible], 136C', 186B, omnium [illegible], 186D, successionum, 137D, similitudinum ac distinctionum, 137A, conversionis inferiorum ad superiora, 137B, harmoniæ universitatis, 137C et ordinis universi, 137C, omnium malorum curatio, 180A'. — Universa illud appetunt, 28C; intellectualia scienter, sensualia sensibiliter, vegetativa vitaliter, insensata naturaliter, 28D', 129D', quia cunctis est amabile et desiderabile, 134B.

Ex Philosophorum dictis: Omnia qualitercumque participantia bono præcedit quod primo bonum, et quod nihil aliud est quam bonum, 135D; omnium [illegible] prima causa et principium est bonum, 135D. — Omne quod est bonum, participatione boni fit bonum, 180D', quia a primo bono omnibus derivatum est esse et vivere, 14D. — Omne bonum est unitivum participantium ipso, 129C, 135C, et unumquodque bonum secundum [illegible] existit, 137B. — Bonum est salvativum omnium entium, propter quod appetibile est omnibus, 29A', 129C, et ipsum quod non est appetit bonum, 124C'. — *Cf.* Malum.

BRUTA [illegible] 123D a summo bono vitam et sensum acceperunt, 123C', et ab eo effective vivificantur, 124A; omnia Deum desiderant sensitive, 28D', 129D'. — Eis inest [illegible] industria et calliditas, 254C. — Brutorum passiones et actiones non sunt simpliciter malæ, 174B, sed consentaneæ ipsorum naturæ, 174C. — *Cf.* Animalia.

C

CÆCITAS. Anima ignorantia excæcatur, et vitiis in cæcitate confirmatur, 131D', Divini luminis infusione sanatur, 131C, sed paulatim, primo mediocri gratia, 132A, deinde, quum jam convaluerit, 132B, uberioribus charismatibus, 132C. — Cur cæcus de quo in Evangelio paulatim sanatus sit, 132A.

CAIUS Corinthius ex gentilitate conversus, 507A, caritate et hospitalitate insignis, 499, doctus est monachus, 499. — Scripturarum studiosissimus, 507A, in dubiis ad Dionysium solebat recurrere, 499. — Ad eum exstant una Joannis epistola, 499, et quatuor Areopagitæ: 1° qua illi explicat quomodo cognoscatur et videatur Deus, 502A; 2° qua exponitur quo sensu dicatur Deus superdeitas et superbonus, 505A; 3° qua Malachiæ quidam locus explanatur, 507A; 4° qua monstratur quomodo dicatur Christus ejusdem esse naturæ cum hominibus, 509A.

CALIGO. Quo sensu Deus dicatur caligo, 255C', 302B', et in caligine habitare, 443. — Divina caligo est inaccessibile lumen in quo Deus habitare perhibetur, 513A; tam ex essentiæ divinæ excellentia quam ex humanæ mentis imbecillitate oritur, 458A', et est super omne verbum et intellectum, 343A, quia ad eam explicandam deficiunt verba, 461D. — In hac caligine cuncta idealiter virtualiterque resplendent, tanquam in speculo, 448D, in hac constituitur qui Deum videre dignus est habitus, per donum sapientiæ, 513B', quia mente conspicit se non posse clare et plene cognoscere Deum, 513C'; in hac Deus dicitur cognosci, 488C', quia ibi limpidissime videt anima quam sit incomprehensibilis, 488C'. — Ad videndum Deum oportet hanc ignorantiæ caliginem intrare, 451B', 452C', ubi Deus veraciter habitat, 451B', quia nullibi verius est quam in se ipso, 451C'; ibi a Deo docebitur mens, 452C', et immergetur Deo incomprehensibili, 452D', ignoto, 453A, 488B', sine actu, per apicem intellectivæ potentiæ, 453B. — *Cf.* Tenebræ.

CANIS. Iracundum esse canem decet, 174C, quum creatus sit ad custodiendam domum, 174D, contra extraneos, 174B'.

CAPUT animæ vel angeli, est mens seu intellectus, 295A'.

CARITAS circa bonum versatur, 451A, ad omne bonum disponit, omne bonum meretur, 132D, et sine ipsa nemo Deo uniri potest, 88A'. — Incipere debet a se ipsa, 400B, 439C, 539B. — Minima caritas plus Deum diligit quam maxima cupiditas mundum, 16A', Deum enim tanto amplius diligere debemus quanto magis ceteris præstat, 16A'. — Quantopere commendetur caritas in proximum,

535B, 546D'. — Intensissima caritas corpus debilitat, 16D. — Veram caritatem, id est supernaturalem Dei amorem, nescierunt philosophi, 492D. — *Cf.* Amor, Dilectio, Misericordia.

CARO. Usus carnium Cartusiensibus vetitus est, extra necessitatis extremæ casum, 493C'. — Contemplationis arcana non decet revelare carnalibus, 449C, qui nihil ultra sensibilia imaginantur, 449D, et per propriam scientiam præsumunt se satis cognoscere Deum, 449C'. — *Cf.* Corpus.

CARPUS, Cretensis presbyter, corde mundissimus, 549B, media nocte ad orandum surgebat, 550C, Missam celebrare non solebat quin prius revelationem accepisset, 549C, et martyrio coronari meruit, 552A'. — Contra peccatores zelo indiscreto commotus, 549D, mirabili visione monetur, 550B', et crudelitatis a Christo arguitur, 551D'.

CARTUSIENSES absque gravi peccato carnes edere nequeunt, præter extremæ necessitatis casum, 493C', quidquid contra dixerit Gerson, 493C'.

CAUSA. Omnia causam proportionatam habent, 178C'; nihil enim fit cujus legitima non præcesserit causa, 135C. — Causa ambit causata, sua virtute ea conservando, 224A. Ex effectibus laudatur, 59C', et cognoscitur, 131A', 230A', tanto perfectius quanto melius apprehenditur habitudo ejus ad effectum, 487D'; sed inter causam et causata (æquivoca) non est similitudo perfecta, 66A', nec utrisque eadem semper competunt, 67A', causa enim perfectionem habet quæ causatis denegatur, 66A', et perfectior est causato, 66B', 159D'. — Ex eadem causa duo omnino contraria procedere nequeunt, 165B'. — Primum causatorum est esse causatum, 224A. — De causa ad effectum procedere, cognitio est a priori, 254D, de effectu ad causam redire, cognitio a posteriori, 254D. — *Cf.* Effectus.

Causare est proprietas divina, 332B, et actus divinus, licet communicabilis, 276C', at præter causam primam non sunt aliæ causæ creatrices, 323C'. — Universorum causas Deus in se æternaliter comprehendit, 264C, et omnium causarum conditor est, tam superiorum, quam secundarum, 323D', omniumque participationum illarum, 324A, ideo causæ creatæ superiores a causa increata virtutem participant qua inferiorum sunt « gubernativæ », 323C', et quodammodo divinæ censentur, 323D'. — Omnium causa effectiva, exemplaris et finalis Deus est, 20C, 31C, non necessitate, sed voluntate, 28C, et propria bonitate, 20C, omnium enim causa bonum est, 135D; sed eum formalem entium causam dicere intolerabilis est error, 31B'. — Quum Deus causa sit exemplaris omnis creaturæ, 60D', cur tantum inter se creata differant, 61A, A'. — Prima causa cuncta diligit ut suos effectus, 142B. Super omnem privationem et positionem exaltatur, 450C', nec ei quisquam æquari potest, 65A. — *Cf.* Deus.

Ex philosophorum dictis : Nihil fit cujus ortum legitima causa non præcedat aliqua, 135C, 178C'. Omne causatum manet in sua causa, et procedit ab ea, et convertitur ad ipsam tanquam ea indigens, 66B', 136D. Res non cognoscitur neque narratur nisi ex causa sua; quum ergo res est causa tantum, nec scitur neque narratur, neque consequitur eam loquela, 25C'. — Omnium causa prima est bonum, et illud omnino bonum est, non hinc bonum, hinc non bonum, 135D. Causa prima est de se maxime hæc, et quoddam separatissimum esse, 467D'. Superior est omni narratione, 2, 467D', et non narratur nisi per causas secundas, 2, 491A', quoniam ipsa est super omnem causam, 2, super omnem intelligentiam, cogitationem, meditationem et sensum, 25D', super omne nomen quo nominatur, 70A, 255B', 467D'. — Causa prima supereminet omnibus rebus, quia ipsa est causa intelligentiæ et animæ et naturæ et reliquis rebus, 143B. Non pertinet ei diminutio neque complementum, quia est super omne complementum, 70B, 467D', et est super omne complementum et super omnem perfectionem, quia ipsa est bonitas cui non est finis, 255C'. — Causa prima regit res omnes præterquam quod commisceatur eis, 74B', et influit super eas virtutem vitæ et bonitates, 120D', replens omne sæculum bonitatibus, 161B, 183D', 341A'. In rebus omnibus exsistit secundum unam dispositionem, sed res omnes non exsistunt in ea secundum unam dispositionem, 61C'. — Causa prima in omni effectu plus influit quam quæcumque causa secunda, 20C, 136B, tenaciusvehementiusque adhæret causalitas ejus, 293C', et dum causæ secundæ remo-

tenet semper infimum, quæ non removet suprema, 136B.

Liber de Causis (David Judæi) male asserit angelos creatores, 68A, mundum ab æterno esse, 142C, 294A, et a Deo primam intelligentiam tantum fuisse creatam, 141D. — Multoties allegatur, 2, 20C, 25C, 61C, 66A, 74A', 120D', 121C, 122C, 129C, 136C, 136B, 138C, 139A', B, 139D, 161B, 169D', 225D', 226C, 229A, 261A, 270C, 333C, 341A', 467D', 491A', 563B.

CERVIX animæ aut angeli est oppido inter sensualitatem et credulitatem media, 295D'.

CHARACTER in divinis sæpe pro distincta Persona sumitur, 9B. — De Divinis characteribus librum scripserat Areopagita, 9A, ubi de unitate Trinitatis disserebat, 50B, 51D', 400A, de earumdem unitatione et discretionem ... 62B, de Personarum processione, 400B, relatione, 400D, et proprietatibus, 50D, 400D, de incarnatione Verbi, 400C'. Liber iste compositus ante libros de Divinis nominibus, 321D, et de Mystica theologia, 460A, brevior erat libro de Symbolica theologia, 461C, quia quo sublimius est argumentum, eo minus suppetunt verba, 461D.

CHRISTIANUS. Inter Christianos, quo Deo proximior, eo perfectior est ordo, 542C, unusquisque ergo quæ sunt suæ vocationis attendat, 542B, nec altera potestatem aut dignitatem affectare præsumat, 542A'. — Immites cultui christiano extranei sunt, 546A. — Cf. Anima fidelis.

CHRISTUS. In Christo incomprehensibilis est unio naturarum, 67B. — Quoad divinitatem, causa est omnium, 69C, omnia replet, 69D, omnia disponit et conservat, 69D, plenus est sapientia et scientia, 510B, et manet Deus in æternum, 510B, et sic super se ipsum est secundum naturam assumptam, 510D. Quoad humanitatem non est super omne genus et speciem, 509A', licet sit super omnia, 509A. — Anima ejus infinita gratia repleta, 29D, altior est angelis, quamvis cum ceteris animabus in naturalibus conveniat, 68B, corpus indetrahibilis naturæ patiebatur, 62C, cunctas afflictiones ac tribulationes nostras pertulit, 72B, verumtamen animæ perfecte parebat corpus, 67C', imo et natura exterior, 510C'. — Christus homo non judicandus est humano sensu, 509C, nam et homo est, 511D, et ex hominibus et secundum homines, 509C, tamen super homines est, 509B', 511A', nec factus est homo naturali ordine, sed supernaturali ordine ac virtute, 511D. In corpore passibili, et anima naturalibus passionibus subdita, 72A, attributa divina servavit integra, 72A, quia in eo humanitati unita est divinitas absque sui immutatione et confusione, 71C', et humanitas fuit dumtaxat divinitatis habitus, tegumentum, 510D, instrumentum animatum et proprium, 72A, 511C. — Quæ divina erant, indivise cum Patre et S. Spiritu agebat, 62A', quæ humana, supra hominem operabatur, ut in sua conceptione, 67C, nativitate, 510B', et miraculis, 67B', 510D'. Nec divina secundum Deum faciebat, 511A', nec humana secundum hominem, 511B', sed operationes antea non visas ex utraque natura procedentes, seu theandricas, exercebat, 511C, quia in eo alterutra natura cum alterius communione agebat, 511A, C', ita ut esset in ipso communicatio idiomatum, 62C, et Deus diceretur humana passus, et homo divina operatus, propter unitatem suppositi in utraque natura, 511D'.

Quo sensu dicatur superdeus, 71D, supernaturalis, 68A. Non potest dici creatura, 71A', nisi quantum ad humanitatem, 71A', nec homo purus, 509A', 511D. — Quantopere diligat homines, 546D', et peccatores, 551B', D'. Amor ejus increatus causa est effectiva totius boni nostri; amor ejus creatus, causa meritoria totius boni gratuiti, 509B'. — Radius est illuminans omnem hominem, 16A, cujus documenta sequi debet qui contemplationi studet, 16B. Gloriosæ ejus humanitatis visio mirum Beatis confert gaudium, 23A. — Quantum illum diligere oporteat, 16D. — *Cf.* Incarnatio, Verbum.

CHRYSOSTOMUS (S.), Constantinopolitanus episcopus, citatur 118D', 525B'. (Migne *Patrol. gr.* tom. 50, col. 486; 58, col. 775.)

CIBUS corpus alit, auget, confortat, conservat, 569D. — Cibus duplex a Sapientia proponitur Ecclesiæ, 570C: alter solidus, id est perfecta doctrina, qua contemplativi superna charismata sortiuntur, 571B, alter liquidus, scientia videlicet communis, qua aluntur et augentur simplices, 571B', ut ad altiora ascendere possint, 571C'. — *Cf.* Epulæ.

CIRCULUS optima figura est Dei, 138B, 139B, et æternitatis, 151C'. — Sicut in circuli centro uniuntur omnes radii, 224D, qui quo magis a centro recedunt, eo magis a se in-

vicem divaricant, 224A', sic in Deo omnia colliguntur, 224B. — Circulariter moveri dicitur Deus, quum ipse media et extrema, causas et causata connectens et ambiens, 299A', omnia ad se convertit, 299B', amore ambiens ea quasi circulus, 151D'. — Circulariter moventur angeli, dum feruntur in Deum, 138A, intuendo scilicet Deum in se, et alia in ipso, 138B'. — Circulariter movetur anima, dum a consideratione rerum exteriorum ad se revertitur, 138B', 140A'. Tunc vires recolligit, 139A, et in repositorio firmo collocat, 139B, atque ab exterioribus segregata, 139B, recollecta ad Deum tendit, 139C. — Quomodo Beati stent in circuitu Dei, 138A'. — Anima rationalis non nisi discursive et quasi per circulum ad scientiam pertingit, 254C. — Omne procedens ab aliquo et ad illud conversum, circularem habet operationem, 299C'. — *Cf.* Directio, Obliquum.

CLEMENS philosophus (B. Clemens, Petri discipulus et successor), quid de paradigmatibus teneat, 229B'. — Modeste carpitur, 229C'.

CLIMACUS (S. Joannes) inconsiderate a Gerson redargutus est, 493B'.

COELUM est visibilium et invisibilium contentivum 292D; motus ejus vita est inferiorum, 137A'. Quo sensu ejus portæ vocentur æternales, 308D. Ad cœlum manus et oculos levare, ad fervorem confert orationis, 90B. — Cœlum empyreum, sedes angelorum, 16C', 121D, et Beatorum, 127D, sole non illuminatur, sed Deo, 127D. Illuc frequenter per contemplationem ascendat anima, 16C'. — Orbes cœlestes incorruptibiles sunt, 169C', et digniores sole et luna, 522B. — Cœlestia corpora consonanter et sine strepitu moventur, 125C, in summa pace, 320A, B. Inanimata esse videntur, 119C', sed quum per eorum influentias Deus inferiora gubernet, 276B', ideo quodammodo divina vocantur vel deificata, 276D'. Utrum, stantibus sole et luna, tempore Josue, 521A', cœlestia etiam quieverint, 521D' ac in eisdem signis manserint, 522A, an potius moveri perrexerint, 522A, an, regrediente sole, sub Ezechia, et ipsa regressa sint, 522A', D'. — *Cf.* Luna, Sol, Stellæ

COGITATIO fit per meditationem intelligentia per cogitationem 25C'. — Vis cogitativa in homine ratio particularis vocatur, 254C'.

COGNITIO fit per formam seu speciem et similitudinem cogniti, 487A', sive propriam, sive alterius similis, 487A', idque dupliciter, 487A'. Ad modum fit cognoscentis, non cogniti, 256C'. — Dicitur a priori, sive cognitio quid, 484C', quum a causa procedit ad effectum, 254D; a posteriori, sive cognitio quia, 13D, quum ab effectu regreditur ad causam, 254D. Cognitione quid, apprehenditur res in se ipsa, 484C', et cognoscitur ejus essentia, 482B'; cognitione quia non apprehenditur res nisi in effectibus, 13D, 484C', nec cognoscitur ejus essentia, 13D; veruntamen de nulla re sciri potest quia est, nisi confuse saltem sciatur quid sit, 490D'. — Sensitiva cognitio intellectivæ est umbra, 218B', et aliqualis imitatio, 254B'.

In Deo idem sunt essentia, scientia et cognitio, 13D. Una et eadem scientia se ipsum novit, 257B, per essentiam suam, 487B', et alia cuncta, tanquam suos effectus, 257C, vel tanquam contraria, 256A'. Omnipotentiam suam cognoscendo, omnia percipit in quæ ipsa potest, 256D, scientia simplicis intelligentiæ, 250A', unico actu, 261C', et medio, 256C', non secundum cujusque speciem, 256D, sed exemplaribus similitudinibus ac ideis, 124D, secundum suæ causalitatis dispositionem, 256A', ab æterno, 25B, antequam fiant, 256D'. Sensibilia et divisibilia cognoscit insensibiliter, indivisibiliter, 256B', unitive, 256C', talia tamen qualia sunt, 256C', non modo superiora, sed inferiora, 274B'. — Angeli, utpote « simplæ » intelligentiæ, 253C', non a rebus aut sensibus scientiam acquirunt, 253C', nec ab universali principio aut generali habitu, 253D'. Se ipsos norunt per essentiam suam, 487B'; invisibilia contemplantur intuitive, absque phantasmatibus, 254A; inferiora et terrena cognoscunt, 257A', non per corporales sensus, 257B', sed per simplicem mentis suæ intuitum, 257C'. — Anima rationalis, angelis inferior, 254D, non intuitive cognoscit, sed discursive et quasi per circulum, 254C, ac divisim modo a priori modo a posteriori, 254D, sed per abstractionem quodammodo ad angelicam simplicitatem reducitur, 254A'. Ab exterioribus et sensibilibus scientiam recipit, 138C', in principio nihil percipit nisi per phantasmata et sensibiles formas 140A, sed quum jam exercitata est, nonnunquam desuper anagogice eruditur 140B, 490B' et ad momentum quasi

vita Dei vivit, 149C. Separatæ substantiæ, secundum Avicennam, cognoscunt per earum impressionem in intellectum, 487B'; inferior pars animæ, organis utens, sensibilibus indiget ad cognoscenda divina, 367D, B', sed pars superior, pars intellectualis, simplex simpliciter formas contemplatur, 367A'. — *Cf.* Doctrina, Scientia.

Unumquodque res tantum habet de cognoscibilitate, quantum de entitate, 10C'; hinc essentiæ difficillime cognoscuntur, aliæ ob entitatis modicitatem, aliæ ob entitatis sublimitatem, 14A'; quæ enim clara non videntur, clare non cognoscuntur, 145A'. — Contrariorum eadem est cognitio, 250A'. — Quamvis omnibus insit naturaliter cognitio Dei, 238B', 437A, et ipse multis argumentis ex effectibus demonstretur, 481A, nobis ignotissimus est, 448C, et quodammodo incognoscibilis, 481A. Eum enim in præsenti vita intuitive nosse non valemus nisi lato sensu, 490B', nec cognitione quid aut in se ipso 237D', 484C', sed tantummodo cognitione quia, 13C, 482C', seu a posteriori ex effectibus scilicet ex creaturis, 258D', 484D', 487C', quæ sunt similitudines paradigmatum divinorum, 258B, ex donis ejus 64B', vel ex operibus ejus justitiæ, 250B. — Anima, utpote Dei imago, ex cognitione sui ipsius ad Deum ascendit, 120D; similiter ex creaturis oritur Dei cognitio 227B, sicut agnoscitur causa ex effectibus, 258D', idque quadruplici modo, 258A'. Licet imperfectissime, 481C', 491A, quoniam effectus quilibet a plena divinæ essentiæ repræsentatione infinite deficiunt, 481D', 487C'; sed in hac cognitione multi sunt gradus, 487D', et multum proficere valemus, 488A, quia tanto melius percipitur causa quanto plenius detegitur habitudo ejus ad effectum, 487D'. — De Deo ergo distinctam habemus notitiam, quamvis ignoremus quid sit, 490C'; præterea cognitionem ejus absolutam et intellectualem acquirere possumus, 486B, 490D', abstrahendo ab eo omnem imperfectionem et potentialitatem, 489C, 491A'. Sed sublimius cognoscitur per negationem, 260B, et per omnium ablationem, 258D', sicut enim sculptor per superfluorum ablationem pulchrum agalma facit, 457D, 485D', ita ad affirmandum in nobis Dei agalma, removere debemus quæcumque hic cognoscimus, 482D'. Nosse Deum per ignorantiam, 260D, id est scire quid sit Deus est perfectissima cognitio quæ in præsenti apprehendi possit, 501B', tanto enim eum plenius novimus quanto profundius intuemur eum esse incomprehensibilem, 501C'. — In cognitione Dei per affirmativa, cognoscitur Deus quia est, objective, sed per formas creatas, 488A'; in cognitione per negativa cognoscitur Deus quia est, sed clarius et sublimius et fere quidditative, 488B', dicitur tamen in caligine cognosci, 488C', quia tunc limpidissime videt animus quam sit incomprehensibilis Deus, 488C', et ideo deficit et obdormit in Domino, 488D'. — Quælibet cognitio Dei in præsenti tantum distat a futura quantum umbra a luce, 485D, aliquando tamen Dei dilectis ostenditur lumen quoddam, 485A', quo ad momentum ad eum rapiuntur eumque vident sicuti est, 485B'. — Beati Deum cognoscunt cognitione quid, 482D' objective quidditative intuitive 488C, sed non comprehensive 488D, seu quantum cognoscibilis est, 513B, quia « infinitæ est cognoscibilitatis », 488D, et multimode intellectum creatum transcendit, 503C'; sed plenarie contentantur, quia tota eorum capacitas repleta est, 488D. In cognitione Dei est vera hominum felicitas, 2, 492C', ad hanc requiruntur cor mundum et humile, 2, fidei lumen, sapientiæ donum, et virtuosa conversatio, 488B. — *Cf.* Comprehensio.

Ex dictis philosophorum : Res non cognoscitur neque narratur nisi ex causa sua; quum ergo res est causa tantum, non scitur nec narratur, 25C'. — Ens divinum propter suam unitatem, incognoscibile est omnibus simul secundis, a participantibus autem cognoscibile, 1. — Quæ cognitiva sunt Dei, cognitive convertuntur ad ipsum, 130B.

COMMENTATOR (Aristotelis), scilicet Averroes, allegatur, 25A', 161A. *Cf.* Averroes.

COMPOSITIO signum est indigentiæ et imperfectionis, 139A', corruptionis causa, 20D, ac proinde Deo minime competit, 139A'. — In cunctis compositis invenitur quod est et quo est, actus et potentia, materiale et formale, 160C'. Sine unitate nullum est compositum, 340A'.

Ex dictis philosophorum : Omnis substantia non sempiterna, aut est composita, aut delata super res alias, 121A, 169D'. — Omne compositum est diminutum, imperfectum et indigens, indigens quidem aut

alio aut rebus ex quibus componitur, 139 C', et est natura dissolubile, 20 B'. — *Cf.* Simplicitas.

COMPREHENSIO. Deus aliquo modo comprehensibilis est aliquo modo incomprehensibilis, I 566 B'; ideo dicitur incomprehensibilis, 13 D', 251 D, quia nullatenus perfecte cognosci potest, 343 B, nec in præsenti vita nec in futura, 513 B. — Viatoribus omnino est incomprehensibilis, 443, Beatis aliqualiter, 443, quia ipsum in se immediate vident et clare, 443, propter quod vocantur comprehensores, I. 443, sed non vident eum comprehensive simpliciter, 488 C, quia « infinitæ cognoscibilitatis » est nec nisi a se ipso comprehendi valet, 488 D. — Incomprehensibilitatem Dei limpide cognoscere, 456 A, id est Deum nescire, 457 A, est vere Deum cognoscere per omnium exsistentium ablationem, 457 B. Quanto quis abundantius desuper illustratur, tanto clarius hanc incomprehensibilitatem inspicit, 457 C; et quo quis clarius hanc cernit eo Deum perfectius honorat limpidiusque contemplatur, 457 C. — *Cf.* Cognitio.

COMPUNCTIO plus confert ad mysticam theologiam quam longa studia, 494 C.

CONCORDIA. Creaturis data est a Deo quædam ad invicem concordia, 261 B, 275 B', qua ad unum tendunt, 261 A', et ex qua oritur ordo universi, 261 A'. — Beati inter se et cum Deo inviolabiliter sunt concordes, 573 A'. — *Cf.* Pax.

CONCUPISCENTIA dæmonibus non nisi improprie tribuitur, 171 D, C'; in hominibus est peccati causa, 177 A', et quidem prima causa, 177 C'; in brutis non est simpliciter mala, 174 B, quia eis datus est appetitus concupiscibilis ad prosequendum naturæ convenientia, 320 B. — Modo pro facto reputatur, modo non, 181 A. — Per ventrem mystice designatur, 295 B'. — *Cf.* Appetitus, Passiones.

CONSCIENTIA ad virtuosa trahit, 179 C. — Conscientia etiam erronea obligat, 16 C, quia quidquid fit contra eam ædificat ad gehennam, 16 C.

CONSERVATIO. Creaturæ omnes a Deo jugiter conservari indigent, 20 A', C', 275 D', nec ad momentum ex se subsistere possent, 28 D, 88 B', 241 A', desiderio perfectionis suæ conservantur, 136 A, et in Deo sunt tanquam in indefectibili conservatorio, 129 B'. — Deus ideo universorum conservator dicitur, 28 D, quia potentia sua omnia conservat in esse, 20 B' 273 A', 307 C, ne in non esse et nihilum cadant, 320 C, et justitia sua omnia conservat in propria specie, 283 A', actione, 281 B, ac termino, 316 A, ne ad chaos et confusionem convertantur, 276 B', 316 A'. — Boni proprium est cuncta conservare, 165 A, sicut mali omnia corrumpere, 156 D'. — Melli tribuitur vis conservandi, 572 B, ideo figura est Scripturæ, 571 D'.

CONSILIUM sanum a sapientia divina procedit, 253 C.

CONTEMPLATIO mystica, quid sit, 68 C'. Mentem unificat, simplificat, stabilit, 10 A', et ad raptum ducit, 68 D'. — In contemplatione theologiæ tam affirmativæ quam negativæ, Deus vere et objective intelligitur, 484 B, experimentali cognitione, juxta quosdam, 486 A, intellectuali, abstractiva et absoluta, juxta alios, 486 B. In contemplatione Dei per affirmativa, cognoscitur quia est, objective, sed per formas creatas, 488 A'; in contemplatione per negativa, cognoscitur item quia est, sed clarius et sublimius et fere quidditative, 488 B'. — Altissima Dei contemplatio in præsenti, 453 A', est qua ei conjungimur tanquam prorsus ignoto, 485 B, 488 B'. Tunc mens, cuncta creata transcendens, 448 D', vires sensitivas et intellectivas, 144 D', 452 B', intellectuales operationes, 448 D', Deum intelligit esse incomprehensibilem, 27 C, eique ferventissime unitur, 449 A. — Divina contemplari cupiens, primo vitia et passiones refrenare debet, 15 C', carnalibus ac terrenis renuntiare, 15 D', discrete et « linealiter » ad Deum tendere, 16 A, Christi doctrinam et vestigia sequi 16 B, etenim ad divinam contemplationem requiruntur magna cordis puritas, 443, 448 C', fidei lumen, 448 C', fervens caritas, 443, dona intellectus, 252 A' et sapientiæ, 448 C', quia divina tanto clarius quisque contemplari valet quanto magis repletur justitia 11 B', et donis S. Spiritus, 11 A', insuper gravis ætas, diuturna exercitatio 93 D', formata virtus, 93 D', mens transformata, 252 A', ideo potissimum ad senes pertinet 94 A'. — Contemplationis arcana carnalibus non sunt revelanda 449 C', qui nihil ultra sensibilia imaginantes 449 D per scientiam propriam præsumunt se satis cognoscere Deum, 449 C', multo minus his qui sublimem Deitatem

sub vilissimarum rerum figuris celantur, 430C. Nunc sunt antequam putant simulacra ab eis conficta, 430D.

Contemplativæ animæ angelis assimilantur, et Deo « deiformes », 20C. — Ad videndum Deum oportet nos a sensibilibus et intelligibilibus abstrahi, 432D', cuncta creata transcendere, 449D, sensibilia et terrena, 433A, etiam substantias creaturas, 451A', vires et operationes sensitivas et intellectuales, 448D', charismata gratiæ et gloriæ 451A', et caliginem ignorantiæ intrare, 452C', ubi vere habitat Deus, 451B', qui nullibi verius est quam in se ipso, 451C'. Ibi omni speculatione circa creata cessante, 26D', 453A, per apicem intellectivæ potentiæ, 453D', simplicissimo Deo pure adhærentes per summam conversionem, 26D', 260B, 449A', immerguntur incomprehensibili, 452D', ineffabili igneo, 260D, 453A; et limpidissime vident quam sit incomprehensibilis Deus, 488C'; deficiunt et obdormiunt in Domino, 260D, 488D'. — *Cf.* Silentium.

CONTRARIA. Quælibet res per contraria cognoscuntur, 256A'; unde dicitur eamdem contrariorum esse scientiam, 256B'. — Contrariorum consistentia in mundo, Dei existentiam probat, 258D'. — In Deo opposita causaliter conjunguntur, 294D, et unificantur, 225A'; nec quidquam ei contrarie vel contradictorie opponitur, quum sit supra et extra omne genus, 243D. Quomodo falsitas et vitium ei contrariari dicantur, 244A. — Omnes creaturarum perfectiones de Deo oportet affirmare et simul negare, 450A', nec istæ affirmationes contradicunt negationibus, 450B', quare, 450B. — *Cf.* Identitas.

CONVERSIO. Quo sensu Deus converti dicatur, 294A. — Universa ad Deum convertuntur, 315C', alia naturaliter, alia sensitive, alia intellectualiter, 315C'; et quæ ad Deum convertuntur, quamdam cum Deo similitudinem consequuntur, 297B, ac Deo similia recte dicuntur, 297C. — Per suam conversionem ad superiora intra suos limites conservantur inferiora, 137B. — Peccatorum conversio a Deo est, 242D' et angelos lætificat, 537D.

Ex dictis philosophorum : Omne αὐθυπόστατον ad se ipsum conversivum est, 134A', et omne ad se ipsum conversivum, est αὐθυπόστατον, 134A'; omne enim conversivum ad se ipsum, necessario est simplex, indivisibile, incorporeum, immortale quoad id quo est taliter conversivum, 121A. — A quo processio, ad id conversio, 28A', quia unumquodque in id convertitur a quo procedit, 141A', et per quot procedit per tot convertitur, 141A'. Omne causatum manet in sua causa, et procedit ab ea, et convertitur ad ipsam, 140D. — Omne ens substantialiter tantum convertitur, aut vitaliter, aut etiam cognitive, 29A', 129A; sicut enim res procedit ita convertitur, 130B, ideo quæ cognitiva sunt Dei, cognitive convertuntur ad ipsum, 130C. — Omnis conversio per similitudinem efficitur eorum quæ convertuntur, ad id ad quod convertuntur, 142A', et omne procedens ab aliquo et ad illud conversum, circularem habet operationem, 299C'. — *Cf.* Reflexio.

CONVIVIUM. *Vide* Epulæ.

COR. A motu cordis pendet membrorum motus, 137A'. — Cor mundum maxime requiritur ad Deum cognoscendum, 2, et contemplandum, 443, 448C', et plus prodest ad mysticam theologiam quotidiana cordis scopatio quam longa studia, 494C. — *Cf.* Munditia.

CORPUS animæ conjux, 243A, et instrumentum, 72B, in anima tanquam in radice et causa collectas et adunatas vires habet, 225A. — Ex eo non oritur malitia animæ, 176A, nec peccatum 177A' sed impedimentum est ad bonum, ad malum incitamentum, 177B', « decies millena nobis vacationum impedimenta suggerit », 177C', et quamdiu ipsi conglutinata fuerit anima, nunquam plene quod cupit adipiscetur, 177C'. — Malum corporis est a propria bonitate cadere, 176A', contra animam agendo, 182B'. — Nihil ex rebus corporeis vere et proprie de Deo enuntiatur, 464C', qui nec corpus est nec figura, nec species, 465B. — In corporibus assumptis angeli nihil per organa percipiunt, 257B', quia horum motores sunt duntaxat, non formæ, 257B'. Sæpe corporaliter pinguntur, 295D, sed spiritualiter intelligenda sunt eorum membra, 295A'. — Per membra corporalia mystice designantur animæ potentiæ, 295B', et sub corporalibus figuris nobis revelantur divina, 562D, quoniam nobis naturale est per corporalia ad spiritualia duci, 562D. — *Cf.* Christus.

CORREPTIO fraterna, ut actus caritatis, omnes obligat, 538D, ut actus justitiæ, prælatos

tantum respicit, 538D, qui idcirco, ea neglecta, facile damnantur, 494C'. — Delinquentes corripere non est peccatum, 168D', ideo non peccant qui indignos a sacris arcent, 169A, sed qui a sacris arceri merentur, 169A'. — Subditi prælatum reverenter reprehendere et accusare possunt, 538D, sed indecens est dominum a servo increpari, 544B', seniorem a juniore, patrem a filio, 544B', sacerdotem a diacono aut monacho, 538C, 544C'.

CORRUPTIO quid sit, 159D', et unde fiat, 20D, D', 160B, 275B. — Non est universaliter mala, quia multa ordinantur in usum aliorum, 169D'. A generatione differt causa, termino, virtute, 160A', et per se generationi non subservit, sed destruit tantum, 160A; quomodo igitur e corruptione fiat generatio, 163A', vel unius corruptio sit alterius generatio, 137A', 159B', 160A. — Corruptio unius rei consistit in divisione et dispersione a suo principio et a fine, 341C'; corrupta rei natura, corrumpuntur proprietates et actus, 170B'; similiter, corruptis dispositionibus aut viribus, ut in ægroto, corruptio sequitur naturæ, 174C'. — In corruptione et generatione locus est tempori proprie dicto, 309A; sed entia potiora quæ corruptioni subjacent, proprie mensurantur ævo, 309C; incorruptibilia sæpe æterna vocantur, 308C. — Creaturæ ex se corruptibiles sunt, 20A', C', 120D, sed quædam voluntate Dei incorruptibiles fiunt, 20B', ut orbes cœlestes, 169C', materia prima, 170B, et angeli, 120D, 275B. — Malum formaliter est corruptio boni, 159A', et nihil ipsi competit nisi corrumpere, 156D', 159D', 169B, 165B. Quid corrumpere possint dæmones in se, 169D, et in aliis, 169C'. An et quatenus sol et luna causa sint generationis et corruptionis, 128A, 228D. — Ex libro de Causis: Omnis substantia stans per se ipsam, est non cadens sub corruptione, 120D'. — *Cf* Generatio.

CRATER a Sapientia in mensa Ecclesiæ positus, 569D', optime figurat Providentiam, quare, 570C.

CREATIO mundi, Dei exsistentiam et magnitudinem prædicat, 258B'. — Non necessitate cuncta Dominus creavit, sed naturalis superabundantia bonitatis, 20C, 142C', 230C, et amore, 150C', creata enim nihil ipsi addunt, 230C'. Non tantum formæ creator est, 73A', sed consequentium formam, 121D, et materiæ, 73A'. — Creabilia universa in divina essentia relucent, 256B in qua sunt cognitive, virtualiter, et idealiter, 141C', 154C; et idealibus formis ad naturas quas habent ab ea producuntur, 256A. Angeli prope Deum facti sunt, materia prope nihil, 220C. — Dies creationis, quomodo intelligendi, 128B'.

CREATURÆ omnes a Deo sunt, 21A', 51D, 135B, 141A', tanquam causali principio, 12D', 31C, seu causa efficiente, 28B', 129D, 306A', a quo habent non tantum formam, 73A', sed consequentia formæ, 121D, nempe operationem, locum et motum, 56C', 137C, et ipsam materiam, 73A', esse, vivere, agere, movere et moveri, 120A', agendi vires, 185A', quibus nulla est expers naturalis operationis, 275A, proprias qualitates quibus in specie conservantur, 281C', connaturales bonitates, quantum quæque capax est, 281C', naturalem capacitatem, juxta speciem, 300A, cum naturali propensione ad finem proprium, 28C', omnem causalitatem, fecunditatem et influentiam, 122B'. Ab eo participant quidquid habent entitatis, 57D', 119D, bonitatis, 88A, 307C, pulchritudinis, 135A, virtutis, 274D', et perfectionis, 59B', 223A': angeli, dona vitæ naturalis, 120C, et gloriosæ, 121B'; animæ rationales dona vitæ naturalis, 123B, et gratuitæ, 123A'; animantia, vitam et motum, 123D; elementa, formam substantialem et naturalem inclinationem, 124A; et generatim, quæcumque dona, juxta dignitatem, 300A, merita, 278C, et finem, 278D, sive communia, ut motum, inspirationem et vitam, 279A, sive specialia, conditioni propria, 279A'. — Omnes in Deo sunt, 51D, potentialiter, exemplariter, idealiter, 61D', tanquam in exemplari principio 31C, 129A', in summo bono, 135C', in securo fundamento et indefectibili conservatorio, 129B'. Circa Deum sunt, 31C, 88C, tanquam exercitus circa principem, 32B, 137D Omnes sunt in Deo eodem modo, sed Deus non est in eis eodem modo, 61D', omnibus Deus adest, sed non omnes Deo adsunt, 88B' — Omnes ad Deum inclinantur, 28A', respiciunt 141B', tendunt ut ad finale principium, 28C', 31C, 128D', 129C', vel intellectualiter vel sensitive, 28D', vel vitaliter vel naturaliter, 29A, 315C', omnes ad Deum convertuntur, 307A, et reducuntur per similitudinem, 297C, quoniam omnes ad similitudi-

nis et bonitatis divinæ participationem latiæ sunt, 236A; quantum cuique competit, 326D. — *Cf.* Esse.

Creaturæ quasi radii sunt Creatoris, 120C, qui non alio modo effici velut prout quæque capax fuit, 165C; aliæ ad imaginem Dei factæ sunt, 69C, aliæ clare et lucide, 61C, aliæ obscure et turpiter, 61C, sive propter diversam earum dispositionem, 61B, sive propter diversum ejus influxum, 61A'. — Nulla est quæ non habeat boni et pulchri aliquam participationem, 156A; et omnis creatura est quoddam bonum participatum, 142C, bono increato aliquo modo simile, 142C. Altiora et quæ illud participant uberius, 87D', Deoque proximiores, 88D, et ideo sunt præcipue signa et imagines Dei, 432D. — Divina bonitas in eas influit a primis usque ad novissimas, 161B, plus minusve, 161A'; et illam universa participant plus minusve, pro capacitate, 161D; angeli per modum signaculi, 161C, homines per modum imaginis, 161C, inferiora, per modum vestigii, 161D'; nulla est expers divinæ bonitatis, 162A, et virtutis, 274D', 277A; quælibet in aliquibus Deum repræsentat, 166A', 298D, 299A', et per earum accessum ad ipsum vel recessum ab ipso mensuratur earum perfectio aut imperfectio, 70C. — Veruntamen multipliciter a divina essentia deficiunt, 44D', nec est quæ possit ei æquari, 38A, 63A; imo respectu ejus sunt infirmitas, 273C, non esse, 217B et nihil, 27A'. Deo et similes et dissimiles dici possunt, 298A; similes in quantum aliquid divinæ perfectionis participant, 298A', dissimiles in quantum ab ejus perfectione distant, 298A'. — *Cf.* Bonitas, Similitudo.

Omne creatum est aliquo modo unum, verum et bonum, 58B; nullum est simpliciter bonum vel malum, 160D', nullum omnino imperfectum, 175A'. — Inæquales factæ sunt creaturæ, 279B', inæqualiter aptæ sunt ad participationem boni, 164D', inæqualiter illud participant, 164D, et non fortuito, 279C'; nam sublata hac inæqualitate, 282D', corruerent simul rerum differentiæ et omnis ordo, 283A. Ex quo est et quæ est compositæ, 225C, corruptioni subjacent, 29A', C', versibiles sunt, 29C', 120D, et ex se ne ad momentum quidem subsistere possunt, 28D, 88D; sed potentia et sapientia divina a casu liberantur, a defectu, 281D' et corruptione, 29D, B', conservantur in esse 307C, ne in nihilum cadant, 320C, in propria specie et actione, 275C, 281B, ne moveantur, 281D, et corrumpantur, 281A, in propriis terminis, 316A, ne in chaos et confusione dissipentur, 316A'. Voluntate divina disponuntur, 28B, moventur, 135D', 144B', sicut desiderans a desiderato, 136A, relevantur, 307B, et perficiuntur, 307A; unicuique inest obedientialis potentia qua ad nutum Dei obsequitur, 540D'; nec est quæ effugiat Dei oculos, 255C, influentiam, 162A, et providentiam, 182C. — Omnes in mente divina unum sunt, et procedendo diversificantur, 136C; omnes pace divina confœderantur, 318D, mutua connexione, 166C, conformitate et concordia, 264B, 275B', cognatæ fiunt, 318D', in unum tendunt, 264A', in unum ordinem rediguntur, 129B, unificantur, 318C', et inde fit pulcherrimus ordo universi, 261A', 318A'. — Naturalem propensionem habent ad proprium finem, 28C'; universæ bonum appetunt et propter ipsum operantur, 157D. Gloria earum est Deo subjici, 252B', quomodo deificentur, 276C'. — *Cf.* Inferiora, Superiora.

Creaturæ velut scala sunt ad cognoscendum Deum, 131B, 230B, 258A, 259B, quia sunt similitudines paradigmatum divinorum, 258B et invisibilia Dei manifestant, 22C, 130D', saltem confuse, 131A; ideo ex perita earum consideratione ad divinorum contemplationem pervenitur, 225B, et exsurgit suavissima Dei laudatio, 32C'. Nihilo minus ex eis non nisi imperfectissime Creatorem cognoscimus, 491A, quia a plena divinæ essentiæ repræsentatione infinite deficiunt, 225C, 230A', 481B', nihil de Deo et de illis univoce prædicari potest, 487B, C, et perfectiones earum de eo affirmari et negari pariter debent, 450A'. — Creaturarum perfectiones quatenus Deo conveniant, 486D, 487A. — In creaturis non debet sistere finaliter anima fidelis, 230A, sed inde ad Deum ascendere, 230B cui cuncta adscribenda sunt et referenda, 230C; ab eis se abstrahere debet anima contemplativa, 448D', 449B, ut simplicissimo Deo intenta esse queat, 449B', eumque videre, 454A'. — *Cf.* Cognitio, Contemplatio.

Ex dictis philosophorum : Prima rerum creatarum est esse, quod proprie dicitur

effectus primæ causæ, 136B. — In re creata remanet participatio causæ primæ, dum posteriores quædam formæ tolluntur, 162C'. — Creata se ad invicem sequuntur, et oportet quod continuatio et ligatio sit in eis, 261A. — Omne creabile est vertibile, solum enim quod increabile, est invertibile, 20C'.

D

DÆMONES non sunt essentialiter mali, 169C, nec a principio, 171B, alioquin a Deo non essent producti, 169C, nec unquam boni fuissent, 169D, nec realiter exsisterent, 169C. Sed boni creati sunt a summo bono, 170D', in natura et gratia, 170D; in perfectione naturali servantur divina virtute, 171B', et in supernaturali permansissent, si Deo adhæsissent, 171B'. — Vitio suo a gratia ceciderunt, 170D', æterna bona deserendo, 171A, et a perfectione angelica recedendo, 171C, A'; mali facti sunt quia Creatori assimilari noluerunt in bonitate, 155D, quia aversi sunt a summo bono, 155A', 171A', et a divina dilectione defecerunt, 182A'. — Natura igitur boni sunt, 184B, mali ex voluntate, 184B, ex debilitatione perfectionis concreatæ, 184A', quia et quantum a bono exciderunt, 172C; propter naturæ bonitatem, 172B', bonum appetunt privatum, 171D, et esse desiderant, 172B', 184A'; propter voluntatis malitiam, omne bonum honestum oderunt, 154B', et malum appetunt 172D', 184B'. — A Deo vitam habent et in vita servantur, 242D; naturalia integra retinent, 171D, 172C 242B', sed informia, 171A', et obscurata, 172A'; miræ sunt fortitudinis, 171B', et subtilitatis, 172A', sed dona et effectus gratiæ gratum facientis amiserunt 172D, et licet « integri et clarissimi », 172A', nihil boni facere possunt, 172A', et viribus ad pessima abutuntur, 172B'. Intellectus eorum a Deo est, 254C', sed in quantum inordinatus est, potius defectus est quam participatio summæ intelligentiæ 254B'. — Quomodo dicantur ad materiam inclinati, 154B', et quatenus eis competat concupiscentia, 171D, quum sint immateriales, 155C, et careant appetitu sensitivo, 171D, sensitiva parte, sensitivis passionibus, 171C', nec corporea delectamenta appetant, 155C. Eorum passiones nec omnino nec in omnibus malæ sunt, 172A, sed vehementibus motibus perturbantur, 171D', delectantur sacrificiis 171D, honoris sunt appetentissimi, 171D'. — Quomodo sibi ipsis et hominibus causa sint peccandi, 154C', 155A; quid corrumpere valeant in se 169D, et in aliis, 169C'. Citra condignum puniuntur, 242B'. In ipsis est aliquid se habens per modum materiæ, scilicet quod est, 155D.

DAMASCENUS (S. Joannes) quomodo definiat fidem, 262A', et Deum, 332B. Quædam ex Areopagita fere ad litteram transcripsit, 511A, D' — Sæpius allegatur, 10B', 20C', 24B', 120C', 222A, 231C', 258A', 461A', 509C', 566B', et interdum explicatur, 127D', 485A, 490D (Migne *Patrol. gr.* tom. 94-96.)

DAMNATI sunt suæ damnationis causa meritoria, 585C, Deus non nisi causa indirecta et quasi per accidens, 585B; non enim a Deo repelluntur, sed Deum a se repellunt, 585A, et partim inviti, partim voluntarii in infernum detruduntur, 551D. — Licet in malo obstinati, non in uno malo fixi sunt, 180A, sed multis vitiis subjacent, 180A'. — Cur omne malum honestum odiant, 154B', et quo sensu, « juxta documenta authentica », cupiant absolute non esse, 172C'. — Eorum pœnæ in alterutrum redundant, 549A'. — Citra condignum puniuntur, 278C'. — *Cf.* Infernus.

DAVID « pater Dei », 534B', ob mansuetudinem factus est amicus Dei, 534C', et inventus est secundum cor ejus, 534D'. — Ideo ceteris præfertur Prophetis quia anagogice et immaterialiter mysteria Dei cognovit, 490B. — Non carnali sed spirituali affectu Jonatham dilexisse credendus est, 147B'.

DEFORMITAS non est purum malum, 175C', sed imperfectum bonum, 175D'.

DELECTATIO Cur et quo sensu Deus in creaturis delectari dicatur, 240C'. — Causæ delectationis sunt deliciæ, 66C'; sed deliciæ carnales fastidium ingerunt, spirituales desiderium accendunt, 132C. — Admirabiles delectationes admixtas habet philosophia, 98C', et delectationi quæ est in considerando non est contraria tristitia, 98C'.

DELICTUM quid sit, 177D', et quomodo causa sit mali, 177A', C'. *Cf.* Peccatum

DEMOPHILUS, Dionysii amicus, 542D', 545D, et ab eo consecratus monachus, 545D', alias virtutibus plenus 543A, sed zelo amaro, 547C, duritiæ et indiscretionis arguitur, 544A; duritiæ, 547B, 545D, quia peccatorem ad pœnitentiam accedentem repulit,

537 C, eumque a choro ejecit, 528 A, sic putans se sancta a vitiatione servasse, 528 A', indiscretionis, quam exercuerunt contra jura temporis 546 D, conditionis inferioris immemor, 546 A', contra sacerdotalem dignitatem commisit, 547 D', 546 D. — Multipliciter peccavit, quia Dei amorem quasi negans, 546 A', neque venia indigere non reputans 546 B', peccatorem ultro venientem repulit, quem Christus fugientem peccatorem insequatur, 548 D. — Admonetur et primo propriae correptioni invigilet, 544 A', 545 B, ad humilitatem invitatur, 544 A, exemplo Oziae, Saulis, 544 B, et eorum qui ob temeritatem plagati sunt, 544 A', et ad mansuetudinem exemplo Moysis, 539 B, et illorum qui misericordia Deo placuerunt, 544 D', 535 A, 536 A, item visione Carpi, 549 B. — Fervidus, sed temerarius, 528 A, figura est eorum qui graviorum conscii, alios de levioribus indiscrete reprehendunt, 528 D, vel qui alios a levioribus purgare satagentes ipsi graviora incurrunt, 529 A.

DESCENSIO. Christus ad nos descendisse dicitur quia humanam naturam assumpsit, 307 A', descendisse non loco et motu, sed miseratione et opere, 310 C.

DESIDERIUM est « sancti quaedam hiatio voluntatis », 15 A', 132 D, animam aperiens et ad suscipienda charismata disponens, 15 A'; hinc tantum increati boni recipimus quantum desideravimus, 15 D, quia juxta desiderium infunditur gratia, 132 B. — In Deo finis est omnium desideriorum, 24 B, 543 B', et in Beatis satietas cum desiderio conjungitur, 121 B'. — A Deo moventur omnia, 135 D', sicut desiderans a desiderato, 136 A; summum enim bonum omnibus desiderabile est et attractivum, 154 B.

DEUS et Deitas unde dicantur, 312 B; « Deus » tam essentiam divinam significare potest quam unamquamque Personam, 49 C. — Divina essentia est super scientiam, 24 C', super rationem et intellectum, 25 A, 70 B', super omne genus et speciem, 217 A', ineffabilis incognita, 217 B', occultissima, 219 A, cujus unitas et simplicitas nec intelligi nec explanari possunt, 218 A. — Non est pars, quia nullo genere continetur, 69 C', non est totum quia partibus non constat, 70 A, et in partes quantitativas aut integrales, constitutivas aut essentiales dividi nequit, 74 B; dicitur tamen pars quia rem inchoat, 70 B, totum quia omnia in se continet, 70 B, et est super omne totum et omnem partem, 70 C. — Perfecta est in imperfectis quia summe perfecta, 70 C, imperfecta in perfectis quia infinite perfectior, 70 D, ab omni creata essentia separata, 70 B', fons principiorum, 70 B', et super omne principium exaltata, 70 C', « plena in indigentibus, superplena in multitudinibus », 70 D', supernaturalis, 71 A, superessentialis, 71 C. An dici possit singularis 73 C. — Perfecta est, tota, una et indivisa in qualibet Persona et in summa Trinitate 50 B, sed ipsi in abstracto non competit generare et generari, spirare et spirari, 65 C. — In ea relucent cuncta creata et creabilia, 256 B; sed cum aliquo ente nihil univoce habet, 217 B'. — Comprehensoribus unitur quasi intelligibilis species, 483 C' et est eis objectum et forma seu quasi medium intelligendi, 483 C'. — *Cf.* Persona, Trinitas, Unitas.

Deus est esse superessentiale 73 D, et absolutum, 217 B, omnis esse causa, 73 D, B', cujus esse quasi multiplicatur multorum creatione, 73 A', in quo idem sunt esse, posse et agere, 13 D, esse et esse potentem, 274 A, esse et per se ipsum esse, per se ipsum esse vitam, deitatem, intellectum, sapientiam, virtutem 323 A', sanctificationem, vivificationem, deificationem, 323 B'. — Unitas est summa, simplicissima, 332 D, « superexaltata », 252 A, in qua nec partium est pluralitas nec modorum diversitas, 139 A', nec mutatio, nec varietas, 139 A'; in qua idem sunt vivens et vita, 124 C, agens, vis agendi, actio, 71 B, habens, habitum, habitio, 71 B, diligens, dilectum, dilectio, 316 C', abstractum et concretum, 150 C. — Scientia est increata in qua idem sunt ens, vita, sapientia, 219 D, essentia, scientia, notitia, 13 D, sciens, scientia et scitum, 563 A, intuens, intuitum et ipsa intuitio, 316 C'. — Verumtamen non est ens aut aliquid nisi modo nobis incomprehensibili, 124 D', nec esse nec essentiam habet secundum aliquod genus praedicamentale, 12 C'. Ab eo est esse et ipse non est esse, 226 D'; in ipso est esse et ipse non est in esse, 226 D'; ipse essentiam habet, non ipsum essentia, 227 A. Non est aliquid universi 259 D', sed omnia est in omnibus, et in omnibus apparet, 259 D', et ex omnibus « hymnizatur », 260 A. — Non est unum, nec unum habet, sed est superunum,

74 A. — Nec ratio est, 261 C', nec intellectus nec sensus 255 A', nisi modo sibi proprio, 261 D'. Ipsi bonum et pulchrum conveniunt altiori modo quam capere valemus, 136 C'. — *Cf.* Esse, Unum.

Nec in loco est, 89 C, nec de loco ad locum movetur, 89 D, sed ubique adest, 88 B', et cunctis præsens est, 251 C, et omnibus inest per essentiam, 88 B', causaliter, transcendentaliter, 89 A', modo eminentissimo, 89 B'; et omnia in eo continentur, 89 C', et adunantur, quasi in centro lineæ circuli, 60 B. — Omnibus non adest uno modo, 61 D', sed omnia ei adsunt uno modo, potentialiter, exemplariter, aut idealiter, 61 D', imo non omnia ei adsunt, 88 C'. — Ibi specialiter habitare dicitur, 30 C', ubi eminentius operatur, 89 B'. — Ipsi non competit fuisse, nec factum esse, nec fieri, 221 C', nec futurum esse, 227 C, nec esse, saltem modo solito, 221 C'; sed ab æterno est ipsum esse substantialiter, 222 B, ipsa vita essentialiter, ipsa sapientia sempiterna et increata, 222 B, ante omnia, 222 C, et post omnia, 514 A. — *Cf.* Æternitas, Locus.

Essentialiter bonus est, 119 C, summum bonum, 119 D', « bonitas omnium », 56 C, quia bonitatem universis infundit, 120 A', et omnibus dat largiflue, 73 C', sicut sol qui nemini radios suos denegat, 126 A, 127 B. — Propria bonitate quasi individuatur, 12 A, nutritur, 149 D', et extra se ponitur, 149 C; propria enim bonitate transit ad actum, 562 C'. — Bonitate et voluntate omnia creavit, 20 C, quia optimus, 536 C, non necessitate, 28 C, nec inevitabili emanatione, 142 C'; bonitate et sapientia omnibus dat esse et bene esse, 218 D, omnia diligit ut suos effectus, 142 C, omnia in se continet, 31 D', 89 C', 126 D', conservat, 20 D, custodit et pascit, 32 A, omnia adunat tanquam princeps exercituum, 32 B, ordinat et ad se reducit, 32 B. — Omnia ex ipso sunt, 221 C', 222 A, et in ipso constant, 129 A', 222 A', exemplariter, causaliter, perfectionaliter, 227 D'; in ipso omnia sunt vita et lux, 225 A', et unificantur contraria, 225 A'. — *Cf.* Bonitas.

Omnium causa est, 28 C, principium, 12 D', 18 A, D, vita, 18 A, D', conservator, 28 D, et finis, 28 A'. — Ens absolutum, 217 B, pelagus substantiæ infinitum et indeterminatum, 231 C', fons totius substantiæ, essentiæ et naturæ, 221 B, causa efficiens, exemplaris et finalis omnis essentiæ et vitæ, 18 A, 141 A, omnis formæ et materiæ, 73 A'; fontale principium omnium entium, 225 A', et eorum quæ entia characterizant, 225 C', universorum principium, medium et terminum continens, 228 A; substantia inchoativa omnium, 31 D', a qua est omne esse, 156 C, 221 C'. — Forma formificans, omnia formans, 31 D', 70 D, nihil informans, 31 D', et simul informis, id est non formata, 70 A'. — Ars increata, rationibus plena, 135 B, universorum causas in se comprehendens universaliter, 261 C, « quæ cuncta superno ducit ab exemplo », 135 B, omnia exemplaribus similitudinibus ac ideis operans, 124 D, et idealibus formis ad naturas quas habent cuncta producens, 256 A; fons principiorum, 70 B', abstractorum et universalium, 225 D'; totius ordinationis causa, 56 C', et ordinis universi, 260 B'; universorum mensura et regula, 70 C', 126 D'. — Sigillum exemplare, 60 C, ad cujus imaginem cetera efformantur, 60 D. — Vita plenissima, 241 A, in qua idem sunt vivens, vita, vivere, virtus vitalis et actio viva, 241 C, a qua cunctis viventibus datur vivere, 241 B, 242 B; quæ omnia est in omnibus, 31 D, et « omnia exsistentia » dicitur, 222 B', per causalitatem et supereminentiam, 227 C'. — Virtus prima et imparticipata, 274 B, nullo limite coarctata, 274 C, quæ tot et tanta non potest quin possit infinities plura, 274 D, et incomprehensibiliter majora quam mens creata valet concipere, 274 A'; totius virtutis fons, 274 B, D', causa omnium principatuum et potestatum, 125 A, totius proprietatis immutabilitas, 56 C, principalium substantiarum mansio et collocatio, 56 B', omnis motus auctor, 125 A', 137 B', causa et finis, 140 D', omnium positio et ablatio, 56 A'. — *Cf.* Virtus, Vita.

Amor est subsistens, 150 C', causa omnis amoris, 150 D, 152 D, et motus amatorum, 151 D. — Bonum summum, 119 D', primum et simplicissimum, 135 B', sine vicissitudine et commixtione, 134 B', in se ipso ostendens rationem totius boni, 135 A; a quo derivatum est quidquid boni in creaturis invenitur, 88 A, 142 B', 307 D, omne bonum, 156 C, et bene esse, 218 D, omnis sapientia, essentia, vita, intellectus, ratio et sensus, 219 C. — Lux vera, 131 C, et superaltissima, 133 A, totius lucis et gratiæ causa, 17 C', Beatos replens gloria, viatores scientia et gratia,

131D. Omnes primum semper [illegible] secun-
di [illegible] principium, 132C; omnes intel-
lectus dominante in cœlo et in terra, 132C;
varias hominum phantasias sub jugo verita-
tis religionis, 133A', et ad se reducens, 132D'.
— Superalis infinita, 250A; fons omnis su-
premæ creaturæ, 250B; cuncta illuminans,
vivificans et perficiens, 129C. — Scientia
æterna, 256A, 257A', simplicissima, 256C,
257B, immaterialis, 256D, et universalis,
256C; fons universæ scientiæ, 257A; quæ
universa servit, 255C, D', superiora et infe-
riora, 274B', [illegible] suos effectus, 257C,
[illegible] 256B, vel contraria, 256A, non
secundum cujusque speciem, 256D, sed in
se ipsa, 256D, 257B, secundum suæ causali-
tatis dispositionem, 256A', et omnes produ-
cendi virtutem, 256C, propriis ac speciali-
bus rationibus, 124D, ab æterno, 25A, ante-
quam fiant, 256D'. — Sanctitas summa, 332C,
in se plenissime continens universorum per-
fectiones, 333B, peccatorum [illegible], 18B,
et reformator, 18C, [illegible] solatium et
fortitudo, 18B, [illegible] munimen, 18A',
[illegible] e [illegible], 18B', illumi-
natorum illuminatio, 18B', perfectorum per-
fectio, 18C, deificatorum divinitas, 18C,
simplicium simplicitas, 18C, unitorum uni-
tas, 18D. — Cf. Amor, Bonum, Lux, San-
ctitas, Sapientia.

Multis rebus comparatur, 30D', velut luci,
125B, 131C, soli, 119C, 120A, 127B et ipsi
variæ formæ tribuuntur, 33B', quia omnium
creaturarum perfectiones includit, 227D', si-
ve negative et causaliter, 486B, sive præ-
eminenter, 487A, ac proinde de eo omnia
prædicari possunt, 227D', non quidditative,
228A, sed alia per causalitatem, 322B, alia
per supereminentiam, 322B'. — Verumtamen
actus purus, absque potentialitate, differentia
et materia, 130D', est perfectum simpliciter,
131C, et universaliter, 464A, summitas sum-
mitatum, 56C, multipliciter a rebus distin-
guitur, 11D', et adeo universa transcendit,
32B, 24C, 333C, entia et non entia, 157D',
ut nihil ei competat modo creaturæ, 227A',
ut omnes creaturarum perfectiones de eo
simul affirmare et negare oporteat, 490A',
nec de eo quidquam univoce cum creaturis
prædicari possit, 487B, C. Ideo quæ de ipso
et creaturis prædicantur, non Deum prout
in se est designant, sed prout in effectibus
cognoscibilis est, 490D. — Multa de Deo
dici possunt, sed paucissima congruenter,
451A, et nulla affirmari aut negari proprie,
28B', quia nec verbo plene nominatur nec
intellectu plene comprehenditur, 454B, 467B.
— Nihil ex rebus corporeis aut sensibilibus
de eo vere et proprie enuntiari potest, 464C',
quia nec corpus est, nec figura, nec species,
465B, neque qualitatem, quantitatem aut
[illegible] habet, 465A', nec quidquam sen-
sibilium est vel possidet, 465B'. Nihil item
de intelligibilibus et incorporeis, 466A, quo-
niam nec anima est, nec intellectus, 466A',
neque intelligentia, neque ratio, 467A, nec
quidquam existentium aut non existen-
tium, 467A'. Idcirco aptius designatur per
negativa quam per affirmativa, 488B', per
abstracta quam per concreta, 490D, per vilia
quam per sublimia, 227A'. — Quæ de Deo
absolute dicuntur, de qualibet Persona et de
omnibus simul dicuntur, 342B'.

Aliquo modo comprehensibilis dicitur et
incomprehensibilis, 1: comprehensibilis, quia
partim comprehendi potest, 566B', et ejus
unitas rationi patet, 401B'; incomprehensi-
bilis, 513B, quoniam, licet ex sua natura
summe intelligibilis, 251C, tantæ est excel-
lentiæ ut nullo modo perfecte concipi pos-
sit, 251D, 343B, in sua Trinitate, 40D, 342C',
et attributis, 12C, et quidquid de eo intelli-
gimus non Deus sit, sed aliquid de divinis
effectibus, 503C. Cf. Comprehensio. — Co-
gnoscibilis et incognoscibilis, 1: cognoscibi-
lis, quia de eo distinctam habemus notitiam
experimentalem, 490C', et intellectualem,
486A, 490D'; incognoscibilis, 47A, obscuris-
simus, 448C, superincognitus, 24A', « igno-
rantia », 56A', « caligo », 47A', 255C', quo-
niam infinitæ est actualitatis, entitatis et
cognoscibilitatis, 488D, super scientiam, 24C',
super rationem et intellectum, 25A, super
omnem veritatem, 28A, nec a quoquam pro-
prie sciri potest, 14C, nisi a se ipso, 40C',
488D. Eum quippe nec tactu attingere vale-
mus, 259C, nec sensu, 259D, nec phantasia,
imaginatione aut sensitivis potentiis, 259A',
sed tantum a posteriori novimus, 13C, ex
effectibus, 28D, creaturis scilicet, 258A, D',
260A', vel effectibus justitiæ, 259B. Cf. Co-
gnitio. — Inscrutabilis, 44A, 47A, et investi-
gabilis, 44A, quia nullo limite coarctatur,
44B, « omni secreto secretior, omni interio-
re interior », 40C. — Illocalis, 11D', quasi
ab omnibus remotus, 24C, qui nec in loco

est, 89 C, nec alicubi locatur, 338 A'. — Invisibilis, 254 B, 255 C', 513 A, seu « omne invisibile », 56 A', quoniam a nullo viatore videri potest, 254 B, 452 B, quamvis ex se sit summe visibilis, 254 C, 448 D. *Cf.* Visio. — Nominabilis et innominabilis, 1, 29 B : nominabilis, tanquam multis nominibus designatus 30 C, pro diversitate rerum quibus comparatur, 227 B; innominabilis, 12 B', 29 B, aut ineffabilis, 56 A', tanquam nullo nomine adæquate significatus, 251 C, 259 C'. Neque enim unitatis nomine clare exprimi potest, neque Trinitatis, 342 D', 343 A, neque bonitatis, 343 C, neque quovis alio vocabulo, 342 D', 343 B, qui est super omne verbum et intellectum, 343 A, super nomen et scientiam, 30 A, 343 C', super omne genus et ordinem rerum, 503 A'. *Cf.* Nomen.

Non nisi metaphorice ipsi tribuuntur forma sensibilis, 564 B', arma, currus, sedes, 564 C', epulæ, ebrietas, somnus, 564 D'. — Quatenus illi competat intelligentia, scientia, 259 C, nomen 259 B', ratio, 261 C', sanctitas, 331 C, regnum, 331 A', dominatio, 331 C'; quid ejus latitudo, longitudo, 295 D', et profundum, 296 A, B. — Quo sensu dicatur ratio, 261 C, virtus, 273 C, C', justitia, 278 C, verbum, 27 A', caligo, 255 C', virtus aut vita per se, 322 D, vitæ et virtutis substitutor, 322 D. — Cur vocetur amor et amatus, 150 C, D, 151 A, B, zelotes, 149 C', justus, verus, 278 C', magnus, 291 B, parvus, 293 A', 467 C, idem, 292 A, 294 A, similis, 296 D, æquus, 299 C', omnipotens, 306 A', antiquus, 307 B', juvenis, 308 A, senex, 308 A, imperfectus, 255 B', perfectus, 338 B', Sanctus Sanctorum, 333 B, superbonus, 505 A', superdeus, 447 B, 505 A', super bonitatem et Deitatem principalem, 505 B. — Qualiter converti vel mutari dicatur, 294 A, sedere, 298 C, stare, 298 C', 571 A, moveri, 299 A, 571 A, venire, recedere, descendere, 89 D, inebriari, 572 D', 573 A, dormire, 574 A, evigilare 574 B, ab impiis lassari aut molestari, 167 B'.

In visione Dei tota est beatitudo comprehensorum, 483 D, in cognitione et contemplatione Dei, omnis felicitas viatorum, 2, 492 C', finis actuum, cognitionum et desideriorum, 24 B, omnis perfectio virtutum, 24 A'. — Ad eam tendimus per magnam cordis puritatem, 2, 443, 448 C', per exercitium virtutum, 93 D', et ferventem caritatem, 443; sed oportet insuper sensibilia et terrena transgredi, 454 A', nobilissimas creaturas, 454 A', charismata gratiæ et gloriæ, 454 A', et caliginem intrare, ubi veraciter habitat 454 B'. — Nescire quid sit Deus perfectissima est cognitio qua hic attingi potest 503 B'; tanto enim eum plenius novimus, quanto profundius eum incomprehensibilem esse intuemur, 503 C'. — Quantopere amandus sit, 16 A', et colendus, 16 B'. — *Cf.* Contemplatio.

Multi in terra et in cœlo « dii » vocantur, 74 C', ob perfectionem vel auctoritatem, 74 D'; sic enim in Scriptura nuncupari solent eminentiores personæ, 333 B', C', quæ aliis provident, 276 D', et a quibus inferiores dona Dei distributa percipiunt, 333 B', atque ad Deum reducuntur, 333 D'; sed unicus est Deus verus, 74 D, D', qui est super omnes deos, 74 C, et nulli commiscibilis, 74 A'. — Habetur ergo quædam Deitatis communicatio in creaturis, 505 C, qua divinæ efficiuntur, 505 A', id est quibusdam divinis actibus sociantur, velut causare, providere, gubernare, 276 C', et hæc quodammodo dicitur deitas, 505 C. Hujus deificationis principium formale est bonitas participata, 506 A, principium effectivum, Deus ipse, 505 B', qui super omnes istas participatas deitates elevatus, 505 C', idcirco dictus est « superdeus », 505 A'.

Divinorum scientia summe necessaria est animæ, 99 D, quam unificat, simplificat et stabilit, 10 A'. Non ex humanæ « sophiæ » argumentis desumenda est, 9 C, sed ex fidei considerationibus, 9 D, docente Spiritu Sancto, 9 B', C'; divina enim tanto clarius quis contemplatur, quanto copiosius repletur donis gratiæ 11 A', et justitiæ, 11 B'; unde impii ad eorum veram et formatam cognitionem pervenire nequeunt, 11 C'. — Divina partim comprehendere et exprimere valemus in hac vita, 566 B', sed non plene et perfecte, 9 D', ideo sobrie ea scrutari oportet, 11 A, 99 A, nec quidquam temere asserere præter ea quæ docet Scriptura 10 B, 13 A, saltem virtualiter et implicite, 13 B. — — Ea simplici intuitu contemplantur angeli 254 A, homo primum per sensibilia, 23 B', sed postea directe quodammodo, 23 C', et simpliciter, 23 D'. — Sæpe per sensibilia designantur, 22 A', tum quia ex corporeis ad spiritualia manuduci solemus, 562 D, tum ut profanis abscondantur 566 A, solisque fidelibus pateant, 566 B, qui idonei sunt anago-

gitur animam pervenire 565C, tam demum ad exornandum et perficiendum studiosus, 565A'. Absurdum videtur imperfectis eis ea designari, 562B, et indecens, 562C, et inde plurimi a fide repelluntur, 562C, sed perfecti vitia signa transcendere curant, et divina nude et pure conspiciunt, 562A'. — In divinis potentiis sunt uniales discretiones 72B. — *Cf.* Somnia, Signum.

Ex philosophorum dictis. Esse divinum, propter suam superexcellentissimam unitatem, indivisibile est et incognoscibile omnibus sicut secundis; a participantibus autem capabile et cognoscibile, 1. Neque opinabile est, neque meditabile, nec intelligibile, 26A. Omnia divinam providet secundis et receptum est ab eis, 127D. — Omnis deus mensura est entium, multitudinem enim entium determinat et mensurat 127A. Omnes deorum potentiæ descensum inchoantes, usque ad extrema deveniunt et usque ad loca circa terram, 128B'; neque enim illas impedit aliquid nec prohibet præsentiam ad omnia, 128B'. Omnibus dii adsunt eodem modo, sed non omnia adsunt diis eodem modo, 61C'. — Omnis divinus ordo sibi ipsi conjunctus est tripliciter, a summitate, medietate, ac fine, 261A; omnium enim divinorum processuum fines ad sua principia assimilantur, 261A et omnium divinorum ordinum summa assimilantur ultimis superpositorum, 261A.

DIACONI sub sacerdotum moderamine plebem docebant, 539A', et sacra tradebant populo, 540A. — In choro infra sacerdotes collocati, 539C', circa altare divina aperte spectabant, 540B, deinde extra chorum ad populum exeuntes ea manifestabant inferioribus, 540B, pro eorum capacitate 540C. — Super monachos constituti erant 528C, sed sub sacerdotibus, 545A'; ideo non licet a diacono reprehendi sacerdotem, etiam ut reprehensibilem, 528C.

DIES motu solis ac lunæ formantur, 125C', et mensurantur, 127D'. Quid dies naturalis et artificialis, 522C. — Quid dies creationis, 128B'. — Sub Josue longissimus fuit dies (48 horis), 521A', quia per alterum naturalem diem productus, 522C; sub Ezechia brevior (44 horis), utpote tribus artificialibus diebus constans, 522D. — Antiquus dierum dicitur Deus, quia ante tempus est, 307B', immutabiliter ex se ipso subsistens, 307C', et causa est temporis ac dierum, 307D'.

DILECTIO sæpe pro amore sumitur, 146A', sed minus divina videtur quam amor 145D', quos veteres etiam nomina exprimit, 146A. — Ex similitudine oritur, sicut ex dissimilitudine odium, 241C. — In Deo idem sunt esse, vivere, intelligere, velle et diligere, 244D'; idem diligens, dilectum et ipsa dilectio, 246C'. Dilectione quasi nutritur 449D. — *Cf.* Amor, Caritas.

DIONYSIUS Areopagita, « magnus ac divinus », 499, « pater, præsul, doctor et martyr », 515A, « vir profundissimi ac ferventissimi cordis » 95C', « in Scripturis studiosissimus », 128B', « sanctus et summus philosophus », 130A, « gloriosus », 258A', « beatissimus ac fidelissimus theologus », 60C', 276D, « princeps theologorum, 128A', 143C, vel absolute « Theologus », 9A, 53B', etc., peculiariter audiendus est, 67B'. — Viginti quinque annos natus, mirabili solis eclipsi adstitit, dum patiebatur Dominus, 524A, 590D', qua adeo commotus fuit, 591A, B', ut postea ad prædicationem Pauli eamdem referentis, conversus sit, 591D'. — B. Paulo et Joanni præcipue adhæsit, 584B, et a Paulo ac Hierotheo optime instructus, 92C, 128B', 308B, factus est ipse magister multorum, 499, et ipsius Timothei, 562A. — Modestia plenus, 518A', et caritate, 100A, a contentiosa errorum confutatione abstinebat 518A', 519D', et abstinendum putabat, 515A, 516A, 519D, satius existimans veritatem omnibus planam facere, 516B', 518A', 519D'. — « Zelo divini honoris vehementissime succensus », 25B, « desiderioque fraternæ salutis », 100A, philosophica sua scientia usus est ad corrigendos philosophorum errores, 520D, quorum conversioni enixe adlaborabat, 525B, 589B', et ad illustranda fidei dogmata, multa a philosophis mutuatus est, 130A, præsertim a Platone, 130B, quem in multis sequitur, 124B'. — Librum de Divinis nominibus scripsit ex Hierothei sententiis, 94B', 99B', ad eas explanandas, 92C', 99C', ac simplicium captui accommodandas, 93D, 99A', itemque multos libros hodie perditos, nempe de Trinitate, 8A, de Divinis characteribus, 9A, 26B, de Justo divinoque judicio, 185B', de Symbolica theologia, 33B', de Anima, 123C', et nonnullas epistolas, 562 et seq. Ejus libri tanto breviores sunt quanto sublimiores, 464C. — Commendantur ejus humilitas,

98C, 99D', 343C', 344C, C', fervor, 244A', caritas, 586B, fides, 586C, 591D', compunctio, 549A' — Ad videndam præstantissimam Virginem in Judæam venit, 94D, 95B, D, C', 96B, qua visa præ admiratione corruit in terram, 95D', eam velut divinitatem admiratus, 95D'. Eidem morienti adfuisse creditur, 95B, D. — Prophetiæ spiritu repletus, 586C', S. Joanni exsulanti consolationem præstitit, 584A, et liberationem pollicitus est 586A'. — Perperam a S. Thoma allegatus ad fulciendam theoriam de phantasmatibus, 489B', vindicatur, 489C', et explicatur, 490D. — Nonnunquam discreta explicatione indiget, 27D', 64D, 173A, 485A.

DIONYSIUS Cartusianus, quomodo librum de Divinis nominibus interpretari intenderit, 8B.

DIOTREPHES primatum gerere amans, typus ambitiosorum, 494A'.

DIRECTUM. In directum moveri dicuntur: Deus, quum entia ex se immediate producit, 299D; angeli, dum ad inferiora tendunt, 138C, res contemplando in similitudinibus mentibus eorum inditis, 138B'; animæ, quum ex sensibilium consideratione ad Deum recte tendunt, 140A', ex creaturis intelligentes Creatorem, 140C'. *Cf.* Circulus, Obliquum.

DISSIMILITUDO causa est odii, 231C. — Quot modis fit dissimilitudo, tot modis distinguitur Deus a creaturis, 486C. — *Cf.* Similitudo.

DIVISIO. Divina essentia in partes quantitativas aut integrales, constitutivas aut essentiales dividi nequit, 74B, nam omnis substantia stans per essentiam suam, est simplex et non dividitur, 121A. — Quoad inferiorem partem anima dicitur divisibilis, quare, 567D — Indivisibile nec movetur, 60C, nec tangit, nec tangitur, 60B'. — *Cf.* Indivisibilitas.

DOCTRINA christiana et sedulo discenda est, 99B, et fideliter communicanda, 345C, et audientium captui accommodanda, 93D. — Meritorium est et optimum alios docere, 93A', 100B, sed nemo efficaciter perfectionis viam docere potest, nisi expertus, 93B', et damnabile est prædicantem aliis impie conversari, 100A'. — Quæ vere et bene docemus, a Deo sunt 344A', et Deus est qui intus, occulte et sine strepitu corda audientium docet, 148A. — *Cf.* Prædicatio.

Doctori privato non licet contra determinationem Romani pontificis sententiam suam defendere, 483D. — Sancti doctores non sibi duntaxat, sed et ceteris laboraverunt, 499. — Cur ex tot scholasticis doctoribus, S. Thomas fere solus canonizatus sit, 494D. — Indoctis abscondenda sunt contemplationis arcana, 449C, qui nihil ultra sensibilia imaginantes, 449D, propria scientia Incognoscibilem assequi præsumunt, 449C'.

DOMINATIO quid sit, 331C', et quatenus Deo competat, 331D', et hominibus, 332A. — « Dominus » quid significet, 332A. Sic dici potest quælibet S. Trinitatis Persona, 51A, et præcipue Christus, 75A. — « Domini » in Scripturis vocantur eminentes personæ, 333B', C', a quibus ceteræ dona Dei percipiunt, 333B', et ad Deum reducuntur, 333D'. Dominum et judicem decet perfectio, 332A; ideo indecens est dominum a servo reprehendi, 344B'.

DOMITIANUS imperator, ob crudelitatem a senatu occisus est, 586C'. — Eo mortuo S. Joannes in Asiam ex Patmo reversus est, 586C'.

DONA Dei ex tota emanant Trinitate, 59B, quoniam omnis doni creati causa est amor, 142B'; et dona quæ sunt in rebus ad extra, ex dono sunt quod est in mente artificis, 340C. — Eorum nec multitudinem nec magnitudinem nosse valemus, 59C, absque speciali revelatione, 87B', quia omnibus dat Deus largiflue, 73C', et superabundanter, 293A, quin ipse minuatur, 293B, juxta dignitatem, 278C, merita, 278C, et finem cujusque, 278D, sive generalia et communia, ut motum, inspirationem et vitam, 279A, sive specialia et conditioni propria, 279A'. Inde est quod homo ordinate agat, 332A', ac meritorie, 307D. — Prima Dei donatio est esse creatum, 223C'; deinde cuique datur naturalis capacitas juxta speciem 300A et munera secundum dignitatem, 300B. Quæ ergo sublimiora dona participant, ceteris præstant, 220C, et sunt reliquis diviniora 220C', verumtamen in donis gratuitis non attenditur ad justitiam, 279C'. — Qui dona sibi concessa liberaliter communicat ampliora meretur, 499.

DOROTHEUS diaconus. Ad ipsum exstat Areopagitæ epistola, de caligine divina, 513A.

DYAS principium rerum esse nequit, quum ipsa a monade oriatur, 165B'. *Cf.* Monas.

E

EBRIETAS non nisi metaphorice Deo tribuitur, 564 C, 572 D; ebrietas in homine est impudica repletio et rationis privatio, 572 D, in Deo est exuberans omnium bonorum plenitudo, 572 A, immensa excellentia omnem superans intellectum et scientiam, 573 B.

ECLIPSIS solis stupenda, quæ facta est moriente Christo, narratur, 590 D'. — Multa in ea occurrerunt mirabilia : quia facta est plenilunii tempore, 524 B, quo nequit sol eclipsari, 591 B, A'; quia luna ab oriente recta subiit solem, corpus, et eclipsavit illi opposita est, 524 D, 590 D; quia post eclipsim luna subito ad orientem reversa est, 524 B, A'; quia contrario modo facta est occultatio et defectio solis, 524 A'; quia horarum tribus spatio duravit, 525 B'. — Hanc in Ægypto observaverunt Areopagita et Apollophanes, 524 A, 590 D, atque tantopere commoti sunt ut Apollophanes itidem vaticinaretur 525 A, 591 B, et Areopagita postmodum, rem narrante Paulo, ad fidem converteretur, 591 C'.

EFFECTUS est quaedam participata suæ causæ similitudo, 66 B', 131 A', 142 C, et causam tanto perfectius repræsentat quanto plus consequitur de ejus similitudine, 487 D'; ex effectibus igitur causa cognoscitur, 230 A' et laudatur, 39 C, quoniam ab eorum excellentia pensatur ejus eminentia, 230 A'. — Ex eadem causa effectus omnino contrarii procedere nequeunt, 165 D'. — Deus in se unus, quasi multiplicatur in effectibus, 73 B, D, sic tamen ut a sua unitate non recedat, 75 A', quoniam primi principii effectus in ipso idem sunt, 218 B', sed extra ipsum diversificantur, 218 C'. — Per causam effectum cognoscere, cognitio est a priori, per effectum causam, cognitio est a posteriori, 254 D, et ita in præsenti Deum cognoscimus, 484 C', quia nihil de eo valemus intelligere vel scire, nisi per suos effectus, 485 A, 487 C, 533 D, qui a plena divinæ essentiæ repræsentatione infinite deficiunt, 487 C, sed in hac cognitione multipliciter proficere valemus, 488 A. — *Cf.* Causa.

ELEMENTA a Deo formam substantialem acceperunt, 124 A, ac naturalem inclinationem ad motum sursum et deorsum, 120 A, et ad Deum tendunt « substantialiter », 29 A, A'. — Quoad se tota, permanent incorrupta, 284 D', sed in mixtis ad quamdam reducuntur contemperantiam, 283 A'. — Elementorum distinctio providentiæ divinæ evidens est signum, 279 A'.

ELIAS propheta, vero justitiæ zelo in prævaricantes arsit, 547 D, sed novi spiritus nondum erat particeps, 548 A.

ELOQUIA, id est Scriptura, 9 C, 10 B, 22 A, etc. *Cf.* Scriptura.

ELYMAS magus seu « sophus », 277 C, stulte arguens potentiam Dei, 277 B, refellitur, 277 C.

EMANATIO. Omnis divinæ emanationis causa ipse est Deus, 151 C, radix et causa, bonitas, 87 B. — Emanationes ad intra omnem mentem superant, 65 B' et prorsus incomprehensibiles sunt, 503 D'. Causa sunt et exemplar emanationum ad extra, 143 B'. — Emanationes ad extra procedunt a bonitate, sapientia et potentia Dei, 75 B, « substantificæ » dicuntur, quia cunctis creatis dant substantiam, gradum et speciem, 218 B, et ad omnia extenduntur, entia et non entia, 218 D. In his Deus quodammodo multiplicatur, 72 D'. Quodlibet nomen Dei absolutum, ab emanatione ad extra impositum, 75 C', tam divinæ essentiæ quam cuilibet Personæ convenit, 75 D'. — Nec emanationes ad intra nec emanationes ad extra plene cognoscere valemus, 513 A'. Utrobique Deus in se quietissime stat et manet, 562 B'. — *Cf.* Processiones.

EMPEDOCLES philosophus, ansam dedisse videtur hæresi Manichæorum, 166 A.

EPISCOPI, seu hierarchæ, 545 A', primum locum in Ecclesia tenent, velut successores Apostolorum, 539 C, et primum locum in templo habebant, prope altare, 539 B'. — Eorum est alios perficere, ideo « perfectores » dicuntur, 539 B'. — Ordo est ut sacerdotibus præsint, et subjiciantur apostolis, id est archiepiscopis, 545 A'.

EPULÆ. Non nisi metaphorice Deus dicitur epulari, 564 D'. — Quid Beatorum epulæ, 573 C, in quibus discumbere perhibentur, 573 B', Christo eis ministrante, 573 D'. — *Cf.* Cibus.

ERROR in angelos non cadit, 168 D. — Quo sensu omnis peccator dicatur « errans », 184 A. — Erroris confutatio opus est arduum, 519 A', et litigiosum, 516 A', 519 B'; insuper ex erroris confutatione non sequitur veritatis demonstratio, 516 B, nam inter utrumque dari potest medium, 516 C, sa-

tius est ergo imprimis veritatem firmiter statuere, 516A', 518A', quia monstrata veritate, illico detegitur et corruit error, 519B, B'. — *Cf.* Veritas.

ESSE est communissimum donum, 219B', quia generalius est quam intelligere, 220B, sentire et vivere, 220A, et prima divini esse participatio est esse creatum, 223C'. — Esse est a forma nam ipsa est quæ dat esse, 124B'; virtualiter non esse continet, quod ad esse perducit, 164B. — Esse est naturaliter bonum et appetibile, 160B', ideo ens, verum et bonum convertuntur, 58B, 162C. Omne ens ex bono est, in bono conservatur, in bonum convertitur, 141A'; entia in quantum sunt, sunt bona, 162C, in quantum sunt mala, non sunt, 162C; ens enim aliquid est in quantum aliquid boni sortitur, 163D', tanto magis vel minus est quanto magis vel minus bonum participat, 163D', tantum ab esse deficit quantum a bono, 164A, et quod boni omnino expers esset, esse nequiret, 162D', 163C', et nihil foret, 170B'. — Omne creatum subsistens, aliquo modo unitum est ex esse et essentia, 223C; esse essentiæ quidditativum est, esse exsistentiæ mutationi subjacet, 24C'. Quo sensu materia prima dicatur non esse, 124A'. — Circa entia versantur scientiæ omnes, et in entibus terminantur, 24C'; sed scientiæ humanæ sunt de rebus potius quoad esse essentiæ seu quidditativum, quam quoad esse exsistentiæ seu suppositorum, 24C'. Ens quodlibet tantum de cognoscibilitate habet quantum de entitate, 10C'; ideo nonnulla difficile cognoscuntur, propter entitatis modicitatem vel sublimitatem, 14A'. — *Cf.* Bonum.

« Esse » videtur nomen Dei « principalius », 231C', et de qualibet divina Persona dici potest 50B'. Deo enim essentialiter competit esse, 73D, et tam eminenter, ut respectu ejus, omne aliud esse sit quasi non ens, 217B, ideo, abstrahendo ab esse omnem potentialitatem et imperfectionem, ad proprium et absolutum Dei conceptum devenimus, 186C, 190D', id est entis simpliciter perfecti, 151C', substantialis et æterni, 222B. — Verumtamen nec esse habet secundum genus aliquod prædicamentale, 12C', nec ens est modo nobis comprehensibili, 124D', sed est ipse summum actualissimum et irreceptissimum esse, 12C', in quo idem sunt esse, posse et agere, 13D, 503C', ens, vita et sapientia, 219D. Ab eo est esse, et ipse non est esse, 226D', in ipso est esse, et ipse non est in esse, 226D'. — Infinita sui esse exuberantia, omnibus causa est ratioque essendi, 73B', omnium entium principium, non formale, sicut quidam impie dixerunt, 31D', sed causale, 12D', 18A, effectivum, 226A', exemplare, 18A, 31C et finale, 128D', 226A', totius esse institutor, 221B', et mensura, 241A', esse exsistentium, 221C', omnibus dans esse, sicut decet ipsum, 228B, non tantum esse substantiale, sed omne esse quod habent, 229A, universis esse limitans et determinans, 342B, et sic proprium esse quasi multiplicans, 73B.

Omne ens est a Deo, 221C', 222A, tanquam a causa efficiente, 226A'; in Deo, 222A', sicut in causa exemplari, 226A'; ad Deum, velut ad causam finalem, 128D', 226A'. — Quæ non sunt nec erunt, in Deo sunt cognitive, virtualiter, 141C', seu potentialiter, 157D', et idealiter, 141C', 154C; quæ sunt, causaliter, exemplariter et perfectionaliter, 227D'. — Ab eo non entia ad esse adducuntur, 218D, entia esse et bene esse recipiunt, 218D, 226D, et quidquid habent entitatis, 119A'; omnia in ipso conservantur, 224A, et uniuntur, 224B; omnia providentiæ ejus subjacent, 182C, et tanto meliora sunt quanto ipsi sunt propinquiora, 164B. — Cunctis entibus data est inclinatio ad sibi convenientia, 320A, et aversio a contrariis, 320B; universa ad invicem connexa sunt per quamdam relationem ad unum principium unumque finem, 224C', intra se pacem habere cupiunt et similibus conjungi, 319C', sed unicuique est alteritas, seu proprietas qua ab aliis separatur et quam non vult perdere, 319D. — *Cf.* Creata, Res.

Ex philosophorum dictis : Id quod est prime et maxime ens, ceteris omnibus causa est entitatis, 14D', idcirco a primo ente omnibus derivatum est esse et vivere, 14D, aliis clarius, aliis obscurius, 164D, a primo ente dependent cœlum et terra et tota natura universi, 31D. — Prima rerum creatarum est esse, 156C', 222C, quod proprie dicitur effectus primæ causæ, 156B et nihil est ante ipsum, 222C. — Ab eodem habet res esse et bene esse, 121C'. — Omne creatum subsistens aliquo modo unitum est ex quo est et quod est, ex esse et essentia, 224C.

ESSENTIA Dei est potentiæ sicut potentia operationis, 420 C. Ad essentiæ totalitatem bonitas ipsa deficit, 1021 D. — Scientiæ humanæ de rebus sunt potius quorum esse essentiale, quod est esse quidditativum, quam quorum esse existentiæ, quod est suppositorum, 24 C'. — Deus essentia dici nequit, 27 A', nisi tamen sibi proprio, 27 C, quia essentiam non habet secundum aliquod genus prædicamentale, 42 C'; in quo est essentia, non ipse in essentia, 227 A; essentiam habet, non cum essentia, 227 A et ipse est sua essentia, 465 A, nobis proinde incomprehensibilis, 43 D; supra omne genus et speciem, 217 A', nec cum aliquo ente quidquam univoce habens, 217 B'; in quo idem est essentia, scientia et notitia, 43 D. — Divina essentia in Trinitate servat unitatem, dum relatio multiplicat Personas, 50 D, ubique est et in omnibus, 88 B; in ea cognita relucent creata et creabilia, 256 B, Beatis unitur tanquam forma intelligibilis, 564 A', et in beatifica visione est quod et quo, 564 B. Quomodo dicatur temporum essentialitas, 224 C. — Omnis essentia creata ex Deo est et per Deum, 141 A, tanquam a causa efficiente et exemplari, 136 B', et a finali principio, 224 B, et nulla est essentia cujus ipse non sit causa, 124 C, 222 B'. Sublimiores substantiæ æternæ vel perpetuæ vocantur, 226 B, quia nunquam ab eis auferetur existentia, 226 C.

Ex philosophorum dictis: Omne creatum substantiam aliquo modo unitum est ex esse et essentia, 224 C, et res omnes habent essentiam propter ens primum, 124 C'. — Omnes participatæ essentiæ ad imparticipatas elevantur et reducuntur, 59 D', et omnis substantia essentiam suam rediens est ad eam reditione completa, 563 B.

EUNOMIUS, Cyzicenus episcopus, « præsumptuosissimus et superbus hæresiarcha », 457 C, se Deum perfecte comprehendere jactabat, 27 C, quoniam ab omni S. Spiritus illuminatione fuit penitus alienus, 457 C.

EVANGELIUM quomodo dicatur latum et concisum, 470 D'. — Legis evangelicæ tempus, tempus gratiæ dicitur, 447 B, quoniam ab omni legalium observantiarum onere liberamur, 447 B'. — Evangelistæ signis et figuris usi sunt, 597 A, quare, 597 C.

EXEMPLAR. Quid sit exemplar, 120 A, 229 D'. — Omnium exemplaris causa est bonum primum, 120 D, scilicet Deus, 18 A, 31 C, idealε exemplar ex quo imitative producta sunt omnia, 120 A. — Ipse enim exemplares omnium rationes ab æterno in se concepit, 228 B, quibus dat creaturis esse substantiale et omne esse quod habent, 229 A, quocirca omnia per ipsum esse dicuntur, 51 D, 73 A. — Quum omnibus creaturis sit eadem causa exemplaris, 60 D', cur tanta sit in eis differentia, 61 A, A'. — Naturæ creatæ non convenit exemplar esse alius, 229 D', quum ipsa sit ad exemplar mentis divinæ, 230 A. — *Cf.* Idea, Imago, Paradigma, Sigillum, Similitudo.

EXEMPLUM. Quid sit exemplum, 120 A.

EXERCITUS. Circa Deum sunt creata quasi exercitus, 137 D, 224 D'. — Non nisi metaphorice Deo tribuuntur arma bellica, 564 C'.

EZECHIAS, rex Juda. Eo rogante dies triplicatus est, 522 C, seu viginti horis auctus fuit, 522 A', C'; nam sol per decem horas rediit, 522 B', C', et per decem horas alias viam solitam repetiit, 522 C', 523 A; insuper, antequam recederet aliquantisper quievit, 522 D. — Hoc permoti miraculo, Babylonii Ezechiam mirati sunt et timuerunt, 523 C, A'.

F

FALSITAS non est objectum intellectus, 139 B; in angelos non cadit, 168 D; quomodo Deo contrariari dicatur, 244 A. — Falluntur qui proprio sensui innitentes, 252 C, per rationem volunt supernaturalia judicare, 251 C', et ineffabiles Dei rationes intelligere, 251 D'. — *Cf.* Error.

FECUNDITAS. In Deo Patre fecunditas est ad productionem Filii, 20 A; in Patre et Filio, ad productionem S. Spiritus, 20 A. — Divina fecunditas fons est omnis paternitatis, 20 B. — B. Virginis fecunditas mirabilis est et incomprehensibilis, 67 D, 540 B'.

FIDES varie a diversis definitur, 262 C. Quædam notitia est credentes ad credenda conjungens, 262 D', et sua luce eos ad consentiendum inclinans, 262 B', quoddam medium inter extremos errores, 549 C, « circa scientiam omnium puram et non errantem » versans, 262 B'. Quomodo dicatur « fundamentum unicum credentium », 262 A'. — Fidei documenta imperfecte noscuntur, 63 C', et imperfecte exprimi possunt, 98 B, nam non habetur fidei meritum ubi ratio præstat argumentum, 243 D', ideo falluntur qui ea

per rationem judicare volunt, 251 C', quia non more humano æstimanda sunt, 252 C, sed divino, 252 A'. — Sine fide impossibile est placere Deo, 88 A'; animam enim purgat, 11 B', unificat, 133 A', ducit ad cognitionem Dei, 488 B, idoneam facit quæ divina speculetur 11 A', et ad altissimam contemplationem introducatur, 448 C'. Infirmi sunt « circa fidem » qui ad tempus tantum credunt, 185 A, aut juxta fidem non vivunt, 185 B, quoniam fides sine operibus mortua est, 185 B. — Christiana fides est vita, via, 591 D', et lumen, 592 A; non humanæ « sophiæ » argumentis innititur, 9 C, sed supernaturalibus rationibus, ut prophetiæ, miraculis, 9 D, et martyrum testimonio, 264 A; superbos animos haud faciliter intrat, 592 C. Ad eam prædicandam non sufficit idolorum falsitatem probare, 516 A, quia inde non eruitur fidei veritas 516 B; sed satius est ab erroris confutatione abstinere, 516 A', quod est opus arduum, 519 A', ac litigiosum, 519 B', et veritatis jura stabilire, 516 B', 519 A; demonstrata enim veritate, illico apparet et dejicitur error, 519 B, B'. Contra adversarios fidei parum prodest dimicare, etsi quandoque oporteat, 519 D. — Fideles ab impiis despiciuntur, 263 D, sed a laqueis diaboli et cordis fluctuatione liberati, 263 B', in Deo stabiliuntur, 263 C', contra adversa firmati, 263 C, et nulla re a gaudio spirituali abstracti, 263 B. — *Cf.* Anima fidelis, Christianus.

FIGURA. *Vide* Signum, Symbolum.

FILIUS, in Trinitate, est quasi Deitatis fructus et flos, 65 B; substantialiter est vita a Patre et ad se, 322 B, sapientia per se et ad se, 322 B. Recte dicitur bonus, 50 A', « qui est », 50 C', vita, 50 D', Dominus, 51 A; ipsi quodammodo appropriantur sapientia et pulchritudo, 51 B; per ipsum sunt omnia, 51 A', quasi per causam exemplarem, 51 D. — In Scripturis aperte docentur unitas ac distinctio Patris et Filii, 51 A'. Non nisi metaphorice ex corde Patris prodire dicitur, 564 A, aut in sinu Patris recumbere, 564 B. Ratione incarnationis quædam in divinis de eo tantum prædicari possunt, 54 A'. Ab ejus « filiolitate » procedit omnis filiolitas spiritualis, 65 C', in hominibus et angelis 66 A. — Quænam sit in angelis filiatio, 66 C. — Indecens est patrem a filio increpari, 544 B'. — *Cf.* Christus, Incarnatio, Verbum.

FINIS et bonum coincidunt, 136 B, quare 28 C'. — Omnibus inest inclinatio ad finem proprium, 135 D', et ultimum 28 C', et quælibet res suo fini per quamdam operationem conjungi posse debet, 275 A. — Finis omnium Deus est, 28 C', 31 C; ideo ad eum universa ordinantur ut ad finem ultimum, 128 D', 129 C', vel intellectualiter vel sensitive, 28 D', vel vitaliter vel naturaliter 29 A. — Ad eumdem finem factæ sunt intellectuales creaturæ, 133 B. — Omnium rerum fines intrinseci et extrinseci a Deo constituti sunt, 125 A. — Omnium divinorum processuum fines ad sua principia assimilantur, 261 A.

FORMA substantialis est participatio quædam primi ac puri actus, videlicet Dei, 124 A', quoniam formæ quæ sunt in materia, fluunt ex formis quæ sunt in mente primæ causæ et intelligentiæ, 340 C. — Est in elementis quasi habitus quiescens et inhærens, 124 B, a quo res esse accipiunt, 124 B', et distinctionem, 279 A, quia ex diversa formæ participatione fit in rebus dissimilitudo, 486 C. — De potentialitate materiæ educitur, 170 B, et instantanee introducitur et expellitur, 309 A. In mixtis quamdam materiæ dispositionem requirit, qua deficiente, evanescit, 170 B. — A materia prima appetitur, 154 C, quasi pulchrum a turpi, 124 A', quia decor est et perfectio materiæ, 176 B, quæ per eam primum bonum participat, 154 C. — Impium est Deum vocare formale omnium esse, 60 C', aut formalem causam, 31 D; sed est omnium « forma formificans », 70 D, omnia formans, non informans, 31 D', et simul informis 70 A', omnibus dans formam 73 A', tanquam primum bonum, 154 C, et idealibus formis ad naturas quas habent cuncta producens, 256 A. — Forma in mente divina concepta, connectit ea quæ illam participant 340 B, et est omnium exemplar, 340 B; ideo formæ creatæ non convenit esse alius cujuspiam exemplar, 229 D', quoniam ipsa est ad imitationem exemplaris mentis divinæ, 230 A. — Omnes formas ejusdem esse speciei nec inter se differre nisi secundum majorem vel minorem immersionem in materia, perperam asseruit Pythagoras, 279 B'. — Per formam seu speciem cogniti fit cognitio, idque multipliciter, 187 A'. — Non nisi metaphorice Deo tribuitur forma humana vel ferina, 564 B'.

Ex philosophorum dictis : Materia appetit formam sicut turpe pulchrum et femina

virum, 124A'. — Qui dat formam dat consequentia formæ, 124D. Id est, operationem, motum et locum, 56C', 137C. — Cf. Figura, Materia.

FRANCISCUS (S.) Assisinas, « ille admirabilis seraphicus illuminationumque », 318A', cuncta creata fratris et sororis nomine appellare solebat, 318A'; Deum, « omnia sua » pure vocare potuit, 31C.

FUROR sen vehemens ira, bonum participat, 160D, et quidpiam apparentis justitiæ præ se fert, 162C, dum quæ sibi bona videntur appetit, 163B. — Non nisi metaphorice Deo tribuitur, 265A, et dæmonibus 171C', quum sensitivis passionibus careant, 171C'. — In brutis furor non est simpliciter malum, 174B, sed quod naturæ consentaneum, 171C. — Per pectus mystice designatur, quare, 296B. — Cf. Ira.

G

GAUDIUM. In mortis puncto gaudere, non est malitiosum, 302C. — Nulla re avertitur fidelis a gaudio spirituali, 263B. — Quo sensu Deus in creaturis lætari dicatur, 230C.

GENERATIO quid sit, 159D', et unde veniat, 160A. Sæpe pro qualibet productione vel etiam pro creatione sumitur, 143C. — A corruptione differt causa, termino, et virtute, 160A', et ideo a corruptione, ut tali fieri nequit, 163A', sed tantum per accidens, 160A, quum scilicet unius corruptio alterius sit generatio, 157A', 159B'. — Omnis generatio a bono est, 160B; malum enim, ut tale, nec aliquid est nec aliquid gignit, 159A', D, 160C, quamvis in subjecto sit aliquid et aliquid producere possit, 160D. — Ad generationem rerum concurrunt materia 177C, sol et luna, 127C', quatenus, 128A. — Perperam ab æterno fuisse generationem asserebat Aristoteles, 589B', quum fateretur semine indigere hominem ad nascendum, 589B'. In generatione et corruptione locus est tempori proprie dicto, 399A, et entia potiora quæ his subjacent, ævo mensurantur, 399C, et omnia generabilia per temporis fluxum ad suam perveniunt perfectionem, 175A. — Deitati in abstracto, non competit generare nec generari, 65C, in angelis nulla est generatio, 20B, 66A, quamvis sit in illis quædam spiritualis paternitas et filiatio, 66C; generatio Christi prorsus mirabilis est, sive ex Patre, 400C, sive ex Matre, 67C, 207C, 508A, 510B'.

Ex philosophorum dictis : Omnis substantia simplex per essentiam suam, non est generata ex re alia, 120D'. Substantiæ unitæ intelligibiles, non sunt generatæ ex re alia, 120D. — Homo generat hominem et sol, 127C. — Cf. Corruptio.

GERMINANTIA a Deo nutritivam et motivam acceperunt vitam, 124A, et ad Deum tendunt « vitaliter », 29A, A'. — Optima figura sunt resurrectionis, 128C. — Cf. Vegetativa.

GERSON (Joannes de) Parisiensis Cancellarius quid de cognitione Dei doceat, 485C'. — Perperam asserit mysticam theologiam in voluntate residere, 492A. — De nonnullis increpatur, 494B, B'. — Cf. Cartusienses, Climacus, Rusbrochius.

GLORIA. Per dona gloriæ potissimum, Deo assimilamur, 15C, sed ad videndum Deum transgredi oportet charismata gratiæ et gloriæ, 451A'. — Beatorum corpora gloria et multis dotibus ornabuntur, 243B. — Cf. Beatitudo, Gratia.

GLOSSA quædam (Glossa Juris, in Decret. II, tit. 13, c. Litteras) allegatur, 16C.

GRÆCI per motum solis et lunæ omnia nostra dispensari putabant, 127D', num bene, 128A. — Naturali sua scientia abusi sunt ad expugnandam christianam fidem, 520B'. — Tres in Trinitate substantias esse concedunt, 58C. — Genitivo pro ablativo frequenter utuntur, 75B.

GRATIA est quædam lux, 89D', a Deo profluens, 90A, et nos ad eum conjungens, 133C. — Quamvis ubique et omnibus præsto sit, 90D, eam ad nos attrahimus, 90C, vel potius ad eam erigimur, 90A', per orationem, 88A, 90C, et vitæ puritatem, 88B. — Hanc diversimode diversis Deus infundit, 11C, non semper juxta recipientium merita, sed pro dantis libertate, 161B', paulatim, ut plurimum, et pro animæ capacitate, 132A, 161C, et desiderio, 15A', 132C, A', primo mediocriter, 132A, deinde quum capacior fuerit anima, 132B, abundantius, 132C. Christo concessa gratia fuit infinita, 293B. — Gratia gratum faciens cum peccato consistere nequit, 172A'. — Ad videndum Deum omnia gratiæ charismata transgredi oportet, 451A', sed divina scrutari non expedit ultra gratiæ mensuram, 11B, unicuique concessam, 11C. — Qui acceptas gratias aliis

communicat, ampliores meretur, 499. — *Cf.* Illuminatio, Lux.

GREGORIUS (Magnus), « sanctus humilisque » allegatur, 99D', 120C', 122D', 132C, 261A', 485C, 488C, 495A, 514A, 551A', 592C.

GUBERNATIO est proprietas divina, 66B, et actus divinus, 276C', ideo quodammodo deificantur qui hanc participant, 66A, 276C'. — Mundi gubernatio in elementorum distinctione apparet, 276A', et Dei prædicat exsistentiam, magnitudinem, 258B', ac sapientiam, 253B'. — Communiter a superioribus diriguntur inferiora, 544D, idcirco superiorum est inferiores gubernare, 544D; sed alios gubernare nequit qui se ipsum non regit, 545A, nec civitatem qui domum negligit, 545A, nec regnum qui civitatem regere nescit, 545B. — *Cf.* Inferiora, Superiora.

GUILLELMUS, Parisiensis episcopus, allegatur, 155B, 487C. — *Adde* Antisiodorensis.

H

HABITUS Deo proprie non competit, 28B. — Humanitas in Christo fuit quasi habitus Divinitatis, 510D. — Forma est in elementis tanquam habitus quiescens et inhærens, 124B. — Non ex habitu universali scientiam acquirunt angeli, 253D'.

HÆRESIS est dialecticæ, negare quod natura in se pure et nude considerari possit, 226B. — Hæreticum est, Deum vocare esse omnium formale, aut animam mundi, 60C', et Scripturæ contradicere, 52A. — Hæretici quidam « indoctissimi » (Anthropomorphitæ) arguuntur, qui Deum natura corporeum dixerunt, 259B', vel immediatam naturarum unionem in Christo negabant (Nestoriani), 54B', item qui duo rerum principia ponentes (Marcionitæ, Manichæi), diabolum naturaliter malum esse asserebant, 173A'.

HEBRÆI librum Sapientiæ a Philone conscriptum esse tradunt, 146C. *Cf.* Judæi.

HELIOPOLIS, urbs Ægypti. Ibi cum Apollophane Dionysius mirabili solis eclipsi adfuit, moriente Christo, 524A, 590D'.

HENRICUS de Balma, Ord. Min., confessarius Sæ Colettæ (seu rectius Hugo de Balma, Cartusianus, XIVe sæc.), auctor libri de Triplici via, perperam asserit mysticam animæ unionem cum Deo præcedere intellectus cognitionem, 492A'.

HENRICUS (de Gandavo), theologus, Aristotelem injuste arguens, corrigitur, 25D. — Quid de Deo doceat, 73C, 141C', 487C, et de Platone sentiat 20B'.

HIERARCHÆ, id est episcopi, sacerdotibus præsunt, sed apostolis, seu archiepiscopis, subjiciuntur, 545A'. *Cf.* Episcopi.

HIERARCHIA ecclesiastica infimo angelorum choro connexa est, sed inferior, 260D'.

HIERONYMUS (S.) se superbeatissimam Trinitatem sæpius conspexisse testatur, 485C. — Quantopere infernum timuerit, 549A. — Non semel allegatur, 29B', 87C, 140C, 146C.

HIEROTHEUS, « vir magnifici ingenii », 69A', « ingeniosissima mens », 92D', « magnus sol », 97C', « famosus, excellens », 94D, et « illuminatissimus », 68B', « magister animarum perfectarum », 92B', ac « sensuum perfectorum et honorabilium », 93B, fuit « communis sacer perfector », 152A, « ductor et doctor », 94C, « magister atque amicus », Dionysii, 68B, 92C, et Timothei, 152A, 308B. — Ab Apostolis instructus, 68C, in Scripturis eruditissimus, 68C, Sancti Spiritus illustratione repletus, 68D, divino succensus amore, 68A', ad summam evectus contemplationem, 68B', præ multis splenduit ætate, 97B', puritate et diligentia, 97C', et supra communem hominum gregem collocandus est, 93A, propemodum inter Evangelistas et Apostolos, 93C. — B. Paulum Jerusalem secutus, 96B, vel ad conferendum cum Apostolis, 95B', vel ad videndum B. Virginem, 95C', eidem Virgini morienti adstitisse creditur, 95B, D, et ibi cum discipulis concertans, 96C, omnes vicit sapientia et sermone, 96A', totus in Deum transformatus, 96B', totus caritatis ardore inflammatus, 96C', et ab omnibus ut vir Dei agnitus, 96D'. — Libros reliquit valde obscuros et difficiles, 68B, 69A', ubi magis ad rem adspexit quam ad proprietatem verborum, 71D, inter quos librum de Divinis nominibus, doctissimum, 91D, 92A', brevem et succinctum, 91C', 92B', ita ut difficile intelligeretur, vel ab ipso Timotheo, 93A, et quem, rogantibus Hierotheo et Timotheo, 92C', Dionysius ad faciliorem intelligentiam redigere conatus est, 93D, 99A'. — Nonnulla ex eo excerpta citantur, 69C, 152B, D, 153D. — *Cf.* Nomen.

HILARIUS (S.), Pictaviensis episcopus, allegatur, 51B, 144A (Migne *Patrol. lat.* tom. 10, col. 51 et 107.)

HISTORIA scholastica (P. Comestoris) erroris arguitur 285 C. (Migne *Patrol. lat.* tom. 198 col. 1053.)

HOMO spiritualium substantiarum infima, 24 B; bonitatem divinam participat per modum imaginis, 104 C. Quomodo dicatur « omnis creatura », 31 C, vel « creatura mundi », 171 A. — Ad eumdem finem atque angeli creatus, 153 B, a Deo vitam prope angelicam accipit in præsenti, 242 C, perfectam et immortalem accepturus in futuro, 243 A, ab angelis sua recipit officia, 244 C. — Homo quilibet imperfectus est, 546 D, ad mala pronus, 135 A, et misericordia Dei indiget, 546 B, sed communiter dæmonum impulsione peccat, 153 A. Ipsi præstantius est Dei esse quam sui juris, 252 C, quatenus illi competat alios regere, 304 A', vel vis dominari, 304 C'. — Illi, utpote organis et sensibus instructo, 567 D, connaturale est per sensibilia ad invisibilia ascendere, 562 D, 567 D', C', et ideo Deum plene intelligere, vel pure contemplari non valet, 24 D, nec intelligentias separatas, 26 B', nec manifestissima naturæ, 448 D, 457 D, quæ sensu attingi nequeunt, 25 B', 259 D. — Radium divinum non nisi sensibilibus formis obvelatum videre potest, 22 A, B, et per sensibilia primo ad invisibilia ascendit, 24 C', sed postea, quum imperfectionem exuerit, 562 C, relictis visibilibus omnibusque signis, 562 A', divina quasi directe apprehendit, 23 C', et simpliciter, 24 D'. Ea tamen sobrie scrutari debet, 44 A, juxta gratiæ mensuram sibi concessæ, 44 B. — Deum a priori cognoscere nequit, 257 D', sed a posteriori tantum, 42 C, quantum in operibus relucet, 44 B', scilicet in creaturis, 225 B, 238 A, A', quæ sunt similitudines paradigmatum divinorum, 258 B; quapropter in creaturis sistere finaliter non debet, 230 A, sed inde ad Dei contemplationem ascendere, 230 B. Sed multo sublimius illum cognoscere potest per negationem, 260 A, nempe, quum universa transcendens et se ipsum, 260 B, in divinam lumen introducitur, 260 C, ac Deo prorsus ignoto conjungitur, 260 D, elevatus et absorptus in dilecto, 260 A'. — Aliquando, in patria cœlestibus donis ornatus, 23 B, lumine et gaudio prorsus incognito repletus, 23 A', æterna requie donabitur, 22 B, et angelis similis effectus, 23 B', Deum, remotis corporeis velaminibus, 23 C, pariterque contemplabitur, 24 A, sicut Apostoli in Transfiguratione, 24 B, eique tanto perfectius unietur, quanto eum ardentius dilexerit, 23 D. — *Cf.* Anima, Intellectus.

Per humana, in Scripturis designari solent divina, 22 A'; sed non nisi metaphorice Deo tribuuntur humana forma, 564 B', membra, 563 D', 564 B, et artus, 564 A, C, 565 A. *Cf.* Signa.

HONOR. Dæmonibus inest intensissima appetitio propriæ honorationis, imo et cultus et adorationis quæ soli Deo debetur, 171 D', ideo terrenis honorationibus et sacrificationibus delectantur, 171 D.

HUGO (de S. Victore), Canonicus regularis quomodo definiat fidem, 262 A'. (Migne *Patrol. lat.* tom. 176 col. 43 et 330.)

HUMILITAS. Per humilitatem præcipue acquiritur fides, 592 C, cognoscitur Dominus, 2, et invenitur, 294 D'.

HYLEATHIN inest intelligentiæ, juxta librum de Causis, 155 D.

I

IDEÆ. In Deo, juxta quosdam, infinitæ sunt ideæ, 141 C', seu exemplares rationes, æternaliter subsistentes, 229 A; sed in eo sunt una simplex essentia, 234 D; imo ipse est idea increata, 222 B, exemplare principium universorum similium, 223 B, creaturis dans esse substantiale et omne esse quod habent, 229 A, nam omnia formavit ad similitudinem ideæ quam habet in se, 136 C, 137 C', et idealibus formis ad naturas quas habent cuncta produxit, 256 A. — Non sunt plures ideæ separatæ et subsistentes, 322 D', omnium gubernativæ et provisivæ, 323 C', quarum unaquæque sit deus et creatrix, 323 A, sicut fuisse videtur Platonicorum opinio, 219 A', sed unicum rerum principium, 323 A. Quid ideæ, juxta Platonem, 229 B.

IDENTITAS. Deus idem dicitur et alter, 292 A: idem quia in se invariabilis est et incommutabilis, 294 A, in suis attributis et perfectionibus, 294 C, inflexibilis, nec crescens nec diminutus, 294 A', sed ens perfectum ab omnibus segregatum, 294 B', omnes desuper illuminans, 294 C', et opposita in se causaliter continens, 294 D'. — Idem eodem modo se habens facit idem, 143 A. — *Cf.* Alteritas, Similitudo.

IDOLOLATRIA. In fanis quandoque idololatris

apparebant dii, 589B. — Contemplationis arcana minime revelari decet his qui Deitatem sublimem sub vilissimarum rerum figuris colentes, 450A, nihil eam differre autumant a spurcis suis idolis, 450B. — Ad prædicandum fidem Christi, non sufficit et non expedit idololatras acriter reprehendere, 515D', 516A', et confutare, 516A, 518A', 519C', quia exinde non eruitur fidei christianæ veritas, 516B; sed præstat veritatem prius demonstrare, 516B', quo facto, statim corruit error, 519B, B'.

IGNATIUS (S.) « inclytissimus et ferventissimus martyr, archiepiscopus Antiochenus », 146A, quantopere dilexerit Christum, 146B. — Ad sacratissimam Virginem scripsit, eam videre cupiens, 96A, et Jacobum, fratrem Domini, 96B. (Migne *Patrol. gr.* tom. 5, col. 693, 941, 943.)

IGNAVIA tanquam infernale malum vitanda est, 494A.

IGNIS incorruptibilis est quoad totum, licet quoad partem possit exstingui, 276B. — Tam de Deo prædicatur, 568C', quam de donis ejus et angelis, 569A, sed aliter et aliter, 569A : de Deo, secundum causalitatem et similitudinem, 569C; de donis ejus, secundum substantiam, 569A'; de angelis, secundum participationem, 569A'.

IGNORANTIA animam excæcat, 131D', et separat a Deo, 133C, 262D', maxime ignorantia juris et nescientia affectata, 263A, quasi negligentiæ ream et pravitatis, 263A. Doctrina fugatur, 502A tanto longius quanto major fuerit scientia, 502B. — « Ignorantia » recte dicitur Deus, 56A', et lux divina, 503A, propter suam inaccessibilitatem et incomprehensibilitatem, 503B; ideo perfectissima Dei contemplatio in præsenti, est qua ei conjungimur tanquam prorsus ignoto, 260D, 453B', 485B, quomodo, 488B'. — Impii, utpote ignorantes, magis docendi sunt quam puniendi, 548A, sed indoctis abscondenda sunt contemplationis arcana, 449C, qui nihil ultra corporalia imaginantes, 449D propria scientia Incognoscibilem assequi præsumunt, 449C'. — Solum primum penitus ignotum est, tanquam ἄγνωστον ens, 2. — *Cf.* Doctrina, Scientia.

ILLUMINATIO quælibet a Deo venit, 17C', qui est illuminatio illuminatorum, 18B'. — Divinam lucem non nisi sub sensibilibus formis recipere valemus, 22A, sed absque phantasmate anagogice illuminari potest anima a Deo, 490B, et ab angelis, 490C. — Quo quis magis est illuminatus eo clarius inspicit Deum esse prorsus incomprehensibilem, 457C. — Quum ad sacerdotes spectet alios illustrare, indignus est sacerdos qui nec illuminatus est nec illuminativus, 543B. — *Cf.* Lux.

IMAGINATIO quatenus ad cognoscendum Deum conducat, 259A'.

IMAGO. Divina essentia quasi sigillum est, 60C, ad cujus imaginem factæ sunt creaturæ, 60D, præcipue angeli, 452D, qui sunt imago Dei non naturalis, sed imitativa et repræsentativa, 168B, et animæ rationales, 179A', quæ divinam bonitatem participant per modum imaginis, 161C'. — Per corporeas imagines angeli Prophetis abdita revelare solebant, 567B, ut profanis et indignis celarentur, 567C, et simul hominum imbecillitati accommodarentur, 567D, qui, vel in affirmativa theologia, quamdam rerum imaginem sibi formare in mente debent, ad plenius capienda spiritualia, 567C'; sed figuratæ Dei imagines spiritualiter intelligendæ sunt, 295C'. — *Cf.* Signa, Similitudo.

IMMISERICORDIA magnum scelus est, 552A, quod acriter punitur, 546D'. — Immisericordiæ arguuntur Demophilus, 533A, 537B, 545D, 547C, et Carpus, 551A', D'. — *Cf.* Misericordia.

IMMOBILITAS. Propria bonitate immobiliter operatur Deus, 562C', qui sine motu procedit ad actum, 150D', et immobilis, dat cuncta moveri, 137B'. — Immobilia in Scripturis sæpe æterna vocantur, 308D. — *Cf.* Motus.

IMPERFECTIO. Nihil in creaturis est penitus imperfectum, 175A', quia defectus aliunde compensari solent, 175A'. — Imperfectis absurdum videtur quod divina sub vilibus signis designentur, 562B, et inde plurimi divinorum mysteriorum verbis difficile credunt, 562C, sed perfecti sensibilia signa removent, ut divina pure et nude conspiciant, 562A'. — *Cf.* Perfectio.

IMPII ad veram et formatam divinorum notitiam attingere nequeunt, 11B', et ut ignorantes, magis docendi sunt quam puniendi, 548A. — Fideles despicere solent, 263D, tanquam stultos, 263B, sed ipsi errant excæcati, 263A'. — Malum intentum non semper facere possunt, sed ob pravam intentio-

nem damnabuntur, 548D, et infernum acquirent, 548D'. — Impius vitam appetens quæ sibi bona videtur, aliquo modo particeps est boni, 163C. — Quæ mala Deus ab impiis exigit, aut laxari dicatur, 107D', ac injustus sit, eorum vexationibus tradens justos, 286A. — Cf. Peccator.

INÆQUALITAS creaturarum justitiæ Dei non officit, 279A', quia in donis liberalibus non attenditur ad justitiam, 279C, et ipsa inæqualitas a divina justitia temperatur, 281B', imo, sublata rerum inæqualitate, 282D', simul corruerent rerum differentiæ et ordo, 283A, continuoque rerum justitia, 283A. Cf. Æqualitas.

INCARNATIO, licet in solo Filio terminetur, tamen a tota Trinitate fuit, 64A. — Per hanc Deus simplex factus est compositus, 21C, æternus temporalis, 21D, supersubstantialis substantia, 349A; Creator creatura, 21A', quia tamen nostra assumendo, sua amiserit, 21B', quia humanitatem assumpsit absque divinitatis mutatione et confusione, 71C. Quatenus dici possit divinitatem esse incarnatam, 71A', vel Deum creatum esse hominem, 71A'. — Verbi incarnatio nec mente intelligi potest nec sermone exprimi, 507C', 508A, quia vel summo angelo incomprehensibilis est Christi unio hypostatica, 67B, et mirabilis conceptio, 67C. — In incarnatione dicitur Verbum subito ad nos venisse, 507A, quia ex occulto divinitatis suæ prodiit, 507D, ad nos descendens, quia humanam naturam assumpsit, 507A', cum suis naturalibus proprietatibus, 21A, et indetrahibilibus defectibus, 62C, et generatim cum universis quæ in ea plantavit, 501C', et sic supra se ipsum est quod naturam assumptam, 510D. — In ipso incarnationis instanti corpus et animam omnia simul assumpsit, 54A, eodemque instanti creata est anima ac formata caro, 54C', ambæque simul conjunctæ sunt et Verbo unitæ, 54C'. Ex integro Virginis utero exivit, sicut postea de clauso sepulcro, 510B'. Post incarnationem Verbum adhuc occultum manet, 507D, B', sed multo minus quam antea, 507A', et perfectam sui manifestationem promisit nobis in præmium, 507B'. — Ex mera bonitate Deus humanam naturam assumere voluit, 20D', ut in fine sæculorum ad se reduceret humanum genus, 21B, et exinde in pace firmati sumus nobiscum, cum proximis et angelis, 321B, Deo et Patri reconciliati, 321B', et ineffabilem æternitatis pacem exspectantes, 321D. — Cf. Christus, Verbum.

INDIVISIBILITAS. Divina essentia dividi nequit, 74B, nam intelligentia est substantia quæ non dividitur, 120D', et omnis substantia stans per essentiam suam est simplex et non dividitur, 121A. Similiter operationes S. Trinitatis ad extra sunt indivisæ, 51C', D', 59D, et ab una potentia procedunt, 59A'. — Indivisibile nec movetur, 60C, nec tangit nec tangitur, 60B'. — Cf. Divisio.

INFERIORA in entibus divinam bonitatem participant per modum vestigii, 164D'. — In universo mundo, cujuslibet ordinis ima cum inferioris ordinis summis connectuntur, 260C'. — Inferiora a superioribus diliguntur ut effectus, 142A, vicissimque ea diligunt ut causas, 142A, et ad ea amore convertuntur, 148C', 152B'. Generatim a superioribus diriguntur, 544D, ideo superiorum est inferiora gubernare, 544D. — Inferiora norunt angeli, 257A', non per sensus corporales, 257B', sed per simplicem mentis intuitum, 257C'. — Inferior pars animæ, cur dicatur divisibilis, 567D, et passibilis, 567B'. — Cf. Subditi, Superiora.

INFERNUS quam timendus sit, 549A, et quanto studio vitandus, 548D'. Cf. Dæmones, Damnati.

INFIDELITAS. Discrete et caritative redarguendi sunt infideles, 516C', et contra eos dimicare aut invehi parum prodest, 516A, 519D, quia ex eorum erroris confutatione non sequitur fidei christianæ demonstratio, 516B. Cf. Fides.

INFINITUM. Nihil in creaturis infinitum est multitudine aut magnitudine, 338A', quia infinitum esse nequit ex parte materiæ, 320B', neque in magnitudine neque in multitudine, 274D. — Ex philosophorum dictis: Si multitudo nullo modo participaret uno, quodlibet multorum ex quibus est multitudo esset multitudo, et hoc in infinitum, 340A', et unumquodque horum infinitorum esset iterum multitudo infinita, 340B'; uno enim nequaquam participans, neque secundum se ipsum totum neque secundum unumquodque eorum quæ sunt in ipso, sed omniquaque infinitum erit et secundum omne, 340B'.

INFIRMITAS, si perfecta esset, naturam de-

strueret, 170 A'; sed semper modicum quid vigoris servat, 170 A', et ob hoc modicum, non est malum purum, 175 C', sed bonum diminutum, 170 B', seu debilitatio naturalium virium, 174 C'. — Infirmi sunt « circa scientiam » qui peccant scienter, 184 C, et legem quam noverunt non implent, 184 C'; infirmi sunt « circa fidem » qui ad tempus tantum credunt, 185 A, aut juxta fidem non vivunt, 185 B; infirmi sunt « circa sapientiam » qui ad Dei obsequium corde firmo et integro converti nolunt, 185 B. — Malum fieri aut facere, infirmitatis est, non virtutis, 184 A; quum ergo sit mera infirmitas, cur malum puniatur, 185 D, et vituperetur, 185 A'. — Quælibet creatura, respectu Dei, quasi infirmitas est, 273 C.

INFLUXUS. Duplex est influxus Dei in creaturas : alius quo eas producit, 61 A', et tunc agit ad libitum, 61 A', alius quo eas gubernat, 61 B' et tunc rebus influit juxta capacitatem, animis juxta præparationem, 61 B', saltem communiter, 61 B'. — In creata influit divina bonitas a primis usque ad novissima, 161 B, plus minusve prout quodque capax est, 161 C : in angelos per modum signaculi, 161 C', in homines per modum imaginis, 161 C', in inferiora per modum vestigii, 161 D'. — *Cf.* Sigillum.

INIMICUS. Contra fidei inimicos parum prodest dimicare, quamvis sæpe oporteat, 519 D. — Errantia inimicorum jumenta lex Moysis jubebat reduci, 534 D'.

INJURIA. In Scripturis laudantur qui injuriantibus bona rependunt, 535 A'.

INTELLECTUS est vis suprema et caput animæ, 295 A', inorganica vis et immortalis potentia, 66 D, a corpore libera, 252 A, conversiva ac reditiva ad se, 66 D, et ad proprios actus, 252 B quasi tactus spiritualis, 259 C, rationali animæ inditus, 251 D', quo immaterialia apprehendit Deumque noscit, 252 A. Quo a ratione differat, 10 A. — Quoddam est signaculum et imago luminis æterni, 453 A', habens sibi impressum et insignitum lumen vultus divini, 453 A', ideoque a Deo est omnis intellectus, 219 C, etiam dæmonum, 254 C', saltem in quantum non est inordinatus, 254 D'; attamen Deus ipse dici nequit intellectus 466 A', non quod intellectuali potentia careat, 255 C, sed propter excellentiam, 255 A'. — Semper rectus est, nam ejus objectum est verum, 139 B, et annexum habet habitum synderesis malo jugiter remurmurantis, 453 A'; per suum apicem ad spectanda cœlestia erigitur, 252 B, 453 A, substantias separatas cognoscit per impressionem earum in ipsum, secundum Avicennam, 487 B'; sed immaterialia, simpla, spiritualia comprehendere nequit, 12 A et ad manifestissima naturæ est quasi noctua ad lumen solis, 9 D', 448 D, 457 D. Quatenus phantasmatibus indigeat ad cognoscendum 489 A. — Sublimibus studiis erigitur 10 A, vilibus deprimitur, 10 A', divinorum contemplatione colligitur, simplificatur, stabilitur, 10 A', sed visione Dei quasi reverberatur, 488 B. — Contemplativis necessarium est donum intellectus, 252 A', quia multum juvat ad cognoscendum Deum, 488 B; sed in altissima contemplatione superfluæ sunt intellectivæ vires ut tales, 144 D', quas transcendere oportet, 145 A, cum suis operationibus, 448 D', ut simplicissimo Deo intenta esse queat anima, 449 A'. — *Cf.* Ratio.

INTELLIGENTIA. In Deo idem sunt esse, vivere, intelligere, velle, diligere, 244 D', et actus intelligendi ab essentia non differt, 255 C; innumera simul intelligere valet, 143 C; veruntamen nihil ex intelligibilibus et incorporeis de eo vere et proprie enuntiari potest, 466 A, qui non est anima, nec intellectus, 466 A', nec intelligentia, nec ratio, 467 A, non quod intelligendi potentia careat, 259 C, sed quia intellectivam actionem non habet a se ipso realiter distinctam, 467 A, B. — Intelligentias ab æterno fuisse, 294 A, vel primam intelligentiam dumtaxat a Deo creatam fuisse et per eam cetera, contenderunt nonnulli falso, 143 A, et stulte, 143 B; a divina enim sapientia procedit omnis intelligentia, 253 C, etiam humana anima, quæ facta est « in umbra intelligentiæ », 123 B'. — In contemplatione theologiæ tam affirmativæ quam negativæ Deus vere et objective intelligitur, 484 B, utraque enim est vera cognitio et realis intellectio Dei, 484 B, verumtamen quæ de Deo in hac vita intelligimus, non de ipso sed de divinis effectibus intelligimus, 485 A. — *Cf.* Cognitio, Comprehensio.

Ex philosophorum dictis : Intelligentia est substantia quæ non dividitur, 120 D', est tamen habens hyleathin, 155 D — Omnis intelligentia divina scit res per hoc quod est intelligentia, et regit eas per hoc quod

est divinus, 276 C. Quæ omnem intelligentiam scientiam habent propter intelligentiam primam, 124 D'. — Per conglutinationem fit intelligentia, per intelligentiam loquela, 25 C'. Contingit plura scire, sed unum intelligere, 113 D'. — Deus dicitur nec intelligibile est, nec opinabile, nec meditabile, 28 A; neque opinio est ipsius, nec notitia, nec mens, neque intelligentia, 29 A.

INTENTIO operi dat speciem, 178 B; unde ex defectu rectæ intentionis fit mala operatio, 178 B. — Boni et mali non semper bonum vel malum intentum exsequi possunt, 548 D, sed propter intentionem justificabuntur vel damnabuntur, 548 D, B'.

INTUITIO. An et qualiter Deum in præsenti « intuitive » cognoscere valeamus, 490 B'. Cf. Beati, Cognitio, Visio.

INVENTIO. Miserrimi ingenii est semper uti inventis, nunquam inveniendis, 96 B'. — Opificem universi tam difficile est invenire quam inventum impossibile est efferi, 1.

INVIDIA. Ab optimo longe est invidia, 135 C; propterea cuncta sibi similia fieri curavit, 586 C.

INVISIBILITAS. Deus invisibilis dicitur, 251 B, 313 A, « invisibilis caligo », 255 C', seu « omne invisibile », 56 A', quoniam a nullo viatore videri potest, 251 B, 452 B, quamvis ex se sit summe visibilis, 251 C, 448 C. — Invisibilia, sensibus superiora, difficile cognoscuntur, 12 A; a visibilibus repræsentantur tanquam causa ab effectu, 584 C'. — Per sensibilia designari solent, 567 A, tum quia ex corporeis ad spiritualia manuducimur, 562 D, tum ut profanis abscondantur, 566 A, tum denique ad exercendum et perficiendum studiosum, 566 A'. — *Cf.* Visio.

IRA, dum quæ sibi bona videntur appetit, bonum participat, 163 B, et quidpiam præ se fert apparentis justitiæ, 163 C. — Non nisi metaphorice Deo tribuitur, 525 A. — Canem iracundum esse decet, 174 C, quum ad custodiendam domum creatus sit, 174 D, contra extraneos, 174 D'; animantibus enim datus est appetitus irascibilis ad repellendum contraria, 220 B. — Iracundi etiam pacem desiderant suo modo, 220 C, sed passionibus perturbati, 220 D, cum in cupiditatum satisfactione quærunt, 221 A. — *Cf.* Furor.

IRRATIONALIS. Sic dicitur Deus, 255 B', non quod ratione careat, 250 C, 261 C, sed quia discursivam intelligentiam non habet, 467 B, et infinite altior est omni ratione, 124 B', 253 A. *Cf.* Ratio.

IRRISIO. Doctrinam irridentibus exponere non expedit, 34 C, ne inde gravius delinquant et damnentur, 34 D.

J

JACOB patriarcha mansuetudine commendatur, 535 A. — Quodammodo increpatus est eo quod nomen Dei quæsierat, 29 D.

JACOBUS (S.) Major, frater Joannis immisericordiæ quondam argutus est, 547 A', D'.

JACOBUS (S.) Minor, cur frater Domini vocatus sit, 94 D. — Illum invisit S. Ignatius, 96 B.

JOANNES (S.) evangelista immisericordiæ quondam argutus, 547 A', D'; tam spiritualis factus est ut quasi totus in spiritum conversus videretur, 584 B. — Præ ceteris discipulis a Christo dilectus est, 584 C, et, post Paulum, ab Areopagita, 584 B. — In Patmum insulam relegatus, 586 C', ibi scripsit Apocalypsim, 586 A', innumerabilia patravit miracula, et plurimos ad fidem convertit, 584 A. — Ad illum directa est quædam Dionysii epistola, 584 A, qua illum consolatur, 584 C, eique proximam libertatem pollicetur, 586 A', B'.

JOSEPH patriarcha mansuetudine commendatur, 535 A.

JOSUE. An vere, eo jubente, sol et luna steterint, 521 A', et cum eis cetera cœlestia, 521 D', 522 A. — Qua de causa tunc productus sit dies, 521 A', et quamdiu, 522 C. — *Cf.* Cœlestia, Sol.

JUDÆI nonnulli « perditissimi insipientissimique » Deum corporeum putant, 259 B'. *Cf.* Hebræi.

JUDEX quasi lex viva et animata justitiæ esse debet, 332 A.

JUDICIA Dei inscrutabilia sunt, 503 D'; quæ velle metiri præsumptuosum et stultum est, 250 B', et potius formidare oportet, 549 A. *Cf.* Justitia.

JUGA thearchica, id est lex divina, vel angelorum choros gubernant, 16 D'.

JUSTITIA quid sit, 53 B. Animam rectificat et ad contemplationem disponit, 11 B'. — Actus justitiæ exercere non licet absque legitima auctoritate, 542 A; justa enim juste facienda sunt, 544 A. Porro justa facere, est unicuique juxta merita retribuere, 544 B; justa juste facere est id operari, servato

temporis atque conditionis ordine, 544 B. — Per actus justitiæ suæ Deus potissimum cognoscitur, 259 B.

Deus « justitia » vocatur, 278 C, vel justus et rectus, 278 C', quia universis tribuit juxta cujusque dignitatem, merita, 278 C, et finem, 278 D, et juxta sui ipsius promissa, 278 C'. — Justitia Dei omnibus dat velle et posse, 278 D'; cuncta ordinat et terminat, 278 D', omnibus quidem generalia tribuens, ut motum, inspirationem et vitam, 279 A, singulis vero propria speciei, 279 A'. — Salus est omnium, 281 B, unicuique rei propriam servans speciem, 283 A', et actionem, 281 B, adversa removens, 281 C, ne in deterius res mutentur, 281 D, vel corrumpantur, 281 B', quaslibet a defectu et casu liberans, 281 D', et connaturalibus implens bonitatibus, pro capacitate, 282 A. — Quandoque pro congrua bonitate sumitur qua omnium misereri Deum justum est, 278 C', et ideo dicitur « redemptio », 282 A, quia non sinit entia conturbari, 283 A, et labi in non esse, 282 A; sed si quis devolutus sit ad culpam et inordinationem, 282 B, ejus infirmitatis miseretur, 282 C, eumque reducit a malo, 282 D. — Omnis creatæ justitiæ fons est, 242 C', regula et mensura, 282 B', martyribus tribuens idoneam fortitudinem, 280 C', et congruum præmium, 280 D', timoratos in bono confirmans, 282 D, bonos perficiens, 282 A', omnium luens maculas, 282 A'. — Non injustitiæ arguendus est Deus, eo quod justos ab impiis vexari sinat, 280 A, hoc enim illis prodest, 280 D; nec quod inæquales fecerit creaturas, 279 C', quoniam in donis liberalibus non attenditur ad justitiam, 279 C'. — Justitiam divinam blasphemantes corripiuntur, 279 B. — *Cf.* Justitia.

Justi quod justi sunt habent a Deo, 307 D, qui est justorum fortitudo et munimen, 18 A'. — Carnalibus stulti videntur, 253 B; sed inter homines angelico more conversantes, 585 C', passionum immoderantias non patiuntur, 585 D'; per caritatem et gratiam Deo peculiariter adsunt, 88 C', cujus sunt quasi consiliarii et secretarii, 585 D; jam beati sunt in spe, futuræ felicitatis suavitatem prægustantes, 585 B'. — Non semper bona intenta facere possunt, 548 D, sed rectæ intentionis præmium accipient, 548 A', in cælo, 548 B'. — Illis expedit in præsenti tribulari, 280 D, quia sic in virtutibus exercentur et perficiuntur, 280 A'. — Justi non vocandi sunt qui carnalia et terrena quærunt, 280 A, cœlestia et divina non curantes, 280 C; justi enim semper in timore vivunt, 282 B'. — *Cf.* Sanctitas.

JUVENTUS. Deus et juvenis et senex recte dicitur, 307 D', juvenis tanquam non senescens, senex tanquam exsistens ab initio, 308 A, utroque vocabulo ejus æternitatem significante, 308 B. — Ad contemplationem requiritur gravis ætas et diuturna exercitatio, 93 D'; ad juvenes ergo potius pertinet perfectionis viam addiscere, 94 B, ad senes vitam ducere contemplativam, 94 A'. — A juniore senem increpari non decet, 544 B'. — *Cf.* Senectus.

L

LAC. Rite lacti comparatur Scriptura, 572 A, quia vim habet animam nutriendi, 572 B.

LAMPAS. Sicut in eadem domo multarum lampadum lumen confunditur, 57 A, ita ut aliud ab alio discerni nequeat, 57 B, et tamen unaquæque suum proprium habet, 57 D; ita in Trinitate, cujuslibet Personæ lux cum aliis una est, 57 B', et manet propria, 57 C'.

LATITUDO Dei, quid, 295 D', 296 B.

LAUS. Sicut ex effectibus laudatur causa, 59 C', ita ex operibus bonitas summa, 32 B', et ex creaturis perite consideratis sapientia Dei, 32 C'. — Sed nunquam congruenter potest Deus laudari, 96 D', 244 B', ne ab angelis quidem, 344 A; ideo Deum laudare superessentialiter, est fateri quod ipse est super omnia, 457 B, et quanto quis hoc clarius cernit, tanto perfectius Deum honorat, 457 C. — In laudum concertatione qua Apostoli et discipuli Christi bonitatem extollere conati sunt, 96 C, ceteros vicit Hierotheus, 96 D, idoneusque laudator Altissimi reputatus est, 96 D'. — In Scripturis præcipue laudantur qui injuriantibus bona rependunt, 535 B.

LEGENDA aurea (J. a Voragine) quid de obitu B. Virginis narret, 95 D'. (Legenda, c. 114.)

LEO (S.) Papa allegatur, 59 C, 98 B, 100 A', 128 C'. (Migne *Patrol. lat.* tom. 54, col. 230, 412 et 435.)

LEO animal. Eum decet esse ferocem et audacem, 174 C. — Sub diverso respectu Christum et diabolum significare potest, 566 D'.

LOCUS est consequens formam, 56 C'. — Deus nec in loco est, 89 C, nec de loco ad locum

moveat, 80 D, nec alicubi jaceat, 338 B'. Idem illocalis dicitur, 33 C. Verumtamen ibi specialius habitare perhibetur ubi communius operatur vel clarius se ostendit, 80 B', velut in angelis, 452 D, vel in animis electorum, 30 C.

LOCUTIO. Narratio non fit nisi per loquelam, loquela per intelligentiam, 25 C', intelligentia per cogitationem, cogitatio per meditationem, 25 C', meditatio per sensum 25 D'. — De Deo multa proferri possunt, 451 A, sed pauca vere proprie et congruenter, 451 B, quia nec verbis plene nominatur, nec intellectu plene comprehenditur, 451 B. — *Cf.* Verbum.

LONGITUDO Dei quid sit, 295 D', 296 B.

LUNA cur vocetur luminare magnum, 125 B'. — Motu suo mensura est mensium et dierum, 125 C'. An et quatenus causa sit actionum humanarum, 127 D, generationis et corruptionis, 128 A. — Non putandum est, ethnicorum instar, solem et lunam rectores esse orbis terrarum, 130 C'. — Num ea stante tempore Josue, 521 A', coelestia simul steterint, 521 D, vel potius moveri perrexerint, 522 A. — In morte Christi, contra morem, ab oriente venit suppositum se soli, 524 D, 504 D, tempore oppositionis, quo solem eclipsare nequit, 524 D, 504 D, A', et repente ad orientem reversa est, 524 B, A'. — *Cf.* Eclipsis.

LUX substantia est et corpus subtile juxta quosdam, 58 C', accidens et qualitas, juxta alios, 58 D'; in sole non est forma substantialis, sed qualitas naturalis, 119 B'. Principium est visionis, motus et caloris, 130 A', ideoque ab omnibus naturaliter appetitur, 130 B'. Nonnunquam pro lucis subjecto sumitur, 67 A. — Lux in spiritualibus vere et proprie dicitur, 131 C, et sic gratia est quaedam lux, 89 D', a Deo profluens, 90 A, quam ad nos orando attrahimus, 90 C.

Optime per lucem designatur divina bonitas, 125 A, et lumine manifestatur sicut effectu causa exemplaris, 126 B, quia sicut lux, divina bonitas a summis creaturis usque ad infima diffunditur, 126 C, omnes illuminans, vivificans et perficiens, 126 C', quin a summis attingatur, ab imis fugiatur, 126 D. — Deus vere et proprie lux est, 131 D, lumen primum, 132 C', et plus quam lux, 133 A, omnis lucis secundum fontale principium, 132 C', totius prophetalis luminis origo, omniaque interni fulgoris, 17 C. Beatos replens gloria, 131 D, viatores scientia, 131 D et gratia, 131 C', omnes intelligentias illuminans in coelo et in terra, 132 D', omnes ad se reducens, 132 D, in se conservans, 132 D, et sub jugum veritatis redigens, 133 A'. — Lux divina recte vocatur « tenebrae », 502 A', et « ignorantia », 503 A, quia omne creatum superat, 133 A, omni intellectui et notitiae supereminet, 503 B, et eos latet qui illam per gratiam habent, 502 C'. Ideo ad illam percipiendam, transcendere oportet omnia lumina, 451 A', et quanto quis magis illuminatus est tanto clarius conspicit eam esse incomprehensibilem, 457 C. — Sicut in una domo multarum lampadum lumen confunditur, 56 D', ita ut aliud ab alio discerni nequeat, 57 B, quamvis unaquaeque suum habeat proprium, 57 D, ita in Trinitate, cujuslibet Personae lux cum aliis una est, 57 B', et tamen remanet propria, 57 C'. — Lux mundi Christus est, 16 A, 17 B', luminaria Ecclesiae Prophetae et Apostoli, 17 B', 21 C'. — *Cf.* Illuminatio, Sol.

M

MAGISTER Sententiarum, vel simpliciter Magister (id est Petrus Lombardus), allegatur, 55 A, 65 C, 73 C, 297 D, 484 B. (Migne *Patrol. lat.* tom. 192.)

MAGNITUDO, in mole et spatio consistens, 258 D', nequit esse penitus immensa, 274 D, ideo nihil in creaturis infinitum est magnitudine, 338 A'. — Nec magnitudo nec parvitas proprie Deo conveniunt, 291 B', 467 C; verumtamen dicitur magnus, quia bonitate praeclarus est, 292 C, omnique perfectione plenus 292 D' quia item universa ambiens, implens et continens, 292 D, multa et mira in mundo operatur, 293 A, et superabundanter cunctis elargitur dona, 293 A, quin ipse minuatur, 293 B. — Divina magnitudo una est et multiplex, nec perfectibilis nec numerabilis, 293 C, dignitate et genere omnem creatam transcendit essentiam, 12 C; hujus respectu omnia velut nihil sunt, 27 A'. — Omnium natura constantium certa est mensura et ratio magnitudinis, certaque periodus, 175 A. — *Cf.* Parvitas.

MALACHIAS propheta. Quidam ejus locus explicatur, 507 A.

MALUM est privatio boni, 157 A, vel corruptio

boni 159A'. — Malum ut sic non est aliquid positive exsistens, 160C, neque est aliquid in exsistentibus, 164D, nec in angelis, 167D, nec in dæmonibus, 169C, nec in hominibus, 173B, 179D, nec in brutis, 174B, nec in natura, 175B, nec in corporibus, 175C', nec in materia, 176B; non est entitas aliqua, 181A', aliqua res vivens et intellectualis, 181B', sed privatio, defectus, 181A', imperfectio, infirmitas, 164C' 181B', deordinatio, caligo, 181C', et nihil, 181D'. — A non ente magis distat quam a bono, 158A, nec est magis aliquid quam non ens, 158A'. An et quatenus a bono differat, 158B, 160D; an et quatenus bono opponatur, 159C. — Non est malum essentialiter, 167C, quod sit æternum, 178B', et causa omnium malorum, 178B'; neque est deus qui sit essentialiter malus, 166B'; sed neque malum est ex Deo, 166C', nec in Deo, 167C; non est ex bono ut tali, 165D, A', alioquin esset bonum, 176C'; non est in bono, 165B, nec bonificatur per bonum ei immixtum, 165C. — Bonum est ex integra causa, malum ex quocumque defectu 178B; bonum ergo unam causam habet, malum causas multas, 179B', sed magis defectivas quam effectivas, 54A, 179D'. — Ex Deo directe est malum pœnæ, 156C, permissive malum culpæ, 156B, non positive et effective, 156B, non formaliter et efficienter, alioquin non esset malum, 156A'. In dæmonibus, non ex natura venit, 169C, 171B, 184B sed ex voluntate, 170D', 184B, et est mera carentia rectitudinis et perfectionis, 174A'; in hominibus non ex natura venit, 173B, 181C, nec ex corpore, 176A, nec ex sensibus, 181C, nec ex « peregrinatione », 181B, sed ex proprio vitio et negligentia, 173B'. Unicuique enim malum est quod est contra propriam naturam, 182A', quod a propria bonitate dejicit, 176A', et actus convenientes impedit, 175B'; ita ut dæmonis malum sit a divina dilectione defecisse, 182A', animæ vero contra rationem agere, 182B' corporis tandem non esse animæ obediens, 182B'. Ideo malum fieri aut facere, non est virtutis sed infirmitatis, 184A. — *Cf* Angeli, Anima.

Malo proprium est corrumpere et perdere, 156D'; sibi ipsi nocivum est, 157A, et in proprium redundat auctorem, 157B Ideo nullum et nullibi est malum purum, 157C, perfectum, 164B, et æternum, 178B', alioquin se ipsum corrumperet et destrueret, 157B, 169D; nulla res est mala naturaliter, 159B', substantialiter, 184A, totaliter, 160D', nullum ens adeo malum quin boni quid participet, 157C; sed pleraque imperfecta sunt, 161A, 338B, 482C, aliqua parte bona, aliqua parte mala, 160D', 164C, et manent qua bona sunt, 164C, sustentantur qua mala, 164A'. — Malum in se ipso nihil est, ac proinde nihil generat, 159A', 160C, aut producit, 157A, 159D, 177C sed vitiat tantum, 159D'; directe ad bonum cooperari nequit, quum sit nihil, 182A, et careat substantia, potestate et actione, 182B; unde non mali virtute fit ex corruptione generatio, 163A'. Sed in subjecto est aliquid et aliquid facere potest, 160D; malum particulare, quod non corrumpit naturam, 174B', nec opponitur omni bono, sed bono alicui particulari, 164C, bonum esse potest quoad naturam universalem, 169D'; quandoque est occasio boni, 161A, et sic cooperatur ad perfectionem universi, 159B'. — Malum ut tale nemo est qui appetat, 155D', 157A', quia odibile est et fugibile, 157A', inquietum et turbulentum, 179D'; nemo qui propter illud operetur, 180B. Non propter se quæritur, 180B', nec unquam fit nisi intuitu et sub specie boni, 180C, quum scilicet illud agimus quod erronee bonum judicamus, 180C'; mala ipsa pœnalia non propter se appetuntur, sed propter aliud tolerantur, 157A'. A Deo utique non permitteretur, 155C', nisi bona inde orirentur, 183A. — Quum malum sit mera infirmitas, cur puniatur, 185D, et vituperetur, 185A'. — *Cf.* Bonum, Peccatum.

MANIA, species furoris, qualenus Deo adscribatur, 461A.

MANICHÆUS (Manes), « sceleratissimus » hæresiarcha, a Marcione duorum principiorum doctrinam mutuatus est, 165A. Ab Areopagita confutatur, 164D, 166A, 176C', 178B'. — Manichæi corporalia et obscura a principio tenebrarum facta dicebant, 181B', et in homine duas ponebant naturas contrarias, 165D. Eorum error confunditur, 21A'.

MANSUETUDO mentem tranquillam efficit et ad illuminationem divinam disponit, 533A. — Ob mansuetudinem Moyses apparitione divina dignus effectus est, 533A primatum in populum obtinuit, 533B', famulus Dei factus est, 533C', ac familiarius quam ceteri

Prophetis cum Deo conversatus est, 544A; ob mansuetudinem, David amicus Dei factus est, 324B', et secundum cor ejus est inventus, 324B'; ob mansuetudinem laudantur Jacob, Joseph et Abel, 330A, et generatim omnes qui inimicorum injurias lacessiti, ipsos beneficiis rependunt, 535A'. — Falso commendatur, 533B, 535C, 536A. — Cultui christiano ejicienti sunt mansueti, 546A. — Cf. Bonitas, Misericordia.

MANUS ad coelum levare, ad coelestia levarem sonabat, 90B.

MARCION haeresiarcha, primus duorum principiorum errorem praedicavit, 105A. Cf. Empedocles, Manichaeus.

MARE sub pedibus Christi quasi solidum factum est, 540B'; supernali virtute, 541A, B. — Non post judicium erit, 276C.

MARIA (S.) Aegyptiaca super aquas ambulasse perhibetur, 67C'. (Acta SS. die 2ª Aprilis.)

MARIA, soror Moysis, propter temeritatem a Deo plagata, quid nos doceat, 541B'.

MARIA Virgo « gloriosissima », 95A', « praeclarissima », 96A, « praestantissima », 95A', D', « beatissima », 95D, « supermundissima », 490B', « sacrosanctissima », 96A, 540A, « summa », 96C, « incomparabilis », 95D, 544A, « electissima », 67D, « admirandissima et unica puella », 95C', rite « princeps vitae » vocatur, 95A'. — Ejus anima angelis est altior, licet ejusdem speciei ac naturae, 108D. — Mirabiliter et incomprehensibiliter Christum concepit, 67D, a S. Spiritu accepta foecunditate, virginitate servata, 510C'. — Multi ad eam invisendam in Judaeam pergebant, 95B', inter quos Areopagita, 95D', qui, ea visa innumerabili angelorum exercitu stipata, 96A, corruit in terram velut divinitatem admiratus, 95D', et Ignatius qui ad eam scripsit, videre cupiens et alloqui, 96A. — Ei obdormienti adstitisse feruntur Apostoli omnes, 95B, D, et multi discipuli, 94D, 95D.

MARTYRES suae mortis testimonio christianam fidem commendant, 264A, tanquam unicam salutis scientiam, 264B. — Corporales dolores experiebantur, 585D', sed tanto minus quanto major fuit in illis interna consolatio, 586A, nam a divina justitia idoneam accipiebant fortitudinem, 280C', et praemium, 280D.

MATERIA est pure passiva potentia, 120C', simplex potentialitas, expers totius actualitatis, 234B, prope nihil, 229C. — Ex se mala non est, quum sit a bono, 176B', et est a Deo, 73A', et in Deo sit virtualiter et idealiter, 154C, 157C. — Non est ex se subjectum actionis et passionis naturalis, 176C, sed subjectum formae substantialis, 120C', cujus decorem et perfectionem participat, 176B. — Ad complementum universi requiritur, 177A, nam necessaria est his qui ex se subsistere nequeunt, 177A', et ad generationem et nutritionem rerum concurrit, 177C, tanquam rationes seminales habens quae formarum inchoationes vocantur, 224C. Materia privationi annexa, causa est corruptionis, 20D, D', 160B, 275B. — In angelis non videtur esse ulla materia, 120C, C', daemones, licet immateriales, 155C, habent tamen aliquid per modum materiae, scilicet quod est, 155D, et ideo ad materiam inclinati dicuntur, 154B', similiter in anima est aliquid vice materiae, id est hyleathin, 155D. — Materia prima est pura potentia et infimum entium, 124A', nec quid, nec quale, nec quantum, 124C', sed non ens, seu non ὄν, 124A'. Ipsa tamen naturaliter appetit formam et bonum, 154C, quodammodo ad Deum tendit, 124A', et summum bonum participare conatur, 124C'; ipsa bonum et pulchrum participat, 136A', 176B; imo, juxta Platonicos, est bonum, licet non ens, 124B'. Ingenita et incorruptibilis perhibetur, 170B. — Materialia in Scripturis spiritualium sunt figura, 22C. — Ex philosophorum dictis: Materia ex uno subsistens, entis secundum se est expers speciei, 124C'. Materia appetit formam, sicut turpe pulchrum et femina virum, 124A'. — Cf. Corpus, Forma, Spiritus.

MAURUS (S.), S. Benedicti discipulus, super aquas ambulasse legitur, 67C'. (Acta SS. die 15ª Januarii.)

MAYRONIS (Franciscus de), Ord. Min. theologus asserens Deum in praedicamento esse, improbatur, 487B.

MEDITATIO fit per sensum, per meditationem cogitatio, 25C'. — Esse divinum nec meditabile est, nec opinabile, nec intelligibile, 26A. — Cf. Contemplatio.

MEL immodice sumptum vomitum facit, 572C. — Melli apte comparatur Scriptura, 571D', quia spiritualiter purgat et conservat animam, 572B.

MENS seu vertex intellectus, « super tempus

et omne continuum elevatur », 252 A, « et ad optima illa convertitur in quibus sua consistit salus », 252 B. — Divini esse neque est opinio, nec scientia, nec mens, neque intelligentia, 26 A. — *Cf.* Intellectus.

MENSURA. Deus mensura est omnium entium, 70 C', 126 D', omnis justitiæ creatæ, 282 B', omnium sæculorum, 70 D', 221 B. — In omni genere primum mensura est secundorum, 70 C', 126 D', quia tanto perfectius est aliquid quanto primo bono similius, 161 B. — Omnis deus mensura est entium, multitudinem enim entium determinat et mensurat, 127 A.

MERITA nostra sunt dona Dei, 307 D, etenim in omni meritoria actione cooperatur S. Spiritus, 504 B'. *Cf.* Actus.

MIRACULA sunt præcipuum fidei fundamentum, 9 A'; ideo multa inveniuntur in V. T., 521 C', 522 C, 523 B', 589 D', in Christi vita, 510 B', C', et morte, 524 A, 590 D'. — Innumerabilia prodigia operatus est S. Joannes in insula Patmo, quibus multos convertit, 584 A. — *Cf.* Eclipsis, Sol.

MISERICORDIA. Quanta Christi misericordia, 551 B', et quantopere misericordiam diligat, 546 C'. — Enixe commendatur, 533 B, exemplo angelorum, qui de peccatis nostris dolent, de profectu gaudent, 535 C', exemplo ipsius Dei, qui omnia ex caritate fecit, 536 A, qui peccatores sustinet, 536 D, et satagit reducere, 536 A', revertentibus occurrit et obviat, 536 B', reversos amplectitur et osculatur, 536 C', culpas præteritas indulgens et pro eorum reditu festum agens, 536 D'. — Omnes homines imperfecti sunt et misericordia Dei indigent, 546 B. — *Cf.* Immisericordia, Mansuetudo.

MIXTA sole generantur, 127 C'. — In eis elementa ad quamdam contemperantiam reducuntur 283 A', nam eorum substantia quamdam requirit dispositionem et complexionem in corpore, 170 A, quibus deficientibus, forma substantialis evanescit, 170 B. — Quibus perfecte inest bonum, ea perfecta facit, 160 B'; cetera imperfecta et mixta remanent, 160 C'. — *Cf.* Elementa

MONACHI diaconis inferiores sunt, 538 C, 545 A', et ab eis recipiebant doctrinam, 539 A', et sacramenta, 540 A. — In ecclesia non in choro collocabantur, sicut clerici, 538 A', sed extra chorum, prope ejus januas, 539 C', non ad eas custodiendas 539 D', sed ut agnoscerent se esse ministris inferiores et tanquam medios inter laicos et clericos, 539 D'. — Summus erant perficiendorum chorus, 539 C', et ideo præcipue dicebantur famuli Dei, 545 D'. — Monacho non licet corripere sacerdotem, 544 C', nisi subditum, 544 A. — *Cf.* Religio.

MONAS ante quemcumque numerum est, 224 B, 339 D', et omnes numeros continet, 224 C; in ipsa unificantur numeri, 224 C. Omne enim unitum participat monade, 223 C, sicut quilibet numerus, et unus cunctis numeris sociatur, 339 B. *Cf.* Dyas, Unitas.

MORS est corruptio substantialis esse, 120 D. — Eam quantopere formidaverint Sancti, 282 C', cur cupiant damnati, 154 B'. — In mortis puncto gaudere non est omnium, 592 C'.

MOTUS ante creatum mundum non fuit, 151 D. — E natura nascitur, 221 B, ac consequitur formam, 56 C', et est in inferioribus signum vitæ, 244 C', et bonitatis, deficiente enim bono, deficiunt motus et vita, 163 D. Motu mobilia in esse servantur, 320 C, et in concordia, 320 D, ac suam consequuntur perfectionem, 320 C. — Omnis motus a Deo est tanquam ex causa efficiente, 137 B', 140 D, D', per ipsum tanquam per causam exemplarem, 140 D', ad ipsum tanquam ad causam finalem, 140 D'. — Motus proprie Deo non competit, 28 B, qui nec stat nec movetur localiter, 467 D, 571 A, de loco ad locum non transit, 89 D, et est supra motum, 137 C'. Dicitur tamen improprie moveri, venire, descendere, 89 D, quum scilicet in actum procedit, 137 C', 563 A', 571 A', quamvis immobilis in se persistat, 150 D'; et vocatur « movens et motus », 292 A', simplex per se motus, 151 A', motus amatorum, 151 D, non per sui translationem, alterationem vel mutationem, 299 A, non per motum quemlibet, 299 B, 307 C', sed tanquam omnis motus causa, 137 B', quia omnia producit ad esse, 299 B, sine motu, 151 C, omnibus providet et influit, 299 C omnia ad motus sibi convenientes excitat, 137 D', 320 B et ad proprium finem ducit 137 C' omnia movet, 135 D', sicut desideratum desiderantem, 136 A. In directum moveri dicitur quum entia immediate producit, 299 B, in obliquum quum entia per eorum generationem multiplicat, 299 A', circulariter, quum ipse extrema et media, causas et causata connectens 299 A',

omnia ad se convertit, 299B'. — Angelis non competit motus localis, 138B. In directum moveri dicuntur, quum ad inferiora tendunt, 138C, res contemplando in simplicibus mentibus eorum inditis, 138B'; in obliquum, quum ad Deum referunt, 138C, ex speculatione effectuum ad summam causæ unitatem revertentes, 138B'; circulariter, quum Deum in se intuentur, et alia in ipso, 138A, B'. — In directum movetur anima, quum ex creaturarum consideratione recte ad Creatorem ascendit, 140A', C'; in obliquum, quum illuminationes divinas suscipit, 139D', discursive et sub sensibilibus formis, 140A; circulariter, dum a consideratione rerum exteriorum ad se revertitur, 138B', 140A', et inde recollecta ad Deum exsurgit, 139C. — Motu primi mobilis et propriæ sphæræ moventur stellæ, 125A', sine strepitu, 125C, et motu suo inferioribus dant vitam et motum, 137A. — Res vivæ omnes motæ sunt per essentiam suam propter vitam primam, 121C. — *Cf.* Immobilitas.

MOYSES præcipue mansuetudine enituit, 533B, C; in seditione enim Core, litem humiliter commisit Dei judicio, 534B, et insurgente in eum populo, pro rebellibus oravit, 534C. Mansuetudine divinam visionem meruit, 533A, et primatum in populum, 533B'; famulus Dei præcipue vocatus est, 535C, et familiarius quam ceteri Prophetæ tum se conversatus est, 534A; si quando familiaritate divina orbatus est, 533D, prius a mansuetudine recesserat, 532A. — Deum per speciem vidisse creditur, 183A', 565B, sed non sicut Beati in cœlo, 183A. — Moyses ascendens in montem Sinai figura est contemplativorum, 451D; prius enim mundari debuit, 451D, et ab omnibus segregari, quam voces audiret et videret lumina, 451D'; ut contemplativi ab omnibus sensibilibus abstrahi, 452B', deinde ascendens prærupta montis, 452A, sicut anima caliginem ignorantiæ, 452C', tunc occurrit Domino, 452D, et vidit non ipsum Dominum, 452D, sed angelum loquentem, et locum Dei, 452C, quemadmodum in suprema caligine conjungitur anima Deo prorsus ignoto, 452D'.

MOYSES Rabbi (Maimonides) allegatur, 137A', et corrigitur, 180D, C', 521A'.

MULTITUDO ex generibus, speciebus et individuis constat, 258D'; infinita actu esse nequit, 274D. Ideo in creaturis nihil infinitum est multitudine, 338A'. — Non est multitudo quæ non uno participet, 339A', et quæ videntur multiplicata sub alio respectu unum sunt, 339B', fons enim omnium multitudinum est unitas et sine unitate non est multitudo, 339D', sed sine multitudine subsistit unitas, 339D', quæ est causa multitudinis, 340A. — Esse divinum quasi multiplicatur multorum creatione, 73A', et Deus quasi multiplicatur in effectibus, 73C, per suas emanationes ad extra, 72D', unde dicitur fons multitudinis, 141B, sic tamen ut a sua unitate non recedat, 75A'. Quomodo omnia continere dicatur per suam multitudinem, 231C, vel vocetur multitudo totius multitudinis, 231B', superplenus in multitudinibus, 701D'. — *Cf.* Unitas.

Ex philosophorum dictis: Omnis multitudo secunda est ab uno, 141B, 165D', et ad primam unam reducitur unitatem, 165D'. — Omnis multitudo participat aliqualiter uno, 19B', 320B', 339C, si enim nullatenus participaret uno neque totum esset unum, 19B', neque unumquodque multorum ex quibus est multitudo, esset unum, 340A'. — Omnis ordo ab unitate incipiens procedit in multitudinem, 32D, et omnis ordinis multitudo ad unam reducitur unitatem, 224D'; unitas namque habet rationem principii et procedit in multitudinem sibi convenientem, 225D', propter quod una colligatio et unus ordo totus habet descensum ab unitate in multitudinem, 32D, multitudo vero ad unam reducitur causam communem, 225A.

MUNDITIA cordis ad cognoscendum Deum animam disponit, 2, 488B, et ad contemplationis gratiam, 448C'; ideo summopere commendatur, 332A'. — Non nisi a Deo venit, 332D.

MUNDUS. Ab æterno mundum esse, 294A, et tamen a Deo fluxisse, perperam opinati sunt quidam philosophi, 142C', 589B'. — Dei sapientiam, bonitatem et potentiam demonstrat, 568A: nempe sua creatione, bonitatem, 20C, quia non necessitate, sed bonitate et amore factus est, 142C', 150C', 230C; sua conservatione, potentiam et magnitudinem, 258B', nam sine aliqua virtute consistere nequit, 258B', et in suo statu indesinenter non nisi a Deo servatur, 276A'; sua ordinatione et gubernatione, sapientiam, 253B', et unus mundi ordo ex quadam crea-

turarum conformitate et concordantia oritur, 261 B, 275 B', qua cujusque generis summa cum superioris generis imis connectuntur, 260 C', et hujus ordinis causa est Deus, 269 B'. — Totus mundus ad Deum ordinatur sicut exercitus ad principem suum, 224 C', et ab eo gubernatur, non tantum mediate, per causas secundas, sed immediate per se ipsum, 319 A'; attamen Deum « animam mundi » dicere impium est, 60 C'. — « Incredibili pulchritudine exsistit », 125 D, 258 C, sed respectu Dei est quasi arena et punctus, 292 C'. — Genitorem opificemque mundi tam difficile est invenire, quam inventum impossibile est digne effari, 1. — *Cf.* Creatio, Creaturæ.

MUTATIO signum est indigentiæ et imperfectionis, 139 A', nec proinde in Deum cadere potest, 139 A', 307 C', qui omnimode invariabilis est in sua dispositione et attributis, 294 A, licet sponte et libere operetur, 503 C'; sed quantum ad suos effectus mutari quandoque dicitur, 294 B, et causa est omnium mutationum, 137 A, et immutabilitatum, 136 D'. — Amore quasi transformatur amans in dilectum, 148 C.

MUTIUS (Patermutius) abbas allegatur, 87 C. (Migne *Patrol. lat.* tom. 21, col. 425.)

MYSTICA theologia quid sit, 27 B, 260 D, 447 A, 491 C. — Mystica contemplatio, seu secretissima mentis cum Deo locutio, 68 C', idem est ac sapientiæ donum, 491 D, seu potius est tertius ac supremus sapientiæ gradus, 491 C'. — Subjective est in intellectu, completive in voluntate, 491 D'; inseparabiliter juncta est fidei perfectæ, 68 C', et caritati, 491 C', nec invenitur nisi in perfectis, 492 B. — Ad eam pervenire volentes, imprimis detestari habent peccata, 493 D, ignaviam, acediam, torporem, 494 A, et insistere compunctioni, 494 C, humilitati, patientiæ, timori, 494 A', operibus pœnitentiæ, 495 A', et quotidianæ mentis scopationi quæ plus prodest quam longa studia, 494 C. Sed non nisi adjutorio Dei et ferventi oratione acquiritur, 447 A, ideo ad eam pervenire non potuerunt philosophi, 492 C, et quotidie accedunt Sancti, 492 D', sive propriis conatibus, sive divina liberalitate, 493 A. Ea indigni sunt tum subditi indevoti, tum prælati ignavi, 495 A. — De triplici mysticorum gradu, 493 B. — Nonnulli mystici scriptores prudenter legendi sunt, 493 A'. — *Cf.* Contemplatio.

Liber de Mystica theologia compositus est post libros de Divinis characteribus, 460 A, de Divinis nominibus, 460 C', de Symbolica theologia, 460 D', et brevior est illis, 461 D, quia tractatio ab imo ad summum ascendens, 461 D' ob sublimitatem propositi fit difficilior, 462 A, et mox præ verborum insufficientia deficit, 462 A. — Quid contineat, 443. — *Cf.* Theologia.

N

NATURA principium est motus, quietis et operationis, 221 B; abhorret vacuum, 276 D, et semper « facit melius quod potest », 175 A'. — Quum omnis natura sit a Deo, 221 B, nulla est substantialiter mala ut ut defectuosa, 175 B'; neque in tota natura est quid essentialiter malum, 175 B, nec quid omnino imperfectum, 175 A', D'; ex ea non venit malum, 181 C, sed unicuique malum est contra propriam naturam agere, 182 A', quia quod est contra naturam bene dispositam, peccatum est, 175 B'; quod vero naturam non corrumpit, malum non est, 174 B'. — Deus idealibus formis ad naturas quas habent cuncta produxit, 256 A, et unumquodque juxta propriam naturam gubernat, 183 A'; unde ergo fiat ut alia sint secundum naturam, alia contra, 175 C; unde fiat corruptio naturæ, v. g. in ægroto, 170 A, 174 C'. — Naturæ creatæ non convenit esse alius exemplar, 229 D', quum ipsa sit ad exemplar mentis divinæ, 230 A. — Naturalium cognitio multum juvat ad symbolicam theologiam, 575 A, et abdita pandit Scripturarum, 575 A'. Quæ super naturam sunt, per rationem judicare volentes falluntur, 251 C', quia hæc non more humano æstimanda sunt, 252 D, sed divino, 252 A'. — Omne creatum subsistens, aliquo modo unitum est ex supposito et natura, 223 C. Omnium natura constantium certa est mensura et ratio magnitudinis, certaque periodus, 175 A.

NEGATIO. Per negationem sublimius cognoscitur Deus, 260 A, quum scilicet mens cuncta creata transcendens et se ipsam, 260 B, divino lumini immergitur 260 C, sicut enim sculptor per superfluorum resecationem agalma facit, 457 D, 485 D', ita Deum nosse cupiens, omnia quæ hic novit debet abnegare, 485 D'. — Per negationes convenientius Deus definitur, 363 B', quum sit super nomen ver-

bonum et sapientiam, 343 C; immo etiam omnem negationem ac privationem præcedat et superet, 436 C. — Omnes creaturarum perfectiones Deo oportet adscribere et simul negare, 436 A, nec istæ negationes affirmationibus contrariantur, 436 B. Sed non sicut affirmationes, ita fiunt de Deo negationes, 457 A'; affirmationes enim a præstantissimis rebus inchoamus, 457 B', utpote Deo proximioribus, 462 A', negationes a vilioribus, 457 C', tanquam Deo magis distantibus, 462 A', et absque phantasmatibus incognoscibilitatem ejus cognoscimus, 457 D'. Ceterum nec affirmatio quælibet Deo convenit, nec negatio, 467 B'; tam affirmationes quam negationes nihil penitus de divina essentia manifestant, 467 C', quæ est super omnem affirmationem, tanquam prima causa, 467 D', et omnem negationem, velut « omnium summitas », 468 A. — Quælibet negatio de Deo, non est pura privatio seu mera negatio, 484 A', sed in ea præsupponitur affirmatio aliqua, 484 B'. — Cur et quomodo Deus se ipsum negare non possit, 277 B'. Inde nihil contra ejus potentiam argui potest, 277 B. — Negativa theologia in libro Mysticæ theologiæ exponitur, 484 D; in ea Deus vere et objective intelligitur, quia est vera cognitio et realis intellectio Dei, 484 B. — *Cf.* Ablatio, Abstractio, Affirmatio, Theologia.

NOCTUA. Tanquam noctua ad solis radios, sic se habet intellectus humanus ad manifestissima naturæ, 448 D. *Cf.* Vespertilio.

NOMEN nominans et nomen nominatum, quid, 8 A. — Deus quodammodo nominabilis est, 1, 226 quum in Scripturis multis nominibus designetur, 30 C, 481 A, aliquo modo innominabilis, 1, 29 B, 481 A, quia condignis nominibus proprie et adæquate exprimi nequit, 254 C, 226 C', 494 A', et infinite altior est omni nomine, 12 B. — Cur Dei nomen admirabile dicatur, 29 B', D, et super omne nomen, 30 A; Deum enim satis distincte cognoscimus, 482 A, et vocabulis ad placitum utimur, 482 B', ideo in qualibet lingua institui possunt nomina Deo convenientia, 482 A'.

Nomina Dei multa, 54 B', siquidem diversis nominibus designatur pro diversitate effectuum, 30 D, vel rerum quibus comparatur, 227 D, alia sunt laudativa, alia indicativa, 19 B, variæ ejus perfectionem designant, 481 D, alia perfectius alia obscurius, 491 A', sed quælibet imperfecte Deum designant quoad modum significandi, 484 B'. Deum nobis ostendunt non prout in se est, sed prout ex effectibus eum concipere valemus, 64 B, D, non quoad quid est, sed quoad quia, 490 A'. Quæ perfectionem absolute designant de eo proprie accipi possunt, 482 B, alia metaphorice dumtaxat, 482 B. — Inter divina nomina alia sunt quæ tribus Personis conveniunt, 53 A, alia quæ uni tantum, 53 A, et nefas est unita separare, 53 A, aut discreta confundere, 53 B. Trinitati « unite » applicari debent quæ de Deo per negationem vel ablationem asseruntur, 53 C', quæ dicunt perfectionem simpliciter, 54 A, quæ de Deo prædicantur ratione causalitatis et productionis ad extra, 53 D', et generatim quodlibet nomen Dei absolutum ab emanatione ad extra impositum, 75 C', D', singulis Personis reservantur nomina personalia et relativa, 54 B. Nomina Dei absoluta et essentialia, cuilibet Personæ et Deo absolute sumpto adscribi debent, 49 C', id est toti communitati divinorum suppositorum, 50 B, A', ideo modo divinæ essentiæ applicantur 51 C, modo singulis Personis, 51 D. Ratione incarnationis quædam de Filio tantum dici possunt, 54 A'. — Nomen Dei « principalius » est « qui est », 231 C', seu nomen tetragrammaton, 34 C', 64 A'; quum enim se ipsum plenissime agnoscat Deus et hoc suum nomen revelaverit, 481 C, credendum est saltem hoc nomine ejus essentiam unde designari, 34 C', 481 A'. Nomen ejus perfectissimum est « bonum », 87 A, quia bonitas radix est et causa divinarum emanationum, 87 B, ideo bonitatis nomine sæpe designatur, ut aliquo modo exprimatur, 343 C, tametsi imperfectissime 343 A'. Sed adeo præstat universis ut ei nihil conveniat modo nobis consueto, 227 A', unde nec unitatis nomine, nec Trinitatis, 342 D', nec bonitatis, 343 C, neque quovis alio nomine clare manifestatur, 342 D', 343 B; ideoque per vilia melius designatur quam per sublimia, 227 A', per negativa quam per affirmativa, 343 B', quum sit super omne nomen, verbum et scientiam, 343 C'.

Philosophica : Causa prima est superior omni narratione, quoniam ipsa est super omnem causam, 2, superior est omni nomine quo nominatur, 70 A, quoniam non pertinet ei diminutio neque complementum, 255 B'. — Opificem universi tam dif-

ficile est invenire, quam inventum digne effari, 1.
Liber de Divinis nominibus post librum de Divinis characteribus compositus est, 460 A', C', et ante librum de Symbolica theologia, 460 D', et erat quasi sequentia libri de superbeatissima Trinitate, 8 A. — Brevior erat libro de Symbolica theologia, 461 C, utpote sublimioris argumenti, 461 D ; attamen sermo de summo ad imum descendens, 461 C', satis prolixus est, pro qualitate materiæ magis notæ, 461 D'. — In hoc exponitur theologia affirmativa, seu proprie dicta, 484 A, scilicet quæ sint intelligibilia nomina Dei, 460 C', et quæ ei proprie competant, 33 C'. — De Divinis nominibus et ipse Hierotheus scripserat, 8 A', doctissime, 91 D, subtiliter ac profunde, 92 A', sed breviter atque succincte, 91 C', 92 B', ita ut difficile intelligeretur vel ab ipso Timotheo, 93 A ; postmodum de eodem argumento tractare aggressus est Areopagita, 91 C, non ex superbia 92 A, aut contemptu, 92 C, sed rogante Hierotheo, 92 C', et Timotheo, 92 D', 322 B, Hierothei sententias dumtaxat explanans, 92 D', 94 B', quas ad simpliciorum captum aptare nisus est, 93 D, 99 A', nihil addens, 94 B', 99 B', nec contradicens, 97 C', 98 C, sed tantum subtiliter exponens, 99 C'. — Hunc librum difficultatibus plenum, 2, quomodo Cartusianus interpretari intendat, 8 B.

NOMINALISTÆ Deum in prædicamento esse asserentes, reprobantur, 487 B.

NUMERUS. Omnes numeri ex unitate oriuntur, 224 B, et in unitate colliguntur, 224 C; numerus enim quilibet monade participat, 339 B, tanquam suo principio, 342 D, et unus cunctis numeris sociatur, 339 B. — Omnia quæ a primæva rerum origine processerunt, ratione numerorum creata sunt, 339 C, instar enim numerorum concatenatæ sunt species rerum, 122 C, 224 C'. — Quum Deo non competat numerus, 467 B, quomodo ipse dicatur numerus, 127 A — *Cf.* Dyas, Monas, Unitas.

O

OBEDIENTIA. Cuilibet creaturæ inest erga Deum obedientialis potentia, 510 D', qua ad nutum ejus obsequitur et mutatur, 511 A.

OBLIQUUM. In obliquum moveri dicitur Deus, quum entia per eorum generationem multiplicat, 299 A'. — In obliquum moventur angeli, dum inferioribus providendo, circa Deum occupari non cessant, 138 C, ex speculatione effectuum ad summæ causæ contemplationem revertentes, 138 B'. — In obliquum movetur anima, quum illuminationes divinas suscipit, 139 D', non pure, sicut angeli, 140 A, sed discursive et sub involucro phantasmatum et sensibilium formarum, 140 A. — *Cf.* Motus.

OBSCURITAS. Nobis obscurissimus et ignotus est Deus, licet omnibus præsens, 457 D', et ex sua natura clarissimus, 448 C. — Obscuritas divina super omne verbum est et intellectum, 343 A. — *Cf.* Caligo, Tenebræ.

OCULI ad cœlum sublevati, ad fervorem conferunt orationis, 90 B.

OFFICIUM. A Deo sua officia accipiunt angeli, ab angelis homines, 544 C, et generaliter a superioribus inferiores, 544 D. — Nemini licet ea quæ suum officium excedunt agere, etiam intuitu boni, 541 A, ut patet de Ozia, Saule, 541 B, Oza, Maria sorore Moysis, et filiis Scevæ, 541 B'.

OMNE, totum et perfectum idem sunt, 70 B, 120 B', 341 B'. — Omnia et omnium pars participant unum, 339 B; omnia in omnibus unita sunt, 340 A, omnia in toto sunt unum, 340 A. — Deus et « omnia » dicitur, quia omnium causa, 338 B, et « unum », quia in se includit omnium perfectiones, 339 A ; quomodo dicatur « omnia in omnibus », 259 D'.

OMNIPOTENTIA. Ideo omnipotens dicitur Deus quia omnia fecit, continet, 306 A', perficit, reducit, 307 A, roborat, 307 B, et in esse conservat, 307 C, omnibus tribuens bonum quod habent, 307 C, et impendens fructus suaves bonitatis et caritatis, 307 A'. — Frivola quædam contra divinam omnipotentiam objectio solvitur, 277 A et seq. — *Cf.* Potentia.

ON. Deus quodammodo est non ὄν, 12 D', quia est ὂν superessentialiter, 73 D. Ὂν illud unum quasi multiplicatur multorum creatione, 73 A'. — Omne ὂν ex bono est, in bono conservatur, in bonum convertitur, 141 A'. — Non ὄν, id est materia prima, non omnino boni et pulchri expers est, 136 A'; quomodo Deum appetere dicatur, 124 A'. — *Cf.* Esse.

OPERATIO ex natura proficiscitur, 224 B, ex essentia scilicet, mediante potentia, 120 C, et formam consequitur, 56 C', ideo nulla res

corpore est naturalis operationis, 275A. — Omnis anima nobilis tres habet operationes, scilicet animalem, intellectualem et divinam, 278C'; propterea sic separatam a corpore operationem habere debet, 189A', alioquin etiam corpus esse posset substantia, 189A', non praeterea immortalis esset, 189D. — Sine operibus fides mortua est, 185B, opera enim sunt signum virtutis, 108C', et ad aedificationem proximi requiruntur, 158C', sed donum Dei est quod omnia ordinate peraguntur, 322A'. — Triplex est operatio Dei in creaturis, 61A': alia qua exemplaribus similitudinibus et ideis entia ad esse producit, 124D, 226A, et ita liberrime agit, 61A'; alia qua res conditas regit, conservat ac perficit, 61B', et hanc juxta cujusque capacitatem aut dispositionem communiter operatur, 61D'; sed omnes Dei operationes in eo idem sunt, 295B. — Operationes S. Trinitatis ad extra sunt indivisae, 41C', D', 60D, et ab una potentia procedunt, 30A', veruntamen quaedam Personis singulis appropriantur, 29C. — Quomodo et cur Deus in suis operibus exsultare dicatur, 230C. — *Cf.* Actus, Infinitas.

OPINIO id est imperfecta et incerta cognitio, 467A, inter scientiam et merum credulitatem, inter rationem et irrationabilitatem est media, 295B'. Quasi cervix est animae, 295B'. — Deo minime competit, 25B', 28B, qui nec opinabilis nec meditabilis nec intelligibilis est, 26A. — Nullam theologicam opinionem contra Romani Pontificis determinationem defendere licet, 483D. — *Cf.* Scientia.

ORATIO est ascensus mentis ad Deum, 94B'. — « Principium est reductivum in Deum », 88B', « vehiculum impetrativum et reportativum gratiae », 88B', et recte funi comparatur auxilio trahenti, 90A', quo non Deus ad nos trahitur, sed potius ad Deum trahimur, 90D'. Imprimis ergo necessaria est cuilibet lumen et gratiam quaerenti, 88A, atque ad Deum accedere cupienti, 88C, et in divinorum scrutatione ab oratione incipiendum est, 91A, non ut Deum e caelo educamus, 91A', sed ut ad eum sublevemur et uniamur, 91A'. — Eum qui loquitur Deo, quantum potest Deo similari oportet, 73A', et conscientiae bonae habere testimonium, 534B', si possibile omnia, 88D, ea quae ad gloriam Dei et animarum salutem conferunt petere, 88D. Expedit orando oculos et manus ad caelum levare, 90B. — Pro deceptis orare oportet ut illuminentur, pro deceptoribus ut resipiscant, 549B, quandoque utrique convincantur et puniantur, 550A.

ORDO est in rebus optimum quid, 177C et infimum, 60C', et per bonum conservatur, 177C. — Ordo universi ex quadam creaturarum conformitate et concordantia exsurgit, 261B, 318D, qua cujuslibet generis summa etiam superioris generis imis connectuntur, 260C'. Quasi scala est ad cognoscendum Deum, 131B, cujus sapientiam praedicat, 253B', 318B'. — Non licet pro Dei honore ordinem a Deo institutum pervertere, 538C', omnia enim ordinate agenda sunt, 539B.

In S. Trinitate non est ordo proprie dictus, 467B, quia Deus omni ordini superexaltatur, 70C', dicitur tamen « ordo », 127B tanquam fons et causa totius ordinationis, 36C', ordinis, 70B', ordinisque universi, 137C, 260B'. Bonitate enim divina in unum rediguntur universa, 129B, ordinatione mentis divinae omnia ordinantur, 223D, pace divina in ordine servantur, 318A', quae universa compaginat, 318C, et in concordia perfecta confoederat, 318D.

Ex philosophorum dictis: Omnis ordo ab unitate incipiens procedit in multitudinem unitati coelementalem, 32D, 225A, et omnis ordinis multitudo ad unam reducitur unitatem, 32D, 136D. — Omnis divinus ordo sibi ipsi conjunctus est tripliciter, hoc est a summitate sui, et medietate ac fine, 261A, in unoquoque enim ordine sunt quaedam communio continentia atque identitas 225A.

ORIGENES Alexandrinus omnes creaturas ab initio ejusdem speciei fuisse perperam asserit, 279B'. — Allegatur, 155A, 234A'. — (Migne *Patrol. gr.* tom. 11, col. 230 et 319; tom. 14, col. 63 et seq.)

OZA, filius Aminadab, bonum male operando a Deo percussus est, 541A'.

OZIAS X° rex Juda, alienum officium usurpans, lepra infectus est, 541B.

P

PAPA, utpote Petri successor, omnibus, etiam archiepiscopis, imperare potest, 545A'. — Contra ejus determinationem nulli doctori licet suam opinionem defendere, 483D.

PARADIGMA quid sit, 229A, D. Paradigmatum definitio a B. Clemente proposita, modeste

carpitur, 229B'. — Deus ab æterno in se ipso paradigmata concepit omnium rerum, 228B', quæ ideirco paradigmatum divinorum similitudines dicuntur, 258B. — *Cf.* Ideæ, Similitudo.

PARS aliquid habet imperfecti, 69D'. — Divina essentia non est pars, quia nullo genere comprehenditur, 69C', sed dicitur pars, quia res inchoat, 70B, et est super omnem partem, 70C. In partes quantitativas aut integrales, constitutivas aut essentiales dividi nequit, 74B, quia in Deo non est partium pluralitas nec modorum diversitas, 139A'. Quomodo dicatur pars justorum 69D'. — In re particularia sunt ante universalia, 140D'. — *Cf.* Totum.

PARTICIPATIO. Divina essentia nihil ab alio participat 60B, et a reliquis participatur, 59B', 73B, 231D, non essentialiter, sed exemplariter, 60A', plus minusve pro capacitate cujusque 161D : ab angelis per modum signaculi, 161C', ab hominibus per modum imaginis 161C', ab inferioribus per modum vestigii, 161D'. — Principia omnium rerum aliquo modo divinum esse participant, 223A, et non nisi ex ejus participatione sunt id quod sunt, 223B', ac toti participato influere valent, 223C'. — Ad participationem divinæ bonitatis cunctæ factæ sunt creaturæ, prout cuique convenit, 336B, et ejus participatione bonæ fiunt, 505D, B'; unde quidquid illis inest entitatis, perfectionis et pulchritudinis, participatio est increatæ bonitatis, 119D, perfectionis, 223A', 338C', et pulchritudinis, 134B, 135A, easque prædicat, tanquam causam effectus, 223D', 258D'. — Nihil est quod boni aliquo modo non sit particeps, 136A', et ens est aliquid in quantum boni aliquid sortitur, 163D'. Tanto magis vel minus est, quanto magis vel minus participat primum bonum, 163D', et esse, 164A : quæ perfecte illud participant, perfecta sunt et integra, 160B', quæ minus plene, imperfecta remanent et mixta, 160C', quod nullo modo participaret, neque est, neque erit, neque esse potest, 162C', et nihil est, 163C', 170B'. — Quamvis eadem sit ab omnibus participata causa, 60D', diversimode ab eis participatur, 61A, A', quia non æqualiter apta sunt ad participationem summi boni, 61B, 161D', et inde fit in rebus dissimilitudo 61A, 185C. — Quæcumque a Deo participamus, a tota Trinitate participamus, 60A.

Ex philosophorum dictis : Omne quod fit unum aut bonum, participatione unius aut boni fit unum aut bonum, 160D', 340C'; secundum autem quod sustinet et suscipit participationem illius, est unum aut bonum, 160D'. Omne bonum unitivum est participantium ipso, 129C, 135C'. — Omne unitum participat monade, 223C, seu uno, 340B', et omnis multitudo participat aliqualiter uno, 339C; si enim nullatenus participaret uno, neque totum esset unum, neque unumquodque multorum ex quibus est multitudo, esset unum, 340A'. Omne quod participat uno, unum est, et non unum, 340B'; uno nequaquam participans, neque secundum se ipsum totum, neque secundum unumquodque eorum quæ sunt in ipso, omniquaque infinitum erit et secundum omne, 340B'; quod enim per se et primo unum est, non participat uno, quum sit per se unum, 340B'. — Omnes participatæ essentiæ ad imparticipatas eriguntur et reducuntur, 59D'. — *Cf.* Bonum, Pulchrum, Sigillum, Unum.

PARVITAS minime Deo competit 467C; dicitur tamen parvus, quasi loco carens, 293A', et ubique præsens, 293A', et quasi omnium causa, quia ad omnium productionem cooperatur tenue, 293B', item quia in omnibus et per omnia firmiter locatur, 293C' ; sed parvitas illa tam magna est ut comprehendi nequeat, 293C'. *Cf.* Magnitudo.

PASSIONES ex se nec bonæ nec malæ sunt, 158B'; verumtamen sensitivæ passiones rationis actum impediunt, 158B', et ad contemplationem ascendere cupiens eas imprimis refrenare debet, 15C'. Sensitivas passiones non habet Deus, 465A', nec dæmones, 174C' ; earum immoderantias justi non patiuntur, 585D'. — Quomodo passibilis dicatur pars animæ inferior, 567B', impassibilis, pars superior, 567A'. — Brutorum passiones non sunt simpliciter malæ, 174B, sed consentaneæ naturæ, 174C ; dæmonum passiones vehementissimæ, 171D', non tamen omnino nec in omnibus malæ sunt, 172A — Agens est honorabilius passo, 66B', 159D.

PATER modo de prima Persona modo de tota Trinitate dicitur, 54C, 55D, sed in Scripturis aperte docetur unitas et distinctio Patris et Filii, 54B'. — In Patre fecunditas est ad productionem Filii et S. Spiritus, 20A, ideo

dicitur « fons supersubstantialis deitatis », 584 A' vel « fontana deitas », 65 B. — Omnia ex eo sunt, 31 A', sicut ex causa efficiente, 34 D; et fons est omnis paternitatis, 63 C', in cœlo et in terra, 20 B; in hominibus et angelis, 66 A. Quomodo in Angelis sit paternitas, 66 C. — Inferior est « filio patrem intueri », 344 A'. — Cf. Trinitas.

PATMOS, insula in mari Icario, ubi S. Joannes scripsit Apocalypsim, 586 A'; multa fecit miracula plurimosque ad fidem convertit 584 A.

PAULUS (S.) apostolus, « illuminatissimus », 344 A', ac « divinus vir », 92 C, 250 D', « amator justus », 316 C, « cœlestium secretorum conscius », 185 C, « sol et splendidissimus doctor », 250 C', « sacer perfector », 208 B et communis magister Dionysii et Timothei, 74 B', 92 D; prœ cæteris Apostolis Areopagitæ carus fuit, 584 B. — Prœ totus factus est caritas 148 D' et intensissime Christum dilexit, 148 D. — Deum in præsenti vita per speciem vidisse creditur, 481 B, 502 C, et tamen fatetur eum omnem mentem excedere, 514 C.

PAX est conservativa cujuslibet rei, 319 D', et omnia inconturbata conservat, tam ad invicem quam ad connaturalia, 320 A, omnibus tribuens inclinationem ad ea quæ ipsis prosunt, 320 A, atque mobilium motum producens, 320 B, quo entia suam consequuntur perfectionem 320 C, et in suo esse servantur, 320 C, et in concordia, 321 D. — Ab omnibus appetitur, 315 B, 319 C, nam omnia inter se pacem habere cupiunt sibique similibus conjungi, 319 C'. Vel iracundi eam desiderant, 320 C', sed passionibus excæcati, 320 D', eas satisfaciendo se pacem acquirere autumant, 320 A.

Prima pax est Deus, 166 C, 316 C', cunctis suæ bonitatis dona communicans, 316 D', et in eis manens per suam simplicissimam unitatem, 316 D. Pax ejus id est immobilissima divinæ mentis quies, 316 C, a qua omnis est pax creaturarum, 166 C, 316 D, 317 C, C', in eo immobiliter manet, absque motu et strepitu, 316 D. — Pax divina vere dicitur « archisynagoga », 315 A, id est omnium adunatrix, 315 B, quia in universo mundo unionem facit, 315 C' et discordia elementa ad concordiam revocat 315 A'. Ipsa angeli suis intellectibus uniuntur, 317 D', et inter se caritative conversantur, 315 A', ipsa animæ illuminatæ et reductæ, 318 B, ad contemplationem summæ unitatis perducuntur, 318 B; ipsa compaginantur creata, 318 C, et consonantia perfecta confœderantur, 318 D, unde fit pulcherrimus ordo universi, 318 A'. Ad omnia universa pertingit, 318 B', creata in suis terminis conservans, 316 A, ne in chaos et confusionem dispergantur, 316 A', omnia inter se contemperans, 317 C, et in proprio loco firmans, 317 D, omnia unificans et ima summis per media conjungens, 318 C', cuncta cognata faciens, 318 D' et ad auctorem reducens et colligens, 315 C', 317 C'. — Incarnatione Christi in pace firmati sumus nobiscum, cum proximis et angelis, 324 B, Patri reconciliati 324 B', ineffabilem æternitatis pacem exspectantes, 324 C. — In pacificatis mentibus Deus præcipue habitat, 30 B'.

PECCATOR. Homines ex se ipsis ad peccatum inclinantur, 155 A, et sæpe ex ignorantia in malum labuntur, 180 D', unde omnis peccans « errans » dicitur, 181 A; sed communiter dæmonum impulsu delinquunt, 155 A. — Peccator, ut talis, nihil est et non vivit, 163 A, attamen naturæ bonum participat et tenuem servat entis unionem, 163 B. — Peccantium, potissime ex fragilitate, miseretur divina bonitas, 282 B, eos sustinet et requirit, 282 C, 536 D, defendit et excusat, 536 A', revertentibus occurrit et obviat, 536 B', reversos amplectitur et osculatur, 536 C', præteritas culpas indulgens, et pro eorum reditu festum agens, 536 D'. De eorum delictis quasi dolent angeli, 535 C', de eorum conversione gaudent, 537 D. — Peccatores corripere non est peccatum, 168 D', ideo non peccant qui indignos a sacris arcent, 169 A, sed qui a sacris arceri merentur, 169 A'. In præsenti, modo per angelos bonos puniuntur, modo per malos, 169 A. — Peccatorum conversio a Deo est, 242 D', qui eorum suscitator est, renovator, 18 B, et reformator, 18 C. — Pro deceptis orare oportet ut illuminentur pro deceptoribus ut resipiscant, 549 B', quoadusque utrique convincantur et puniantur, 559 A. — Cf. Impii.

PECCATUM est æquitatis privatio, 282 D', et naturæ bene dispositæ opponitur, 175 B'. — Quatenus a Deo sint peccata, 167 A'. — Quæ fuerit dæmonibus causa peccandi, 155 B. — In homine non venit ex corpore principaliter, 177 A', nec ex natura, 173 B, 181 C, nec ex sensibus, 181 C, nec ex « peregrinatione », 181 B, sed ex concupiscentia, 177 A', et

libero arbitrio, 179 B; nullum enim est peccatum quin a voluntate approbetur, 178 D, quapropter voluntas vocatur prima peccandi radix, 178 D. — Bonum ex integra causa, malum ex quocumque defectu oritur, 178 B, unde uno modo contingit bene facere, multis modis peccare, 178 B. — Peccato non elongatur a nobis Deus, sed nos elongamur a Deo, 90 D', et ab eo separamur, 493 D; ideo imprimis detestanda sunt peccata, 493 D'. — Nullum peccatum Deum latet, 543 C, nec manet impunitum, 542 A, et peccata etiam dimissa denuo imputari possunt, 547 A. — *Cf.* Malum.

PECTUS furorem mystice designat, quia in eo fervet sanguis, 295 B'.

PEDES spiritualiter motivas animæ vires significant, 295 B'.

PERFECTIO unius rei, in unione et unitate consistit, 341 C', etenim perfectum et totum coincidunt, 70 B, 120 B, 341 B'; et tantum habet res de cognoscibilitate quantum de perfectione, 10 D'. — Omnia suam perfectionem appetunt, 136 A, sed paulatim acquiritur, 132 A, per fluxum temporis, 175 A, et quo major est, eo rarior, 147 B. — Perfectionis viam docere optimum est, 93 A', sed nemo efficaciter eam prædicat nisi expertus, 93 B'.

Prima et summa perfectio, a nullo participata, 70 C, Deus est, solus universaliter et simpliciter perfectus, 161 A, 338 B, non solum per se et a se ipso, 338 C, sed per omnia, 338 C, et super omnia, 338 A', et ultra quam intelligere valemus, 338 D. Perfectus ergo dicitur, quia nec minui nec augeri potest, 338 B'; superperfectus, 338 D, et « imperfectus », quasi supra omnem intelligibilem perfectionem, 255 B', « perfectio perfectorum », 18 C', quoniam sua infinita largitate perficit et servat perfecta, 338 C', ea propriæ replens participatione perfectionis, 338 D'; « perfectus in imperfectis », tanquam illis providens, 70 C, « imperfectus in perfectis », quasi infinite perfectior, 70 D. In eo idem sunt perfectum et perfectio, 70 C. — Quaslibet suas perfectiones creaturæ a perfectione divina participant, 59 B', plus minusve pro cujusque capacitate et dispositione, 61 A', et tanto excellentiores vel viliores sunt quanto Deo magis vel minus similes, 70 C', 161 B. Perfectiones ergo creatæ Deum commendant, 59 C', tanquam causam effectus, 258 D', sed imperfecte et obscure, 482 C, quia longe distant a perfectione divina, 298 A', ideo eas Deo et adscribere oportet et negare, 450 A', nec istæ negationes affirmationibus contrariantur, 450 B', quoniam quascumque participatas perfectiones Deus in infinitum transcendit, 506 A. Creaturarum perfectiones quatenus et quotuplici modo Deo conveniant, 486 D, 487 A. — Causa prima est supra omnem perfectionem, quoniam ipsa est bonitas cui non est finis, 255 C'. — *Cf.* Imperfectio, Nomen.

PERIPATETICI perperam mundum ab æterno fuisse asserebant, 442 C'. *Cf.* Aristoteles.

PERSÆ. In historiis Persarum recitatur mirabilis solis regressus sub Ezechia, 523 D', et usque modo apud Magos fit memoria hujus « triplicati solis », 523 D'.

PERSECUTIO justis multum prodest, 280 D, quos in virtute confirmat, 280 A'. — Sanctorum persecutores ab ipsis in æternum separari merentur, 584 A'. — *Cf.* Tribulatio.

PERSONA. Esse existentiæ proprium est suppositorum, et mutationi subjacet, 24 C'. — Personarum distinctio in essentiæ divinæ unitate, aperte in Scripturis docetur, 51 A', sed ratione conspici nequit, 55 B, quia omnem mentem creatam superat, 64 A. Divina essentia perfecta est, tota et indivisa in tribus Personis, 50 A, quæ ad invicem communicant, identificantur, æternaliter unum sunt, 50 D, una deitas, 56 B, unum esse et subsistere, 56 B, unus superdeus, 56 C; ipsæ habent unam numero essentiam et potestatem, 51 C', unam numero plenitudinem divinitatis, 51 C', eadem numero attributa, 51 D', easdem divinas operationes, 51 D'. — Nulla Persona ab aliis separari potest, duratione, operatione aut subsistentia absoluta, 59 A, sed singulæ in singulis vere et inconfuse ac circumincessibiliter sunt, 160 A'. Veruntamen in qualibet est quid commune, et quid proprium, 56 A, quod ceteris communicari nequit, 58 D; sicut enim in una domo multarum lampadum lumen confunditur, 57 A, ita ut aliud ab alio discerni nequeat, 57 C, quamvis uniuscujusque proprium maneat, 57 D, ita in Trinitate cujuslibet Personæ lux cum aliis una est, 57 B', et tamen propria, 57 C'. — Alia sunt tribus Personis communia, alia singulis Personis propria, 53 A, et nefas est unita separare discretaque confundere, 53 A. Tribus Perso-

quæ communia sunt absolute et essentialia, 28 C; incommunicabilia divinitatis proprietatum, 33 A', duas, 30 B; beneficia naturalia et gratuita, 30 A; singulis Personis reservantur propria, 30 C; personalia et relativa, 34 B; ... apponitur nomina essentialia, 49 C', 41 C; quomodo illi potest locus, 30 A'; « qui est », 30 B'; vita 30 D'; Dominus, 51 A; cuilibet competit ..., 49 C; pulchritudo et sapientia, 51 C. — Cf. Filius, Pater, Spiritus, Trinitas.

PETRUS (S.) apostolus. Declaratur ejus principatus et dignitas, 95 A. — Ei Romæ apparuit Christus, 93 C. — Cf. Papa.

PETRUS de Tarentasia (B. Innocentius V) allegatur, 487 B.

PHANTASIA quid sit, 467 A. Interdum recta est, interdum non recta, 179 A. — Nec Deo competit, nec Deum attingere potest, 251 B', 291 B, 298 A'. — Quæ sæpe dæmonibus tribuatur phantasia proterva, 171 C'. — Variæ hominum phantasiæ salubri fidei jugo coercentur, 133 A.

PHANTASMA ab exterioribus formis abstrahitur, et est ad intellectum quasi color ad visum, 489 B. — Absque phantasmatum administratione invisibilia contemplantur angeli, 254 A, et animas illuminant, 490 C. — Quidquid contra asserat S. Thomas, 489 A, B', certum est animam, utpote immaterialem, immaterialiter intelligere posse, 489 C, id est absque phantasmatum ope, 489 D, ut ipse docet Areopagita, 489 C', alioquin extra corpus vivere non posset, 489 A'. Ad primam intellectus informationem requiruntur quidem phantasmata, 489 B', sed menti exercitatæ jam non sunt necessaria, 489 D, et in contemplatione mystica supervacanea sunt, 490 A, sicut in anagogica illuminatione, 490 B. — Res per speciem intelligibilem solam melius cognoscitur quam per illius relationem ad phantasma, 489 A'.

PHILO, « disertissimus Judæorum », B. Petri coævus, 146 C. Sapientiæ librum scripsisse fertur, in quo interdum in persona Salomonis loquitur, 146 C.

PHILOSOPHIA admirabiles delectationes habet annexas, 98 C', 492 C'. — Philosophi meliores virtutibus naturalibus ac moralibus intenti, 492 C, quemdam naturalem Dei amorem habuerunt, et quamdam naturalem Dei notitiam, 492 D, in qua finem hominis constituerunt, 492 A'; sed ad caritatem et mysticam theologiam non pervenerunt, 492 D. — Circa Dei scientiam et providentiam multipliciter erraverunt, 13 A', 25 C, 319 A'. — Philosophiam a cognitione creaturarum ad earum causam surrexisse oportet, 320 B'. — Cf. Aristoteles, Plato, Proclus, Pythagoras, etc.

PHILOSOPHUS, id est Aristoteles, multoties allegatur, 14 D, 31 D, 32 B, 60 B', 98 B', C', 124 D, 124 B, 124 A', C', 127 C', 128 B, 136 B, 137 C, 140 B, 144 C', 148 C, 151 D, 157 B, 161 D, 169 D, 170 B, 175 A, D', 178 B, 179 A, 180 C, 184 A, 224 C', 226 A, 244 C', 320 B', 332 A, 341 B', 448 D, 449 B', 457 D, 487 A', 489 A', C', 490 B', 522 A'. Cf. Aristoteles.

PHINEES filius Eleazari vero zelo contra impœnitentes arsit, 547 D', sed novi spiritus non erat particeps, 548 A.

PHOTINUS (Galata), « præsumptuosissimus hæresiarcha » se Deum in præsenti plene comprehendere jactabat, 457 C, miserabiliter excæcatus, 457 D.

PLATO philosophus, ab oratione studium inchoabat, 91 B, et Deo placentia potissimum docere satagebat, 345 C'. — Virtutibus naturalibus ac moralibus intentus, 492 C, quamdam naturalem Dei dilectionem et notitiam habuit, 492 D, sed caritate et infusa sapientia caruit, 492 D. De quibusdam rectius sensit quam ceteri philosophi, 13 B', et Aristoteles, 20 B'. — Quid de Deo doceat, 4, 227 D, 492 C'; de ideis æternis, 229 B. — Sæpius citatur, 20 A', 66 C, 120 C', 125 D, 135 C, 140 B, B', 144 C', 154 A', 177 C', 178 C', 230 C', 258 C, 264 A', 276 D', 306 A', 536 C.

Platonici perperam mundum ab æterno fuisse asserebant, 142 C'; plures deorum ordines ac separatas ideas ponebant, 249 A'; dæmones vocabant animalia aeria, animoque passiva, 155 C; materiam primam dicebant bonum, quare, 124 B'. Cf. Apuleius, Porphyrius, Proclus.

PLENITUDO. Divina essentia quomodo dicatur plena in indigentibus, 70 D', superplena in multitudinibus, 70 D'. — Cf. Vacuum.

PŒNITENTIA est secunda post naufragium tabula, 537 D'. — Pœnitentes in chorum non admittebantur olim, sed stabant inferius, 538 A. Quam benigne a Deo suscipiantur, 536 B'. — Non nisi metaphorice Deus pœnitere dicitur, 565 A.

POETÆ antiqui fuerunt præcipui idololatriæ fautores, 520 C'.

POLYCARPUS (S.), Smyrnensis episcopus et martyr præclarus, 518A. Ad eum dirigitur 7ª Areopagitæ epistola qua monetur ut adversus infideles contentiosius disputare desistat, 518A'. — Apollophanem ad fidem convertit, 525B, 589A.

PONTIFEX, sub lege, solus et semel in anno in Sancta sanctorum intrabat, 541C. — Contra determinationem Romani Pontificis non licet opinionem defendere, 483D. *Cf.* Papa.

PORPHYRIUS philosophus allegatur, 273A'.

POSTERIORI (A). Cognoscunt a posteriori qui ab effectu ad causam ascendunt, 254D. — Sic dumtaxat Deum in præsenti nosse valemus, cognitione quia, 13C, aut ex suis effectibus 484C', 487C'; sed in hac cognitione multi sunt gradus et ordines, 487C', et in ea triplici modo proficere possumus, 488A. — *Cf.* A priori.

POTENTIA. Omne creatum subsistens, aliquo modo unitum est ex actu et potentia, 223C. — Potentia ab essentia fluit et operationem gignit, 120C; nobilior aut elevatior quam essentia esse nequit, 489C. Quanto major est, tanto expeditius operatur, 274C'. — Deus est simplex actualitas absque potentialitate, 124A', materia prima, simplex potentialitas absque actualitate, 231B. — *Cf.* Actus.

In Deo idem sunt esse, posse et agere, 13D, 503C', esse et esse potentem, 274A. Potentia Dei omnem superat virtutem, 273B; omnia æque sunt ei facilia, 243D; non potest in tot et tanta quin possit in infinities plura et majora, 243D, 274D, et incomparabiliter mirabiliora quam mens creata valet comprehendere, 274A'; ideo illam mensurare velle stultissimum est, 274A'. In creatione et conservatione mundi præcipue manifestatur, 258B', 568A. — Divina potentia toti Trinitati communis est, 75B, et principium est emanationum ad extra 75B. Per hanc Deus toti mundo principatur 278A, ubique et in omnibus præsens 88B', et universis tribuens esse posse, esse, 278A', et fortitudinem, 274A'. Suam potentiam cognoscendo, omnia in ea novit, 256D. — Omnis potentia creata rivulus est increatæ, 30A'; sed respectu ejus est quasi infirmitas, 273C. — *Cf.* Omnipotentia, Virtus.

POTESTAS omnis a Deo est, sed non potestatis abusus, 162A'. — Nemo ultra suam potestatem attentare præsumat, 542A'.

PRÆDESTINATIO extense sumpta, est præordinatio fiendorum in Deo, 229A; stricte sumpta est providentia circa electos, 219D', seu præparatio gratiæ in præsenti et gloriæ in futuro, 229C, et angustior est quam providentia, 219D'. — Prædestinationes quandoque vocantur similitudines rerum exemplares in Deo ab æterno exsistentes, 229A. — *Cf.* Providentia.

PRÆDICAMENTUM. De Deo nihil cum creaturis univoce prædicari posse, 487B, nec Deum in aliquo prædicamento esse, 487B, verior est et subtilior sententia, 487C, quare, 487D. Quæ ergo de Deo et creaturis simul prædicantur, non ipsum Deum designant prout in se est, 490D, sed prout in suis effectibus cognoscitur, 490A'. — Deus in se omnium creaturarum perfectiones continet, 227D'; ideo de eo omnia prædicari possunt, 227D', causaliter, non quidditative, 228A, sed paucissima proprie et congruenter, 451A, quia nec verbo plene nominatur, nec intellectu plene comprehenditur, 451B.

PRÆDICATIO captui audientium accommodanda est, 93D. — Ad prædicandum fidem non sufficit erroris falsitatem probare, 516A, quia inde non eruitur veritatis certitudo, 516B, sed satius est ab erroris confutatione abstinere, 516A', 519D, et veritatis jura demonstrare, 516B', 518A'; erroris enim confutatio opus est arduum, 519A', et litigiosum, 519B', stabilita autem veritate, illico apparet et dejicitur error, 519B, B'. — Prædicator auctoritati divinæ magis inniti debet quam rationi, 243C', et imprimis se ipsum docere debet, 100B, etenim damnabile est aliis prædicantem male conversari, 100A'. — *Cf.* Doctrina.

PRÆLATI ex justitia tenentur delinquentes corripere, 538D, ideo horribiliter damnabuntur qui ex humano timore eos corrigere omittunt, 494C', vel ex ambitione, 494D'. — Prælati ignavi incapaces sunt theologiæ mysticæ, 495A. — Nulli aliis præesse fas est nisi sit virtutibus deiformissimus, 543D'. — Unusquisque toties ad apostasiæ crimen collabitur, quoties præesse hominibus delectatur, 495A. — *Cf.* Subditi, Superiora.

PRÆSENTIA. Deus potentia sua et essentia ubique præsens est 88B' et in omnibus, 251D, et tamen omnibus occultatur, 457D'. *Cf.* Adsistentia.

PRÆSUMPTIO valde condemnatur, 541A et seq. — Præsumptio est, opera et judicia Dei

valle patitur, 280B'; divinam potentiam enumerare, 274A'; et ad ea quæ potestatem et complementum excedunt, manum mittere, 342A. — Præsumptione revelationes divinæ arbitrantur, 15B'. — Cf. Demophilus, Eudoxius, Gaius, Photinus.

PRIMUM. Ex philosophorum dictis : Solum primum ens est universaliter simpliciterque perfectum, 161A; et penitus ignotum tanquam indicatur res. 2. Significatio ejus est unitas ejus, non quod unitas ejus sit sparsa in ipso, sed unitas ejus est pura, quoniam est simplex in fine simplicitatis, 159B. — Primum est dives in se et dives in aliis, 122C, 126B; et illud est omnibus influens, 161B; ab ipso enim omnibus derivatum est esse et vivere, 14D; aliis clarius, aliis obscurius, 161D. — Res omnes habent essentiam propter ens primum, 121C', res vivæ omnes vitam habent propter vitam primam, 121D', res omnes intelligentes scientiam habent propter intelligentiam primam, 121D'. — Cf. Causa, Materia.

PRINCIPIUM. Duo rerum principia, alterum bonum, alterum malum, 164B', inter se et in universo pugnantia, 165C, 166A, primo docuit Empedocles, 166B, et post eum Marcion et Manes, 165A; similiter plures ideas substantiales rerum principia tradebant Platonici, 219A', 322D', sed perperam, 166A, 176C; principium enim primum non est dyas sed monas, 165B', quia necesse est illud esse simplex et unicum, 165C', 323A. — Deus est principium fontale, 225A', causale, 12D', 18A, 27D, exemplativum, consummativum, 144B', intellectuale, speciale, 144B', et superprincipale, 18D', entium, 225B; earumque omnium quæ entia characterizant, 225C; fons omnium principiorum, 19D, 70B', et omni principio superexaltatus, 70C'. Tanquam primum principium varios producit effectus, 218B', qui in ipso idem sunt, sed extra ipsum diversificantur, 218C. — Principia omnia rerum divinum esse aliquo modo participant, 223A, et non nisi ex participatione divini esse sunt id quod sunt, 223D', ac tali participato valent influere, 223C. — Quo sensu dicatur anima principium vitæ et motus, 244C. — Philosophice : Omnium principium et prima causa bonum est, 165D. Omnium divinorum processuum fines ad sua principia assimilantur, 261A. — Cf. Causa.

PRIORI (A) cognoscere, est de causa ad effectum procedere, 254D. — Sic Deum nosse non valemus, 11C, 484C', 487C; quare, 257D. — Cf. A posteriori.

PRIVATIO est malum naturæ et causa corruptionis, 169B, attamen propria vi non repugnat bono, 177D'. — Mos est Scripturæ ea quæ in Deo privationis sunt contrario sensu dicere, 251A. — Omnem privationem et negationem præcedit et superat causa prima, 450C. — Cf. Ablatio, Materia.

PROCESSIONES Dei ad extra, quid, 73A. — Sunt toti Trinitati communes, 75B', et ex uno principio fluunt, 75C', nempe ex bonitate, 87B, aliæ sunt latiores, aliæ angustiores, 219C'. Per has Deus dat cunctis substantiam, gradum et speciem, 218B, et providentiam suam manifestat tum universalem tum particularem, 219B'; per has et cognoscitur unus, 73B, et quasi multiplicatur, 72B', vel plurificatur in effectibus, 73B. — Cf. Emanationes.

PROCESSUS. A bono ut sic nihil procedere potest nisi bonum, 156B'. — Omnium rerum processio a Deo, est quasi directus Dei motus, 299D.

Ex philosophorum dictis : Omnia entia procedunt ab una prima causa, 165D'. — A quo processio, ad id conversio, 28A', et sicut res procedit, ita convertitur, 130B; unumquodque enim ad id convertitur a quo procedit, 141A', et per quot procedit, per tot convertitur, 141A', quia mensuræ conversionis determinatæ sunt et correspondent mensuris secundum processum, 130B. — Omne causatum manet in sua causa, et procedit ab ea, et convertitur ad ipsam, 136D, tanquam indigens ea, 66B'. — Omnis processus per similitudinem secundorum ad prima efficitur, 142A', et omnium divinorum processuum fines ad sua principia assimilantur, 261A. — Omne procedens ab aliquo et conversum ad illud, habet circularem operationem, 299C'.

PROCHORUS (S.), unus de septem primis diaconis, Joannis minister et comes, vitam ejus scripsit, 584A.

PROCLUS, « subtilissimus » philosophus, 19B', sæpe documentis magistri Platonis utitur, 130B, 135C, 165D'; plures deorum ordines videtur admisisse, 219A', et mundum intelligentiasque ab æterno fuisse credebat, 294A. — Multoties allegatur, 1, 25D', 29A', 32D,

59D', 61C', 66D, B', 70A, 120C', 121A, C', 124B', 126B', 127A, 129A, C, 130B, 135D, C', 136D, 137B, 138C', 141B, A', 142A', 154A', 156B', 159A, 160D', 165D', 223C, 224D', 231B, 256C', 259A', 261A, 276D', 294A, 299C', 320B', 333C', 339B, C, 340A', C', 489D.
PROFUNDUM Dei, quid, 296A, B.
PROMISSIONES Dei sæpe sub conditione fiunt, nec semper verificantur, 565A.
PROPHETIA inter præcipua fidei firmamenta recensetur, 9A'. — Omnis prophetalis illuminatio a Deo est, 171D', nam Dei inspiratione, non sua voluntate, loquebantur Prophetæ, 541C'. — Prophetæ luminaria sunt Ecclesiæ, 171B'. Symbolicis locutionibus usi sunt, 567A, et sub corporeis imaginibus notitiam accipiebant divinorum, 567B, quare, 567C. — Pseudoprophetæ præcipue arguuntur quia vaticinandi officium præter voluntatem Dei arripiebant, 541B'. — Prophetiæ spiritu plenus Areopagita, 586C', libertatem B. Joanni exsulanti pollicetur, 586A'. — *Cf.* Promissiones.
PROVIDENTIA. Providere est proprietas divina, 66B, et actus divinus, 332B, quæ tamen eminentioribus creaturis communicantur, 276C'. Providendo quasi extra se fit Deus, 149D; cur ipsi tribuantur plures providentiæ, 219D'. — Providentia divina elementorum distinctione et conservatione probatur, 276A', et processionibus Dei ad extra, 219B'. — Omnium curam habet a summis usque ad novissima, 183B, omnium entium naturalem dispositionem servans, 183A', singula moderans juxta propriam naturam, 183B', unicuique dispensans bonitates pro cujusque capacitate, 183C'. Nihil est quod eam effugiat, 162A, 182C, ne adversarii quidem, 162A'; etiam malis ad bonum utitur, 183A, sed neminem invitum salvat, 183C, quare, 183D. — Per craterem Sapientiæ recte significatur, 570C, quia omnibus dat esse et bene esse, 570B', ad omnia procedit, in omnibus fit, omnia continet, 570B', et in se invariabilis manet, 570C'. — Circa providentiam Dei multipliciter erraverunt philosophi, 13A', et non nisi ex Scriptura quidpiam consonum agnoscere possumus, 13B'. — In creaturis, quæ aliis provident, merito divinæ vocantur, 276D'. — *Cf.* Prædestinatio.
PRUDENTIA humana, respectu divinæ sapientiæ, error est, 251A. *Cf.* Sapientia.
PTOLEMÆUS (Claudius) astrologus, solem in medio planetarum ponit, 125B'.
PULCHRITUDO. Ad pulchritudinem tria requiruntur, 175C', imo quatuor, 258D'. — Pulchrum et bonum in Deo idem sunt, 134A; in creaturis ab invicem differunt 134B, quia bonum ad vim affectivam, pulchrum ad cognitivam magis pertinet 134B. — Pulchritudo Deo competit altiori modo quam capere valemus, 136C', pulcher est enim sine pulchritudine, 228A; sed dicitur pulcher, tanquam causa omnis pulchritudinis creatæ, 134D, et omnis compositionis, 134A', cunctis creatis suæ formositatis radios emittens, 134A' et pulchra faciens quæ sunt indecora, 154C. Pulchritudo cuilibet divinæ Personæ convenit, licet Filio approprietur, 51B. — In creaturis illud pulchrum dicitur, quod primum et summum pulchrum participat, 134B; quidquid enim in creatis pulchri est, ab æterno decoris fonte derivatur, 135A', et nulla est creatura quæ aliquam hujus participationem non habeat, 136A'. — Forma a materia prima appetitur, tanquam pulchrum a turpi, 124A', quia est decor et perfectio materiæ, 176B.
PUNCTUS imaginarie tangi et tangere dicitur, 60B'. — In puncto quasi colliguntur omnes lineæ, 224B, A'. — Deus est velut punctus in medio circuli, 60B, cui communicant omnes lineæ circuli, 60C. — In puncto mortis gaudere, non est multorum, 592C'.
PYTHAGORAS philosophus subtiliter de ordine universi scripsit, 261A', falso tamen asserens omnes substantiales formas ejusdem esse speciei, 279B'. — Pythagorici perperam cœlos concentum facere putabant, 125C.

Q

QUANTITAS, sicut et qualitas Deo non competit, 465A'.
QUIDAM (Albertus Magnus) injuste carpens Avicebron reprobatur, 141C. — Alii pariter, tacito nomine arguuntur : (Almaricani) 31B', (Aristoteles, Peripatetici) 141B, (Averroes, Avicenna) 274B'.
QUIES Principium quietis est natura, 221B. — In quiete potissimum invenitur Dominus, 291B', qui in emanationibus suis tam ad intra quam ad extra, in se quietissime stat, 562B', et in quietis mentibus peculiariter habitat, 30B'. — *Cf.* Mansuetudo, Pax

R

RADIUS. Quælibet creatura quasi radius est sui creatoris, 120C; maxime anima rationalis, 175A. — Divinum radium non nisi sub sensibilium signorum velamine percipere possumus, 22A, utpote imperfecti, 302A'. — Radius illuminans omnem hominem Christus est, 19A, gratia vel synderesis, 19B. — Radii rotæ in axe quasi unificantur, 224D, et quo magis a centro distant eo magis ab invicem divaricant, 224A.

RAPTUS ex fervida contemplatione oritur, 68D', ubi anima in lucis abyssum introducta, ineffabiliter Deo conjungitur, 68D'. — Pulchre a S. Bernardo describitur, 493C. — Cf. Contemplatio.

RATIO quæ ab intellectu differt, 10A; quid sit ratio particularis, 254C. — Quamvis sæpe sensitivis passionibus obfuscetur, 158B', semper ad optima deprecatur, 16C, 179C', et malum est animæ contra eam agere, 182B'. — Fidei subjici et servire debet, 241C'; ideo falluntur qui per rationem supernaturalia judicare volunt, 254C', et ineffabilem Dei rationem intelligere, 254D', propria sensa persequentes, 252C, quæ per rationem declaratam asserenda sunt, 252A'. Dei unitatem quantum ad quia est nosse valet, 49B', non Trinitatem, 49B, 55B. — Ratio proprie Deo non competit, qui discursive non cognoscit, 264C', 467B; ideo dicitur irrationalis quasi omni ratione infinite altior, 12B', 255B', et rationalis, 250C, tanquam omnis rationis largitor, 249C, 264C, et fons totius discretionis, 467A, universorum rationes in se æternaliter includens, 264C, et ad omnia pertingens, 264D. Quid ratio Dei, 264C', D'. — Rationale generalius est quam spirituale, 220B, ideo spiritualia præstant rationalibus sicut rationalia sensitivis, 220B. — *Cf.* Intellectus, Synderesis.

REDEMPTIO. Sic dicitur quandoque justitia Dei, quia culpa non permittit lapsum in non esse, 282A, et si quis ex infirmitate devolutus sit ad culpam et deordinationem, 282B, eum misericorditer a malo redimit, 282C, liberatos in bono confirmans, 282D, bonos perficiens, 282A', omnium delens maculas, 282A'. *Cf.* Justitia.

REFLEXIO. Ad se et suos actus reflexivi sunt angeli, 275D, et intellectus humanus, 148C', 252D. — Omne reflexivum ad se ipsum necessario est simplex, indivisibile, incorporeum, immortale, quod id quo est taliter reditivum ad se, 124A. — *Cf.* Conversio.

REGNUM quatenus Deo competat, 544A', 467A', et hominibus, 544D. — Reges in Scriptura vocantur coadunatores personæ, 444B', C, a quibus cetera dona Dei percipiunt, 334B', et ad Deum reducuntur, 334D'. — Generaliter a superioribus diriguntur inferiora, 544D, ideo superiorum est inferiores regere, 545D. — Nequit alios regere qui se ipsum non regit, 545A, nec civitatem, qui domum præesse nescit, 545A, nec regnum, qui civitati gubernandæ impar est, 545B.

RELATIO in Trinitate multiplicat personas, 50D. — Deitatis relationes ad extra tribus personis communes sunt, 51D'. — *Cf.* Emanatio, Processiones.

RELIGIO. Multi in religione pereunt : subditi, quia juxta vocationis exigentiam conversari nolunt, 494B', prælati, quia fraternæ correptionis præceptum negligunt, 494C'. — Mysticæ theologiæ indigni sunt tum subditi indevoti, tum prælati ignavi, 495A. — *Cf.* Monachi.

RES. Nulla res est exsistens quæ non sit una, 320A', quod enim non ad aliquam redigitur unitatem, nec res est, nec pars rei, nec accidens, 320B', perfectio igitur unius rei est in unione et unitate, destructio in divisione et dispersione a suo principio et a fine, 341C'. — Res aliæ sunt universales, aliæ particulares, 226A, et species earum concatenatæ sunt instar numerorum, 122C, 224C'. — Non a rebus causatur scientia Dei, 256B, nec a rebus incrementum recipit, 256C, 257A', sed est causa rerum, 256B, similiter non a rebus scientiam acquirunt angeli, 253C', nec per rerum phantasmata, 254A'. — Scientiæ reales de realibus sunt objectis, quamvis objecta non exsistant realiter nisi in particularibus, 226A. — *Cf.* Esse.

RICHARDUS (de Mediavilla) allegatur, 487B.

ROS optime Scripturam figurat, 572A, quia vim habet vivificandi, 572B.

ROTA. Deus est in creatione sicut axis in medio rotæ, 60B, cui communicant omnia in circulo, 60C. *Cf.* Circulus.

RUSBROCHIUS (Joannes) « devotissimus vir innocensque », « acriter nimis et non vere » a Gerson redargutus est, 493B'.

S

SACERDOTES. Sub lege, ipsis dumtaxat fas erat vasa sacra tangere et cooperire, 541 A'. — In Ecclesia, primum locum tenent post episcopos, tanquam LXXII discipulorum successores, 539 C, et angeli Domini, 539 D. — Eorum erat alios docere etiam diaconos et monachos, 539 D, et monachos consecrare, 539 A'; ideo post episcopos in choro collocabantur, 539 B'. Circa altare stantes, divina aperte videbant, 540 B, deinde extra chorum ad plebem exeuntes, ea inferioribus manifestabant, 540 B, pro cujusque capacitate, 540 C. — Quum ad sacerdotes pertineat alios illuminare, indignus est sacerdos qui nec illuminatus est nec illuminativus, 543 B. Sacerdos malus Deum non honorat, sed potius infamat, 543 D, non vere precatur conficiendo sacramenta, 543 A', nec est verus sacerdos, sed Dei inimicus et lupus ovina pelle contectus, 543 B'; in omni actu ordinis sui mortaliter peccat, 543 C', scilicet quum tangit sacras vestes, cantat, etc., 543 D'. Verumtamen indecens est illum a diacono reprehendi, 538 C, aut monacho, 544 C', quia ordo est ut sacerdotes solis episcopis subditi sint, diaconis præsint, 545 A'; sed ne impunitus remaneat, 542 C, episcopis denuntiandus est, 545 B'.

SACRA. Sacerdotes et diaconi circa altare collocati, sacra aperte videbant, 540 B, deinde extra chorum exeuntes, ea plebi manifestabant, pro cujusque capacitate, 540 C, etiam monachis, 540 A. — Qui a sacris indignos arcent, non peccant, 169 A, sed qui a sacris arceri merentur, 169 A'. — Sacrificiis delectantur dæmones, 171 D.

SÆCULUM. Deus est sæculorum sæculum, 221 D', rex, 221 B', et mensura, 221 B, ante sæcula et super sæcula, 70 D'. — Philosophica : Causa prima replet omne sæculum bonitate, 161 B, 183 D', sed omne sæculum non recipit inde nisi secundum modum virtutis suæ, 183 D'. — *Cf.* Tempus.

SALUS omnium est divina justitia, 281 B unicuique rei propriam speciem et actionem servans, 281 B, ne in deterius immutetur, 281 D, aut corrumpatur, 281 B', unicuique connaturale tribuens, ne in aliam naturam transeat, 281 C', omnia demum entia a casu et defectu liberans, 281 D'. — Unica salutis via est fides christiana, 264 B, nec ad eam sufficiunt virtutes acquisitæ et naturales 282 D'. — De salute hominum lætantur angeli, 535 C'. — Bonum est salvativum omnium entium ; propter quod appetibile est omnibus, 29 A'.

SANCTITAS quid sit in Deo, 331 C, in Beatis, 331 D, in viatoribus, 331 A'. — Deus est sanctitas summa, 332 C, Sanctus Sanctorum, 333 B; Christus, omnis sanctitatis « thearchichus perfector », 546 C'. — Sancti melius quam philosophi mysticam theologiam experti sunt, 492 D', sive ad eam conatibus pervenerint, sive ad eam liberaliter introducti, 493 A. Eis expedit in præsenti tribulari, 280 D, quia sic in virtute roborantur, 280 A'. — « Sancti » in Scripturis vocantur eminentiores personæ, 333 B', D', a quibus inferiores dona Dei percipiunt, 333 C', et ad Deum reducuntur, 333 D'. — Nullo modo dicendi sunt sancti qui terrena et carnalia quærunt, 280 A, cœlestia et divina negligunt, 280 C. — *Cf.* Beati, Justi.

SANITAS quæ est in rebus ad extra, ex sanitate venit quæ est in mente artificis, 340 C. *Cf.* Ægritudo.

SAPIENTIA. Ad eam pertinet omnia ordinate disponere, 223 D. — Deus sapiens et sapientia dici potest, 150 C, imo sapientia æterna, 222 B, per se subsistens, 250 A, in qua idem sunt ens, vita et sapientia, 219 D, fons omnis sapientiæ, 59 B', 219 C, 250 B, 253 C, B', angelicæ, 253 C', humanæ, 254 C, et dæmoniacæ, 254 C', totius consilii, scientiæ et intelligentiæ causa, 253 C, omnes intellectus illuminans in cœlo et in terra, 218 A'. — Divina sapientia « arcanum est super sensum », 12 D, quia omnem intellectum superat, 250 D, et ejus « interminabilitas » nos latet, 13 A'; ideo sapientia dici nequit modo nobis consueto, 467 A', et vocatur « stultitia », 251 D, A', 253 A, sed aptius diceretur « supersapientia », 253 A'. Toti Trinitati communis est, 75 B, et cuilibet Personæ competit, 51 B, licet Filio approprietur, 51 B, qui est sapientia per se et ad se, 322 B. Principium est emanationum Dei ad extra, 75 B; ea enim Deus omnia ordinat, gubernat, 253 B', 568 A, conservat, 20 D, et terminat, 278 D', tanta est ut non permitteret mala nisi inde bona eliceret, 183 A. — Omnis sapientia creata radiolus est increatæ, 250 D, et respectu divinæ reputatur stultitia, 250 B. Ad cognoscenda divina parum juvat, 9 C. — Sapientia

Christianorum, 447 D. Est inchoatio vitæ beatorum, 447 A'. Infirmi sunt « circa sapientiam », qui ad Deum corde firmo et integro converti nolunt, 185 D.

Sapientiæ donum est omnium præstantissimum, 491 D, subjective est in intellectu, completive in voluntate, 491 D', caritati inseparabiliter unitur, 491 C, et triplicem habet gradum, 491 C', cujus summus proprie est mystica theologia, 491 C, et non nisi in perfectis invenitur, 492 B, multum juvat ad Dei cognitionem 488 B et contemplationem, 448 C. — Sapientiæ cratér, 569 D', et convivium, 570 C, quid significent, 570 C, 571 D. De his diffusius agebatur in Symbolica theologia, 571 A'. — Sapientiæ liber, vel « Salomonis » est a Philone conscriptus, 146 B, multum confert ad intelligentiam Scripturæ, 146 A, cujus est quasi commentarium, 146 D.

SARRACENI stultissime Christianos incusant quasi Evangelium corruperint, 53 A'.

SAUL, rex Israel, bonum male operando abjectus est, 544 B.

SCEVA archisynagogus. Ejus filii a dæmonibus vulnerati sunt quia ultra potestatem suam tentabant, 544 B'.

SCHOLASTICI quidam carpuntur, 428 C'. — Ille ex tot scholasticis doctoribus S. Thomas fere solus canonizatus fuerit, 494 D. — Scholastica historia (P. Comestoris) erroris arguitur, 525 C. (Migne Patrol. lat. tom. 198, col. 1611.)

SCIENTIA quid est, 14 C, 257 D', 563 C', 514 D'. Sæpe pro fide accipitur, 262 C'. — Omnes naturaliter scire cupiunt, 98 B', quia scientia perfectio est rationalis creaturæ, 98 B'. — Scientiæ omnes « existentium sunt », 24 C', circa entia versantur et in entibus terminantur, 24 C', sed scientiæ humanæ potius sunt de rebus quoad esse essentiæ seu quidditativum, quam quoad esse existentiæ, seu suppositorum, 24 C'. Scientiæ reales de realibus sunt objectis, quamvis objecta non existant realiter nisi in particularibus 226 A.

Deus essentialiter scientia est, 251 D', 259 C, sed non eodem modo nobis, 467 D; scientia increata, in qua idem sunt essentia, scientia et notitia, 13 D, sciens, scientia et scitum, 563 A, scientia exemplarium, 292 D, fons et causa totius scientiæ, 257 A, 513 B', cujus « incircumscriptibilitas » non latet, 13 A, et in infinitum omnem creaturam superat, 13 C. Una eademque scientia æternali omnia novit, 255 D', 257 A, se tanquam omnium causam, 257 B, alia cuncta tanquam suos effectus, 257 C, vel eos contrarios, 256 A. Scientia Dei non a rebus causatur, 257 A, A', nec ex rebus incrementum accepit, 256 C, sed est ipsa causa rerum, 13 D, 256 B. Circa hanc multipliciter erraverunt philosophi, 13 A'. — Deus proprie sciri nequit, 14 C, quia a priori sciri non potest, 257 D', nec ulla scientia comprehenditur, 453 A, imo, quo quis magis est illuminatus, eo clarius videt eum esse prorsus incomprehensibilem, 457 B, et hæc est altissima Dei scientia in hac vita, 453 A'. Divinorum scientia non ex humanæ sapientiæ argumentis desumenda est, 9 C, sed ex fidei considerationibus, 9 D, non est irridentibus proponenda, 34 C, ne inde gravius peccent et damnentur, 34 D. Mystice figuratur per Sapientiæ cibum liquidum, 571 B', et solidum, 571 B. — Omnis creata scientia rivulus est increatæ, 30 A', 250 B, a divina sapientia procedens, 253 C. — Unica salutaris scientia est fides catholica 264 B, infirmi sunt circa eam qui scienter peccant, 184 C, et eorum scientia augetur peccatum, 184 C'. — Quid scientiæ donum, 571 C'.

Ex philosophorum dictis : Scientia est eorum quæ immutabilem sui sortiuntur substantiam, 226 A. — Res omnes intelligentes habent scientiam propter intelligentiam primam, 124 D'. — Scire est rem per causam cognoscere, 514 D', sed contingit plura scire, unum autem intelligere, 449 B'. — Omnis sciens qui scit essentiam suam, est rediens ad eam reditione completa, 563 B. — Cf. Cognitio, Doctrina.

SCOTUS (Duns), Ord. Min. theologus, asserens aliquid univoce de Deo et creaturis prædicari posse, 487 B, improbatur, 487 C.

SCRIPTURA sancta, est quasi epistola S. Spiritus ad Ecclesiam, 13 C. — Major est omni humana ratione, 297 D', summam veritatem summamque sapientiam continet, 11 D, 17 C, et nihil erroris, 53 C, nullus textus alteri contradicit, 539 B, sed alia per alia declarantur, 53 C. Ideo nefas est quidquam ipsi addere vel demere, 53 D, scelestissimum est eam « falsare » aut mutare, 13 C, ei contradicere, hæreticum, 52 A. Quo sensu dicatur multa et minima, 450 D. — Animam vivificat ut aqua, pascit ut lac, 572 A, B, recreat ut vinum, purgat ut mel, 572 A, B, omnibus dat spiritualium refectionum copiam, 572 A', id-

circo fideles alere, renovare ac perficere dicitur, 572B'. — Inde nobis derivatum est fere quidquid de divina scientia et providentia novimus, 13B'; inde didicimus Dei unitatem, 19C, et trinitatem 20A, cum Personarum unitate et distinctione 51A', Deum omnia bonitate creantem, 20C, conservantem sapientia, 20D, misericordia redimentem, 20D'; inde laudare Deum docemur, 17D. Ex ea nobis desumenda est divinorum scientia, 17C, quia nihil de Deo asserere fas est præter ea quæ nos docet, 10B, 13A, saltem virtualiter et implicite, 13B. — Ad Scripturarum intelligentiam confert naturalium notitia, 575A'.

SCULPTURA. Sicut sculptor « agalma » faciens, superflua resecare debet, 457D, 485D', ita Dei « agalma » efformare cupientes, per abnegationem removere omnia quæ hic sciunt oportet, 485D'; abstrahendo enim ab esse omnem potentialitatem et imperfectionem, ad proprium et absolutum Dei conceptum pervenimus, 486B.

SEDES. Deus aliquo modo et sedere et stare dicitur, 292A' : sedere, quia in se invariabilis stabilisque consistit, 298C, et operatur uniformiter, 298D, ex se immutabilis subsistens super omnem naturam, 298D, stare, quia causa est stationis ac profectus universorum, 298C', et omnia in sua infinitate comprehendit et custodit, 298C'. — In angelis sedere dicitur, 452B' sed non nisi metaphorice, 564D'. — *Cf.* Locus, Statio.

SENECTUS. Ad contemplationem requiritur gravis ætas et diuturna exercitatio, 93D', ideo ad senes potissimum spectat vitam ducere contemplativam, 94A' ; verumtamen spiritualis senectus in adolescentibus reperiri potest, 94A. — Deus et senex et juvenis dicitur, 307D' : senex tanquam exsistens ab initio, 308A, juvenis tanquam non senescens, 308A, utroque vocabulo æternitatem ejus significante, 308A'. — Indecens est senem a juvene increpari, 544B'. — Cur in senibus minuatur vis visiva, 170B. — *Cf.* Antiquitas, Juventus.

SENSUS. Generalius est sensitivum quam rationale et intellectuale, 220A, ideo sensitivis præstant rationalia et intellectualia, 220B, sicut viventibus sensitiva, 220B. — Per sensum fit meditatio, 25D'; verumtamen sensitiva cognitio est intellectivæ umbra duntaxat, 218B', et aliqualis participatio, 254B', et sensitivæ passiones rationem offuscant, 158B'. — Sensus Deo non competit, 25B', qui est super sensum, 255A', quamvis dator sensuum, 219C; nihil ex sensibilibus rebus de eo vere et proprie enuntiari potest, 464C', qui nec sensibilis est, 465A', nec quidquam sensibilium est neque habet, 465B'. Non tamen est sine sensu spirituali, 465A. — Sensibus carent angeli, 254B, ideo nec sensibus scientiam acquirunt, 253C', nec per sensus inferiora cognoscunt, 257B'. — Quamvis appetitu sensitivo careant dæmones, 171D, ac sensitivis passionibus, 171C', inordinatis motibus vehementer agitantur, 171D'. — Sensus Deum attingere nequeunt, 25B', saltem corporales, 259D; nihil prosunt in interioribus speculationibus, 144C', nec ad cognitionem Dei, 259A'; eorum vires ac operationes transgredi debet anima, 448D', ut simplicissimo Deo adhærere queat, 449A'.

Per sensibilia in Scripturis invisibilia designantur, 22B, et divina nobis manifestantur, 562D, tum quia sensibilia sunt spiritualium significativa, 565C', tum quia connaturale est homini per visibilia ad invisibilia manuduci, 23B', 562D, nec illuminationem divinam absque sensibilibus formis recipere capax est, 22A, B', tum demum ut divina profanis celentur, 566A, solisque fidelibus pateant, 566B, qui idonei sunt anagogicos sensus percipere, 566C. — Primo igitur per sensibilia eruditur anima, 23B', sed postea, remotis signis, 562A', quæ indecenter valde occulta figurant, 563C', divina pro posse apprehendit directe, 23C', et simpliciter, 23D'. — *Cf.* Signa, Spiritus.

SIGILLUM. Divina essentia est quasi sigillum, 60C, ad cujus effigiem cunctæ efformantur creaturæ, 60D, et quamvis in universis una sit effigies participata, 60D', a singulis diversimode participatur, 61A, sive propter diversam materiæ aptitudinem, 61B sive propter diversum Dei influxum 61A'. — Ab angelis participatur divina bonitas per modum signaculi, 161C'. — *Cf.* Participatio.

SIGNA ad varia significata flecti possunt, 566D', et diversimode ad significata referuntur, 569B'. Eo efficaciora sunt quo nobis magis nota ac propinqua, 567C'. — Sensibilibus signis usi sunt Prophetæ, 567A, angeli, 567B, Christus ipse 567C, in symbolica theologia, divina nobis sub figuris manifestantur, 562D, ut et indecentibus, 563C', non

pendo : quia naturale est homini per sensibilia ad invisibilia duci, 502D; nec tantum ut divina ab indigna carnalium tractatione arceantur, 507C, sed ut pars animæ inferior pro capacitate doceatur, 507D, quæ superiora in se videre nequit, 507D', et ad exercendam se perficiendam studiosos, 506A', dum sub sensibilibus signis sensum quemdam aperiendum, 506D, C'. — Ita perperam admirationibus imperfecti, 502D, et in fide vacillant, 502C', sed perfecti ea transgredi conantur et significata pure contemplantur, 502A'. — Cf. Somnia, Symbolum.

SILENTIUM neque nihil est, 174A. Deo proprie non competit, qui intra se æternaliter loquitur, 467D. — In silentio potissimum invenitur Dominus, 291D'. — Fideli in præsenti vita quandoque ad gaudia silentii rapiuntur, 485B', id est quietissimæ contemplationis, ubi secreta docentur, 448A, et radiantissimum lumen increatum percipiunt, 448C, Deum ad momentum videntes, sicuti est, 485B'. — Cf. Contemplatio.

SIMILITUDO ad intellectum spectat magis proprie quam ad voluntatem, 229D. — Omnia congregat, sicut dispergit dissimilitudo, 159A, et dilectionem parit sicut dissimilitudo odium, 231C. Inter æqualia perfecta consistit, 297D, minime vero inter causam et causatum (æquivocum), 297A', quia non sunt æqualia, 96A'. — Omnia suis similibus conjungi cupiunt, 319C', et unusquisque illi potissimum similatur cujus actiones exercet, 149A. — Similitudines rerum intelligibiles in Deo ab æterno existentes creaturis dant esse omne quod habent, 229A. Ideo creaturæ paradigmatum divinorum similitudines dicuntur, 258A. — Ad similitudinem Dei efformatæ sunt omnes creaturæ, 60C, et quælibet quamdam creatoris sui imaginem præ se fert, 105A'; sed quamvis una sit effigies participata, 60D', multimode inter se differunt, quia inæqualiter eam participant, 61A, sive propter diversam earum dispositionem, 61B, sive propter diversum ejus influxum, 61B'; angeli et Beati excellentius, 15C, 122C', viatores imperfectius, 15C, 179B', sed universi imperfectissime, 225C. Hic est divinæ similitudinis effectus ut creata ad Creatorem reducantur, 257C. — Quo sensu vulgo dicatur, Omne simile est dissimile, 298B.

Similitudo quandoque pro æqualitate sumitur, 298A, et ita Deo nihil similari potest, 95A, 292B, 297A, D'; quandoque pro imperfecta similitudine, et sic creata ei similia dicuntur, 292A, 297A. — Deus ergo dicitur quodammodo omnibus similis et dissimilis, 292B'; similis, quia non solum ad suam imaginem fecit omnia, 60D, et quibusdam præstat similes esse sibi, 297B', sed causa est omnis similitudinis inter creata, 137A, 224B, 297B', quum omnibus insit aliquid quo perfectionem divinam imitantur, 297B'; dissimilis, quia nullum habet æqualem, 292B, 297A, D'. — Similiter cuncta Deo similia et dissimilia dici possunt, 298A; similia in quantum aliquid divinæ perfectionis participant, 298A'; dissimilia, in quantum ab ejus perfectione infinite distant, 298A'. — Absolute dicitur Deus sibi similis, tanquam quid simplex et invariabile, semper eadem habitudine consistens, 296D.

Ex philosophorum dictis : Optimus cuncta sibi similia, prout cujusque natura capax esse poterat, effici voluit, 135C, 536C. — Omnis processus per similitudinem secundorum ad prima efficitur, 142A', et omnis conversio per similitudinem eorum quæ convertuntur, ad id ad quod convertuntur 142A'. — Omnium divinorum ornatuum summa assimilantur ultimis superpositorum, 261A, et omnium divinorum processuum fines, ad sua principia, 261A. — Cf. Æqualitas, Alteritas.

SIMON magus vitam futuram impie negabat, 243B', rationi propriæ fidens magis quam divinæ auctoritati, 243C', et non minus rationi quam Deo contradicens, 243D'. — Olim sapiens æstimatus est, 243C'.

SIMPLICITAS alia est imperfectionis, alia perfectionis, 231B, alia materiæ, quæ omnem excludit actualitatem, 231B, alia Dei, quæ excludit omnem potentialitatem, 231A. — Divina simplicitas additionem non admittit, 231A, omnem creatam mentem superat, 218A, omnem duplicitatem ac simulationem abhorret, 231B, sed in varios procedit effectus, 218C'; propter hanc Deus superat omnia, 231A, et difficillime cognoscitur, 503C'. — Simplicitas maxime commendatur, 231C, 535A; ut enim simplicissimo Deo intenta esse queat anima, 449B', oportet eam cuncta creata transcendere, 449B, per maximum simplificationem, 449B'. — Per

incarnationem Deus de simplice factus est compositus, 21C. Quomodo dicatur « simplicitas simplicium », 18C'. — Philosophica : Omnis substantia stans per essentiam suam, est simplex et non dividitur 121A, et omnis substantia simplex, est stans per se ipsam, 121A. Significatio primi est unitas ejus et unitas ejus est pura, quoniam simplex est in fine simplicitatis, 139B'. — *Cf.* Compositio.

SINGULARITAS vitanda est, 332B'. — An Deus dici possit singularis, 73B.

SOCRATES philosophus, politicis et moralibus virtutibus intentus, 492C, quamdam Dei naturalem notitiam et dilectionem habuit, 492D, sed caritate et infusa sapientia caruit, 492D.

SOL in medio planetarum situs, 125B', planetas et sidera vehementer excedit magnitudine et virtute, 127C, ideo dicitur « luminare magnum », 125B'. — Videtur esse elementaris naturæ, 128C', et inanimatus, 119C'. Lux in eo non est forma substantialis sed qualitas naturalis, 119A'. — Sol est « vestigium obscurum sui creatoris », 119C', et optima divinæ bonitatis figura, 126A, quia sua naturali proprietate omnibus, juxta capacitatem, lumen infundit, 119A', et corporalia trahit ad sui luminis participationem, 130C, dissoluta reparans, readunans divisa, 130D. Totum illuminat mundum, 127C, præter cœlum empyreum, 127D, et omnia irradiat quotquot sunt illuminationis capacia, 127A', sua virtute ad multa penetrans ad quæ lux ipsa essentialiter non pertingit, 119C'. — Multarum particularium causarum efficaciam in se continens, 228A', tempora determinat distinguit, 128C, et mensurat, 125C', 127D', principium est visionis, motus et caloris, 130A', ad generationem mixtorum confert, 127C', frigus depellit, 128C, germinationem provocat, 128C, omnia nutrit, custodit, auget, 127C', 228C, fecundat, perficit et renovat, 127C', 228D, et mundum inferiorem lætificat, 128C, 130B', adeo ut ab omnibus creatis appetatur, 130A', et a quibusdam deus vocetur, 127C'. Non tamen putandus est, ut apud ethnicos, rector esse orbis terrarum, 130C'. An et quatenus causa sit actuum humanorum, 127D', generationis et corruptionis, 128A. — An tempore Josue, vere steterit, 521A', et quamdiu, 522C. — Tempore Ezechiæ, per decem horas retrorsum rediit et per decem alias solitam viam repetiit, 522B', 523A, siquidem umbra decem lineis retrogressa est in horologio, 522C'. Hæc miranda solis regressio Babyloniis nota fuit, 523C, et cunctis gentibus, 523C', et in historiis Persarum commemoratur, 523D'; imo nunc quoque apud Magos, annua fit memoria hujus « triplicati solis », 523D'. — Stupenda solis eclipsis, moriente Christo, narratur, 524A, 590D, occumbente nimirum auctore, amplius lucere nequivit, 591A. — *Cf.* Cœlum, Eclipsis, Lux.

SOMNUS mœrore turbatur, 550D. — Non nisi metaphorice Deo tribuitur, 564D'; dormire enim dicitur Dominus propter excellentiam suam, qua ab omnibus separatur et in se ipso quiescit, 574A. — *Cf.* Vigilia.

SOSIPATER sacerdos, Pauli discipulus, infideles indiscrete increpans, pie ab Areopagita carpitur, 545A, et quomodo fidem prædicare deceat, edocetur, 546A'.

SPATIUM in quibus consistat, 258D'. *Cf.* Locus, Magnitudo.

SPECIES rerum intelligibiles in Deo ab æterno exsistentes, creaturis dant esse substantiale et omne esse quod habent, 229A. — Ejusdem speciei fuisse ab initio omnes creaturas perperam asserit Origenes, 279B', nam unicuique data est naturalis capacitas juxta speciem, 300A, et dantur munera juxta dignitatem, 300B; unaquæque in propria specie servatur, 281B, 283A', ne in deterius mutetur, 281D, vel corrumpatur, 281A'. — Species rerum concatenatæ sunt instar numerorum, 122C, 224C', 317D, et quantum una distat ab alia, tantum aliæ quoque ab invicem, 317D. — Quomodo dicatur Christus ejusdem speciei ac ceteri homines, 509A. — Species angelorum specialissimæ Deo duntaxat innotescunt, 24B'. — Plus vel minus non mutant speciem, sed qualitatem, 159B.

SPECULUM Quasi speculum est divina essentia, ubi plura pauciorave vident Beati secundum Dei beneplacitum, 168D, et divina veritas in qua exemplariter resplendent cunctæ creaturarum veritates, 262B. — Angeli purum divinæ perfectionis speculum dicuntur, 262B.

SPIRITUS utique Deus est, sed modo nobis incognito, 467A', ideo nihil ex incorporeis et spiritualibus proprie et vere de eo enuntiari potest, 466A, qui nec anima est, nec intellectus, 466A', nec intelligentia, 467A, nec

visio, 467A'. — Spiritualia intelligere non valemus 121B, ideo ea in Scripturis per sensibilia designantur, 28C, B', et in theologia symbolica sub sensibilibus nobis proponuntur, 33B', ad exercendum et perficiendum studiosum, 300A, qui sub figuris quærere debent sensum spiritualem, 300C'. — Vel in affirmativa theologia, opus est quamdam eorum imaginem in mente formare ad plenius capienda spiritualia, 367C. — *Cf.* Sensus, Signa.

Spiritus Sanctus est quasi deitatis frutex et flos, 65B'. — A voluntate Patris emanat, 400C, sed non nisi metaphorice dicitur ex ore Dei procedere, 364B. Non asseruit Areopagita eum a Filio procedere, quia nondum exorta erat de hoc controversia, 400C'. — Sic dicitur bonus, 50B', qui est, 50C', vita, 50D', Dominus, 51B, quomodo dicatur unus, 54A, et « Spiritus theologorum », 9D'. — Ipse est qui nobis divinorum occulta revelat, 9C', et in omni actu meritorio cooperatur, 364B', hinc tanto clarius æterna contemplamur quanto magis ejus donis abundamus, 11A'. — Omnia in ipso sunt tanquam in causa finali, 51D, et ipse super quietum et humilem requiescit, 16C. — Deitati in abstracto non competit spirare nec spirari, 65C, ideo non nisi improprie dicitur Pater spirare, vel Spiritus spirari, 564A. — *Cf.* Trinitas.

STATIO. Deus nec stat nec movetur localiter, 467D, sed stat invariabiliter inseparabiliterque essendo, 571A. — Dicitur tamen quodammodo sedere et stare, 292A' : sedere, quia in se immutabiliter subsistens, 298C, uniformiter operatur, 298D, stare, quia causa est stationis ac profectus universorum, 298C', et omnia in sua infinitate continet et custodit, 298C'. — Tam in interna quam in externa emanatione Deus in se quietissime stat, 522B'. — *Cf.* Motus, Sedes.

STATUA. Vide Agalma.

STELLÆ mole et virtute multo minores sunt sole, 127C. — Motu proprio sphæræ et primi mobilis moventur, 125A', et cursum quotidie complent, 125A'. — In suo statu divina virtute servantur, 275D'. — *Cf.* Cælum.

STULTITIA. Sic dicitur quandoque sapientia Dei, 251D, quæ omnem creatam mentem transcendit, 251A, quemadmodum justi carnalibus stulti videntur, 253B. — Respectu divinæ humana sapientia est mera stultitia, 250B. — Stultum est Dei opera et judicia velle judicare, 250B', et omnipotentiam metiri, 274A'. — *Cf.* Sapientia.

SUBDITI multi in religione pereunt quia juxta vocationis exigentiam conversari renuunt, 494D'. — Prælatum reverenter reprehendere et accusare possunt, 548D. — *Cf.* Inferiora.

SUBITO. Id subito fieri dicitur, quod fit præter spem, 507A, et ex occulto ducitur in manifestum, 507B, ideo ad nos subito venisse dicitur Christus, quia ex occulto divinitatis suæ ad nos descendit, 507B. — Item subitaneum vocatur quod instantaneum est aut celerrime factum, 508A'.

SUBSTANTIA ut sic corruptioni non subjacet, 170B. Ad ejus cognitionem non parum conducunt accidentia, 145B'. Quandoque pro persona sumitur, 58C. — Deus est velut pelagus quoddam substantiæ infinitum et indeterminatum, 231C', totius substantiæ principium, 221B, quapropter « omnium substantia inchoativa » dicitur, 31D', ac « principalium substantiarum mansio et collocatio », 56B', et emanationes ejus ad extra vocantur « substantificæ », quia cunctis creatis dant substantiam, gradum ac speciem, 218B. — Substantiæ separatæ, id est angeli, 26D, intellectum humanum superant, 26B', cur « manifestissima naturæ » dicantur, 92B'. — Verbum, supersubstantiale ut Deus, factum est substantia ut homo, 510A, D.

Ex philosophorum dictis : Substantiæ unitæ intelligibiles, non sunt generatæ ex re alia, 120D'. — Omnis substantia stans per se ipsam, non est generata ex re alia, 120D', nec est cadens sub corruptione, 120D', sed est simplex et non dividitur, 121A. — Omnis substantia simplex, est stans per se ipsam, 121A, omnis substantia destructibilis, est aut composita aut delata super res alias, 121A. — Intelligentia est substantia quæ non dividitur, 120D'. — *Cf.* Essentia, Materia.

SUPERIORA in entibus, inferiora diligunt ut effectus, 142A, et ab eis diliguntur ut causæ, 142A. Suum declarant amorem, inferioribus providendo, 148D, amore enim ad inferiora inclinantur, 152B'. — In universo mundo cujuslibet ordinis superiora cum superioris ordinis inferioribus connectuntur, 260C'. — Generatim a superioribus di-

riguntur inferiora, 544 D, ideo superiorum est inferiores gubernare, 544 D. — Superior animæ pars cur dicatur impassibilis, 567 A'. — *Cf.* Prælati.

SUPPOSITUM. Omne creatum subsistens, aliquo modo unitum est ex supposito et natura, 223 C. — Esse exsistentiæ proprie est suppositorum, 24 C'. — In hypostatico esse Verbi humana natura fuit suppositata et subsistens, 511 D'. — *Cf.* Persona.

SYMBOLUM. In symbolica theologia, per sensibilia designantur invisibilia, 565 D', tum ut profanos lateant, 566 A, tum ad exercendum et perficiendum studiosos, 566 A'; ideo sensus litteralis in ea non est ille qui per verba significatur, 566 D, sed sensus mysticus quem res significant, 566 C'. — Caute exponenda sunt symbola, 568 C, quia diversimode ad significata referuntur, 569 B'. — *Cf.* Signa.

Liber de Symbolica theologia post librum de Divinis nominibus scriptus est, 345 D', 460 C', D', et post librum de Divinis characteribus, 460 A, D', et erat illis prolixior, quare, 461 C. — Ibi disserebat Areopagita de Dei similitudinibus, 33 B', seu sensibilibus symbolis, 296 A', de nominibus scilicet quæ Deo ex rebus sensibilibus et humanis tribuuntur, 131 C, 461 A, de divinis formis, partibus, organis et passionibus, 461 A, de his generatim quæ Deo tribuuntur symbolice, 461 A', et indigne, 562 A; insuper de Sapientiæ domo et convivio, 574 A', et de his quæ in nona epistola ventilantur, 574 B'. — Liber summe utilis ad intelligentiam figurarum Scripturæ, 574 C'. — *Cf.* Theologia.

SYNDERESIS, quæ est habitus primorum principiorum in operandis, 179 C, semper remurmurat malo, 16 C, 453 A', illicitque ad bona, 173 C. — Recte « supersplendescens radius » dici potest, 16 B, et quasi insignitum lumen vultus divini, 453 A'. — *Cf.* Conscientia.

T

TACTUS nec Deo competit nec Deum attingere potest 25 B', 465 A', essentia enim divina a nemine tangitur, 60 B', tactu corporeo, 259 C, imo nec tactu spirituali, modo nobis comprehensibili, 467 D, quamvis in suis effectibus quodammodo tangi dicatur, 259 D. — Indivisibile proprie nec tangit nec tangitur, 60 B'; punctus tamen imaginarie tangi et tangere docetur, 60 B'. — Tactus spiritualis hominis, est intellectus, 259 C.

TEMPLUM. In templis olim unicuique tribuebatur locus : episcopis in choro, prope altare, 539 B', post eos sacerdotibus, et infra diaconis, 539 B'; monachis extra chorum, sed prope ejus januas, 539 C', ut agnoscerent se esse ministris inferiores, et quasi medios inter clericos et laicos, 539 D'. — Sacratior pars templi, scilicet chorus, nec pœnitentibus patebat, 538 A, nec monachis, 538 A'.

TEMPUS ob entitatis raritatem difficillime cognoscitur, 14 A'; in successionibus generationis et corruptionis locum habet, 309 A. — Ex motu oritur, 151 D, et ante mundum creatum, non erat, 151 D, sed est unum de IV coæquævis, 221 C. — Temporum periodi et revolutiones a Deo regulantur, 276 A, et generabilia ad suam perfectionem ducunt, 175 A. — In entibus quædam æterna sunt, quædam temporalia, 309 A', quædam media inter æternitatem et tempus, quia amborum proprietates participant, 309 B'; homines in tempore vivunt, postea in æternitate victuri, 309 A. — Deus recte dicitur tempus, 307 C', 309 B', quatenus causa est temporis et dierum, 307 D'; et est ante tempus et plus quam tempus, 309 C'. Quo sensu dicatur « temporum essentialitas », 221 C, et « tempus factorum », 221 C, A'. — *Cf.* Æternitas, Ævum, Dies, Sæculum.

TENEBRÆ, utpote carentia luminis, nihil sunt, 174 A, 502 A. — Luce fugantur, 502 A, tanto remotius quanto major est lux, 502 B. — Mystice, designant peccatum, 502 B. — Cur tenebræ dicantur Dei latibulum, 17 A', vel lux divina vocetur tenebræ, 502 A'. — *Cf.* Caligo, Obscuritas.

TENTATIO justis multum prodest, 280 D, quos in virtute confirmat, 280 A'. — Deus tentatorum est solamen et fortitudo, 18 D. — *Cf.* Tribulatio.

TERRA in medio mundi est constituta, 276 D, quomodo super nihilum fundata dicatur, 276 D. — Terrena noscunt angeli, 257 A', non per corporales sensus, 275 B', sed per simplicem mentis intuitum, 257 C'. — Contemplativa anima terrenis renuntiare debet, 15 D'.

TEUCRI, id est Turcæ stolidissime Christianos incusant quasi Evangelium corrupissent, 54 A'.

THEARCHIA quid significet, 277B. — Sic designatur Deitas summa, vel S. Trinitas 341A, unde lux divina vocatur « lux thearchica », 46D.

THEOLOGIA. Duplex est theologia, altera symbolica, 288C, quæ in libro de Symbolica theologia docebatur, 288A', altera affirmativa, 288C, quæ in Divinis nominibus continetur, 484D. Symbolica Deum sub sensibilibus similitudinibus contemplatur, 371C', ad exercendum et perficiendum studiosos 566A', sub sensibilibus figuris spiritualem sensum format et conjungit cum Deo 566C'; ad hanc multum juvat naturalium notitia, 275A. Affirmativa circa divina immediate versata, veritatem directe ostendit, 566A', et de Deo designat quod ei proprie convenit, 565C', vel in ipsa, quæ est quamdam rerum imaginem in mente formare ad plenius capienda invisibilia, 567C. — Est et tertia theologia mystica scilicet seu negativa, 27B quæ in Mystica theologia exponitur, 484B. Hæc per omnium ablationem ad Deum assurgit, 278C, 485D', Deum contemplatur incomprehensibilem, 452D', invisibilem, ignotum, 240D, 453A, eumque tanto plenius novit quanto profundius ignorat, 303C'. — In contemplatione theologiæ tam affirmativæ quam negativæ Deus vere et objective intelligitur, 484B, utraque enim est vera cognitio et realis intellectio Dei, 484D. — Sic ab Areopagita vocatur Scriptura, 11D, C', 34B, 49A', 341A, etc. — *Cf.* Cognitio, Contemplatio.

THEOLOGUS maximus multum a novissimo angelo distat, 344B. — Antonomastice « theologi » a Dionysio vocantur scriptores sacri, 9B', 13D', 29B, C, 30C, etc., et « Theologus » ipsemet Areopagita, 9A, 23B', 64D, 158A, etc.

THEOPHANIA. Moysi in Sinai locutus est non Deus sed angelus in persona Dei, 452C. Deus enim a nullo viatore videri potest, 452B. Verumtamen cum per speciem vidisse creduntur Moyses, 483A, et Paulus, 483D, non in se, absque velamine, ut in patria, 483A', sed in gratia theophaniarum, quæ sunt expressæ similitudines divinæ bonitatis, 483B'.

THEOSOPHI. Sic vocantur qui in Scripturis sunt periti, 30D.

THOMAS Aquinas, « sanctus Doctor », 489C, quid de Dei visione, 483B', et cognitione dicat, 487D. — Asserens intellectum humanum absque phantasmate intelligere non posse, 489A, reprobatur, 489C, et perperam Areopagitam allegasse arguitur, 489B'. — Cur ex tot scholasticis doctoribus fere solus sit canonizatus, 494D. — Passim citatur, 202C', 484D D', 487B, 489D, 490D', 525B', 543D', 594B'.

TIBURTIUS (S.) martyr, super prunas ambulans, rosas calcare sibi videbatur, 586A. (Acta SS. die xi Augusti.)

TIMOR. Justi semper timorati incedunt, 282B', et in bono confirmari a Deo merentur, 282D.

TIMOTHEUS, Ephesiorum episcopus, « sanctus vir Dei », 322C. Pauli discipulus et Areopagitæ socius, 92C, 308B, morienti Virgini adstitisse creditur, 95D. — In dubiis Areopagitam adire solebat, 322B, 324C', 499, qui illi scripta omnia communicabat, 561A, eumque multa docuit 561A' et verbis et scriptis, 562A. — Ipso rogante, Dionysius Hierothei libros explanavit, 92D'. Quanti eum fecerit Areopagita, 344C'.

TITUS « honestissimus », Pauli discipulus, Cretensium episcopus, Areopagitam in dubiis consulere solebat 499. — Ad eum exstat Dionysii epistola de symbolica theologia, 561A.

TOTUM omne et perfectum coincidunt, 70B, 120B', 341B'. Totum dependet ex partibus et indiget illis, 70A. — Deus non est totum, quia partibus non constat, 70A, dicitur tamen totum, quia omnia in se continet, 70B, et est super omne totum, 70C. — *Cf.* Pars.

TRIBULATIO justis multum prodest, 280D, quos in virtute confirmat, 280A'.

TRINITAS. Personarum trinitatem in essentiæ unitate ratio ex se concipere nequit, 55B, quod omnem creatam mentem superat 64A; imo nec trinitas nec unitas in Deo a quacumque creatura perfecte cognosci valet, 342C', neque enim unitatis, neque trinitatis, neque quovis alio nomine Deus clare designatur, 342D'. — Divinam Trinitatem non nisi ex Scriptura novimus, 20A, ideo de Trinitate nihil temere asserendum est præter ea quæ sunt divinitus revelata, 10D, quia capacitatem nostram infinite transcendit, 10B'. — Divina essentia perfecta est, tota et indivisa in qualibet persona et in tota Trinitate, 50A, etenim divinæ personæ communicant, identificantur, æternaliter unum sunt, 50D, essentia unitatem conservante dum relatio multiplicat personas,

50D. — In Trinitate omnia tam absoluta quam relativa una sunt, 341B; sed alia sunt Trinitati communia, alia personis propria, 53A, et nefas est vel unita separare, 53A, vel discreta confundere, 53B. Trinitati « unitæ » tribui debent quæ de Deo per negationem aut ablationem asseruntur, 53C', vel ratione causalitatis et productionis ad extra 53C', quæ dicunt perfectionem simpliciter, 54A', vel incomprehensibiles Deitatis excellentias, 55A', operationes ad extra 51C', D', 59D, A', 75C', donorum distributio, 59B, beneficia naturalia et gratuita, 59A'; singulis personis, quæ personas proprie signant, 54B, et relationes earum, 54B. Quæ de Deo essentialiter et absolute dicuntur, tam de qualibet persona accipi debent 49C', quam de omnibus simul, 342B', seu de tota Trinitate, 51C', sicut bonitas, 50A', 75B, sapientia, 51B, 75B, pulchritudo, 51B, potentia, 75B, vita, 50D', « qui est », 50B', Dominus, 50D', Deus, 49C. — In Trinitate Pater est « fontalis deitas », 65B, Filius et Spiritus, quasi « deitatis frutices et flores », 65B; Verbum ab intellectu Patris emanat, Spiritus a voluntate, 460C; sed non nisi metaphorice dicitur Filius ex ore, Spiritus ex corde Patris prodire, 564A; singulæ personæ in singulis vere et inconfuse et circumincessibiliter sunt, 460A'. — Divina natura proprie non dicitur trina, nisi quia tribus personis communis, 460B. — *Cf* Filius, Pater, Persona, Spiritus, Verbum.

TULLIUS (Cicero) quid de virtute sentiat, 175B'. — De cælorum concentu subtiliter scripsit, 261A'.

U

UBERTINUS (de Casaliis), Ord. Min. theologus, a Dionysio B. Virginem visitatam narrat, 96A.

UNIO. Ad unionem perfectam cum Deo requiritur in anima simplificatio maxima, 449B'. — Omnia entia propter unionem quasi unum sunt, 340A. — Perfectio unius rei consistit in unione et unitate 341C', destructio in divisione et dispersione a suo principio et fine, 341C', ideo vis unita fortior est quam dispersa, 449B'. — Philosophice: Omnis unitio bonum, et bonum unum idem 129C, hinc bonum unitivum est participantium ipso 129C. Omne unitum alterum est a per se uno, unitum enim participat uno, 340B'.

UNITAS. Unum dicitur quod est indivisum a se et divisum ab aliis, 12A'. Unum cum ente et vero convertitur, 58B, 320A', nec superaddit reale aliquid enti, 12A'. — Unum est omnium velut elementum, id est primordiale exordium, 340C', ita ut, uno dempto, corruunt universa, 340D, perfectio enim rei consistit in unitate et unione, 341C', destructio in divisione et dispersione a suo principio et fine, 341C'. Nullum est ergo exsistentium quod non participet quid unius, 339B, C'; sicut enim numerus quilibet monade participat, 339B, ita omnia participant uno, 339C, et ideo sunt quia unum sunt 339C, et ab uno primo et increato procedunt, 339D. Nullum est ens quod non sit unum, 320A'; quod enim ad aliquam non redigitur unitatem, nec res est, nec pars rei, nec accidens, 320B'. — Unitas ante omnem multitudinem est, et sine multitudine subsistit, 339D', et causa est omnis multitudinis, 340A. Omnis ergo multitudo participat uno, 339A', et quæ divisa et multiplicata videntur, sub alio respectu unum sunt, 339B'; quod enim unum increatum singulariter et distincte continet, hoc habent singula entia multipliciter et divisim, 339C', et omnia propter unionem quasi unum sunt, 340A. — Unitas est « principalior ac vetustior » cunctis numeris, 308A'; quilibet enim numerus unitate participat, 339B, et unus cunctis numeris sociatur 339B, in unitate omnes colliguntur numeri, 224B, et quanto plus ab unitate recedunt, tanto plus multiplicantur, 224C. Unum, prout est in rebus, numerari potest, 342C; unum autem increatum omne unum finit ac omnem numerum terminat, 342D, et cujuslibet numeri est principium, causa et ordo, 342A'. Falsum est ab unitate non posse immediate procedere nisi unum, 441B. — *Cf.* Multitudo, Numerus.

Deus essentialiter unus est, 12A', qui nec in partes nec in species dividitur, 49D unitas summa, 139A' superexaltata, 252A, simplicissima, 332D, in qua nec partium est pluralitas nec modorum diversitas, 139A' nec mutatio, nec varietas sed perfecta immutabilitas 139A'. Verumtamen non est unitas sicut nos scimus 467A', non est unum neque unum habet, et est superunum, 74A, sed dicitur unus, quia « omnia » est et omnium causa 339A — Unitas Dei oper-

et in Scripturis laudatur, 19C, quantum ad quis est naturali parti rationis, 13B'; et tamen omnem intellectum excedit, 12C, nec perfecte intelligi aut explanari potest, 218A, nil magnum potest, 342C. Omnium rerum causa est efficiens, exemplaris, 340D', 341C, et finalis, 341A', quia continet, servat, reducit, relevat, 341A, et perficit, 341A; unitas est multorum, 18D, 225C, et omnis numeri, 42D; totum unitatis excess, 42A' qua ad unitatem redigimur, 19D; unum et unum numeri, 19B'. Eam laudare convenit a varietatibus omnibus compulit, 341C, sed non nisi imperfecte Deum designat, 342D. — In divinis unitates præstantiores sunt discretionibus, 73B. Quid unitates Dei, 75B. — *Cf.* Trinitas.

Ex philosophorum dictis : quod per se et primo unum est nullatenus unum est et non unum, neque participat uno quum sit per se unum, 340B'. Significatio primi est unitas ejus, non quod unitas ejus sit sparsa in se, sed unitas ejus est pura, quoniam est simplex in fine simplicitatis, 170B'. — Omnis unitas bonum et bonum uni idem, 129C, nam unumquodque bonum secundum unionem exsistit, 137D, et omne quod est bonum est quia unum unumque est, 379C. — Omne primo et principaliter ens secundum unumquemque ordinem unum est et non duo, 165D'. Res simpliciter una est una tantum et unitas, et non fit super eam influxio, 139C', sed reliquæ indigent vero uno influente bonitates et gratias omnes, 139C'. — Unitas habet rationem principii, et procedit in multitudinem sibi convenientem, 224D'; omnis ergo multitudo secunda est ab uno et illud a nullo quia simpliciter primum, 340C'; omnis multitudo aliqualiter participat uno, 19B', 340C; nam si nullatenus participaret uno, neque totum unum esset, neque unumquodque multorum ex quibus est multitudo, esset unum, 340A'. — Colligatio et ordo totus ab unitate habet descensum in multitudinem, 32D, 225A, nam omnis ordo ab unitate incipiens procedit in multitudinem unitati consonantem, 32D, 136D, et omnis ordinis multitudo ad unam reducitur unitatem, 165D', 224D', tanquam ad causam communem, 225A. — Omne quod est unum, participatione unius fit unum, 190D, 340B', et quod non participat uno, non est, 229C', nequaquam uno participans neque secundum se ipsum totum, neque secundum unumquodque eorum quæ sunt in ipso, unumquodque infinitum est et secundum omnia, 340B'. — Omne unitum alterum est a per se uno, 70A, 225C; unitum enim participat uno, 340B', et omne quod participat uno et unum est et non unum, 19C, 340B'. — Ens divinum, propter suam substantialem unitatem indivisibile est et incognoscibile omnibus simul secundis, 1. — *Cf.* Dyas, Monas.

UNIVERSALIA a Deo sunt 225D', et sunt in re, 226A. — A particularibus et singularibus abstrahuntur, 140D', et ipsis posteriora sunt, 140D'.

V

VACUUM. Quum vacuum abhorreat natura, cur terra super vacuo fundata dicatur, 276D.

VASA sacra tangere et involvere olim sacerdotum erat duntaxat nec Levitis licebat, 541A'.

VEGETATIVA simplicibus elementis præstant, 220C', et vitam habent perobscuram et immersam materiæ, 241C'. Eorum supremum cum infimo animalium connectitur, 260D'. — A Deo vitam « nutritivam et motivam » acceperunt, 124A, et ad Deum tendunt « vitaliter », 29A, A', 129D'. — Sua annua germinatione, optima sunt futuræ resurrectionis figura, 128C.

VENTER non nisi metaphorice Deo tribuitur, 564A. — Mystice, concupiscentiam designat, quare, 295B'.

VERBUM. Stultum est ad verba magis attendere quam ad sensum, 144A, nam verba propter sensum adhibentur, 144B', et eis ad placitum utimur, 482B', veruntamen in contemplatione invisibilium, verbis clarioribus utendum est, 145A'. In symbolica theologia, sensus litteralis non est ille qui per verba significatur sed per res, 566D. — Areopagitæ libri tanto breviores sunt quanto altiores, 464C, quia quo sublimius est argumentum eo minus suppetunt verba ad exponendum, 464D. — Ad videndum Deum, transgredi oportet sonos et verba cœlestia, 451B'. — Verbum vocale, earum quæ sunt in anima conceptionum nota est, 144C; verbum mentale est Verbi Dei figura, 231A'. — *Cf.* Locutio.

Deus verbum dici nequit, 27A', nisi modo

sibi proprio, 27 C'. nec habet verbum diversum a se, 467 A. Multa de eo enuntiari possunt, sed paucissima proprie et congruenter, 451 B, quia verbis plene nominari nequit, 343 B, 451 B, et est super omne verbum, 343 C'. — Nullo nomine melius designatur Unigenitus quam Verbi, 27 D'. Verbum æternum ab intellectu Patris emanat 460 C, sed non nisi metaphorice ex ore Patris prodire dicitur, 564 A, vel in sinu Patris quiescere, 564 B. Causa exemplaris est omnium, 51 A', ideo omnia per ipsum esse dicuntur, 51 D, 75 A. Humanam naturam assumpsit absque deitatis mutatione et confusione, 71 C'. — *Cf.* Christus, Incarnatio.

VERCELLENSIS (Thomas Gallus, abbas) Areopagitæ commentator, allegatur, 95 B', 229 B'.

VERITAS quid sit, 262 A, et quotuplex, 261 D'. — Objectum est intellectus, 139 B; sed quam non invenit humilem, fugit mentem, 592 C. — Ex erroris confutatione non necessario sequitur veritatis demonstratio, 516 B, sed ex veritatis assertione illico detegitur et corruit error, 519 B, B'; satius est ergo, omissa erroris redargutione, 516 A', 519 A', veritatis asseverationi incumbere, 516 B', 518 A'. — Deus non est veritas, 467 D, modo nobis cognito, 467 A', sed est per se subsistens invariabilis veritas, 261 D', omnimodam continens veritatem, 262 A, et super omnem veritatem, 28 A. — Veritas quælibet a Deo est, 257 A, nam a veritate Dei cunctæ sunt veritates creatæ, 262 A, et in ea cunctæ relucent, 262 B. — Id quod est prime et maxime verum, ceteris omnibus causa est veritatis, 14 D'. — *Cf.* Error, Falsitas.

VESPERTILIO. Tanquam vespertilio ad radios solis ita se habet intellectus humanus ad manifestissima naturæ, 457 D. *Cf.* Noctua.

VESTES sacras tangendo, sacerdos malus mortaliter peccat, 543 D'.

VIA. Nullus viator Deum videre potest, 452 B, nec clare cognoscere, 344 C', et summus infimo comprehensori inferior est 260 D'. — Viæ Domini inscrutabiles, 503 D' — *Cf.* Homo.

VIGILIA Quo sensu Deus vigilare dicitur, 574 B *Cf.* Somnus

VINUM optime Scripturam figurat 571 D', quia recreat et exhilarat animam, 572 B.

VIRTUS est habitus rationi consentaneus, 175 B', quasi medium inter extrema vitia, 519 C. — Animam Deo facit amabilem, 158 B', et ad contemplationem disponit, 448 C'; multum juvat ad cognoscendum Deum, 488 B. — Virtutes naturales vel acquisitæ non sufficiunt ad salutem, 282 D'.

« Virtus » vocantur Deus et angeli, sed aliter et aliter, 273 C; virtus enim dici nequit Deus, 27 A', nisi modo sibi proprio, 27 C'. Ideo sic vocatur, quia in se ipso omnem virtutem continet et potentiam, 273 D', omnem perfectionem virtutum, 24 A', quia etiam omnia virtute propria produxit, 274 A, et totius virtutis est fons et causa, 274 B. — Deus virtus est prima et imparticipata, 274 B, nullo limite coarctata, 274 C, quæ tot et tanta non potest, quin plura infinities possit, 274 D, grandiora et incomparabiliter mirabiliora quam mens creata valet comprehendere, 274 A', quamque proinde stultissimum esset velle metiri, 274 A'. — Ex virtute divina derivatum est angelis immortalitas, fortitudo, 275 B, esse, posse et appetere, 275 C, ceteris entibus esse, posse et agere, 275 B', concordia ad invicem, 275 B', et proprius in universo locus, 275 C'. Ea custodiuntur angeli, 275 D', regulantur orbes cœlestes, 275 D', temporum periodi et revolutiones, 276 A; ea servantur indefectibilitas ignis et aquarum, 276 B, aeris dispositio, 276 C, terræ stabilitas, 276 D, elementorum distinctio, 276 A', corporis et animæ unio, 276 B', et ordo universi, 276 B'. — Ex divina virtute omnis est virtus creaturarum, 274 D', quælibet enim quidpiam divinæ virtutis participat, 275 A, juxta proprium statum, 275 A'; influxus ejus nulla est omnino expers, 277 A, quod enim virtute caret, nihil est, 277 A'. — *Cf.* Potentia.

VIS unita fortior est quam dispersa 449 B'. — Vires intellectivæ ut tales, in interioribus speculationibus superfluæ sunt, 144 D'. — Cur in senibus minuatur vis visiva, 170 B — *Cf.* Potentia.

VISIO. Deus quodammodo invisibilis dicitur, 13 D', 251 B, « invisibilis caligo », 255 C', seu « omne invisibile », 56 A', quoniam a nullo viatore videri potest, 251 B, 255 C', 452 B, et a nulla creatura unquam plene visus est, 14 B', aut videbitur, 14 A; et quodammodo visibilis vel supermanifestissimus 448 C quia ex se summe visibilis est, 251 C, 448 D, et invisibilia ejus in creaturis conspiciuntur, 140 D', saltem confuse et a posteriori, 131 A. — Quidquid dixerint quidam, 482 B', 484 B', de fide est Beatos in cœlo Deum videre facialiter,

immediatâ, nude et facie, 483 D, per essentiam, 483 D', non per quamdam radium lucidum 483 C', quia divina essentia ipsa sistitur quasi intelligibilis species, 483 C', et est vis quod et quo, 204 A', objectum et forma, seu quasi medium intelligendi, 483 C. — Quælibet visio Dei in præsenti, tantum distat a futura quantum umbra a luce, 485 D, aliquando tamen electis ostenditur tamen quaedam, 485 A, quo ad momentum introducuntur ad gaudia ubi Deum vident sicuti est, 483 B'. Sic Moyses et Paulus Deum per speciem vidisse creduntur, 483 B, A', 503 D', sed non absque velamine, sicut Beati in cœlo 483 A'. Quælibet Dei visio anima fit quando superior, 485 C. — Ad videndum Deum oportet animam a sensibilibus et intelligibilibus abstrahi 451 A', 452 B', et caliginem intrare ubi veraciter habitat Deus 451 B', ubi a Deo docebitur 452 C', et sine actu, per apicem intelligentiæ 453 A, immergetur incomprehensibili, 452 D, invisibili et ignoto, 453 A. Invisibilitatem enim Dei temporale cognoscere, 456 A, id est Deum non videre, 457 A, est Deum vere videre scilicet per omnium existentium ablationem 457 B, eumque supersubstantialiter laudare, 457 D; et quanto quis hoc clarius cernit, tanto Deum perfectius honorat limpidiusque contemplatur, 457 C. — *Cf.* Cognitio, Contemplatio.

A visibilibus repræsentantur invisibilia, tanquam causa ab effectu 584 C', ideo per sensibilia in Scripturis vulgo designantur, 22 B et per visibilia homo ad ea manuducitur 22 B'. — Non est creatura quæ visum Dei effugiat, 225 D. — Cur in senibus deficiat vis visiva, 170 B. — Mirabilis visio Carpi refertur, 549 B. — *Cf.* Sensus.

VITA latius patet quam intelligentia, 219 C', quia vivens generalius est quam sapiens et sensitivum 220 A quam rationabile et intellectuale 220 B; ideo viventibus præstant sensitiva, rationalia et intellectualia, 220 B, sicut entibus simpliciter præstant viventia, 220 B. — Vita in inferioribus per motum manifestatur, 244 C', et quo magis super corpus et materiam elevatur, eo perfectior est, 244 C. Deficiente omnino bono in ente, et ipsa deficit, 163 D, hinc peccator, ut talis, non vivit 163 A'. Quid sit vita prima et secunda, 123 B, 244 C'. Quatenus vita vivere dici possit, 60 D. — Vita nostra quandoque ad intellectum talis est qualis est vita primi cultu invariabiliter, 452 C'.

Deus vita dici nequit, 27 A', nisi modo sibi proprio, 27 C'. — Ipse est sua vita purissima, 165 A, vita essentialis et æterna 222 D, vita plenissima, 244 A, actualissima, et perfectissima 244 D, vita increata, 218 A', in qua idem sunt vivens et vita 124 C, vivere, virtus vitalis et actu viva 244 C, cui vita sapientia 219 D esse, vivere, intelligere, velle, diligere, 244 D', « supervita » 124 C, 244 C, omnium vitarum principalis et causa 244 C, fons omnium viventium 218 A', ex qua cunctis viventibus datur vivere, 244 A. — Vita divina causa est « substantifica » totius vitæ 244 B' intellectualis animalis et naturalis, 144 A, naturæ, gratiæ et gloriæ, 126 C', ex qua vitam habent angeli, 244 B, immaterialem et immutabilem 242 C, animæ, vivere primum et secundum, 123 B, vitam immortalem, 244 C', prope angelicam in præsenti, 242 C', perfectam et immutabilem in futuro, 243 A, A', ex qua vitam habent ac servant dæmones 242 D, et vivunt quæcumque viventia, 244 C', 242 B, 244 B. — A divina vita cuilibet vitæ datur esse « vitam per se », 242 B, omnia ab æterno in ea sunt idealiter, 244 B, et præter illam nulla est vita prima qua vivant universa, 323 B; ideo recte dicitur Deus « vita viventium », 18 D', « vita universorum », 18 A. — Filius vita est a Patre et ad se, 322 B, sed quælibet Persona « vita » dici potest, 50 D'. — A primo ente omnibus derivatum est esse et vivere, 14 D, aliis clarius, aliis obscurius, 164 D.

VITIUM quomodo Deo contrariari dicatur, 244 A. — Animam Deo odibilem facit, 158 B', ideo ad contemplationem ascendere cupiens vitia primum refrenare debet, 15 C'. — Quo sensu nonnulli ad vitia dicantur naturaliter inclinati 173 D. Vitiis assueti difficillime corriguntur, 537 D. — *Cf.* Peccatum.

VOCATIO. Unusquisque ea quæ sunt suæ vocationis attendat, 542 B, nec ultra potestatem aut dignitatem attentare præsumat 542 A'. — Multi in religione damnantur, quia juxta vocationis exigentiam conversari noluerunt, 494 B'.

VOLUNTAS fons est virtutum et vitiorum, 178 C, peccandi prima radix, 178 D, quia nullum est peccatum quin a voluntate probetur, 178 D; sed est peccati causa potius

defectiva quam effectiva, 167 A'. — Circa bonum intellectualiter cognitum versatur, 492 A. — In Deo idem sunt velle, esse, vivere, intelligere et diligere, 244 D'. Ejus voluntas est rerum causa et origo, 135 C; quocirca practicæ divinæ mentis volitiones recte dicuntur paradigmata, 229 C, quia creaturis dant esse substantiale et omne esse quod habent, 229 A.

Z

ZELUS. Ita vocatur amor prævalidus, 147 B'. — Zelo ardere oportet qui Deum diligere volunt, 149 D', sed in nova lege zelus amarus condemnatur, 547 C. — « Zelotes » dicitur Deus tum quia omnia ad amorem sui excitat, 149 C', tum quia universa impense amat, 149 D', et a fidelibus impense amatur, 150 A.

INDEX GENERALIS

DE DIVINIS NOMINIBUS.

Præfatio 1

Capitulum primum (interprete Joanne Scoto) 3

Articulus I. Expositio initii hujus capituli : de objecto scilicet præsentis libri, et quod in hoc opere non sit innitendum rationi, sed revelationi 8
Articulus II. Ostendit auctor sive rationibus sive auctoritatibus, quod tantum de divinis asseverandum sit, quantum nobis divina Eloquia tradunt 10
Articulus III. Quomodo occultæ Deitatis cognitio nobis communicetur 14
Articulus IV. Quam cognitionem de Deo per divina nomina accipiamus. . . . 17
Articulus V. Nomina divina ab emanatione divinarum perfectionum in creaturas desumi 19
Articulus VI. Deum in hac vita obscure per symbola cognosci, in cœlis vero clare in se videri, a nulla autem creatura perfecte comprehendi. 22
Articulus VII. De modo Deum nominandi duplici, per ablationem scilicet et positionem 25
Articulus VIII. Quod theologi vel dicant Deum esse innominabilem, vel attribuant ei omnium rerum nomina. . . 29
Articulus IX. Ad optimum regimen universi requiri quod Deus et omni nomine careat, et omni nomine appelletur . 31
Articulus X. De tertio genere Dei nominationum, scilicet per sensibiles similitudines, et quomodo de divinis nominibus sit agendum. 33

Translatio Marsilii Ficini 35

Paraphrasis abbatis Vercellensis. . 39

Capitulum secundum 43

Articulus XI. Elucidatio initii hujus secundi capituli : quod nomina divina de quibus in hoc libro agendum est, de tota Trinitate æqualiter prædicentur. . 49
Articulus XII. Quod sacra Scriptura quædam tradat communiter de tribus personis, quædam distinctim 52
Articulus XIII. De diversis modis secundum quos unitio et distinctio possunt accipi in divinis. 55
Articulus XIV. De subtili luminum aliquot uno in loco lucentium exemplo, et de alia discretione in divinis personis . . 56
Articulus XV. De discretione et unione divina in creaturarum processione benefica 59
Articulus XVI. Qualis sit personarum divinarum ratione incarnationis dominicæ discretio seu distinctio 62
Articulus XVII. Quod discretiones divinæ et unitiones non possint sufficienter nobis manifestari per processiones creaturarum 63
Articulus XVIII. Scire non possumus quid sit paternitas et filiatio in processionibus divinarum personarum. 65
Articulus XIX. De incomprehensibili et superadmirabili incarnatione Christi. . 67
Articulus XX. Sanctissimi Hierothei verborum de laude Jesu Christi ex theologicis ejus commentariis, elucidatio . 69
Articulus XXI. Quatenus Deus multa creando multiplicari dicatur 72

Translatio Marsilii Ficini 76

Paraphrasis abbatis Vercellensis. . . 81

Capitulum tertium 85

Articulus XXII. Elucidatio primæ partis capituli hujus tertii : quæ sit orationis

virtus Dei illuminata. 87
Articulus XXIII. Cur post B. Hierotheum S. Dionysius hosce libros theologicos conscripserit 91
Articulus XXIV. S. Hierothei laus præclara. 94
Articulus XXV. Quam humiliter S. Dionysius de se ipso et de suo opere sentiat. 98

Translatio Marsilii Ficini 100

Paraphrasis abbatis Vercellensis . . . 102

CAPITULUM QUARTUM 104

Articulus XXVI. Elucidatio partis primæ hujus capituli quarti : de bono, et primo quomodo bonitas Deo attribuatur. 119
Articulus XXVII. De bonitatis divinæ diffusione in angelos et animas rationales 120
Articulus XXVIII. Qualiter bonitas divina relucet in irrationalibus 123
Articulus XXIX. Solem esse imaginem divinæ bonitatis quantum ad processum rerum ab ipsa 126
Articulus XXX. Solem esse imaginem divinæ bonitatis quantum ad ordinem rerum in ipsam 128
Articulus XXXI. De luce seu lumine intelligibili : quomodo essentiæ divinæ conveniat 131
Articulus XXXII. De pulchro : qualiter Deo attribuatur 133
Articulus XXXIII. Bonitatem et pulchritudinem divinam esse omnium causam. 135
Articulus XXXIV. De tribus angelicarum mentium animarumque rationalium motibus et contemplationibus . . . 138
Articulus XXXV. Bonum et pulchrum esse causam universalium motuum et quietum 140
Articulus XXXVI. De amore : quod omnia suo modo ament bonum, et propter bonum operentur, et quod ipsemet Deus amet omnia 142
Articulus XXXVII. Objectio de usu vocabuli amoris excluditur : primo per rationem 143
Articulus XXXVIII. Prædictæ objectionis exclusio per auctoritates, et de significatione nominis amoris . . . 145
Articulus XXXIX. De amore extatico et zelo divino. 148
Articulus XL. Qualiter Deus, et Amor sive dilectio, et dilectus seu amatus dicatur. 150
Articulus XLI. Hierothei sanctissimi ex amatoriis hymnis. De amoris divisione et definitione 152
Articulus XLII. Ejusdem ex iisdem amatoriis hymnis. Amores omnes ad duos reduci 152
Articulus XLIII. Ejusdem ex iisdem amatoriis hymnis. Duos prædictos amores ad unum primum referri . . . 153
Articulus XLIV. Quæstionum aliquot de malo adversus prædicta objectio . . 154
Articulus XLV. Solutiones quæstionum dictarum : et primo quod malum non sit aliquid exsistens . . . 156
Articulus XLVI. Dubitationes quædam de exsistentia mali. 158
Articulus XLVII. Dictorum dubiorum solutio : quod malum non generet in quantum malum, sed in quantum bonum 159
Articulus XLVIII. Quidquid exsistit, secundum boni participationem esse id quod exsistit. 162
Articulus XLIX. Malum non esse aliquid positivum in exsistentibus 164
Articulus L. Malum non esse in Deo, neque ex Deo 166
Articulus LI. Angelorum laus et descriptio, eisque malum non inesse. . . . 167
Articulus LII. Dæmones non esse naturaliter malos 169
Articulus LIII. Qualiter dæmones sint mali. 170
Articulus LIV. An et quomodo animabus humanis insit malum 173
Articulus LV. In animalibus irrationabilibus non esse aliquid naturaliter malum. 174
Articulus LVI. An naturæ sive universali sive particulari, vel corporibus, possit inesse malum 175
Articulus LVII. De materiæ itemque privationis ad malum habitudine. . . . 176
Articulus LVIII. De una boni, pluribus autem mali causis, item quod causæ mali sint virtutes beneficæ, an malum sit æternum, an juxta naturam; et num mali principium anima 178
Articulus LIX. Quod omnia boni gratia fiant, quodque malum per accidens sit et præter intentionem. 180
Articulus LX. Malum nihil valere ex admixtione boni, neque esse idem in omnibus 182

Articulus LXI. Quod divina providentia malis bene utatur, proprieque singulis rebus consulat 182
Articulus LXII. Malum non esse rem aliquam, neque potentiam, sed infirmitatem 184
Articulus LXIII. An etiam scienter peccare sit ex infirmitate; et totius capituli epilogus 184

Translatio Marsilii Ficini 186

Paraphrasis abbatis Vercellensis. . . 201

Capitulum quintum 213

Articulus LXIV. Explanatio initii capituli hujus quinti : quæ sit intentio præsentis sermonis; et cujusdam erroris expulsio 217
Articulus LXV. Ea quæ Deum magis participant, ei sunt propinquiora. . . . 220
Articulus LXVI. Quod esse divinum sit universalis causa cujuslibet entis. . . 221
Articulus LXVII. Quod Deus principalius per ipsum esse nominetur 222
Articulus LXVIII. In Deo, tanquam causa omnium, omnia etiam contraria esse unita 224
Articulus LXIX. A Deo esse universos gradus entium, et in ipso omnia præexsistere secundum virtutem supersubstantialiter unam. 225
Articulus LXX. De paradigmatibus seu exemplaribus. 229
Articulus LXXI. Eorum quæ in hoc capitulo dicta sunt epilogatio. 230

Translatio Marsilii Ficini 232

Paraphrasis abbatis Vercellensis. . . 236

Capitulum sextum 239

Articulus LXXII. Elucidatio primæ partis capituli hujus sexti : quod vita divina sit causa omnis vitæ 241
Articulus LXXIII. Deum viventi naturæ cuilibet vitam congruam impertiri, et divinam vitam ex omni vita rite laudari 242

Translatio Marsilii Ficini 245

Paraphrasis abbatis Vercellensis. . . 246

Capitulum septimum 247

Articulus LXXIV. Expositio initii hujus septimi capituli : qualiter sapientia in Deo accipiatur 250
Articulus LXXV. De causalitate divinæ sapientiæ sive in generali, sive in speciali quantum ad angelos, animam rationalem et dæmones 253
Articulus LXXVI. Quomodo Deus per divinam sapientiam omnia cognoscat . . 255
Articulus LXXVII. An et quomodo Deum, alioqui incomprehensibilem, noscamus. 257
Articulus LXXVIII. Qualiter Deo adscribantur ratio, veritas, fides 261

Translatio Marsilii Ficini 264

Paraphrasis abbatis Vercellensis. . . 267

Capitulum octavum. 270

Articulus LXXIX. Elucidatio hujus capituli octavi : et primo de virtute, quomodo attribuatur Deo. 273
Articulus LXXX. De processu divinæ virtutis ad angelos ceterasque creaturas. 275
Articulus LXXXI. De ridicula et calumniosa Elymæ magi contra omnipotentiam Dei objectione 277
Articulus LXXXII. De justitia : qualiter Deo tribuatur 278
Articulus LXXXIII. Duarum objectionum contra divinam justitiam solutio . . . 279
Articulus LXXXIV. De Dei tanquam salutis ac redemptionis laude; et de inæqualitate. 281

Translatio Marsilii Ficini 283

Paraphrasis abbatis Vercellensis. . . 286

Capitulum nonum 288

Articulus LXXXV. Elucidatio initii capituli hujus noni : Deum in Scripturis vocari magnum, parvum, eumdem, alium, etc 291
Articulus LXXXVI. Quo sensu Deus dicatur magnus et parvus 292
Articulus LXXXVII. Qua ratione idem et alterum Deo attribuantur 294
Articulus LXXXVIII. Quomodo similis aut dissimilis nominetur Deus 296

Articulus LXXXIX. De divina statione, motione, et æqualitate . . . 298
Translatio Marsilii Ficini . . . 300
Paraphrasis abbatis Vercellensis . . . 303

CAPITULUM DECIMUM . . . 305

Articulus XC. Expositio initii capituli hujus decimi : unde Deus dicatur omnipotens et antiquus dierum . . . 306
Articulus XCI. De ævo seu æternitate, et tempore . . . 308
Translatio Marsilii Ficini . . . 310
Paraphrasis abbatis Vercellensis . . . 311

CAPITULUM UNDECIMUM . . . 312

Articulus XCII. Elucidatio initii capituli hujus undecimi : de pace divina in omnibus ejusque effectibus . . . 315
Articulus XCIII. De divina pace in speciali ; nos scire non posse ejus naturam sed tantummodo participationes . . . 316
Articulus XCIV. De causalitate divinæ pacis . . . 317
Articulus XCV. Objectionis contra pacem omnibus appetendam dilutio sive remotio . . . 319
Articulus XCVI. De pace facta per Christi incarnationem . . . 321
Articulus XCVII. De per se ipsum esse, per se ipsam vita, per se ipsam sapientia, etc. . . . 322
Translatio Marsilii Ficini . . . 324
Paraphrasis abbatis Vercellensis . . . 327

CAPITULUM DUODECIMUM . . . 330

Articulus XCVIII. Elucidatio partis primæ hujus capituli duodecimi : quid sit per se sanctitas, regnum, dominatio, deitas, et qualiter Deo attribuantur . . . 331
Articulus XCIX. Quid intendant Scripturæ demonstrare per dictorum nominum geminationem . . . 333
Translatio Marsilii Ficini . . . 334
Paraphrasis abbatis Vercellensis . . . 335

CAPITULUM TERTIUM DECIMUM . . . 335

Articulus C. Elucidatio initii capituli hujus tertii decimi : qualiter Deus dicatur perfectus . . . 338
Articulus CI. Quod omnia uno aliqualiter participent . . . 340
Articulus CII. Quonam sensu Deus dicatur unus . . . 341
Articulus CIII. Epilogi sive conclusionis hujus libri expositio . . . 344
Translatio Marsilii Ficini . . . 346
Paraphrasis abbatis Vercellensis . . . 348

TRANSLATIO JOANNIS SARRACENI . . . 354

TRANSLATIO AMBROSII ABBATIS CAMALDULENSIS . . . 395

DE MYSTICA THEOLOGIA.

Præfatio . . . 443

CAPITULUM PRIMUM (interprete Joanne Scoto) . . . 445

Articulus I. Elucidatio initii hujus primi capituli : invocata SS. Trinitate, docet auctor ad mysticam contemplationem, nostri rerumque omnium abdicatione assurgendum esse . . . 447
Articulus II. Mysteria indoctis non prodenda ; omnia autem de Deo ponenda, omnia removenda . . . 449
Articulus III. De hoc quod dixit S. Bartholomæus, theologiam esse maximam et minimam, atque evangelium latum et concisum . . . 450
Articulus IV. Quæ sit divina caligo, et quomodo ad eam ingrediendum . . . 451
Translatio Marsilii Ficini . . . 453
Paraphrasis abbatis Vercellensis. . . . 454

CAPITULUM SECUNDUM . . . 456

Articulus V. Elucidatio capituli hujus secundi : de notitia Dei per caliginem, et diverso positionum et ablationum usu. 456
Translatio Marsilii Ficini . . . 458
Paraphrasis abbatis Vercellensis. . . . 458

CAPITULUM TERTIUM . . . 459

Articulus VI. Elucidatio initii capituli hujus tertii : quid in libris Theologicorum

characterum, Divinorum nominum et Symbolicæ theologiæ dictum sit . . . 460
Articulus VII. Sermonem in altioribus semper contrahi, et oppositum esse ordinem affirmationum et negationum . . 461
Translatio Marsilii Ficini 462
Paraphrasis abbatis Vercellensis. . . 463
CAPITULUM QUARTUM. 464
Articulus VIII. Expositio capituli hujus quarti : quo pacto sensibilia omnia a Deo removeantur 464
Translatio Marsilii Ficini 465
Paraphrasis abbatis Vercellensis. . . 465
CAPITULUM QUINTUM 466
Articulus IX. Elucidatio capituli hujus quinti : cur et quomodo intelligibilia omnia de Deo negentur 466
Translatio Marsilii Ficini 468
Paraphrasis abbatis Vercellensis. . . 468
TRANSLATIO JOANNIS SARRACENI . . . 471
TRANSLATIO AMBROSII ABBATIS CAMALDULENSIS 477
Difficultatum præcipuarum praecedentium librorum absolutiones breves ac necessariæ 481
Articulus I. Quæ Dei cognitio seu visio haberi possit in præsenti vita vel futura. 481
Articulus II. Quousque mens humana contemplando Deum, pertingere seu proficere queat 484
Articulus III. Quæ mysticæ theologiæ definitio sit, itemque subjectum atque objectum 491
Articulus IV. Qualis fuerit priscorum philosophorum aliquot theologica notitia. 492
Articulus V. Quo compendio mysticæ theologiæ culmen obtinendum 493

IN EPISTOLAS S. DIONYSII.

Præfatio 499
EPISTOLA PRIMA (interpretibus Joanne Sarraceno et Ambrosio Camaldulensi) 501
Articulus I. Elucidatio hujus primæ epistolæ ad Caium monachum : quomodo ignorantia quadam cognoscatur Deus et quomodo visus sit ab illis qui vidisse eum leguntur 502
Translatio Joannis Scoti. 504
EPISTOLA SECUNDA 504
Articulus II. Elucidatio hujus epistolæ secundæ ad Caium monachum : quo sensu dicatur Deus super Deitatem principalem et super bonitatem 505
Translatio Joannis Scoti. 506
EPISTOLA TERTIA 506
Articulus III. Elucidatio hujus epistolæ tertiæ ad Caium monachum : quod non modo divinitatis, sed et humanitatis Christi mysterium, et dictu arcanum sit, et intellectu ignotum. 507
Translatio Joannis Scoti 508
EPISTOLA QUARTA. 508
Articulus IV. Elucidatio hujus epistolæ quartæ ad Caium monachum : Quomodo Jesus, qui superessentialis est, essentiatus substantiatusque dicatur . . . 509
Translatio Joannis Scoti. 512
EPISTOLA QUINTA. 512
Articulus V. Elucidatio hujus epistolæ quintæ, ad Dorotheum diaconum : quæ sit divina caligo. 513
Translatio Joannis Scoti. 515
EPISTOLA SEXTA 515
Articulus VI. Elucidatio hujus epistolæ sextæ, ad Sosipatrum sacerdotem : de discreta reprehensione 515
Translatio Joannis Scoti. 516
EPISTOLA SEPTIMA 517
Articulus VII. Elucidatio initii hujus epistolæ septimæ, ad Polycarpum Smyrneorum episcopum : adversus infideles non est contentiosius agendum, sed veritas stabilienda 518
Articulus VIII. De prodigiis quibus Apollophanes in Deum reduci poterat : et

primi de solis statione sub Josue, et retrogradatione sub Ezechia. 520
Articulus IX. De eclipsi in morte Christi. 524

Translatio Joannis Scoti. 525

EPISTOLA OCTAVA . . . 527

Articulus X. Expositio initii hujus epistolæ octavæ, ad Demophilum monachum ; de mansuetudine Moysis, David aliorumque præcipuorum Dei amicorum. 531
Articulus XI. De ineffabili benignitate Christi. 535
Articulus XII. S. Dionysius reprehendit Demophilum quod contraria prædictis fecerit. 537
Articulus XIII. Demophilus arguitur de temeritate, utpote hierarchicum ordinem transgressus. 538
Articulus XIV. Demonstratur per Scripturas, nulli exsequi licere quæ non competunt sibi ex officio, quamvis sancta sint et justa. 541
Articulus XV. Quod non sit Demophili monachi increpare sacerdotem, et quænam ad ipsum pertineant. 542
Articulus XVI. Demophilus arguitur de inhumanitate . . . 545
Articulus XVII. Demophili justificationem S. Dionysius recusat, et eum ad humanitatem hortatur . . . 547
Articulus XVIII. De mirabili visione S. Carpi. 549

Translatio Joannis Scoti 552

EPISTOLA NONA . . . 557

Articulus XIX. Expositio initii hujus epistolæ nonæ, quæ est ad Titum : cur necessarium sit, ea quæ de Deo symbolice dicuntur, exponere. 561
Articulus XX. De aliquibus symbolis divinis eorumque significationibus in communi. 563
Articulus XXI. Quare divina tradantur in symbolis sensibilibus, et de duplici theologia . . . 565
Articulus XXII. Quomodo symbola sint exponenda. 568
Articulus XXIII. De proprietatibus alimenti in genere, et de mystica significatione crateris et domus Sapientiæ . 569
Articulus XXIV. Quid spiritualiter significet duplex alimentum, solidum scilicet et liquidum, quod divina Sapientia proponit . . . 571
Articulus XXV. Quid Dei ebrietas et discubitus Beatorum in cœlis mystice designent 572
Articulus XXVI. De Dei somno et evigilatione, residuumque hujus epistolæ expositio 574

Translatio Joannis Scoti. 575

Paraphrasis abbatis Vercellensis. . . 578

EPISTOLA DECIMA. 583

Articulus XXVII. Expositio decimæ hujus epistolæ, ad beatissimum Joannem apostolum et evangelistam : cui S. Dionysius prophetice prædicit ab exsilio liberationem 584

Translatio Joannis Scoti. 586

EPISTOLA UNDECIMA 587

Articulus XXVIII. Expositio initii epistolæ hujus undecimæ et ultimæ : quanta fuerit Apollophani in errore pertinacia. 589
Articulus XXIX. Apollophanum jam conversum S. Dionysius hortatur ad fortius resistendum errori. 590

Translatio Joannis Scoti. 592

TRANSLATIO JOANNIS SARRACENI. . . . 595

TRANSLATIO AMBROSII ABBATIS CAMALDULENSIS. 601

Index S. Scripturæ 615
Index analyticus 624

EMENDANDA. Pag. 78 A, lin. 16, a per se et uno, lege a per se uno ; — 87 C, lin. 1 : Hieronymus... Rufinus (Histor. Monach. c. xx). — 167 A', lin. 10 : deiformitates... deformitates ; — 400 B, lin. 9 : Bernardus, libro de Consideratione... Hugo de S. Victore (Miscellan. lib. v, tit. 51). — 524 B, lin. 7 : immensam... innumeram ; ibid. lin. 12 : occidente... oriente ; — 591 A', lin. 10 : incensione... procrastinatio ; — 592 in fine : Translatio Joannis Scoti... Translatio antiqua. (Cf. Migne Patrol. lat. tom. 122, col. 1077 et s.)

NOTANDUM. Ad instar Editionis Coloniensis an. 1556, ut claritati in gratiam Lectoris consuleremus, articulos nonnullos cum congruis titulis addidimus, juxta divisiones a S. Thoma et B. Alberto Magno indictas.

Typis Cartusiæ Sanctæ Mariæ de Pratis. Tornaci.
A. Ernaelsteen typographus.